BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
12 I
30

8. 12. I. 30

Digitized by Google

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

10 . c

3-11-I-30

Bened. Ariæ Montani Hiſpal.

DE OPTIMO IMPERIO, SIVE IN LIB. IOSVAE Commentarium.

Collegij Ro: Societat. Iesu Catal. inscrip.

Ex legato Card. Poli

ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini.
M. D. LXXXIII.

S. C. ROMANAE
ECCLESIÆ EIVSQVE
SVMMO PONTIFICI, ET CÆTERIS *ſacris miniſtris omnibus,*

BENED. ARIAS MONTANVS
s. *à Deo,* & D. N. I. *Chriſto.*

POSTQVAM mea probari vobis ſtudia in Tridentini Concilij frequētia illa celeberrrima, præſens ipſe ſenſi; quod mihi ipſe de me nunquam promittere aut ſperare auderem, veſtro conſilio ac monitu, immò iuſſu potius fultus, vobis vt promitterem, ac voto etiam obligarem, ſum perſuaſus: hoc eſt, vt quantũ Dei beneficio ex ſacrorum librorũ lectione boni fructus ferre poſſem, id omne ad communē Chriſtianorum vſum Sanctiſſimę matri Eccleſiæ dicatũ conſecrarem. Sed vt, non ante quadrageſimũ quartum ætatis meæ annum, vigiliarum mearum primitias ad ſancta templa deferrem, illud in cauſa fuit, quòd arbitrarer nihil immaturum aut præcox honeſtè proferri poſſe; id verò quod à me arte ingenioq; accelerari ac perfici non poſſet, temporis interuallis conficiendum putarem. Primum itaq. fructum edebamus, cùm duodecim Prophetas interpretaremur, deinde verò in noui Teſtamenti libros duos elucidationes emittebamus, & verſionē ſacrorum Dauidis Pſalmorum pedibus ac numeris conſtricta ora-

tione: quem laborem maioris operis initium eſſe profitebamur. Nam quæ ad ſacrorum Bibliorum, quæ regio ſtudio ac beneficio à Plantino edita ſunt, Apparatum congeſſimus, ea in hoc genere non ponimus, ſed ad artis formam rationemq. referenda cenſemus; nec tamen illa omnia noſtro tantùm, ſed plurium doctiſſimorũ & piiſſimorum virorum laboribus collatis, parata ſunt. Quòd verò tamdiu ceſſauerimus nullumq. munus afferendum concinnauerimus, multa profectò effecerũt, cum primis verò vitæ genus ab inſtituto noſtro prorſus diuerſum: cùm totum ferè tempus vel in peregrinationibus officij cauſa faciẽdis, vel in regiæ aulæ ſeruitute, & quietis otijq. deſiderio conſumpſerimus. Acceſſit etiam infrequentia magna vitę actionum & conſuetudinũ, incredibilis ſolitudo atq. inopia ſtudioſorũ amicorum, quorum cõſilio, opera & ſubſidio iuuari plurimum, & quicquid agerem excolere ac promouere poſſem, ſed nec amanuenſium facultatem nanciſci poteramus: ita vt quid meditari contingeret, ſcribendum, & deſcribendum, & limandum, & ad incudem reuocandum vni mihi foret; quod opus vel maximi tædij, vel integri otij (quo nos egebamus) erat. Interim non ſine aliquo vſu nobis tempus fluebat, hominum de labore ſtudioq. noſtro iudicia exquirentibus ac diligenter patienterq. obſeruantibus, quæ nobis ad reliquum vitæ induſtriæ ac lucubrationum decurſum vtilia fore cenſebamus. Atque toto hoc annorum ferè decem interuallo ſtudium quidem noſtrum omnibus ferè Chriſtianis probatum fuiſſe credimus; laborem verò non æquè omnibus placere intelleximus. Nam quamquam aliarum nationum omnium, quibus noſtra, qualiacumque

liacumque ea ſunt, arridere accepimus (idq́ue vel maximum ducimus & gratias habemus) calculis & ſuffragiis ornati ſumus, & ad vlterius etiam procurrendum incitati, noſtratium tamen, hoc eſt Hiſpanorum̃, cùm varia ingenia ſint, non æqua omnium ſumus experti iudicia. Verùm hoc nobis nec nouum, nec recentis exempli, nec mirandum accidit: nec tam hominum inuidiæ quàm ingenij noſtri tenuitati adſcribi volumus. Nam cùm omnis eorum virorum, qui in Hiſpania Theologiæ nomen dederunt, exercitus in duas claſſes diuiſus ſit; alteram eorum, qui ſcholaſticis exercitationibus contenti ſtationes partéſque ſuas tuentur; alteram verò eorum qui vlterius etiam progreſſi ad ſacrorum Bibliorum lectionem ſeſe contulere, eamq́. variorum expoſitorum ſcriptis, explanationibus & ſententiis muniendam duxere, euenit vt alteri præter preſſum illum ſcholaſticæ diſputationis ſermonem elocutionis omne genus aliud reſpuant, & quidquid vberioris linguæ offenderint, negligant ac penè condemnent: Alteri verò qui arcanis ac myſticis veterum expoſitorum̃ & concionatorum explicationibus mentem ſenſumq́ue imbuerunt, quidquid ab illis enarrationibus, quas myſticas, anagogicas & tropologicas vocant, quoquo modo differre cognouerint, vt humile atq. omnibus peruium communéq. faſtidiant. Ex vtrorumque numero illos excipimus, vel qui aliorum labores boni conſulunt, vel qui omnia legere ſolent, & ex omni ſana lectione vſum aliquem capi poſſe arbitrantur. Atqui alteris vt minus placeremus, effecit Romani ſermonis puritas, quam (cùm Latinis lectoribus operam daremus) pro viribus conſectari ſtudebamus. Alteris verò vt non

ſatis faciamus, inſtituti noſtri ratione factum eſt. Quippe enarrationis genus cum primis ſuſcepimus familiare, planum ac ſimplex, quod ipſa verborum ſignificatio exigere videatur, quodque tenuibus noſtrique ſimilimis lectoribus capi, probari, & ad Chriſtianam vitam informandam cum vtilitate retineri poſſe ſperabamus; quod genus literale à nonnullis dicitur, id eſt, quod ſcripturæ lectio ſimplex primùm poſtulat. Hoc igitur inſtitutum porrò etiam tenentes, commentariorum iuſtorum alterum fœtum Dei ope procreatum & fuſum tibi, ſanctiſſima Eccleſia Romana mater, dicamus, nempe Ioſuæ prophetæ ac ſummi ducis librum, qua potuimus rerum copia & orationis facilitate ac perſpicuitate explicatum, in tuíque ſacrarij poſtibus ſuſpendimus, exiguum quidem munus pro meritorum erga nos tuorum, próque animi ac voti noſtri ratione: quod tametſi maximorum atque ingenio artéque elaboratorum cereorum inſtar micare ſplenderéque non poſſit, tamen puræ ac ſimplicis candelæ à pauperioribus admotæ more modóque lucere aliquando in templi vſum cupimus, idque tibi quæ ſummorum atque infimorum communis mater es, vt parui filioli in tuam gratiam ſuſceptum laborem gratum eſſe optamus & fore ſperamus, nonnihil vt videmur vtilitatis allaturi condiſcipulis noſtris, hoc eſt, puſillo gregi, qui non plus arrogat ſibi, quàm nos nobis arrogare ſolemus, & quidquid boni aut commodi ex huiuſmodi lectione adeptus fuerit, id omne non ex ingenij ſcribentis ope, ſed ex Dei beneficio profectum intelligit. Cæterùm in hoc aliiſque noſtris ſcriptis, tum quę hactenus edita, tum quæ poſthac de integro edentur (ſi Deus aliqua extare porrò

volet)

volet) ſuperbum omnem atque ingenij literarumq́. opinione plenum lectoré cauemus, qui nos ſibi comparat & res deſpicit exiguas, adeò nihil in nobis agnoſcimus tantæ ſcientiæ ſublimitate dignum. Quamquam enim & nos manum ferulæ ſubduximus, & à doctiſſimis præceptoribus ea didicimus, quæ apud magnas palæſtras conſuetis exercitationibus diſcuntur: quamquam Doctoris etiam nomine ac titulo non ſemel aut bis, ſed pluries etiam in celeberrimis Europæ Gymnaſiis, magis adeò ex amicorum ſuaſu ac impulſu, quàm ex proprio ambitu adepti fuerimus; tamen huiuſmodi honoribus numquam fuimus æquè delectati àtque diſcipuli, quod ſemper profitemur officio & cognomento, cupientes & ſperantes in Sapientiæ Christi modeſtia & humilitate Dei patris dono ac munere, & bonorum virorum ad ſobrietatemq́ue ſapientium monitis ac documentis indies proficere. Quod verò ad eos attinet, quibus orationis noſtræ ſtylus cõtemnitur, quòd Latinior videatur, quàm pro ſcholarum vſu; nihil eſt quòd nobis laborandum de ea re ſit, cùm conſilium noſtrum perpetuò fuerit, ea, quæ aliis cum quotidiano ſermone tam ſcribendo communicanda duxerimus, dilucidè ac familiariter tradere: nullo autem pacto id cõmodiùs præſtari poſſe exiſtimamus, quàm ſi Romanè eloquamur, & barbariem cùm primis, deinde ambiguitatem, poſtremò ambages vitemus: ita vt quoad eius fieri poſſit, ingenioſam & malignam aliorum de ſermone noſtro interpretationem caueamus: quam ſiquis ob Latinæ linguæ imperitiam (vt nonnumquam euenire vidimus) comminiſcetur, is non nobis, verùm ſibi ipſi offenſioné molitus eſſe iure cenſeatur;

ſeatur; nec ideò nobis vllum reſpondendi negotium dari debeat, quibus ſatis fuerit plana omnia atq. ex lectionis ſacræ ſimplicitate deſumpta planè, perſpicuè ac dilucidè dixiſſe. Omnibus verò tam doctiſſimis quàm mediocriter eruditis atque etiam imperitioribus quod debemus, illud ſincero animo & votis poſcimus totis, vt contingat in fidei atque charitatis communione idem omnino ſapere, idem velle, vno ſpiritu in vnico Chriſto manere, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi, ac te vnicam eiuſdem Chriſti Ieſu ſponſam communemque omnium matrem Eccleſiam agnoſcere, amplecti, ac venerari, cui mea omnia otia & negotia, méque ipſum in perpetuum obſequium viuentem tradidi, & moriturum commendo, ac poſt mortem etiam, quidquid ad me pertinuerit, committo.

LIBER IOSVE.

MAGNAM nobis confirmãdæ fidei cauſa doctrinã hac hiſtoria propoſitam Spiritus ſanctus voluit, promiſſorũ diuinorũ veritatem, & conſtantiam viuis exemplis teſtimoniisq́. probaturus, vt cùm homines norint quemadmodũ ij qui quondam diuinis effatis, & promiſſis credentes, iuſſis etiam parentes, iis omnibus rebus quæ ad huius mortalis vitæ vſum referuntur antea ſibi propoſitis, opportuniſſimè, atque cumulatiſſimè aucti fuerint, apertè intelligant, quanto cumulatiora, quantóque ampliora ſperari oporteat ea bona, quæ ad animorum ſanctificationem, atque adeò ad cæleſtis regni poſſeſſionem, & vſum pertinent, quæq́ue longè grauiore, atque frequentiore promiſſorum genere ſunt nobis propoſita credentibus, & obtemperantibus ei, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtũ à mortuis, per quem maxima, & pretioſiſſima promiſſa (inquit Apoſtolus) nobis noui teſtamẽti cultoribus veris donata ſunt: hæc enim omnia in figura cõtingebant illis, ſcripta verò ſunt propter nos, in quos fines ſeculorũ deuenerũt.

In iis qui præceſſerunt quinque libris à Moſe conſcriptis, diuinæ curæ, ac prouidentiæ de humanæ naturæ dignitate, atq. amplificatione rationem pleniſſimam abſolutiſſimámque agnoſcere eſt; quo in genere promiſſa illa obſeruantur, quæ Iſraelitarũ populo facta ſunt ſuo tempore præſtanda, iis qui crederent, & obedirent Dei præceptis, & monitis: atq. Moſem ipſum, tum promiſſorum, tum etiam præceptorum interpretem & miniſtrum nouimus grauiſſimis, & certiſſimis à Deo ſignis comprobatum. In hoc verò Ioſue libro illud narratur, & expo-

nitur quemadmodum videlicet promiſſa illa cumulatiſſimè ſint exhibita,& præſtita, quãuis difficillima præſtitu humano ingenio,conſilio,iudicióq.viderentur,atque diuinæ efficientiæ,& virtutis illuſtriſſima, & manifeſtiſſima exponuntur documenta; ſimúlq. oſtenditur, quíſnam,& qualis,quantúſq.fuerit illius diuinę benignitatis, & conſtantiæ explicandæ, atq. expediendæ miniſter Ioſue; quem optimi imperatoris exẽplar Deus eſſe voluit; atque principibus omnibus viris, qui vitam actionéſque ſuas ex diuini cõſilij præſcripto inſtituere optauerint, ad

Eccli.46. „ imitandum propoſuit. s s.e. Fortis in bello Ieſus Naue „ ſucceſſor Moſi,in prophetis,qui fuit magnus ſecundum „ nomen ſuum,& maximus in ſalutem electorum Dei ex- „ pugnare inſurgentes hoſtes: vt conſequeretur hæreditatem Iſrael,&c. Nos quidem qui multis rerum ac temporum incommoditatibus premimur, & legentium huius ætatis quibus maximè prodeſſe cupimus, infirmitudini conſulimus, in his cõmentariis breuitati cum primis ſtudebimus,ita tamen vt exiguis verborum compendiis non exiguam præcipuarum ſententiarum,& obſeruationum in omnem vitæ partem opportunarum copiam lectoribus iis exhibeamus,qui ſeſe legendis noſtris neque ſegnes neque parum attentos præbuerint: illam verò in exponendo rationem ſequemur,vt lectionis germana,& ſimplice ſententia cum primis expoſita quæ exemplum & imitationem atque adeò bonorum malorúmque finem ſpectãt,vel indicemus digito, vel breui oratione ſignificemus. Vt verò ad rem iam aggrediamur, à principióque ſuo inchoemus,inſcriptionem ipſam primùm exponemus.

LIBER IOSVE.

LIBER Hebraicè Zzepher dicitur, à verboq́; deducitur Zzaphar, quod narrare, & exponere, Latinè ſignificat; atq; ita inſcriptio ipſa quodnam orationis genus hoc in opere obſeruare oporteat, apertè indicat; nempe narrationem rerum à Ioſue geſtarum, quibus Dei promiſſa terrena, præſtita exhibitaq́; ſunt; ita vt magis hiſtoriam quàm legis aut præceptorum vel promiſſorum doctrinam, ex hac lectione petere doceamur. nam quæ promiſſa, & iuſſa, atque præcepta hîc inueniuntur, ex Moſis ſcriptis potiùs repetita, relata, & expoſita, quàm nunc denuo compoſita & data exiſtimanda ſunt. Idem itaque ſignificat Liber Ioſue, quod rerum Ioſue imperante geſtarum narratio & expoſitio, ita vt quæ promiſſa in ſcriptis à Moſe docentur, hîc facta, præſtita, exhibitaq́; exponantur.

CAPVT PRIMVM.

ET factum. Huiuſmodi initia fieri ſolent ſcriptis iis, quorũ ſententia, & argumentũ, ad aliud quod antea præceſſerat ſcriptum refertur: ſic Ieremiæ Prophetæ Lamẽtationes inchoantur, Et factum " eſt, poſtquam in captiuitatem redactus eſt Iſrael, & Ieruſalem deſer- " ta, ſedit Ieremias Propheta flens, &c. Sic & Ruth liber Hebraicè incipit, atque cum Iudicum Chronicis coniungitur. Verbum Hebraicum ſonat, & fuit, quod Græci interpretes καὶ ἐγένετο tranſtulerũt, Latinus rectè vertit factum eſt. Significat autẽ initium hoc, id quod Moſe interprete ac miniſtro propoſitum cœptumq́; fuerat, Ioſue duce atq; procuratore abſolutum, explicatúmque fuiſſe. Poſt mortem Moſis ſerui Domini. Rerum geſtarum tempus, & opportunitatem ab initio ipſo indicat oratio, atque ſeriem diuini conſilij explicandi minimè impeditam, confuſam, aut perturbatam, ſed ſapienti artificio contextam, ita vt humanæ vitæ, naturæq́; varietate, & infirmitudine, atque inconſtantia, nihil impedimenti allatum ſit, quominus diuina promiſſa ſuo tempore expedirentur. ſolent enim apud eos populos qui nõ tam diuinis præceptis, & inſtitutis, quàm humanis conſiliis, & legibus vtuntur, magnæ, & ſubitæ, atque adeò calamitoſæ rerum publicarum mutationes ex boni, vel populis cari, & grati, vel aliàs potentis cuiuſpiam principis obitu, & interitu oriri: & multæ

in deterius labi, multa in præceps deuolui, quæ magnam ſummæ alicuius felicitatis expectationem fecerant. Cuius rei exempla multa in Græcorũ, Romanorum, aliarumq́; gentiũ hiſtoriis legimus. Alexãdro enim extincto florentiſsimũ illud & recens adhuc Græcorũ imperiũ, quod ad duodecimũ tantummodo creuerat annum, repentè collapſum, ambitione, dolis, ſcelere, atque libidine, & ira inuaſum; in quatuor regna primùm diuiſum, deinde in plures minoresq́; dominationes eſt comminutum. Quæ verò Deum auctorem, legiſlatorem, atque principem ſummum agnoſcũt, excipiunt, colunt, obſeruantq́; reſpub. eæ nullo mortali quamuis optimo miniſtro, vita defuncto, & deſiderato, aut ruunt, aut franguntur, minuuntúrue, vtpote quibus præſes Deus eſt immortalis, qui & ipſe ſolus gubernare, ac tueri, amplificaréque res omnes poteſt, & ſolet, & miniſtros etiam alios pro rerum, ac temporum, locorumq́; ratione, & vſu, commodiſsimos, vtiliſsimos, ſtre-
Pſalm. *nuiſsimósq́; ſufficere. S. S. E. Nolite confidere in principibus, in filiis*
" *hominum, in quibus non eſt ſalus. Exibit ſpiritus eius & reuertetur*
" *in terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Bea-*
" *tus cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius, qui*
" *fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, &c. Pollicitus fuerat Deus Iſraelitico populo regionem illam celeberrimam ſeſe traditurum per Moſem prophetam, miniſtrum, ſeruumq́; ſuum. At verò populi ipſius culpa, quadamq́; Moſis importunitate effectum eſt, vt ij quibus primis promiſſum factum fuerat, promiſsi vſu indigni haberentur: atque adeò omnes in vniuerſum qui cùm ex Aegypto proficiſcerentur, vigeſimum attigerant annum, in ſolitudine illa perirẽt, tantumq́; ex illis ſupereſſent Ioſue, & Caleb; atque Moſes optimus & ſummus dux & vates. Poſtea verò cùm iam non longè ab illa tamdiu deſiderata regione, populus is qui ſuperfuerat deueniſſet, Moſes viuis ſublatus, & magnum ſui deſiderium relinquere, & potiundæ regionis ſpem interuertere videbãtur, ſi res iuxta humanæ prudentiæ rationes expenderetur: Verùm ſacra ſcripta nos docent, nullis rebus, nullis huiuſmodi, vel aliis incommodis diuina promiſſa quominus tempeſtiuè, opportuneq́; perſoluantur, impediri, inuerti, aut retardari, neque populorum infelicitati adſcribendum, quòd boni principes, & miniſtri apud ſuperos eſſe deſint, cùm ij vita iam miniſtrationeq́; ſua rectè defuncti, ad meliorem conditionem transferantur, & popu-*

populus deinde bonis miniſtris, ex Dei beneficio non deſtituatur, per quos id quod inceptum fuerat bonum, ad finem vſque promoueatur, maximè verò hoc verum, certumq́; eſſe, cùm ij qui in demortuorum locũ ſuccedunt, eandem doctrinæ, diſciplinæ, atq. pietatis rationẽ, ex diuino præſcripto obtinent, & tuentur, quã ij obſeruarant, à quibus in decurſu lãpada accepere. Hoc igitur hac lectione indicatur: & factum eſt poſt mortem Moſis. *Quanquam Moſis morte negocium illud magnum regionis oppugnandæ & obtinendæ impediri videbatur, deſiderato viro optimo, prudentiſsimo, atque rerum experientiſſimo, qui totis quadraginta annis populum legibus latis ornarat, armis tutatus fuerat, moribus emendarat, tandemq́; ad ipſum longiſsimi illius itineris finem deduxerat, magnamq́; ſibi apud populum, beneuolentiam, & fidem, atq. etiam auctoritatem parauerat, tum propter ſolertiæ fidelitatis, æquitatis, curæ, ac diligentiæ diuturnum exemplum; tum propter certam, multisq́; ſignis confirmatam ſanctitatis, & gratiæ apud Deum æſtimationem, vtpote cui* ſerui Domini *titulus optimo iure eſſet adſcriptus; tamen Dei ſummi Principis conſtanti conſilio, ac beneficio effectum eſt, vt promiſſa nihilominus, & expectata diu beata illa terrena regio adiretur, adita expugnaretur, expugnatáque caperetur, & capta ab iis poſsideretur, qui ad eam obtinendam delecti vocatique fuerant. Hoc autem quemadmodum factum expeditúmque fuerit, exponit Spiritus ſanctus, nempe Moſe vita, & munere ſuo, rectè, piè, atque legitimè defuncto, adeóque probato, vt Domini ſerui nomẽ poſt mortem etiam adſcriptum, & confirmatum illi ex vero adhæſerit, ad id quod ſupererat negotij gerendum, alium idoneum imperatorem Dei conſilio electum, iudicio, ſententia, verbis, & teſtimoniis fuiſſe declaratum, Ioſue filium Nun, cuius vel nomen ipſum prophetico, vti credimus, impoſitum ſpiritu ſalutem futuram ſignificabat, atque adeò electionem diuinam, publicè exponendam protendebat, eundem etiam ex Dei iuſſu à Moſe ducem declaratum, ac legitimis ceremonijs palam initiatum, nunc demum ad munus obeundum fuiſſe vocatum & miſſum. Atq. de huius* Num. 27.
viri lectione & creatione ſic ſcriptum legimus: Dixit quoque Domi-" nus ad Moſem, Aſcende in montem iſtum Abarim, & contemplare" inde terram, quam daturus ſum filiis Iſrael; cúmque videris eam, ibis" & tu ad populum tuum, ſicut iuit frater tuus Aaron; quia offendiſti"

me in deſerto Sin, in contradictione multitudinis, nec ſanctificare
" me voluiſtis corã ea ſuper aquas; hæ ſunt aquæ contradictionis in Ca-
" des deſerti Sin. cui reſpondet Moſes, Prouideat Dominus Deus ſpi-
" rituum omnis carnis hominẽ, qui ſit ſuper multitudinẽ hãc, & poſſit
" exire, & intrare ante eos, et educere eos et introducere, ne ſit populus
" Domini ſicut oues abſq; paſtore. Dixitq; Dominus ad eũ, Tolle Ioſue
" filium Nun virũ in quo eſt ſpiritus Dei, & pone manum tuam ſuper
" eum, qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote, & omni multitudine, &
" dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat
" eum omnis Synagoga filiorum Iſraël. Pro hoc ſi quid agendum erit,
" Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. Ad verbum eius egredietur
" ipſe, & omnes filij Iſrael cum eo, & cetera multitudo. Fecit Moſes
" vt præceperat Dominus: cumq; tuliſſet Ioſue, ſtatuit eum coram Elea-
" zaro ſacerdote & omni frequentia populi. Et impoſitis capiti eius
" manibus, cuncta replicauit quæ mandauerat Dominus. Huiuſmodi
prima publica electio, munerisq; declaratio fuit viuente Moſe; eodẽ
verò mortuo, Ioſue Dei ipſius verbo ac iuſſu inſtructus, & confirma-
tus, munus ſuum inire & gerere iubetur. Hactenus Ioſue dux di-
ctus, creatus et ad illud miniſterium ſancto ornatus fuerat ſpiritu, ſed
nondum tamen alia parte inſtructus, & amplificatus, quo pro tempo-
ris, locorum, negotiorumq; illorum ratione opportuna, neceſſariaq;
erat, videlicet prophetiæ dignitate, facultate & vſu. Oportebat enim
eum qui multa, eademq; noua populo dicturus erat, quibus vel latæ
per Moſem legi declaratio adhiberetur, vel præſenti recentiq; nato
negotio conſuleretur, eius etiam rei miniſtrum certo ſigno oſtenſum
& confirmatum prodire & conſtare. nullum verò præſentius, aper-
tiuſq; ſignum prophetiæ eſt, quàm certa & indubitata Dei allocutio.
Amos. S.S.E. Leo rugit, quis non timebit? Dominus locutus eſt, quis nõ pro-
phetabit? Quamobrem diuinam allocutionem Ioſue filio Nun fuiſſe
factam teſtatur hiſtoria, idq; poſt Moſis mortem: namque antea ne-
que factam legimus, neque illa opus fuiſſe credimus quoad viueret ille
optimus & diligentiſſimus atque maximus antiquorum propheta-
rum, qui in tota Dei domo fidelis fuiſſe prædicatur. Quod verò legi-
mus, poſt mortem, ſic exponimus, vt non ſtatim eodem die quo ille
mortem obijt, ſed poſt exequiarum, atque legitimi honorificiq; luctus
tempus intelligamus; atque hanc expoſitionem ex ſacris petimus li-
bris:

bris: Moſes centum & viginti annorum erat, quando mortuus eſt, Deut. 34.
non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt. Fleueruntq́;
eum filij Iſraël in cãpeſtribus Moab triginta diebus; & completi ſunt
dies planctus lugentium Moſen. Ioſue vero filius Nun repletus eſt ſpi-
ritu ſapientiæ, quia Moſes poſuit ſuper eum manus ſuas. Et obedie-
rũt ei filij Iſraël, feceruntq́; ſicut præceperat Dominus Moſi. hoc quod
breui ſumma in vltimi Moſis libri fine comprehenſum eſt, huius hi-
ſtoriæ initio altius repetito principio, ſerieq́; expoſita explicatur. Ex-
pletis, inquit, diebus illis triginta, qui in Moſis præſtãtiſſimi viri, &
ſerui Domini deſiderio maximo atque luctu poſiti ſunt: factum eſt
vt Dominus loqueretur ad Ioſue filium Nun tam antea declaratum
imperatorem, eundemq́; ante, atque poſt declarationem perpetua Mo-
ſis diſciplina tam bellicis, quàm pacis rebus exercitatum, & proba-
tum: hæc ratio eſt quamobrem ſignificanter hiſtoria adſcribit epi-
theton miniſtrum Moſi. Hebraicum nomen MESSARET *eã quam*
expoſuimus ſignificationem indicat. pertinet enim ad ſacerdotes, ad
magiſtratus, atque ad omnes eos qui in publicis rebus gerendis admi-
niſtrandisq́; verſantur, idq́; vel ex legibus præſcriptis, vel ex iuſſu, præ-
cepto mandatoq́; ſuperioris agunt. Itaque miniſtrum Moſis, leges,
conſuetudines, exempla, denique diſciplinam omnem Moſis, edoctum,
& moribus, actionibus, atque ſtudio referentem interpretamur. Al-
locutionis verò argumentum eiuſmodi fuit, vt præteritarum rerum
ratione breuibus relata, futurorum negotiorum magnitudo, graui-
tas, & dignitas indicaretur, & cura etiam imponeretur, adiuncta
promiſſione voluntatis, gratiæ, & tutelæ, atq. præſidij Dei ipſius, qui
ſe famulo miniſtroq́; ſuo ſedulo ſuſceptis actionibus, nunquam defu-
turum pollicetur, hanc ſententiam oratio illa exprimit:

Moſes ſeruus meus mortuus eſt.

P L V R A *ſimul diuinorum verborum breuibus periodis compræ-*
hendũtur, quàm vt longis explicari poſſint commentarijs; ex quo
efficitur, vt quanquam prolixiores aliquando in ſacrorum librorum
expoſitione videamur, tamen nos & ingenij atque eloquij noſtri te-
nuitatis, & legentium patientiæ pœniteat, quippe cùm nullum tan-
tum meditationum & verborum flumen eſſe poſſit, quod breue at-
que profundum diuinorum verborum ſpacium impleat, nullum tam
longum tempus poni, quo maius ſacræ lectioni non impendatur vti-
liſſi-

liſsimè. Tamen conabimur aliquando, noſtra, & alienæ infirmitudinis miſerti, magnam, & vtiliſsimam illam ſentẽtiarum copiam, quam ſacra ſcripta claudunt, non tam expoſitione explicare, quàm partitione, & ſignificatione indicare, vt quæ à nobis, vt par erat, nõ dilatantur, ſtudioſus lector meditari apud te ſumma cum vtilitate poſsit. Tria igitur nos ex hac Dei propoſitione Ioſue indicata obſeruabimus, præter cætera. Primum eſt, ipſum Moſis nomen Ioſue propoſitum in exemplum grati atque Deo probati Imperatoris, in quo ſumma omnia fuerint, cuius recordatio ſucceſſori huic, imò omnibus, quibus publicum munus demandatum eſt, magnum animum ad officium faciendum addere poſsit, ſi ſimile Dei iudicium cupiatur, & expetatur. quam enim gloriam, quam laudem maiorem aut illuſtriorem conſequi quis poſsit, quàm vt ſerui Dei titulum ipſo Deo approbante, imò pronuntiante adipiſcatur, eúmque non ſolùm viuens obtineat, ſed vita defunctus perpetuò retineat & cõſeruet; monumẽtaq́; ſibi nõ ſaxis cinerum cuſtodibus, non ara corruptibili, ſed Dei verbo, quod in æternum permanet, in cælo & in terris conſtruit? Itaque ſententiam huiuſmodi elicimus: Moſes ſeruus meus vixit, ſeruus meus ad mortem vſque manſit, & ſeruus meus mortuus eſt, ita vt ſerui mei elogium æternum viuens & mortuus ſibi iudicio & præconio vendicet meo: quod non ſolùm in magnis miniſtris, ſed in minimis etiam ſummorum regnorũ quamuis maximã æquat gloriam; quippe Deo ſeruire, regnare eſt. Monetur autem Ioſue, vt eum ſeſe præbeat virum quem Moſis magiſtri exemplum ſecutum ſimili huic Deus probet iudicio. Tertio etiam docetur modum imponi oportere luctui bonorum, & piorum virorum, quibus vita in diuini cultus legitima, & diligẽti obſeruatione, atque exercitatione ſanctè peracta, glorioſo ſeruorum Dei exitu clauſa eſt: Id enim hæc oratio ſignificat: non decet longis luctibus & lamentis Moſis mortem proſequi: quippe cum ijs beatiſsimè agitur, quibus morientibus ſeruorum meorum elogium ex vero meritoq́; adſcriptum permanet, ille & vitæ ſuæ curſum rectè inſtituit, & piè ſanctèq́; abſoluit, & qui viuens meus fuit ſeruus, mortuus meus manet ſeruus, beataq́; fruitur conditione, donatus rude laborum vitæ, & annumeratus ad populum ſuum, hoc eſt ad gregem ſeruorum mihi gratiſsimorum: quod ad illum pertinet, non eſt cur à vobis vlterius lugeatur, bene illi eſt nunc, vtpote ſeruo

meo.

meo. Quod verò populi iſtius cōmoda ſpectat, iam ille functus eſt munere ſuo, iam mortuus eſt ſeruus meus, hactenusq́; ſuam miniſtrationem populo impendit, quoad ego ab illo impendi conſtitueram: promouendarum verò populi rerum cura, voluntas, atque facultas integra conſtat. Idq́; te miniſtro vt efficiatur decreui: ſurge igitur ex luctu iſto, & tranſi, &c. Demū hac breuiſsima propoſitione docemur, mortuorum rationem certiſsimam à Deo haberi, mercedemq́; illis, prout vnuſquiſq. geſſerit, in corpore, ſiue bonum ſiue malum eſſe paratam: neque tantùm communi quodam iudicio, ſed ſingulari etiam priuatas vniuſcuiuſq. res cenſeri, & iudicari. Moſes enim ſingularis, vnicuſq́; vir fuit, cuius tum vita, tum mors Dei iudicio examinata, & probata hic oſtenduntur, quòd ſeruus Dei vixerit, eademq́; in ſeruitute vitæ finem clauſerit; & boni, grati, atque probati ſerui ius ad Deum viuorum & mortuorum iudicem detulerit. Expoſitionem porro huius nominis, Seruus, ex Hebraico verbo petitam, quod miniſtrationem, culturam, atque exercitationem, intentumq́; animi ſtudium ſignificat, hoc loco breuitati conſulentes prætermittimus minimè aliàs prætermittendam; quam tamen ſperamus in magno quodam, eodemq́; vtili opere, quod molimur, nobis explicatum iri.

Surge, & tranſi Iordanem iſtum, tu & omnis populus tecum in terram quam ego dabo filiis Iſrael.

ET *luctui finem imponere, & ſuum munus ſtrenuè obire iubetur vno verbo, ſurge. Namque hoc vti ſolet Deus, & cùm miſeros, mæſtosq́; ſolari vult, & cùm principes, magiſtratus, prophetáſue conſtituit, miniſtrosq́; ſuos ad officium aliquod faciēdum excitat, vt illud: Dixit Dominus ad Ioſue: Surge, quid iaces pronus in terra? &, Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus. & illud: Tu ergo accinge lumbos tuos, & ſurge, & loquere eis omnia quæ ego præcipio tibi. &, Inter natos mulierū non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Quē locū nos in Euangeliorū elucidationibus exponebamus. Ait itaq. Deus Ioſue, Surge, & mitte luctū iſtū in quo nunc tu, & populus iacetis; & firmus, rectus, atq. conſtans opus aggredere verbo, iuſſuq́; meo fiſus, & nixus: iam enim promiſſorum meorum terrenorum exitum vobis oſtendere paro propediem videndum. Pollicitus fueram patribus veſtris me regionem Cananæorum daturum, cuius terminum ab ortu Iordanem fluuium definiui, iam vobis proximus Iordanis eſt: atque* Infra. 7. Ierem. 1.

hactenus venientibus nemo impedimento fuit, nunc etiam fluuium tranſmittentibus nemo qui obſiſtat erit. His verbis ſpem miraculi futuri Deus Ioſue faciebat, breuiq; in promiſſam illam requiem deueniendum eſſe pollicebatur. Nam cùm Ioſue iubetur Iordanẽ vnà cum omni populo tranſmittere, apertè ſignificatur aliquam viam eſſe muniendam, qua flumen illud quod non procul iam erat, imò quod oculis conſpiciebatur, ideoq; indicabatur vt proximum, & conſpicuum, Iordanem iſtum, *toto alueo plenum abſque ponte, & nauigio à populo omni, qui vario ætatis, & ſexus, eodemq; diſpari numero conſtabat tranſiretur; id autem pedibus erat faciendum.* tranſi tu & omnis populus tecum. *non minus populus omnis quàm tu; neque aliter quàm tu; id quod præter miraculum effici non poterat. Simul etiam oſtenditur, nullam tantam eſſe in rerum natura, nullam etiam præter naturam rerum difficultatem, quàm iuſſa Dei rectè, & fideliter ſecuti homines cogitare, aut metuere debeant, aut ſuperare nõ poßint.* tranſi Iordanem iſtum, *nihil dubites, ſed tranſi, primus enim occupatus, & peruaſus terminus initium erit promißi terreni vobis à me facti, & iã iam præſtandi, argumentumq; apertißimum donorũ meorum. Namque vt Iordanis tranſitus meam ſingularem prudentiam probabit; ſic etiam terræ occupationem, & poſſeßionem beneficio meo vobis conſtantem declarabit. Tranſi igitur, non in vanum, aut incertum, neque in regionem vacuam cultoribus, atque à te ita occupandam, vel virtute tua expugnãdam, ſed in terram quam ego dabo. His verbis beneficij à ſe promißi conſtantiam & veritatem Deus docet. Non enim à Moſe illis promiſſam & traditam regionem, ſed ſuo conſilio & mero beneficio declarat Deus, ego dabo quam vos expugnare capereq; minimè poteratis: niſi ego dederim, dabo autem, non Moſi non tibi tantum vt principibus, verùm filiis Iſrael. Hebraicè ſignificanter additur expoſitio per appoſitionem hoc modo,* quam ego do ipſis filiis, [*inquam*] Iſrael. *Atque his verbis multa indicantur, ex quibus illa ſunt, primum hoc beneficium Dei illis nõ ex propria virtute, ſed ex promiſſo patri Iſraeli facto cõſtare. ideò nomen filiorum Iſrael appellatum eſt. Quia enim Deus Iacobum huius gentis parentem Iſraelis nomine ac titulo amplificare voluit, ideò & filios illius amplitudinis huius vult eſſe conſortes. Atque nomen Iſraeli non ex ipſius natiua viri dignitate, ſed ex Dei vocatione, & benedictione conſti-*

tenſtitit. ſicut ſcriptum eſt: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Gen.32.
ait ergo, quod nomẽ eſt tibi? reſpondit, Iacob. at ille, nequaquã, inquit, "
Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael; quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis: ita vt Iſrael qui fide cum Deo luctatus nominis illius beneficium Deo auctori acceptum reddidit, idem promiſſæ regionis donum filiis ex Dei liberalitate exhibitum fateatur. quam ego dabo filiis Iſrael. *non illis quidem pro meritis, ſed ea ratione augendis & iuuandis qua Iſraelis nomen Iacobo datum eſt, Ego dedi nomen Iſrael, ego dabo filiis illius regionem hanc, non enim gladio ſuo aut arcu ſuo, ſed meo dono illis poſſeſſio hæc adſcribetur.*

Deinde verò illud docemur, quonam pacto, quo iure principibus ſummis populi pij gubernatio, adminiſtratioq́; concedatur, non vt totius regionis vſum ipſi ſibi arrogent, ſed populo ipſi diuiſum tueantur. Neque enim Deus Ioſue terræ poſſeſſionem adſcribit, ſed filiis Iſrael conceſſum iri declarat, eamq́; duce Ioſue ineundam occupandam, & diſtribuendam, ſignificat. Ex quo fit, vt ambitionis, & iniuriæ nota nõ careãt leges eæ, quæ vniuerſum terræ, agrorũ, domorum, fluuiorum, & maris etiam dominium, & vſum regibus, & principibus adſcribunt, cùm id non modò occupatione, aut vſurpatione, ſed emptione etiam, citra iniuriæ ſuſpicionem conſtare non poſſe exiſtimandum ſit. S. S. E. Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum Iſai. "
agro copulatis: an vos ſoli habitabitis terram? huiuſmodi ſignificationem obſeruari oportet dicti illius: Quam ego dabo filiis Iſrael. *Intelligãt ergo pij Principes, quatenus ipſis, quatenus etiam populis agrorum & prædiorum publica, priuataq́; iura conſtent, & Dei orationibus docti, eorum interpretationes caueant, qui vel ex veri inſcitia, vel ex propria cupiditate & ambitione ad gratiam, vel loquuntur, vel ſcribunt. Itaque quicquid filij Iſrael obtinuerunt, Dei promiſſis & donis atque beneficiis habuerunt, quæ quanquam ex mera liberalitate profecta fuerint, non tamen otioſis & negligentibus, ſed agentibus & diligentiam adhibentibus exhibentur: ideò enim ſubiungitur:*

Omnem locum quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, ſicut locutus ſum Moſi.

NVLLVM *adeò difficilem, adeò arduum, ſiue natura, ſiue opere*

munitum locum fore, ait Deus, qui adeuntibus & ingreſſis non ſit à ſe tradendus. Omnem locum: *quicunque ille ſit quem calcauerit veſtigium pedis veſtri; ſi modò vos calcare ſtudeatis; & ſtudium veſtrum iuuabo, & promouebo, & locum ipſum vobis tradam. quibus verbis ad magnam fidem, & ſpem incitantur. nã cùm in homine ſint tria illa, intellectus, volũtas, & conatus, quorũ rectus vſus humanum officium parit: ea inprimis vt Deo auctore informentur eſt opus; ideò intellectus docetur difficultatẽ eſſe in rebus omnib. laboremq́; eſſe adhibendum, eumq́; ſi Deus promoueat & ſecundet, ſucceſſu minimè eſſe cariturum; ad hoc fides exigitur erga Deum docentem, & proponentem, fide voluntas animatur, & monetur vt id velit, & expectat quod à Deo proponitur, voluntate ad opus ineundum conatus incitatur, conatui ſedulò Deus adeſt, beneficiumq́; à ſe promiſſum præſtat. Oſtendit etiam Deus ſe promiſſorum ſuorum nunquam eſſe immemorem; monetq́; homines, ne ipſi ſuorum ſint immemores officiorũ, hoc eſt fidei & obedientiæ præſtãdæ diligentiæq́; adhibendæ; vult ab illis credi, verbum promiſſumq́; ſuum non vanum, neque irritum vnquam deprahendendum, dummodo ijs quibus à ſe pronuntiatur conditionibus excipiatur. Vult homines cognoſcere non in otio, ſed in negotio honeſto, ſibiq́; probato virtutem conſiſtere, nulla difficultate quamuis maxima eos retardari fas eſſe, qui Deo promittenti, & iubenti purè ſanctéq́; credant & pareant.* ſicut locutus ſum Moſi:
Deut. 11. *Cui aliàs Deus ijſdem verbis huiuſmodi ſpem fecerat. Si enim cuſto-*
" *dieritis mandata quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea, vt diligatis*
" *Dominum Deum veſtrum, & ambuletis in omnibus vijs eius adhærẽ-*
" *tes ei: diſperdet Dominus omnes gentes iſtas ante faciem veſtram, &*
" *poßidebitis eas quæ maiores & fortiores vobis ſunt. Omnis locus quẽ*
" *calcauerit pes veſter, veſter erit: A deſerto, & Libano, à flumine*
" *magno Euphrate, vſque ad mare occidentale erunt termini veſtri.*
" *Nullus ſtabit contra vos; terrorem veſtrum & formidinem dabit do-*
" *minus Deus veſter ſuper omnem terram quam calcaturi eſtis, ſicut*
" *locutus eſt vobis. Ex his omnibus locis fidei atque obedientiæ doctrinam apertè obſeruamus. Porro cupiditati, ambitioníque tum principum tum populorum modus ſtatuitur, propoſitis terrenorum Dei donorum certis terminis, quibus qui contenti non ſunt, ius fáſq́; violent neceſſe eſt. Meminerint verò exempli huius, atque iudicij grauißimi qui-*

mi, quicunque vi, & armis, virtute, vel dolo, omnia terrarum loca inuadere ſibi licere putant; qui quanquam propter impotentiam quantum cuperent adire tentareq́; non valeant, ipſa tamen alienarum rerum appetitione ſcelus admittunt, & diuinum illud præceptum violant NON CONCVPISCES. *cuius rei docendæ, & ad poſteritatis inſtructionem explicandæ cauſa, fines certos quibus populum ſuum teneri Deus volebat, apertè deſcripſit:*

A deſerto & Libano vſque ad fluuium magnum Euphratem, omnis terra Hethæorum, vſque ad mare magnum contra ſolis occaſum erit terminus veſter.

NE *religionis propagandæ prætextu cupiditati ſuæ habenas homines laxarent, alienaſq́; regiones inuadentes, pietatem armis amplificare licere ſibi perſuaderent; cuiuſmodi quorundam olim iudicium fuit, in quibus Mahometus numeratur; certi termini, neque illi adeo diſtantes conſtituti ſunt, quibus populo ampliſsimo, & copioſiſsimo proſpectum eſſe Deus voluit, non magnitudinis atque ſpatij, ſed prouidentiæ erga cultores ſuos ratione habenda. Quippe his qui paucis contenti piè & innocenter viuere inſtituunt, vberrimas vitæ commoditates, opportunamq́; copiam ſuppeditat Deus. Exiguo enim ex loco ampliſsimi fructus pijs proueniunt, ijs qui verè & ſanctè illud canunt: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui reſtituis hæreditatem meā mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. Prouidebam Dominum in conſpectu meo, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Populo numeroſiſsimo à ſe delecto, atque terrenorum donorum beneficijs augendo, non orbem totum aſsignauit Deus, ſed Cananæorum tantùm regionem, incolarum culpa, & ſcelere damnatam. Neque enim qui rerum omnium Dominus eſt, regna à gente in gentem transfert, niſi iuſto iudicio, ſapientiq́; conſilio, ita tamen vt ſe ipſum iudicem probet ſeuerum, & in eos quos beneficio ſingulari proſequitur miſericordem oſtendat. S.S.E. Poſuit flumina in deſertum, exitus aquarum in ſitim: Terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium ea. Poſuit deſertum in ſtagna aquarum, terram ſine aqua in exitus aquarū. Et collocauit illic eſurientes, & conſtituerunt ciuitatem habitationis, & ſeminauerūt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum natiuitatis; & benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis, & iu-*

menta eorum non minorauit: Et pauci facti ſunt & vexati ſunt à tribulatione malorum, & dolore. Itaque pijs quoduis Dei donum quouis loco abunde ſatis eſt; ijs verò qui non ex pietate, ſed ex cupiditate rationes ſuas petunt, nihil vſquã eſt ſatis. Hinc illa olim iniurioſiſſima gentiũ alienas res inuadendi mens, hinc Chriſtianorũ quorundam inexhauſta auaritia, & regna ditioneſq́ propagandi auiditas, quam miſerrima penuria atque inopia, & ſtultiſſimæ conſequũtur curæ. Neque enim in abundantia hominis eſt ſufficientia illius ex ijs quæ poſſidet. Igitur regionis ineundæ, & occupandæ terminos, certis & illuſtribus, immobilibusq́ limitibus, Ioſue & populo Deus ſignat, videlicet à meridie deſertum, à ſeptentrione Libanum montem celeberrimum ab ortu magnum Euphratem fluuium, ab occaſu mare magnum, ſiue Paleſtinum, quos & cognoſcere facillimum, & præterire nefas erat. Atque de hac tota deſcriptione in ſacri Apparatus libris abundè ſatis, vti nobis videmur, iam diſſeruimus, multaq́ haud pœnitenda explicuimus. Erit terminus veſter. *atque regiones aliæ omnes ſuis cultoribus ex Dei iudicio relinquendæ ſunt, neque à vobis niſi Deo auctore tentandæ, aut inuadendæ. Hactenus electionis finis Ioſue propoſitus ac declaratus, & ipſius rei quam electio ſpectabat, ſumma ratio explicata, & difficultas quænam ineſſet oſtenſa eſt. nunc deinceps expeditionis ineundæ & abſoluendæ ratio à perſonarum tum eligentis, tum electæ officijs & ſtudijs exponitur. Namque Deus ipſe quid in hoc negotio ſit præſtiturus apertè declarat. Idq́ vt præſtet, quid ab ipſo electo Imperatore curandum, agendumq́ ſit, legibus, & conditionibus adiunctis docet. Partes autem ſuas ita Deus pollicetur:*

Nullus poterit vobis reſiſtere, cunctis diebus vitæ tuæ: ſicut fui cum Moſe, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te.

PLENVM, *abſolutũ, efficaciſſimumq́ auxiliũ & præſidiũ firmiſſimũ promittit Deus, idq́ eiuſmodi oſtendendũ, vt diuinũ planè probetur. Nam quod à nemine mortalium ſuperari, impediri, aut inuerti poteſt conſilium, & negotiũ, id ad ſuperiorem, hoc eſt, diuinam virtutem referri conſentaneum eſt. Perpetuò itaque ſecundum rerũ gerendarum progreſſum, et felicem ſucceſſum oratio illa promittit,* Nullus poterit vobis reſiſtere. *vniuerſalibus negantib. verbis, omnemq́ excludentibus exceptionem. Quanquam enim plurimi conabuntur*

tur huic Dei conſilio obſiſtere, omnes tamen, & ſinguli irritos experientur conatus. Quod Interpres noſter Latinè rectéq́, vti legimus, vertebat, ſanctæ linguæ idiotiſmo ſic deſcriptum, imò depictum videmus: Non ſiſtet ſe vir ad facies tuas. qua oratione animi intentio & rei gerendæ cura, et ſedulitas illis imperatur, cũ ſecundi, & nuſquam interrumpendi ſucceſſus denuntiatione, & aſſeueratione, ac ſi noſtra lingua diceretur, nihil vobis non cedet, animum & curam intendentibus, & rem ſtrennuè ex conſilio meo gerentibus. Quamobrem veſtrum erit promiſſorum meorum fide conſtanti rem aggredi & agere, meum verò omnia frangere, atque proſternere, quæ vobis impedimento eſſe poſſint. ita Latinus cùm verteret, vobis reſiſtere, hoc quod à nobis exponitur, planè ſentiebat: nam verbum vobis, animum præſentem & ſtudium, atque conatum poſtulat: & reſiſtere, alterum verbum è regione per antitheſim indicat: nempe ſiſtere vel huic ſimile aliud; vobis ſiſtentibus, nemo reſiſtere poterit. Quod vero additur: Cũctis diebus vitæ tuæ, perpetuã Ioſue imperatoris curam, ſedulitatem, ac diligentiam, & perpetuum illo viuente rerum progreſſum, atque ſucceſſum ſignificat. Ioſue promptitudinẽ & conſtantiam minimè per totam vitam officium deſerturi nouerat Deus, cui etiam auxilium, & ſubſidium quàm efficaciſſimum à ſe nunquam defuturum pollicetur. Futurorum verò poſt Ioſue ſæculorum varietatem, & inconſtantiam, ob hominum varium & inconſtans conſilium & ſtudium præuiderat. Ideo optimo Imperatori, & fideliſſimo præſentem & perpetuam tutelam pollicetur, ac ſi dicat: tecum agam, vt cum perpetuo fideli miniſtro, cum poſteris tuis iuxta ſingulorum ſtudia agam, iuſtumq́ me omnibus Principem exhibebo, ita tamen vt cum iuſtitia miſericordiam coniungam. tecum verò ita ero, vt fui cum Moſe, Cui neque Aegyptiorum dolus, & potentia, neque Amorrhæorum, neque Madianitarum copiæ, & artes obſtare potuerũt, ita vt quicquid ille intenderet, et ageret ipſe optimo exitu exciperẽ. Adde auctoritatem, tum prophetiæ, tum miraculorũ illi conceſſam: eiuſmodi enim tibi etiam conceda, & opportunis exemplis confirmabo. itaq. quod ad ducendi, deducendiq́ populi facultatẽ, quod ad victorias, quod ad occupandam regionem, hoſteſq́ pellendos, atq. terram poſſidẽdam, & filijs Iſraël diſtribuendam attinet, ero tecum, vt cum illo fui, neque quenquam tibi obſiſtere patiar, vt nemi-

neminem illi obſiſtere ſum paſſus, ad cætera quæ tuarum partium nō ſunt, illiq́; fuerunt à me donata, promiſſum hoc non refertur, namq. ille legiſlator fuit, nō tu: exponendū itaq. eſt promiſſum pro adiunctæ rei ſignificatione: adiuncta verò erat illa ratio, nullus poterit vobis reſiſtere. *at verò perpetuam, & conſtantem hanc ſuam curam, atque tutelam fore Deus declarat his verbis, non dimittam, nec derelinquam te. horum verborum ſententiam ex primæua linguæ proprietate ſic reddimus; vt prius ad operam, poſterius ad conſilium, & ſtudium referatur. ac ſi dicat, Adero tibi perpetuo auxilio, ſtudióque nunquam intermiſſo: namque Hebraica oratio, vt ſemper viuam aliquam imaginem exprimere ſolet, ſic hoc loco exemplum deſcribit fortiſſimi Dei, qui ſtantem aliquem, & attentum virum brachijs, manibus, & firmis viribus fulcit, & confirmat: idq́; conſtanti cura, & ſtudio agit, cuiuſmodi imaginem illi exprimebant, qui dum Ioſue cum Amalecitis prælium conſereret, Moſis precibus intenti, brachia & manus fulciebant, ne attētè precantis habitus, & geſtus remitteretur; itaque prius verbum* non dimittam, *ad operam ipſam auxiliarem, poſterius verò* non derelinquam, *ad ſtudium eſt referendum: Hebraicum enim verbum* RAPHA *Latinè remittere, Hiſpanicè, afloxar, Italicè, amollare, exponi poteſt; ſignificationiſq́; eſt oppoſitæ verbo contentè atque firmiter tenere:* GHAZAB *verò deſerere eſt, neglectionémque ſignificat. vtq́; curam tutelamq́; ſuam Deus his duobus verbis Ioſue ſignificauit, ſic ipſius etiam officiū duobus alteris poſtulauit, attentionem animi, & actionis firmitudinem exprimentibus.*

Confortare, & eſto robuſtus: tu enim ſorte diuides populo huic terram pro qua iuraui patribus tuis vt traderem eam illis.

PRIVS *verbum ad animi deliberationem, & conſtantiam* confortare: *poſterius verò* eſto robuſtus, *ad gerendæ rei maturitatem, & promptitudinem, atque laborum tolerantiam referendum eſt. animo præſenti & firmo rem ipſam aggredere: neque quemquam hominem timeas tibi obfuturum; non ex hoſtibus, non etiam ex tuis: nam quod faciendum, & expediendum Deus decreuerit, id nullis minoribus vel conſilijs vel viribus impediri poteſt, quominus fiat: Deus autem iuramento pollicitus eſt huius populi maioribus hanc regionem*

gionē in vſum poſſeſſionemq́ poſteritati illorum à ſe tradendā, pulſis ob ſcelera & impietatem incolis, ipſam verò tradendi iam maturum acceſſit tempus; impoſſibile autem eſt, mentiri Deum affirmantem, nedum iurantem; tempus verò iam acceſſiſſe, præterquam quod ſæpe in libris Moſis eſt declaratum, præterquam quod ipſa iam rerum circumſtantiarumq́ opportunitas apertè indicat, quòd hucuſque deducti ſitis, quòd Moſes è viuis deceſſerit, quod iam penè Iordanem teneatis, quòd nullos à tergo habeatis hoſtes, meum præſens cōſilium expoſitum, & dictum, pronunciatum hanc rem tibi maximè cōfirmare poteſt, quòd tu à me ad hoc munus delectus fueris, vt ſorte diuidas populo huic. quod ſi tu diuiſurus es, & omnia quæcunq. diuiſionē ipſam anteceſſura ſunt obiturus, atque ſuperaturus es, ita quod ego iuraueram patribus in vſum poſterorum, hoc tempore te miniſtro præſtandum eſt populo huic, qui nunc viuit; hunc enim declaro illius iuramenti, ac promiſſi veritatem, & conſtantiam re, atque vſu experturum, & probaturum. Tot igitur beneficij à me iam iam conferendi circumſtantijs, & argumentis inſtructus dictoq́ meo monitus, confortare fide, & conſtanti conſilio, & eſto robuſtus ad rem efficiendam. Atque hæc exhortatio Ioſue facta à Deo ad eam difficultatem ſuperandā refertur, quæ ex rei ipſius magnitudine, et impedimentorum mole atque numero oriri poterat. ac ſi dicatur, quod ad rem & ad hoſtes ſpectat, confortare & eſto robuſtus, promiſſi mei fide & virtute conſtanti: neque ætatem, neque vires tuas reſpicias, neque hoſtium copias, et artes, neq. populi innumerabilis, cui te præficio, varia iudicia, & conſilia verearis, ſed meum tantum dictū, & promiſſum excipe, exceptumq́ magna fide tene. Videlicet quòd tu iſta ætate, iſtis viribus, iſtis partibus à me inſtructus & confirmatus diuides, iam expugnatam, captam, & in veſtrum ius redactam populo huic, qui tecum eſt, non ijs qui poſtea erunt; namque illi iam à te diuiſam, à patribus ſuis poſſeſſam hæreditario iure accipient; ſed tu diuides his qui erunt, te adhuc viuēte, & diuiſionem curāte. Cùm verbum, diuides, finem ipſum electionis declaret, & cætera omnia, ex aperta conſequētia ſignificat quæ diuiſionem præcedere oporteret; vt ſunt adire, expugnare, ſuperare, & hoſtibus pulſis, aut occiſis occupare, occupatam demum partiri, ſignare, & tradere. ſed verbum ſorte diuides, Hebraica ſignificatio vlterius etiam exponendum

docet TANHHIL *quod præter partitionem hæreditatis, aſsignationem, adſcriptionem, & traditionem ſignificat.* NAHHAL *hæreditatem inire:* HINHHIL *alterum in hæreditatis vſum poſſeſſionemq́ inducere.* TANHHIL *hæreditare facies, barbare reddi poteſt: quod noſter interpres Latinè expoſuit Sorte diuides.* patribus tuis. *alia exemplaria vulgatæ editionis habent, ſuis, idq́ rectè; nam commodius dicimus promiſſa facta totius populi, quàm vnius Ioſue*
Gen.17. *patribus. Fuit autem promiſſum illud: Dabo tibi, & ſemini tuo poſt*
" *te terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in poſſeſsio-*
" *nem æternam. & quæ in hanc ſententiam Iſaaco, & Iacobo prædicta à Deo fuere. itaque quod ad rerum difficultatem attinet, ex ea ratione quæ vel naturæ magnitudinem, vel aduerſariorum vim, vel aliorum hominum ingenium ſpectat, nihil eſt cur is qui promiſſum accipit, vel dubitet, vel vereatur, hæſitet, ac timeat. quippe Dei promiſſa quo minus præſtētur nulla ex parte, nullo alio nomine impediri poſſunt, niſi defectione eorum quibus facta fuerint. Defectionem autem in vniuerſum vocamus hoc loco, fidei, vel obedientiæ defectum: quorum vel altera deficiente, homines beneficiorum à Deo promiſſorum vſu red-*
Heb. *duntur indigni, ſicut ſcriptū eſt: Sed non profuit illis ſermo, non ad-*
" *mixtus fidei ex iis quæ audierūt. Quamobrē cùm Deus aliquid hominibus vltro pollicetur, nullam curam imponit difficultatis rerum expendendæ, aut metuendæ, ſed ipſorum quibus promittitur officium diligenter agnoſcendum, & præſtandum poſtulat. vt in illa ad Abraham allocutione poſt promiſſum factum eueſtigio adiūctum legimus:*
Gen.17. *Et tu cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis. quo in pacto illic declarato fidei & obſeruātiæ rationes continentur. Ad eundē etiam modum hoc in loco Deus poſtquā difficultatem omnem ſuperatum iri Ioſue pollicitus fuerat, neque quicquam ab hominibus metuendum eſſe præmonuerat, officium proprium erga ſe cultumq́ ſuum commēdauit, cuius obſeruatione, promiſſorum ſucceſſum, contrà verò neglectione, irritos omnes conatus illum experturum eſſe denuntiabat.*

Confortare ergo, & eſto robuſtus valde.

QVAMQVAM *eadem verborum cum ſuperiori forma eſt, non tamen inanis, aut ſuperuacanea, neque vt aliquis exiſtimare poſſet, ad ornatam poſita repetitio eſt. Namque prior illa exhortatio ad ex-*

ternam

ternam difficultatem contemnendã, vti exponebamus, referenda eſt: hæc verò altera ad illam internam & grauiſsimam pugnam, quam homo qui diuino ſpiritu nondum eſt plenè interius animatus, in legitima & ſancta diuinorum iuſſorum obſeruatione diligentiſsimè obtinuata experitur; de qua ſcriptum eſt: Scimus quòd lex ſpiritualis eſt, Rom.7.
" *ego autem carnalis venundatus ſub peccato. & rurſum: Condelector*
" *enim legi Dei ſecundum interiorem hominem: video autem aliam*
" *legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuan-*
" *tẽ me in lege peccati quæ eſt in mẽbris meis. Antiquos homines, qui in vinea ſua laborabant, atque æſtus diéiq́ portabant pondus, ad huiuſmodi pugnam ſtrenuè capeſſendam hortabatur Deus, neminem ſibi coronatum iri declarans, niſi qui legitimè certauerit. S. S. E. In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo. Quòd verò militibus huiuſmodi fortiter & grauiter agere ſtudentibus, diuina non negetur aut ſubducatur gratia, argumento ſatis manifeſto eſt, ipſa Dei monitio & adhortatio, quæ ſine diuino beneficio eſſe non poteſt, ſicut ſcriptũ eſt: Dominus regit me, nihil mihi deerit. Huius itaq. tantæ, tamq́ neceſſa* "
riæ rei cauſæ Deus Ioſue ad pietatis diligentem cultũ adhortatur, ſine quo id quod promiſſum expectabatur magnum beneficiũ obtineri non poterat. quòd verò ad hanc ſententiam verborum repetitio hæc referenda ſit, ipſa adiuncta lectio declarat. Gen.2.

Vt cuſtodias, & facias omnem legem quam præcepit tibi Moſes ſeruus meus.

DIVINAE *legis ſtudiũ, vtpote ad omnem vitæ, actionumq́ partem opportunũ, atq adeò neceſſariũ Ioſue à Deo commẽdatur, & imperatur, cum prædictione ſummæ felicitatis ad gerendas res, & gratiæ auxiliiq́ diuina denuntiatione, & legis ipſius laudibus, auctoris nomine, & interpretis dignitate & probatione petitis, atque etiam ex vtilitatis expoſitione confirmatis: Tria enim præcipua ſunt, quibus legum ſanctitas adſtruitur. Principis qui legem condidit auctoritas; eius per quem lex condita fuerit facultas & dignitas; poſtremùm verò legis ipſius obſeruatæ vſus. Hæc autem ratio eſt cur in ciuilibus legibus præter Imperatorum, Conſulum, & Principum nomina, quæ ſancta auguſtaq́ habentur, Iuriſconſulti etiam ij appellentur, quorum prudentia, & reſponſis promulgatæ leges fuerint; & præterea rationes addantur, quibus leges firmari, & veluti animari, conſue-*

uere;rationes verò, plerumque à recto atque honeſto, atque adeò ab vtili petuntur. Auctoritas autem nulla eſſe poteſt quæ cum diuina comparetur: ex quo factũ eſt, vt ij qui ſapientiſſimi olim habiti fuere legiſlatores, non ad ſuũ, ſed ad diuinum aliquod numen etiamfictũ legum ſuarum maieſtatem retulerint. alij Ioues, alij Apollines, Mineruas alij, quidam Sybillas, nonnulli ſuas Aegerias nymphas appellarint, cuius exempli antiquæ hiſtoriæ plenæ ſunt. iam verò eorũ per quos leges conſcriptæ fuerint magna, & grauia nomina, Solonũ, Lycurgorum, Numarumq́; iactabantur, atque ita legum religio, obſeruatio & fides eo maior habebatur, quo ſanctiore tum auctorum, tum miniſtrorum dignitate fulciretur. Id verò quod apud alias nationes mentitis nominibus, non tamen abſque magno fructu, propter ſolam auctoritatis opinionem factitatum eſt, Deus ipſe legi à ſe conditæ, & latæ veriſſimè certiſſimeq́; adſcribit. Namque alij legum pronuntiatores, numinum dictantium opinionem ipſi ſuo tantum teſtimonio faciebant & ſeminabant: in huius verò ſanctiſſimæ legis promulgatione, Deus ipſe & vniuerſo populo ſemel edita, apertaq́; voce, & ſæpe ſignis, & miraculis, deinde etiam principibus, & ſummis viris,
Heb.2. & reipublicæ miniſtris, priuata allocutione auctorem ſeſe eſt conteſtatus. Neque ſuam auctoritatem à miniſtris accepit, ſed ipſe ſuos
Num.12. miniſtros opportuna auctoritate inſtruxit. S.S.E. Stetit Dominus
„ in introitu tabernaculi vocans Aaron & Mariam: qui cùm iſſent
„ dixit ad eos: Audite ſermones meos; Si quis fuerit inter vos propheta
„ Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At
„ non talis ſeruus meus Moyſes; qui omni in domo mea fideliſſimus eſt,
„ ore enim ad os loquor ei, palam, & non per ænigmata, & figuras Do-
„ minum videt. Quare ergo non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moſi?
Huiuſmodi apertis Dei teſtimoniis, & vocibus antiquus ſacræ legis miniſter probatus eſt. Nouæ verò legis diuinæ miniſter & interpres huiuſmodi à manifeſta gloria vocibus & præconiis eſt declaratus.
Luc.6. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui, ipſum audite. Igitur legis ſuæ obſeruantiam & cultum Ioſue & populo Deus his nominibus commendat. & quòd à ſe conditam aſſerit, & per Moſem magnæ apud omnes iam gentes æſtimationis virum, & ſibi delectum gratumq́; miniſtrum latam pronuntiatamq́; aſſeuerat. Ne verò vllus exceptioni relinqui poſſet locus, titulum illum grauiſſimum Moſi adſcripſit.

ſcripſit; Seruus meus. Quippe modeſti, probati, ſimplicis & candidi officij eſt, vt ij qui ſupremis Principibus legitimè parere volunt, nullam perſonæ eorũ per quos iubentur exceptionẽ faciãt, ſed eum tantũ reſpiciãt, cuius dignitate, & auctoritate miniſtri inſtructi ſunt, ſiue miniſtri noui homines, ſiue antiqui, ſiue illuſtri, ſiue obſcuro genere, (vt vulgus loquitur) procreati, nõ enim qui, qualéſue huiuſmodi fuerint, ſed quam perſonã ſuſtineant, eſt cẽſendum. perſonæ autẽ imponendæ definitionem, & modum ad principũ ipſorum conſiliũ referre oportet. atque hæc ratio Dei ſapientiſsimi iudicio confirmata eſt frequentiſsimè. S.S.E. Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus eſt Exod. 4. *mutum, & ſurdum, videntem & cæcum, nónne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo, docebóq; te quid loquaris. Itaque ſatis erat diuina auctoritas Moſi conciliata, vt Ioſue pius Dei miniſter, poſtquam imperator creatus declaratuſq; eſt, leges iam latas hoc etiam nomine diligenter & ſanctè obſeruaret, nulla ratione habita vel ingenij, vel conſilij, vel etiam generis ſui, vt qui ex præcipua, & anteſignana Iudæ Tribu, atque ex illuſtriſsima in illa tribu familia ortus eſſet, filius Nun, non ideo quicquam ſibi arrogaret, vel dignitate amplitudineq; ſua minus fore putaret, ſi Moſis aliquando inter Aegyptios hoſtes, & inimicos infenſiſsimos educati, deinde profugi, & exulis, poſtea paſtoris, demum ex alia tribu Leui videlicet gentem deducentis ſcriptis legib. omnino adhæreret. cuiuſmodi ambitioſæ penitus cogitationes, cùm ſemel, imò ſæpe principum, et rerum publicarum ſubierint miniſtros, magnas officiorum turbationes, et ingentes populo calamitates, non ſine principum grauiſsima offenſione, & legum violatione afferunt. delirantibus enim regibus & miniſtris, ac magiſtratibus, rerum publicarum concentum corrumpi neceſſe eſt. Atque huiuſmodi crimen graui cenſura animaduerſioneq; dignum eſſe, Deus vel hoc ipſo titulo declarabat, in exemplumq; pijs omnib. proponebat, cùm diceret:* Facias omnem legem. *nulla parte excluſa, aut excepta, communem enim illam, omnibus ſummis & infimis, ſanctamq; omnibus eſſe volui: ita vt qui peccauerit in vno, omnium reus fiat.* Iacob 4. *atque hoc pacto, quod ad illam attinet, ſacram prorſus eſſe declaro, & omnibus obſeruandam propono: quod verò miniſtri, ſcriptoris & latoris, ſiue pronuntiatoris perſonam ſpectat, eam non tantùm populo communiter, ſed tibi etiam ſingulariter iuſſu meo prælegit, &*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

impoſuit Moſes, qui quantus vir fuerit compertum exploratumq́; tibi eſt; quamquam ille, vel vnicus viri titulus, plurimum apud te auctoritatis & ponderis ad obſeruandum habere debeat: quòd fuerit is olim dictus, & nunc teſtimonio præſenti probatus ſeruus meus. *qui officium ſuum rectè coluerit, meq́; Dominum piè, purè, ac ſanctè obſeruarit, ea maxima parte, qua legiſlatoris à me impoſitam ſuſtinuit & geſſit perſonam: fidelis enim in tota domo mea fuit, cuius exemplum tibi in ſeruum meum electo ad imitationem laudo. Quod verò Deus dicit,* quam præcepit tibi, *ad illam Moſis actionem probandam pertinet; de qua ſcriptum eſt:* Num.17. *Fecit Moſes vt præceperat Dominus: cumq́; tuliſſet Ioſue, ſtatuit eum coram Eleazaro ſacerdote, & omni frequentia populi: & impoſitis capiti eius manibus, cuncta replicauit quæ mandauerat Dominus. quæ in replicatione legis propoſitionem & commendationem diligentem inſertam fuiſſe, hæc Dei oratio declarat,* quam præcepit tibi. *Neque verò in rerum & præceptorum numero & pondere, ſed in circumſtantiis, & modis atque formulis omnibus, legis ſuæ obſeruantiam ſacram ſanctamq́; Ioſue Deus eſſe voluit, & iis etiam eſſe vult qui proprium conſilium, ingenium, & iudicium diuino non anteponūt. S.S.E.* Deut.27. *Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis huius, neq. eos opere perficit. Ideò enim præmonebat Deus, confortare, & eſto robuſtus, ne affectuū tuorum humanorum, inquam, impotentia, & impetu feraris, aut raptaris; ſed iuſſorum meorum ſanctam normam tene, meq́; tibi agenda præſcribentem ſequere.*

Ne declines ab ea ad dexteram, vel ad ſiniſtram.

RECTISSIMAM *eſſe legem Dei oratio hæc indicat, abſolutiſſimamq́; omni ex parte probat; eandemq́; ad veri honeſtiq́; inuentionē & ſtudium compendioſiſsimam. Nulla enim via breuior eſt quàm recta, nulla certior, nulla naturæ rerum omnium conſentanea magis. Hinc enim eſt, quod quæ grauia, quæq́; leuia ſunt corpora in locum ſuum rectè ad perpendiculum naturæ impetu feruntur, obliquumq́; omnem motum, atque ambages vltro horrent, & vitant, nec niſi impulſa, vel aliâs coacta ſubeunt. cæleſtia item corpora & lumina ſuis in circuitionibus recto curſu ſingula feruntur, neque metarum ſuarum quos polos vocamus, rationes excedunt. huiuſmodi, atque etiam illuſtrio-*

illuſtriorem legi ſuæ rectitudinem , & compendioſam optimarum rationum viam Deus adſcribit, cùm Ioſue ſic monet: ne declines ab ea ad dexteram, neque ad ſiniſtram. *Omnis enim à recta via declinatio, vel in dexteram, vel in ſiniſtram eſt: medium locum recta via tenet, à qua in alterutrum extremorum diuerticula quæ fiũt, vitij nota non carent, & ſi diutius longiuſq́ preambulentur, in errores non leues inducũt. Huiuſmodi rationẽ ſtudiis, actionibuſq́ humanis præſcribere cupientes, antiqui illi vitæ inſtitutores, quos philoſophos dicimus, virtutem inter duo extrema ſitã depinxerunt; horumq́ illa ſententia celebris fuit, Virtus eſt medium vitiorum, & vtrinque reductũ. Verùm enimuerò, nulla melior certiórue veræ virtutis regula, quàm diuina lex, excogitari poteſt, vtpote quam diuinarum iuſtificationum viam Spiritus ſanctus appellat, à qua neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram diſcedendum ſibi eſſe credit is, qui in vitæ publicis, priuatiſq́ actionibus, nec fallere neque falli vult. S.S.E. Spreuiſti omnes diſcedentes à iudicijs tuis; quia iniuſta cogitatio eorum. Cùm verò hæc declinandi, & dexteræ atque ſiniſtræ verba, ex viarum, & viatorum imagine tranſlata ſint, facile eſt ſententiæ ſimplicitatem cognoſcere, ne vide licet à rectè viuendi inſtituto, quod diuina præſcribitur lege, in alterutrã partẽ diſcedatur. Namq. inſani ſapiens nomen ferat, æquus ĩniqui, vltrà quã ſatis eſt, virtutem ſi petat ipſam*: quamobrem *ſcriptũ eſt; Noli nimium iuſtus eſſe: ita hac ſimplici, & breui Dei præſcriptione, impietas omnis, atque omnis etiam ſuperſtitio, omne à vero honeſtoq́ in alterutram partem declinans conſilium ſtudiumq́ improbatur. S.S.E. Increpaſti ſuperbos, maledicti qui declinant in mandatis tuis. Multa præterea alia, quæ dexteræ, atque ſiniſtræ nominib. et imagine ſignificantur ab hoc argumento minimè aliena, ex Apparatus ſacri promptuario, qui velit, petat. Igitur legis ſanctitas, & maieſtas, ex auctoris Dei nomine, atque ex miniſtri dignitate, & probatione, ipſiuſq́ pulchritudine, & rectitudine oſtenſa eſt; eiuſdẽ verò opportunitas, & neceſſitas ex vſu deinceps probatur.* vt intelligas cũcta quæ agis. *Nullã adeò actionẽ ab optimo & fideliſſimo principe ad ſuã, vel populi ſalutem, nullam à populo qui principi optimo pareat, certiùs aut commodiùs inſtitui, ſuſcipi, & abſolui poſſe Deus ipſe affirmat, atq. eã, quæ ad ſacroſanctæ legis præſcriptum ac normã exigitur: optimum enim con-*

Ariſt. Ethicor. I.
Horat.
Pſal. 118.
Ibid.
Ibid.
Lib. Ioſep.

conſilium non aliunde quàm ex diuino reſponſo petitur: optimus denique ſucceſſus ex diuino comparatur nutu. Super ſenes intellexi, Pſal. 118.
quia mandata tua quæſiui, canebat ille prudentiſſimus, ac pijſſimus Rex. Ideo Deus cum nihil excipere vellet, cuncta quæ agis, *dixit, atque his intelligendi & agendi verbis conſilium & factum omne complexus eſt. Hebraica verba propter modorum & figurarum præſtantiam apertius atq. plenius aliquid indicant. Nam* SACHAL *quod fere ſemper intelligere Latinè vertimus, diſertè, attentè, obſeruanter, rectè, ac ſapienter cognoſcere ſignificat, cum diſtinctione veri atque opinionis. omnia hæc cum vnico ſimpliciq; vocabulo reddere ſtudet, Interpres noſter, intelligere, vertit. Nullum autem effatum verius eſt, eo quod à Deo pronuntiatur. Nam quod ab hominibus effertur, vel falſum, vel opinabile eſſe poteſt: quippe omnis homo mendax. vel ſi maximè verum ſit, atque manifeſtum, non tamen tot tantisq; veritatis ponderibus firmatur, atque id quod elocutus fuerit Deus. S. S. E. Omnia mandata tua veritas, & initio cognoui de teſtimonijs tuis, quia in æternum fundaſti ea. Itaque verbum* SACHAL, *Hiſpanicè exponere poſſumus, Entender acertadamente. Eſt autem Hebraicè in coniugatione relata, quæ non ſolum actionem ſimplicē, ſed actionis cōmunicationem ſignificat.* THASCHIL *non modo intelligi, verumetiam intelligere facias: hoc eſt conſilia, actioneſq; tuas & tu ſapienter inſtituas, & alijs rectè ſapienterque inſtitutas probes; accidit namque non rarò aliàs vt rectè initum à viro aliquo conſilium, vel ab ijs improbetur qui aliter initio ſenſerunt, vel ob non adeò ſecundum exitum ab ijs damnetur qui facta ex euentu notanda putant. At verò quæ ex diuinæ legis obſeruatione ſuſcipiuntur conſilia, vt nemo ſapiens, aut pius carpere poteſt, ſic etiam acta, quòd ſucceſſu caruerint, notare poteſt nemo; præſtat*
Pſ. 118. *namque Deus opportuniſſimè ea quæ legis pietatisq; ſuæ cultoribus fidelibus eſt pollicitus. S. S. E. Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, et viuam; & non confundas me ab exſpectatione mea. &, Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Docet itaq. Deus legis obſeruationem vtiliſſimam eſſe.* Vt intelligas, *& vt alijs te intellexiſſe probes.* cuncta quæ agis. *Hebraica elocutio tranſlatione conſtat, iter agentis, cui diuina lex veluti via, quam ingrediatur, eſt propoſita, vt Dauid aiebat: Viam iuſtificationum tuarum. ideò,*

quod

quod noſter Interpres vertit, ages, illa in lingua, THELECH, ambulabis ſiue ingredieris, legimus: vt omne inſtituendum tibi iter, tum conſilio, tum etiam progreſſu & ſucceſſu probes, ab orbita regia minimè diſcedens, quæ te in optimum finem deducet. agendi autem verbum, quo rectè noſter Interpres eſt vſus, ad viatorē, & ſtudium etiā refertur, ſiue iter mari, ſiue terra fiat: vt, dum ſe latus ad auras Geor. 2.
Palmes agit laxis per purum immiſſus habenis. &, Non agimur tu- Horat. Epiſt. lib. 2.
midis velis Aquilone ſecundo. iam vero Ambulandi verbum ſtudia, Epiſt. vlt.
actioneſq. vitæ omnes complecti in ſacro Apparatu docebamus. De- Lib. de idiotiſmis.
clarat igitur hoc loco Deus, Ioſue non legiſlatorem, ſed latæ iam legis Lib. Ioſeph.
obſeruatorem fore, atque obſeruantiæ perpetuum ſtudium illi com- Lib. Ieremiæ
mēdans imponit, formulamq́; præſcribit quemadmodū lege vtendum ſit, quam diuq; & quibus in argumentis, & actionibus vti expediat.

Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo. tu diriges viam tuam, & intelliges eam.

INTERROGATVS aliquando quidam ex antiquis Iſraëlitarum ſapientibus, Num ſtudioſo viro literis Græcis operā dare liceret, In aphoriſmis Patrū.
Licere ſanè reſpondebat, dummodo id neque nocte, neque interdiu fieret. huius reſponſi rationem rogatus ita reddebat, Quoniam ſcri- Pſ. 1.
ptum eſt, In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Mirabile profectò reſponſum, ſed quod Spiritus ſancti auctoritate ſit cōfirmatum, qui non ſolum illo in Pſalmo hoc ſtudium ad beatitatem omnibus hominibus opportuniſsimum, expedientiſſimumq́; eſſe declarauit, ſed etiam populi ſui principibus ac ducibus, qui probatiſſimum Ioſue exemplum ſequi velint, efficaciſſimè commendauit. Multæ variæq; principum, & magiſtratuum actiones ſunt, quibus ordo ille vacare debet, vſque adeò, vt publicarum cauſa rerum priuatæ, hoc eſt propriæ, plerumq. ſint relinquendæ; hæc enim Dei ſeruorum, atque populi miniſtrorum ratio conditioq; eſt. ex quo fit, vt alij rebus officium ſuum minimè ſpectantibus principes viri ſtudium impendere non poſſint, ſed ſuſcepti, atque gerendi muneris rationibus cognoſcendis & curam & ſtudium adhibere diligēter debeant: nullo vero pacto, nullo loco agendarum rerum recta ratio æquè agnoſci poteſt atque in ſacræ legis libris ab illa infinita, & immu-

tabili Dei ſapientia dictatis, quorũ legitimũ, atque aßiduũ ſtudium magnam in omnes vitæ partes lucem adfert: neglectio verò & ignoratio ingentem conſiliorũ turbationem, errorum caliginem, & euentuum inconſtantiam parit miſerabilem. S. S. E. Et erit tanquam li-
Pſa. 1. " *gnum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum*
" *ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius nõ defluet, & omnia quæ-*
" *cunque faciet proſperabũtur. Hæc de optimo, & felici ſucceſſu actionum earum, quæ ex diuinæ legis meditatione inſtitutæ ſunt. De ijs verò quæ aliam viam inicre, illa ſubiungũtur ad inconſtantiam, te-*
" *meritatem, & fruſtrationem euentnum referenda. Non ſic impij,*
" *ſed tanquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ. Quamobrem legis illius immaculatæ ſtudium aßiduum atque perpetuum ad conſilia capienda, atque ad gerendas res Imperatori Ioſue commendat Deus, atque ſtudij ipſius formulam, modum, finemq́; præſcribit.* Non recedat, *inquit*, volumen legis huius ab ore tuo. *quod volumen hîc legimus, Hebraicè eſt* ZZEPHER, *à verbo quod narrare, recitare, exponereq́; ſignificat: Pro quo Latini aliquãdo librũ, nõnunquam volumen transferunt. atque ita aßiduam, perpetuamq́; lectionem, & citationem, atque recitationem ſacræ legis, hoc loco ſignificari, & nomen ipſum, & adiuncta etiam indicant.* ab ore tuo: *nam volumen ab ore non recedit, quod aßidua lectione verſamus: Neque verò ſatis fuerit legere, niſi quæ lecta ſunt intelligendi cura ſequatur; ita enim legendum eſt, vt intelligamus: intelligimus autẽ cùm eorum quæ ſcripta ſunt ſententiam rectè percipimus: & alia cognoſcimus, & aßequimur, quæ ex iam perceptis diſſerendo deducuntur.*
" *Non alligabis os boui trituranti: docemur alimenta ijs præbenda qui ſuam operam nobis impenderint, idq́; in omni miniſterio verum, in ſpirituali eſſe verißimum: huiuſmodi itaque ſtudiũ ad ea cognoſcenda quæ diuina lex actionum omnium inſtituendarum cauſa, vel apertè docet, vel diſertè indicat; his verbis præcipit Deus:* ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus. *Coniunctio, ſed, non aduerſatur antecedenti orationi, quin potius expoſitionem incrementumq́; adfert, & coniungẽdi vim ſortitur hoc loco, vt ex Hebraico* VAV *conſtat. neq.*
Iuue. 5. *dißimili etiam ratione à latinis vſurpari aliquãdo ſolet. vt: Sed forma, ſed ætas digna ſupercilio. Igitur diuinæ legis aßidua lectio, & lectionum perpetua meditatio diligentiq́; ſtudio tractanda, vt neceſ-*
ſaria

ſaria optimo Imperatori, populiq; pij gubernatori præcipitur, atque hoc ſtudium omne non ipſa meditatione conſumendum; ſed ad actiones omnes rectè inſtituendas referendum exponitur. Non enim verbis, non cogitationibus, & commentationibus tantùm, ſed actis, atque factis abſoluta ſolidaq; virtus definitur. Fructus enim contemplationis in ijs quæ ad priuatos, ciuileſq; mores pertinent, actione percipitur, atque ideò diuinus ille Pſaltes canebat: Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. hoc eſt quod Ioſue declarat Deus: vt facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo: *non vt pro conſilij tui priuati ratione, ea tantùm diſcere, & cognoſcere ſatis eſſe putes, non vt partem præſtandam, partem negligendam tuo arbitrio deligas, & quæ leuiora ſunt [illegible]es, grauiora relinquas, vel contrà, grauiſſimis intentus leuiora contemnas; ſed,* vt facias omnia: *ea quæ officium munuſq; tuum ſpectabunt; namque hoc pacto felicem actionum tuarum ſortieris euentum.*

tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.

NAM *cùm diuina lex, quid credendum, quid faciendum ſit, abunde pleneq; doceat, conſequitur eũ qui hac lege legitimè vtatur, conſequentia diſcreturum, principia & cauſas rerũ viſurũm, earumq; progreſſus & quaſi anteceſſiones non ignoraturũ, ſimilitudines comparaturum, rebus præteritis præſentes, præſentibus futuras adiuncturum, facileq; actionum omnium curſum viſurum, atque ad eum conficiendum neceſſarias res comparaturum eſſe: eadem verò lex vi promiſſorum diuinam gratiam & prouidentiam cultoribus ſuis legitimis ita conciliat, vt ſecundos actionum adferat euentus. Hoc eſt quod Deus ait;* Tunc. *cùm hanc legem cognoueris, cognitam intellexeris, intellectam in omni actione ſpectare & ſequi ſtudueris, diriges viam tuam. i. actionum tuarum curſum optimè conficies; &* tunc intelliges eam: *cùm optimè intellexeris, optimè diriges, intelliges vero cùm agenda omnia ad legis huius normam inſtitueris. ita Latinam hanc lectionem exponimus, ex Hebraicorum verborum ſignificatione, quorum vis illa eſt:* Quippe tunc proſperare facies viam tuam, & tunc intelligere facies. *Eodem enim verbo hoc in loco Spiritus ſanctus eſt vſus atque in illo, Et omnia quæcunque faciet proſperabuntur. coniunctio verò, quippe, & rationem, & affirmationem adfert, atque à priori, vt dialectici loquũtur, argumenta-* Pſ. 1.

 tur,

tur, vt, quippe lux eſt, dies eſt; ſic quippe legem diligenter obſeruas, proſperitatem rebus tuis paras, & omnium rectè ſentientium probationem adornas. Namque iam expoſuimus illius verbi, intelligere facere, ſignificationem. Videant Chriſtiani principes & magiſtratus, quanti illorũ interſit ſedulam operã diuinæ legis cultui dare: ſentiẽt profectò quo in loco ſint, ſuarumq́; calamitatum manifeſtam cauſam, niſi communi ſenſu planè carent, cognoſcent. Itaque actionum omnium humanarũ gerendarumq́; rerum, tum rationem, & modum, tum felicitatẽ ex legis ſuæ rationibus peti expedire Deus docet, affirmat, & cenſet, idq́; diligenter miniſtris commendat, & præcipit ſuis, atque ſuam ipſius opem certiſſimam id ſedulò agentibus pollicetur, cum atteſtatione victoriæ aduerſus difficultates omnes, & mandatorum promiſſorumq́; ſuorum repetitione.

Ecce præcipio tibi, confortare & eſto robuſtus, noli metuere, & noli timere: quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcunque perrexeris.

NON *nouum præceptum hoc loco Ioſue Deus proponit: ſed propoſitum non ita pridem & commendatum Moſe interprete & miniſtro nunc denuò repetit, ipſeq́; virum allocutus cõfirmat: Præceperat enim hoc ipſum, videlicet* cõfortare & eſto robuſtus. &c. *per Moſem præſente populo. itaque verbum, præcipio, non præſens tantùm hoc loco indicat tempus, ſed præcepti rationem, & formulam repetit, ac ſi dicat: Hoc eſt præceptũ à me iam tibi datum, quod cùm antea ex Moſe audieris, nũc ego ipſe tibi in memoriã reuoco. Hanc expoſitionem, & res ipſa, & Hebraica enuntiatio nos docẽt: Hebraica namque ita Latinis verbis excipi poſſunt: Nonne præcepi tibi,* confortare & eſto robuſtus? *Res verò ſic habet. Moſes paulo antequam è viuis diſcederet, Ioſue miniſtrum ſuum, quem iam huius expeditionis ducem, munerisq́; ſuo ſucceſſorem appellatum populus nouerat, Dei iuſſu*
,, *eiſdem ferè monuerat verbis: S.S.E. Vocauitq́; Moſes Ioſue, & dixit*
,, *ei coram omni Iſrael: Confortare & eſto robuſtus, tu enim traduces*
,, *populum iſtum in terram, quam daturum ſe patribus eorum iurauit*
,, *Dominus; & tu eam ſorte diuides, & Dominus qui ductor eſt veſter,*
,, *ipſe erit tecum, non dimittet, nec derelinquet te: noli timere nec pa-*
,, *ueas. Huiuſmodi itaque præceptum & exhortationem, à ſe antea profectam, Ioſue nunc repetit, & confirmat Deus. Ecce præcipio tibi,* confor-

confortare & eſto robuſtus. *prius verbum ad animi præſentẽ conſtantiã, et propoſiti firmitudinẽ; poſterius vero ad gerẽdæ rei propti-tudinem dexteritatémque, vti iam expoſuimus, eſt referendum. Hæc Gallicè ſic dici ſolent: Courage, & hardiment. Præcepti autem illius per Moſem facti repetitam ſententiam, vlterius exponit Deus:* Noli metuere, noli timere, &c. *indicatq; illi certam animi & roboris confirmandi cauſam*. quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus, ad quæcunque perrexeris: *eadem ſententia qua à Moſe dictum fuerat, Dominus qui ductor eſt veſter, ipſe erit tecum, non dimittet te, neq. derelinquet te. Itaque vim, efficientiam, ſucceſſumq; omnem, non animo, ingenio, brachio, viribuſq; tuis adſcribes, ſed tua omnia in diuinæ tutelæ præſidio latère crede, atque hac fide animatus confortare, &c. quoniam tecum eſt Dominus ille miſericors Deus prouidentiſſimus tuus, qui tibi ſingulari prouidentia proſpiciet, & conſulet in omnibus ad quæ perrexeris, in agendis omnibus aggrediendis, & obeundis, atque efficiendis rebus. Tu verò id cura, vt nihil metuas, nihil non aggrediaris quod ad tuum munus pertinere intelliges; nihil tibi, aut copijs, opibus, generi, genti, potentiæ viribuſq; tuis arroges, ſed omnia diuino beneficio adſcribas. Quemadmodum verò Ioſue diuini alloquij fide inſtructus, munus ſibi iniunctum grauiſſimè ſapientiſſimeq; obierit, ſacra deinceps narrat hiſtoria:*

Præcepitq; Ioſue principibus populi.

In *omni gerenda re ſapiens conſilium præire, maturum factum veſtigio ſequi oportet. conſilium ſapientiſſimum à Deo eſt, conatus ad actionem ab homine exigitur, conatus ipſi à numine fulciuntur, & promouentur, à quo etiã & ſucceſſus præſtatur. Ioſue quid acturus eſſet, quam ad rem eſſet electus, quemadmodum inſtructus eſſe deberet ijs virtutibus quas in ſuis miniſtris probat Deus, abundè eſt edoctus, & officium faciendum continuò ſuſcepit. Verumenimuero cum nullus tantus vir ſit, qui munera omnia in republica obeunda præſtare ſolus poſſit, optimi principis fuerit, non vt ipſe ſingula exequatur, ſed vt diuiſis muneribus, pro rerum, locorum, ac temporum ratione, alios atque alios exerceat, ita vt quæ fieri oportet, opportuna miniſtrorum copia, commodè ac breuiter expediantur. hoc exemplum omnibus in populis vtiliſſimum Ioſue ſummus Imperator diligenti obſeruatione probat: iubet enim præfectos populi, vt Dei conſilium*

genti ſuæ denuntient, atque ea comparanda commendent, quibus ad proximam iam & certiſsimam expeditionem opus eſſet, quos hîc Principes Latino nomine appellamus, non omnes in vniuerſum magiſtratus fuiſſe exiſtimandum eſt, ſed eum ordinem, qui ad faceſſenda exercendaq́; ſuperiorum iuſſa, mandata, ac decreta fuerat inſtitutus; Hebraicum enim vocabulum SOTER *eiuſmodi præfecturæ genus ſignificat, quod executores, quos Hiſpani Harabico verbo Alguaziles dicunt, exercere ſolent: id quod nobis Deo fauente aliàs in illo magno Opere diſtinctè explicabitur.*

Tranſite per medium caſtrorum, & imperate populo ac dicite.

MANDATVM *quod ad omnes pertinebat, ad omnes proferri iubet Imperator, idq́; diligenter, apertè & expeditè.* Tranſire *iubet. non enim ſatis erat vt illi ex certis locis populo hoc indicendum curarent, aut præconis voce alicubi declararent, neque vt ipſi alios delegarent, rem leuiter populo ſignificaturos, ſed vt ipſimet populo & indicerent, & inſtarent, regiones inter ſe ad hoc obeundum partiti.* per medium. *Non certum ſitum medium hoc loco lectio hæc indicat, ſed rem totis caſtris denuntiandam, & publicandam ſignificat. Namque ex tribus Hebraicis nominibus, pro quibus Interpres noſter reddere ſolet medium, illud hoc loco vſurpatur, quo ea ſignificatur pars, quæ in animalis corpore intima eſt, vt ſunt ventriculus, & aluus, cum omni loco iecinoris & hepatis, hæc enim* KEREB *ſignificat: Latinè non ex etymo, ſed ex ſignificationis ſimilitudine penetrale dicere poſſumus. Idem itaque eſt* tranſite per medium caſtrorum, *ac ſi nos explicaremus, Penetrate caſtra omnia: id quod non ad vnum tranſitum, ſed ad multas circuitiones, ſpiras, & ad ſingula ferè tentoria eſt dilatandū, ac ſi in locis, & oppidis certa ſede ſitis diceretur tributim, vicatim, & per domos, & circum compita; tanta illius ſacræ linguæ proprietas, atque diſtinctio eſt. itaque ex ipſo nomine & verbo ſimpliciſsimis, quatenus & quemadmodum actio & cura præfectis illis fuerit impoſita, oſtenditur.* & imperate populo. *Rem non vni tantùm aut paucis, ſed omni populo & notam & mandatam eſſe Ioſue vult. Quod verò ait, Imperate, non ſolùm ad iuſſa faceſſenda, ſed ad fidem etiam confirmādam pertinet. Nam quod imperabatur, ideò imperabatur vt fieret, non imperaretur autem imperatoris nomine, & aucto-*

& auctoritate, niſi certus rei quamobrem imperatum eſſet crederetur & expectaretur euentus. igitur qui imperat vt aliquid fiat, & ipſe euenturum credit, ſperatq́ue, & ijs quibus imperat credendum ſperandumq́ue proponit: neq. veretur ſe vanitatis, aut incerti conſilij à populo notandum. non ait, Imperate Tribunis vt illi imperent populo, ſed vos nomine meo imperate populo maximo, frequentiſſimo, & varij ſtudij, atque conſilij, qui non ex ratione, aut ex conſilio, ſed ex euentu atque exitu acta iudicat; atque ita magnis viris vel ob leuiſſima errata magnas notas adſcribere, temereq́ue de rebus cenſere ſolet, qui ſtultus honores ſæpe dat indignis, & famæ ſeruit ineptus: Atque, vt ille aiebat, Fortunam, hoc eſt exitum hominum ſequitur. Sciebat Ioſue apud quoſnam ſui primi imperij periculum faciebat, nempe apud populum; nihil tamen dubitabat, quo minus toti populo ſuam auctoritatem ad examen permitteret, cuius pondus grauiſſimum euaſurum efficaci crediderat fide. Mandati autem ſententia fuit, Tempus iam eſſe quo promiſſum à ſe illius regionis obtinendæ beneficium Deus præſtaret, idq́ue breuiſſimo ſpatio definiri, nimirum trium dierum proximorum, eiúſque fidei & ſpei confirmandæ cauſa iuberi populum, vt ſinguli ſibi quiſque commeatũ comparent ad expeditionem occupandæ regionis, in qua iam non vlterius vſuri eſſent Manna illo cæleſti ſibi diuina prouidentia interim ſuppeditato, dum in loca deueniretur, quæ fructibus ſuis alerent homines; iam verò illos eò deductos, & quamprimum in poſſeſſionem inducendos eſſe. Iuuen. Sat. 10.

Præparate vobis cibaria: quoniam poſt diem tertium tranſibitis Iordanem, & intrabitis ad poſſidendam terram quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis.

CONSEQVENS *antecedenti, vt ſæpe aliàs, hoc in loco præponitur. Fidẽ enim præire oportuit credẽtis populi, regionem à Deo promiſſam ſibi quàm citiſſimè tradendam: hanc fidem conſecutura erat iuſſorum obſeruatio, ſed quoniam apud homines fidei teſtimonium ex operibus petitur, humanæ diſciplinæ eſſe ſolet, à teſtimonij petitione incipere. Vt, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram quam monſtrauero tibi, & faciam te in gentem magnam: illud Abrahamo proponebatur credendum, faciam te in gentem magnam, atque ideo præceptum exire de terra, & de cognatione, inceptumq́ue eſt à præcepto ipſo, hoc eſt à fidei teſtimonio exigendo.*

gendo. Nam qui monenti, & præcipienti obſequitur, fidem ſuam non Iacob. *Deo tantummodo qui corda rimatur, ſed hominibus & idoneo exemplo probat. A præcepto itaque Ioſue mandatum inchoatur, hoc eſt à actione fidē promiſsioni diuinæ adhibitam teſtatura: Quoniam poſt diem tertium tranſibitis Iordanem, & intrabitis &c. ideò præparate vobis cibaria: neq. moram neque ceſſationem mandatum hoc patiebatur, & ſi quis ceſſaret, is non credere videri poſſet: nam quod adeo breui futurum prædicitur, cunctationem apud credentes non admittit, ſed maturationem poſtulat alacrem. Ne verò humana ſapientia huic tantæ beneficio propter æſtimatam rerum difficultatem, ac temporis breuitatem detrahere quicunq. poſſet, ad fidei diſciplinam ratio omnis relata eſt Deo totius rei auctore, & promotore indicato; difficillimum enim, vel impoſsibile potius erat perſuaſu Iordanem fluuium à populo omni tranſmittendum, terramq; adeundam, tanquam à poſſeſſoribus, & poſſeſſionem deinde inchoandam, non habita ratione incolarum, quorum tantæ copiæ, tanta potentia, & vis erat: abſurdum etiam videretur totum populum vnà in illam regionem ingredi, cùm vi & armis agendum eſſet, imbelle vulgus, tuto aliquo loco relinqui potius oportere videretur, atque armato exercitu rem tentari, & confici: & tamen iubetur omnis populus ad tranſitum, ad ingreſſum, ad occupationem regionis parari, idq; intra tertium diem inchoatum iri prædicitur. Verumenimuero res illa omnis non ex humanæ virtutis, artis, vel ſapientiæ, ſed diuinæ efficacitatis ponderibus examinanda proponebatur.* quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis. *non vos veſtris viribus expugnaturi, ſed ille Dominus miſericors, qui iam olim pollicitus eſt, quique ſingularem erga vos prouidentiam, tam multis exemplis probauit, ipſe daturus eſt vobis, illius dono conſtabunt vobis terræ poſſeſſio, & cætera omnia quæ poſſeſſionem antecedere oportet: vt ingreſſus poſt tertium diem, Iordanis tranſmiſsio. itaque intrabitis certo ac deliberato animo, poſsidendi id, quod ille vobis poſsidendum tradit. Itaque omnia hæc ad fidem atque ſpem confirmandam faciunt, ſicut & illa etiam, quæ cum Reubenitis, & Gaditis, atque ſocijs alijs acta & tranſacta ſunt, quæ non adeò diſtinctè agerentur à prudentiſsimo Imperatore, niſi firmiſsima fide innixo promiſſorum, atque dictorum Dei.*

Reube-

Reubenitis quoque & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe ait.

Hos tempeſtiuè allocutus eſt Ioſue poſt mandata exactoribus ad populum data, vt certam etiam ſpem faceret beneficij diuini in fratres collocandi, argumento ſuæ ipſorum ſortis, quippe quibus illæ regiones ex dono Dei conceſſæ iam fuiſſent, quæ in antiquis promiſsis non fuerant declaratæ. Oratio verò Ioſue ad gẽtem illam commemorationem continet beneficiorum Dei, & ſtipulationis atque obligationis ipſorum de auxilio fratribus ferendo, & poſtulationem officij promiſsi, & pacti.

Mementote ſermonis quem præcepit vobis Moſes famulus Domini dicens.

Obligationis argumenta omnia Reubenitis referuntur, atque primus locus à religione & pietate petitur, propoſita auctoritate Dei, & miniſtri: quibus non obtemperare, crimen grauiſsimum; fidem verò datam fallere, nefarium eſſet ſcelus; beneficij porro ab illis accepti magnitudinem obliuione & officij deſertione excipere, piaculum execrabile. itaque Ioſue his nihil nouum imperat, ſed debitum, & pactum in memoriam refert; atque eorum auctoritate exigit quibus adſtipulatio fuerat facta, Moſis videlicet; qui ſi vt iam mortuus contemneretur, at miniſterium ipſum non erat extinctum. Neq. enim Moſes priuato nomine vt Moſes de re illa cum illis tranſegerat, ſed vt famulus Dei: huius miniſterij auctoritas ipſi Ioſue conſtabat; qua auctoritate idem exigebatur quod promiſſum conuentumq́; fuerat: ipſe nihil ab illis nouum exigebat, tantum id poſtulabat præſtandum, quod ad certum tempus ab ipſis erat condictum; exoluendi autem debiti maturum tempus iam eſſe affirmat, idq́; intra triduum finiendum. quod ſi illi fidem ſuam ſeruare neglexerint, Deum tamen conſtare, qui nec moritur, neque mori poſsit, quiq́; contemptæ auctoritatis miniſtrorum ſuorum aſſertorem ſe præbebit ſeueriſsimum, eaq́; cum primis repetet, ab illisq. auferet quæ vltro donata ipſis erant, eo pacto & lege, vt fratribus ſuis ſuppetias ferrent. Fuerat autem conuentionis inter Moſem atque hos illa ſententia: At illi propè accedentes Num. 32. *dixerunt: Caulas ouium fabricabimus, & ſtabula iumentorum, paruulis quoque noſtris vrbes munitas: nos autem ipſi armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Iſraël, donec introducamus*

» cos ad loca ſua, &c. & plura alia quæ ab illis ſunt vltro explicata, &
» promiſſa, quib. Moſes ait; Si facitis quod promittitis, expediti pergi-
» te coram Domino ad pugnam: & omnis vir bellator armatus Iorda-
» nem tranſeat, donec ſubuertat Dominus inimicos ſuos, & ſubycia-
» tur ei omnis terra, tunc eritis inculpabiles apud Dominum & apud
» Iſrael: & obtinebitis regiones quas vultis coram Domino. Si autem
» quod dicitis non feceritis, nulli dubium eſt, quin peccetis in Deum:
» & ſcitote quoniam peccatum veſtrum apprehendet vos &c. dixe-
» runtq́; filij Gad, & Ruben ad Moſem: Serui tui ſumus, faciemuſq́;
» quod iubet dominus noſter: &c. cætera omnia quæ loco illo fuſius expo
nuntur, quorum memores eoſdem nunc Ioſue eſſe iubet, atque ex illa
» recordatione ſuam orationem texit dicens: Dominus Deus veſter de-
» dit vobis requiem & omnem terram: vxores veſtræ, & filij, ac iu-
» menta manebunt in terra quam tradidit vobis Moſes trans Iorda-
» nem, vos autem tranſite armati ante fratres veſtros, omnes fortes
» manu, & pugnate pro eis. Dominus Deus veſter. Oratio hæc pulcher-
rimis conſtat argumētis, quibus Reubenitæ cum ſocijs officium face-
re, & præſtare admonētur. Pietatis enim atq. religionis locus in pri-
mis petitur Domini Dei appellatis nominibus, quibus & miſericor-
diæ & iudicij rationes indicantur. ille, inquit, qui erga vos miſeri-
cordem ſe exhibuit, idemq́; ſe potentiſſimum oſtendit iudicem, atque
mundi gubernatorem, & principem, cuius iudicio illi terrarum
quas vos nunc habitatis, incolæ expugnati, eiecti, & perditi ſunt ob
iniuriæ ſcelus, cuiusq́; vos etiam ſeueritatem, & meminiſſe, &
metuere oportet. Secundus locus à commemoratione beneficij à Deo
accepti, cui grati animi officium deberetur, etiam ſi nulla alia inter-
ceſſiſſet obligatio. Quod cùm ipſi apud Deum ceteris fratribus non
haberentur ſuperiores; tamen ex diuino beneficio ſedes obtinuerint
ex animi ſententia, quas quieti iam colant: ita vt nihil poſſint ex-
cipere, quominus fratribus alijs opem ferant. nam nulli iam in regio-
ne illa ſupererant hoſtes, à quibus vel ſibi, vel vxoribus paruuliſq́;
ſuis metuerent; nulla præterea negotia erant, nullæ difficultates qui-
bus retardari poſſent, vel propter vicinos, & finitimos hoſtes, vel
propter internos, vel etiam propter curam ædificandi, vel muniendi
oppida; nihil horum illis oberat, ideo ait: dedit requiem vobis, &
omnem terram, ita vt nihil præſentibus negotij, neque abſentibus
metus

metus quicquam ſuperſit. Tertius locus à facilitate petitur: facilius enim, & promptius, atque expeditius illi poterunt tranſire, vtpote qui ſuarum rerum iam ſint ſecuri, nullis impedimentis teneantur, imò qui dum fratribus conſulunt, & adſunt, vxores, & paruulos domi relinquere poßint, à quibus familiaris res & conſeruetur & amplificetur, curantibus id ſenioribus, vxoribus & pueris operam non incommodam nauaturis: cùm tamen alij fratres nondum huiuſmodi commoditatibus vtantur, vtpote quibus vnà cum vxoribus, & paruulis, & reliquo imbelli populo ſit tranſeundum, & expectanda opportunitas in qua Deus illis ſimilem conditionem præſtare velit. Vxores veſtræ & filij ac iumenta manebunt. Securitatem & quietem verbum, manere, ſignificat ex Hebraico IASAB: *quod ſedere exponi ſolet aliàs ab Interprete noſtro; nõ erunt ſuſpenſi expectatione futuræ partitionis, ſed opportuno iã loco manebunt iumẽta veſtra. Pecuariã rem hoc vocabulum hoc loco ſignificat. eſt enim Hebraice* MIKNEICHEM. *quod Hiſpano ſermone propria conſimiliq; notatione dicere poſſumus vueſtras grangerias: quo nomine illorum res augendas, & promouendas eſſe, etiam illis abſentibus ſignificabat; vtpote quibus pecora, & armenta in aptiſsima regione relinquerentur, non temere, ſed vxoribus, & filijs ad curandum commiſſa; idq; ſub tutela, & prouidentia Dei, cuius beneficio regionem illam obtinebãt, Moſe miniſtro. Indignum verò eſſet cùm ipſis iam ſit conſultum & proſpectum à Moſe, idq; ſub conditione, vt ab ipſis etiam fratrum commoda non curentur, maximè cùm terram quam poſsidebant non ipſi cepiſſent, niſi Deo auctore & auxiliatore. quod ſi viribus, & armis humanis in ea expugnanda, & capienda Deus vſus eſt: illa expeditio non per duas tãtum tribus cum dimidia facta fuit, ſed per omnes duodecim: maiorem igitur expeditionis partẽ adſcribi oportere tribubus alijs; nempe nouem cum dimidia, quàm illis duabus ac dimidiæ; & potuiſſe regionem illam diſtribui inter omnes tribus, vel alijs tribubus eſſe cõceſſam: quod verò ipſis obtineretur, Moſis liberalitati referendum eſſe ideò ait,* quam tradidit vobis Moſes. *non vobis debitam, ſed dono datam: id quod non faceret Moſes, cum aliorum incommodo ac damno, ad quos non minus quàm ad illos ius pertinebat. Cùm autem dicat à Moſe conceſſam, conditionem, qua conceſſa fuit, latenter indicat, & citat eandem, quam huius*

 oratio-

orationis initio ſignificauerat, Mementote ſermonis &c. Indicatur etiam hoc eodem loco cæterarum tribuum conſenſus in tradenda illis hac regione, & officium fraternum erga ipſos: nam cùm donationi illi Moſis intercedere potuiſſent cæteri, tamen tantum tribuebant Moſi, vt hos tribubus cæteris loco & tempore, atque donis præferenti, non modò non obſtiterint, ſed conſenſerint, iuſsq́; quodcunq; illis conſtabat Moſis auctoritati & voluntati permiſerint; qui tamen cùm his duabus atque dimidiæ tribubus optatam ſortem adiudi-
Num. 1. caret, illam legem conditionemq́; adiunxit: Præcepit ergo Moſes
" Eleazaro ſacerdoti, & Ioſue filio Nun: Si tranſierint filij Gad, &
" filij Ruben vobiſcum Iordanem omnes armati ad bellum coram Do-
" mino, & vobis fuerit terra ſubiecta, date Galaad illis in poſſeſsionem:
" ſin autem noluerint tranſire vobiſcum in terram Canaan, inter vos
" habitandi accipiant loca. Responderuntq́; filij Gad, & filij Ruben:
" Sicut locutus eſt Dominus ſeruis ſuis ita faciemus; ipſi armati perge-
" mus coram Domino in terram Canaan, & poſſeſsionem tam acce-
" piſſe nos confitemur trans Iordanem. Itaque hæc à Moſe factæ donationis commemoratio conditionis monumentũ includit, & officium poſtulat repenſionis debitæ fratribus iis quorum ope & auxilio, imo quorum præcipua opera poſſeſſa iam à Reubenitis & Gaditis regio fuerat expugnata. Quod verò explicatur, trans Iordanem, ad id refertur quod ipſi Moſi confeſsi fuerant, Et poſſeſsionem nos iam accepiſſe confitemur trans Iordanem: acceptio autem beneficij debitorem non abſoluit, ſed obligat magis quàm promiſſum; ergo illi auxilium fratribus debebant, & nihil pro auxilio ferendo ſtipulari, nihil petere poterant; quamobrem iubentur vxores & liberos relinquere, vt qui nihil agrorum aut ædium citra Iordanem exigere poterant. ideoq́; non opus erat vxoribus & liberis, quorum opera melius in ſuis curandis rebus vti poſſent; deinde etiam ipſi expeditius promptiuſq́; pugnare, & bellum pro ſua parte accelerare, ſtudio atq. deſiderio vrbes domosq́; proprias repetendi. Prætereaetiam cùm vxores & filios relinquere iubet, breue tempus fore ſignificat, quo Cananæa Regio ſit bello expugnanda, & occupanda. nam ſi longiorem belli moram futuram exiſtimaret, non pateretur pijſsimus imperator illos à chariſsimis vxoribus, & liberis, atque à ſenibus, parentibus, quorum curam diuina Lex & pietas præcipit, diutiùs eſſe auulſos.
itaque

itaque temporis breuitatem ratio hæc promittit, & rei expediendæ, belliq́; conficiendi facilitatem pollicetur, Dei ſummi imperatoris nomine appellato ad fidem confirmandam, & exemplo iam ſpectato beneficij in ſe ipſos collocati & conſtituti, cuius nulla aperta fuerat antea facta promiſsio. Huius etiam facilitatis amplificationem adauget ſelectus ille, quem Ioſue faciendum monet; quippe nō omnes Gaditas & Reubenitas viros ad bellum hoc faciendum auxilio fratribus eſſe vult, neque omnes promiſcuè homines, ſed eos tantùm deligi, qui animo forti ac prompto ſint, ſuaq́; ſponte incitari poſsint ad pugnam pro communi religionis & generis cauſa capeſſendam, & præter animi fortitudinem, valetudine etiam viribuſq́; vtuntur integris, ita vt arma gerere ac tractare aptè & ſtrenuè poſſent; cæteris qui vel imbecilliori animo eſſent, minuſq́; viribus valerent, manendi libertas daretur: hoc pacto, & ipſi minori numero, minori incommodo, maiori alacritate, & ſibi & fratribus præſto eſſent Deo grati, propter promptitudinem animi; ijdem hoſtibus fortitudinis opinione, maiorem terrorem inijcerent, & illa alacritate cæteris tribubus animum adderent, & ſpem confirmarent, videntibus fratres, qui nihil ſibi quærerēt, ſua cauſa ſeſe anteire magna ſpe conficiendæ rei. huiuſmodi ſententia eſt illius adhortationis: Vos autem tranſite armati ante fratres veſtros, omnes fortes manu pugnate pro eis.

Donec det Dominus requiem fratribus veſtris, ſicut & vobis dedit, & poſsideant ipſi quoque terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt eis.

IDEM *docet, adſtruit, & confirmat promiſsio certiſsima, non tantū victoriæ & occupationis, atque poſſeſsionis, ſed quietis etiam: id vero breui obtinendum eſſe indicat vox, donec: neque enim ad familias relinquendas, ad bellum capeſſendū pro fratribus tanto ſtudio Ioſue hortaretur, niſi certus eſſet finem breui futurum; magnā quidem eſſe regionem, hoſtium multitudinem copioſam, verùm omnia celeriter confectum iri ſperandum eſſe. Quis enim omnem regionem Gahad tam citò expugnandam, poſsidendam & ſecurè tenendam putaret? & tamen factum conſtabat: ideò ait, ſicut & vobis dedit. quod ſi vobis dedit, quibus hoc ſingulare promiſſum non eſt factum; & illis etiam certiſsimè daturus eſt, quibus iuramento interpoſito ſæpe pro-*

 miſſum

miſſum ſæpiſsimeq́; confirmatum fuit. & poſsidebunt ipſi quoque qui filij Iſrael ſunt, vt vos, qui fratres veſtri ſunt, qui educti ex Aegypto eodem nomine quo vos. Porro facilitatem, & veritatem promiſsi adſtruit, appellato nomine illo ineffabili Domini miſericordis, cuius virtuti nihil impoſsibile, nihil non facillimum præſtitu eſt. Idem qui Deus veſter efficaciſsimum ſeſe vobis oſtendit, idem fratribus veſtris nõ minus veraciſsimum, quàm efficaciſsimum eſt probaturus. itaque oratio hæc bræuiſsimis verbis pronuntiata, omnia ſumma, & pulcherrima, ad perſuadendum argumenta continet, Pietatis, honeſtatis, debiti, obligationiſq́; atque vtilitatis & facilitatis, demum gloriæ diuinæ, atque communis commoditatis, quorum ſtudio omnes viros bonos teneri oportet. Magnum enim præter omnem æſtimationem commodum vtriq; parti adferendum ſperabatur, ſi vt alteri iam regione & quiete ſua fruebantur, ita etiam et alteri, ſua quoque potirentur; vt communicatis inuicem officijs & alteri alteros perpetuò iuuarent, & terrorem ſui vicinis inijcerent hoſtibus illa magna quiete, & ſecuritate, cùm notum omnibus eſſet, tantam eſſe illorum fratrum concordiam, vt qui aliquam ipſorum partem lædere turbareq́; tentaret, omnem in vniuerſum gentem, tam vltra quàm citra Iordanem eſſet in communem defenſionem & vltionem commoturus; neque aliquos in illis eſſe, qui otium quietemq́; ſuam aliorum ſecuritati anteponerent, ſed omnes & animo eſſe, vt alij aliorum iuuãdorum ſtudio & domos, & vxores, & liberos relinquere, & belli negotiũ deliberato animo fortiq́; manu capeſſere, & communi quieti conſulere non dubitarent, præſertim quibus Deus, & victoriæ, & quietis, & totius proſperitatis certiſsimus, et efficaciſſimus auctor eſſet. ideo enim Dei nomen toties appellatur. Orationis verò finem breui, ac ſignificatiſsimo epilogo claudit Ioſue, quo & fidem incendit, & officium commemorat, & omnem controuerſiæ atque diſcordiæ occaſionem, Reubenitis & Gaditis præcìdit; cuius illa ſententia eſt: Optimam honeſtiſsimamq́; quieſcendi opportunitatem Reubenitis & Gaditis fore ait Ioſue, poſtquam victis & profligatis hoſtibus fratres alij vltra Iordanem quieti manſerint, ita vt alteri alteris auxilio; & præſidio eſſe poſsint; nouem videlicet tribus cum dimidia. quæ ad occaſum ſolis conſidebũt, ſecuritatẽ ijs tuebuntur, qui ad ortum erunt: rurſus ij, qui Galaad regionem tenebunt

ortum verſus, ĳs munimen erunt, qui ad occaſum habitabunt: Iordanis verò fluuĳ commoditatibus, & ad belli, & ad pacis negotia vtraq; pars communiter fruetur. itaque nihil erit, quod illis quietem interrumpat, aut turbet locorum natura coniunctis, & mutuo officio ſibi inuicem adfuturis; neque vllis inter ipſos querelis, vel diſsidĳs locus erit, dum vtrique ſuas partes ex diuini conſilĳ decreto adſcriptas legitimè obtineant: nam ſi illi vltra Iordanem habitabunt, id Dei dono acceptum referent, quod Moſis famuli Domini authentica declaratione tuebuntur. ſicut etiam aliæ tribus, quas poſſeſsiones vltra Iordanem occaſum verſus habebunt ex eiuſdem dono Dei, cuius ope & auxilio, cuiuſq; iuſſu regiones illæ expugnatæ occupabuntur, atq. alteri alteris teſtimonio erunt poſſeſsionis legitimè initæ. Nam dum hi trans Iordanem in ſuas domos reuerſi Chananæam regionem alĳs relinquunt ſponte, illam iure ab ipſis obtineri fatentur; eadem etiam opera ſuum ius in Galaaditide regione poßidenda fratribus non repugnantibus neque obſtantibus confirmant: demum partitione illa publica locorũ quæ Iordanis fluuius interſecat, & occupatione vtriuſq; partis ab alteris alteriſq; eodẽ tempore celeberrimus, & concordibus frequentĳs adita, omnem anſam illis omnibus præcîdet litium, & controuerſiarum de ſedium & rerum repetitione; cùm conſtet, eodem tempore victoria communiter parta vtriq. videntibus & conſentientibus alteros vltra Iordanem ad occaſum conſediſſe, alteros vero eodem Iordane tranſmiſſo armatos fortes, validaq; manu, tamen lætos, concordes & ſorte contentos propria in regionem ſuam, ortum verſus redĳſſe. itaque perpetuæ quietis ac ſecuritatis commoditatem ſibi inuicem creabunt, nullis externis hoſtibus, nullis inteſtinis diſsidĳs poſthac metuendis.

Et ſic reuertemini in terram poſſeſſionis veſtræ, & habitabitis in ea, quam vobis dedit Moſes famulus Domini trans Iordanem contra Solis ortum.

ET SIC *coniunctio Et in ſacro ſermone illationis vim habet, vt; Et erit tanquam lignum quod plãtatum eſt ſecus decurſus aquarum; namque hoc officium ab Hebraica litera accipit Vau, cui Harabum, Phe, aptè reſpondent: neque aliena ab hoc genere exempla apud Latinos auctores inuenire eſt: vt, Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis. Vox etiam ſic confirmationem & approbationem adfert,* Aeneid. 6.

namq;

namque Hebraicum Chen, originem ducit à verbo rectitudinem, & certitudinem ſignificante. Eſt igitur harum duarum vocularum, & ſic, huiuſmodi explicatio. Hoc itaque pacto rectè, & legitimè, & honeſtè reuertemini in terram poſſeſsionis veſtræ; namque ſtipulationis conditione præſtita veſtram vobis iure optimo poſſeſsionem firmabitis, & continuabitis, habitantes in ea, eodem nomine quo vobis donata eſt Moſe auctore, cuius acta Deus probauit, eritq́; rata atque firma donatio illa, & ceſsio ſuo auctore, ſuiſq́; certis & notis limitibus conſtans.

Hactenus primorum Ioſue imperiorum exempla conſpecta ſunt, partim ad populũ, partim ad Reubenitas & Gaditas denuntiatorum: ſed in omni recenti Imperatoris, Ducis, aut Regis, vel cæterorũ magiſtratuũ creatione, duo, quibus illa poteſtas cõfirmetur, et confirmata exerceatur, conuenire oportet: quorum alterum auctoritas eſt eius à quo magiſtratus ille creatur: alterum verò obedientia, obſequium, atque conſenſus eorum apud quos munus illud eſt exercendum. Poteſtatis autem optimus, & primus, atque ſupremus Princeps, ſuaq́; virtute ac natura compos Deus eſt, à quo quicunque declaratur miniſter, legitimus, atque ſacratus iure habetur optimo. Omnis enim poteſtas (quæ verè ſic dicitur) à Deo eſt, quamobrem illam manifeſtam ſacroſanctamq́; eſſe oportet, quæ Deo declarante & cõteſtante traditur. declaratio verò diuina, vel verbis tantùm, vel ſignis, vel quod ſæpe fit, verbis & ſignis expeditur, vt ex Moſis, Samuelis, Gedeonis, aliorumq́; exemplis cognouimus. Neque verò huius loci eſt, de hæreditaria poteſtate, aut de ea quæ publica electione conſtat, quæ & ipſa modo legitimæ ſint, à Deo ſunt, diſſerere; ſed de ea nunc agimus, quam Deus certis argumentis à ſe profectam probat, populoq́; ad obſequium proponit; quod obſequium niſi rectè & fideliter præſtetur, & auctoritatis diuinæ reuerentia violatur, & gerendæ rei ratio, & euentus non exigua offenſione afficiuntur; ex qua ratione illud ab
Ioan. 1. *Euangeliſta de Chriſti aduentu, Euangelij efficientia adnotatum eſt:*
» *In propria venit, & ſui eum non receperunt: quotquot autem recepe-*
» *runt eum, dedit eis poteſtatem &c. Igitur Ioſue duci per Deum declarato ſupererat ipſe populi conſenſus vel dicto, & profeſsione, vel obſequio, vel vtraq́; parte conſtans: hoc autem officium totius populi nomine & vice, Reubenitæ, & Gaditæ, dimidiaq́; tribus Manaſſe*

præſti-

præſtiterunt, aliis neque intercedentibus, neque obſtrepentibus, neq. inuitis, atque adeò mandata pro ſua parte facientibus. Atq. obſequij exigendi periculum in his potius, quàm in cæteris factum eſt. Nam cæteris quibus nihil adhuc agrorum & rerum in terra erat, id imperabatur quod ad expeditionem faciendam opportunum iudicabatur, propoſita ſpe obtinendi loca, in quibus cõquieſcerent. Quod ſi nõ crederent, neque Ioſue monenti, & iubenti obtemperare vellent, nulla illis commoda reliqua erat conditio: neque enim in ſolitudinem rurſus reuerti conſultum erat, in qua nihil ad humani victus vſum inueniri poterat; ſiquidem manna illud quo hactenus fuerant aliti, non loci vel cæli natura, ſed ſingulari Dei prouidentia ſuppeditatum fuerat: id autem iam propediem ex diuino conſilio defecturum ſignificauerat Ioſue, cùm commeatus parandi curam illis impoſuiſſet. Quod ſi præter Dei mandatum ſolitudines repetere tentarent, manifeſtum erat, illos à ſingulari illa prouidentia deſerendos, vt fidei violatores, iuſſorumq; diuinorum contemptores, cuius periculi exemplum iam antea experti fuerant ſuo non leui malo, cùm præter Dei voluntatem conſilium illud temerarium diffidentiæ iam nimis ſerò corrigere tenderent: id quod à Moſe illis eſt commemoratum: Et reſpondiſtis mihi, Peccauimus Domino, aſcendemus, & pugnabimus ſicut præcepit nobis Dominus Deus noſter. Cumq; inſtructi armis pergeretis in montem, ait mihi Dominus: Dic ad eos, Nolite aſcendere, neque pugnetis; non enim ſum vobiſcum; ne cadatis coram inimicis veſtris. Locutus ſum, & non audiuiſtis; ſed aduerſantes imperio Domini, & tumentes ſuperbia aſcendiſtis in montem. itaq. egreſſus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obuiam veniens, perſecutus eſt vos, ſicut ſolent apes perſequi, & cecidit de Seir vſque Horma. Cumq; reuerſi ploraretis coram Domino, non audiuit vos, nec voci veſtræ voluit acquieſcere. Sediſtis ergo in Cades Barne multo tempore. Hoc inſignibi documento & exemplo monitos cæteros Iſraelitas, & fidem ſuam firmare, & Ioſue iuſſis vtpote cõmodiſſimis parêre expediebat, quippe quibus nulla in terris cõſtabat alia ratio ſibi rebusq; ſuis conſulendi. Itaque illis iuſſa negligere, neque integrum neq. vlla ex parte expediens erat. At vero Gaditis, & cæteris quibus iam certæ vltra Iordanem obtentæ & occupatæ conſtabãt ſedes, & paſcua loca terræque ad vitæ commoditatem opportuna minimè deſiderabatur,

Deut. 1.

maior deliberandi occaſio ſupererat, an ex re ſua eſſet vxoribus liberiſq́; relictis Iordanem tranſmittere, & alienarum rerum cauſa bellorum incommoda, & pericula adire; an tutius, & cõmodius domos, vrbes, reſq́; proprias tueri, aliiſq́; belli curam relinquere; vt humanum ingenium à labore ad otium procliue, & alienorum negotiorum negligentiſſimum, propriorum ſtudioſiſſimum eſſe plerumque ſolet. Poterant igitur illi cauſas inuenire, & prætexere, ſiue in ſpeciem honeſtas, ſiue ineptas, quibus ab illo labore ſe ſubducerent, vel quòd tempora illa alias difficultates peperiſſent, aliquidq́; noui exortum eſſet, exoriríue poſſet, quod obligationis olim celebratæ vim imminueret; vel quòd minimè tutum eſſet, vxores & liberos cum reliquo imbelli vulgo relinquere, & deſerere, tot à tergo relictis hoſtibus finitimis, tutiusq́; multo eſſet ipſos manere citra Iordanem, atque ſua tutantes fratribus etiam ſecuritatem à tergo parare, & conſtituere, maximè cùm non dubium eſſet, quin Deus qui Cananæam regionem fratribus fuerat pollicitus, etiam citra ipſorum operam eſſet traditurus. multa alia his ſimilia, quæ ab humana ſapientia excogitari ſolent, in huiuſmodi aliiſq́; hominum conſiliis capiendis aut reiiciendis cominiſci iſti poterãt laborem illum detrectare ſtudentes. Quod ſi Ioſue detrectantib. minas intentaret, fore vt vel ipſi Galaaditide regione à fratribus pellerẽtur, aut ſaltem non ſoli, ſed vnà cum fratribus fruerentur, in magnas anguſtias redacti propter populi frequẽtiam ampliſſimi: in promptu erat vel impudens & aperta reſponſio, ſe ſua iã ſibi obtenta & poſſeſſa omnibus artibus, & viribus aduerſus fratres etiam defenſuros, vt ſemper poſſidentis beatior conditio eſt; vel aliqua alia, ſiue æqua, ſiue iniqua excuſatio, ac depulſio, exceptióue: cuius generis commenta etiã in honeſtiſſimis cauſis multa ab hominibus olim excogitata ex hiſtoriarum monumentis obſeruauimus, & ipſi non pauca noſtra ætate cognouimus: Itaque Ioſue imperantis primum periculum in graui cauſa apud duas illas tribus cum dimidia opulẽtam & conditione ſuperiorem gentem factum eſt: quod tamẽ diuino conſilio ex animi ſententia ſucceſſit. Namq. boni & pij viri, nulla prorſus commodorum ſuorum, nulla rerum difficultatis cogitatione detenti ſunt, quominus non ſolùm officium à ſe promiſſum præſtarent, ſed integrum Ioſue imperium ſuo atque aliorum nomine, conſenſu, acclamatione, & publico præconio ſuſciperent; atque ita audientibus,

Regu. Iur.

conſen-

conſentientibusq́ cæteris venerati exequerentur, & legitima obedientiæ profeſſione admitterent; atque hoc pacto vtroque nomine, Dei videlicet electoris, & populi ſuſceptoris certum ſtatum conſtitutumq́ probarent.

Reſponderuntq́; Ioſue & dixerunt, Omnia quæ præcepiſti nobis faciemus, & quocunque miſeris ibimus.

DE *varia & multiplici ratione imperij & magiſtratus ineundi aliàs, Deo ſuggerente, diſſeremus: nunc verò ad ſuſceptam nobis expoſitionem ſatis fuerit admonere, Ioſue à Deo electum Imperatorémque declaratum à populo etiam ſuſcipi oportuiſſe; quippe legitimus omnis magiſtratus, auctoritate, & conſenſu cõſtat. Auctoritas diuina iam oſtenſa eſt in hoc Ioſue imperio; conſenſus nunc præſtatur ab iis, quorum cauſa potentior eſſe videbatur. Conſideranda verò eſt vtriuſq. partis modeſtia, & ciuilitas, & contentio illa admirabilis officiorum vtrinque profectorum. Ioſue in illa ſapientiæ plena oratione nullum de ſuo imperio verbum fecit, nullas ſuas partes cõmendauit, nullum obſequiũ ſibi exhiberi poſtulauit; tantũ ea perſuadere ſtuduit Reubenitis & Gaditis, quæ ex ipſorummet re, vtilitateq́ erant, & quæ ad ipſorum fidem Moſi & fratribus datam liberandam faciebant, quæq́ honeſtum ipſis nomen & facere, & confirmare poterant. Hanc modeſtiam illi admirati promptiſſimo officio exceperunt agnitionis & approbationis imperij Ioſue in ſe primum, atque profeſſionis obſequij pleniſſimi, & confirmationis etiam publicæ obedientiæ. namque illa cauſa, quam Ioſue perorauerat, vt ipſis certa conſtãtiq́ admiſſa, ad aliam, quam minimè poſtulati tamen peragendã eſſe cenſuerant, traducti ſunt. neque enim dixerunt, Stipulationis iſtius quam commemoras non immemores fidem noſtram quam exigis præſtando officio exoluemus; ſed perinde ac ſi hac monitione & poſtulatione minime opus eſſet, quam ipſi vltro præſtituri erant etiamnon rogati; illud profeſſi reſponderunt, ſe non ad id tantum quod debebãt audiendum promptos paratosq́ eſſe, ſed ad illius imperiũ publicè priuatéq́ ſuſcipiendum, colendum, atque pro virili defendẽdum eſſe paratiſſimos; neque vllis limitibus velle metiri, aut definire illius in ſe imperium, ſed ipſius arbitrio & conſilio publicam omnium & priuatam ſingulorum rationem, auctoritatemq́ permittere. Monebat ille, & hortabatur eos, vt officij faciendi cauſa fratres præirent armati,*

inq́; Cananæorum terram tranſirent, vnum tantum negotium, certi loci atque temporis ſpatio definito ſuadebat. Reſpondent autem illi, ſe non illud tantummodo negotium quod debebãt, ſed omnia quæ ab illo iuberentur, libenter ſubituros, & facturos nomine obedientiæ & obſequij Principum auctoritati debiti. neque ſuam obedientiam intra illos Cananæorum fines eſſe concludendam, ſed ad omnia loca legitimo cultu perferendam, quæcunque ſub ſole eſſent : hæc illarum vniuerſalium profeſſionum ſentẽtia eſt, Omnia quæ præcepiſti nobis. Tu nobis officium noſtrum commemorabas, nullo præcepti verbo vſus; nos verò tuum dictum omne præteritum & quidquid poſthac dixeris præcepti nomine obſeruandum ſuſcepimus, atque in vltimas regiones, ſi ita iuſſeris, ibimus. Animaduertendum autem eſt, illo verbo, præcepiſti, contineri imperij in ſe confeſſionem & conſenſum, & obligari non ſolùm præteritas actiones, ſed futuras omnes quo ad illius imperij ratio auctoritasq́; conſtabit. Id quod ab his tribubus proprio, atque cæterarum nomine paulo inferius declaratur, & amplificatur profeſſis par obſequium eodemq́; nomine præſtandum, quo Moſi diuinitus confirmato miniſtro præſtitum fuit. cuius etiam vita functi ſtipulatio ab his agnoſcitur. Sicut obediuimus in cunctis Moſi, ita obediemus & tibi. *Hac ſimilitudine, abſoluta confeſſio pleniſſimè in terris ac poteſtatis Moſaicæ omnino æqualis, quo ad eas partes attinet quas Ioſue ſuſtinebat, concluditur. Hebraica ita ſonant verba, vt omnia quibus audiuimus Moſem,* ita rectè audiemus te. *quibus vocibus non tantùm iuſſis, ſed conſiliis, omniq́; Ioſue dicto obtẽperaturos ſeſe profitentur. eadem ſentẽtia qua Latino ſermone, dicto parêre, dicimus. Modo, inquiũt, conſtet nobis à te dictũ, nihil omnino excipietur, quod non probetur & faceſſatur. Itaque Imperatoris atq. dictatoris ius tibi concedimus, officioq́; omni nobis cultum iri pollicemur. Sed quoniam poteſtatem omnem quamuis maximam, & ampliſſimam, ab hominibusq́; ſuſceptam conſilij, iudicij, voluntatisq́; Dei rationibus, legibus, & modis temperari oportet: Magiſtratus partes fuerint, munus, officiumq́; ſuum non ex libidine, & potentiæ oſtentatione, ſed ex religione, pietate, & charitate exequi; Populi vero, magiſtratui hoc ipſum curandũ cõmendare, & ſeſe obſequij cauſa promptiſſimum paratiſſimumq́; præbere. Hanc adeo pulcherrimam, pióq. Principe dignam conditionem tribus hæ Ioſue in memoriã reuocant.*

Tantum

Tantùm ſit Dominus Deus tuus tecum ſicut fuit cum Moſe.

Cvm *Moſe fuit Dominus Deus declarator, adiutor, præſidium,
aſſertor, promotor, ac vindex, quamdiu Moſes diuinis eſſatis ac iuſ-
ſis patrem parentemq́ ſe præbuit, hoc eſt toto vitæ tempore, ſic erit &
tecum quamdiu ipſum tu Deum tuum, hoc eſt gubernatorem Domi-
num, præceptorē, legiſlatoremq́ ſuſpexeris, & colueris; id quod idem* Supra.
*ipſe tibi declarauit: Ecce præcipio tibi, cōfortare, & eſto robuſtus: noli
metuere, & noli timere, quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus in
omnibus ad quæcunque perrexeris. Igitur omni ſtudio, & officio, cu-
rabis, & ages hoc, vt Dominus Deus tuus tecum ſit perpetuo, ſicut
fuit cum Moſe, qui vltimum vitæ diem, famuli Dei titulo in æter-
num confirmato, clauſit.*

In omni vero poteſtate rectè conſtituta, tria cum primis exiguntur; ea autem ſunt: Leges, quibus poteſtas ipſa gubernanda eſt; quibus eadem aptè recteq́ ſancitur: & Populi obedientia non ſolùm ad obtemperandum prompta, ſed ad eos etiam compeſcendos & vlciſcendos, qui ſanctum publicæ obedientiæ ius imperiis detrectandis violauerint. Tertium demū eſt ipſa principis, Imperatoris, magiſtratuſq́ grauitas, dignitas & ſedulitas ad munus ſuum obeundum, & ſuſtinendum, atque adeò ad populum, pro temporum, rerum, legum, atque negotiorum ratione exercendum. Siquidem agendarum ratio rerum ex diuina lege petita principem ipſum virum ſpectat; quem etiā animi conſtantiam adhibere oportet ad ea iubenda & mandanda quæ opportuna pro tempore viſa fuerint. Vis autem à Principe nemini eſt inferenda: ſed iis qui iuſtis legibus, & principum iuſſis atq. decretis, vel cōtemptione, vel neglectione, vel alia violatione derogarint, legitima vltio per Magiſtratus, magiſtratuumq́ miniſtros, qui populi obſequentis vicem obtinent; vel ſi his non ſatis ad eam rem viriū fuerit, per totū populum piū & obſequentē, publicæq́ tranquillitatis ſtudioſum eſt adferenda. Primam autem harum rerū vbi tribus illæ Ioſue commemorarant, duas etiam reliquas adiunxere, proprias partes ſibi ipſis ſuſtinendas pollicitæ, & ſuas etiam Ioſue Principi commendarunt. Populi autem imperium ſuſcipientis atque defendere profeſſi illæ partes ſunt.

Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis ſermonibus quos præceperis ei, moriatur.

Hæc *populi legum, & principum maieſtatem, auctoritatémque*

 publica

publica cauſa obſeruandam, colendam, & propugnandam ſuſcipientis, viua imago eſt. Atque duobus præcipuè modis, principum auctoritas, & imperium violari à populo priuatíſue hominibus poteſt; aut enim manifeſtè detrectando obſequióue negando obſiſtitur. vt ſi quis contra Principum edicta aliquid vel faciat, vel faciendum aliqua ratione ſuadeat; aut etiam non expectato Principis ſiue præfecti imperio aliquid publicè agat priuata vel temeritate, vel audacia. Ad hanc verò partem pertinet, decretorum ac iuſſorum contemptio, vel etiam neglectio. Neq. verò is culpa vacare poteſt, quiſquis magiſtratus iuſſa quæ audire oportuerat, nō audierit; maxime cùm per ipſum ſtetit, quominus audierit vel cognouerit. Id quod vulgo dici ſolet, ignorantiam iuris non excuſare. Quippe in his quæ manifeſtiſſimè nota non ſunt, quippiam aggredi, vel inchoare, vel obire non conſulta lege, vel voluntate eius qui dictare docereq́ poſſit, perſæpe flagitioſum, nunquam verò minus quàm temerarium eſt. S. S. E. Non facies quod bonum videtur in oculis tuis. Igitur populi totius & ſingulorum etiam officium eſt in gerendarum rerum opportunitate, omnem ſuperiorum miniſtrorum auctoritatem ſpectare & ſequi. S. S. E. Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo; quæ autē ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. quod Apoſtolus dicit, poteſtati reſiſtere, hoc loco apud Ioſue legimus contradicere ori, ſiue, vt Hebraica figura ſonat, os amaritudine afficere: Hiſpanicè deſguſtar, ſiue dar deſguſto. Vtrumq. igitur modum quo imperij auctoritas violari imminuiq́ poteſt, tribus illæ hoc loco cauerunt, qui contradixerit ori tuo: *qui contrà quàm tu iuſſeris, vel dixerit, vel fecerit, vel attentarit, quocunque modo is amaritudine tuum os affecerit, nec minus etiam qui non obedierit cunctis ſermonib. quos præceperis ei, ſiue hoc admittatur neglectione, ſiue contemptione, ſiue ſiniſtra interpretatione, moriatur, ſine vlla exceptione. Huius explicationis ratio ex ipſa primæua lingua, atque adeò ex re ipſa peti poteſt. Hebraicè enim ita legimus:* omnis vir qui amaritudine affecerit os tuū, & non audierit verba tua omnibus quæ iuſſeris nobis, moriatur: *atque hac oratione culpa omnis damnatur, quæ vel commiſſione, vel omiſſione (vt vulgo dicere ſolemus.) Quod verò aiunt; Omnis vir, ex linguæ illius germana ratione nullum excipiunt, neque publicum, neq. priuatum, neque multitudine & numero ſeſe defendentem. namque*

vox

Rom. 13.

vox CHOL *vniuerſalem ſignificationem tam pluralem quàm ſingularem obtinet. nomen verò* IS, *pro quo fere ſemper* VIR *reddimus, diſtributiui pronominis vim habet; non enim tantum ſignificat virum iam iudicio arbitrioq́ue valentem, ſed idem etiam quod quicunq. ſiue, quiſquis, apud Latinos. itaque æqualis ponderis hæc ſunt apud Hebræos* omnis vir, *cum illis, omnis in vniuerſum vir, quicunq. ille fuerit, ſiue ſummus, ſiue infimus, quocunque nomine, quauis conditione, quouis prætextu.* non audierit verba tua. *quocunque modo non audierit, in culpa eſto. neque verò vllam materiem earum quæ ad Principem pertinent exceptam volunt; ideoq́ue addunt, omnibus quæ iuſſeris nobis, ſiue vt Latinè clarius legimus,* cunctis ſermonibus quos præceperis ei. *Porrò verbum, moriatur, pœnam explicat auctoritatis aſſerendæ cauſa conſtitutam: cuius inferendæ exemplum ſi per miniſtros cõmodè aliquando præſtari non potuerit, per eoſdem ipſis à quibus conſtituta eſt, vt præſtetur, eſt curandum; ideoq́ue abſolutè dicitur moriatur; ita vt pœna certa ſit, pœnæ miniſter pro temporis commoditate petatur. Hæc verba omnia, quòd ad rectè inſtitutæ reipublicæ, poteſtatiſq́ue rationem explicandam faciunt, diligentius obſeruãda exponendaq́ue cenſuimus. Igitur tria fuerunt quæ partim à principe, partim à populo expectanda indicabamus: à principe primùm legitimam auctoritatem, & huius auctoritatis conſeruationem; quæ & ab inſtitutore, & à legibus petuntur. Hæc enim exterius quodammodo accedunt; à populo obſequium ſtudioſè, promptè, alacriterq́ue exhibendum, cum admonitione officij principi facta, & commendatione, atque ſupplicatione publica ad Deum pro principis felicitate, tum in conſilijs capiendis, tum in rebus gerendis. Hæc omnia oratione illa comprahenduntur*, tantùm ſit Dominus Deus tuus tecum, ſicut fuit cum Moſe. *Poſtremùm, quæ princeps ipſe ex ſe præſtare debet, vt ſuas partes abſoluat, ea ſunt, in iuſſis & mandatis grauitas, & in muneris à ſe efficiendi exemplo ſedulitas. Nam ſi maximè legitimus princeps contingat, qui, & quid à ſe iubendum ſit probè norit, tamẽ cùm ipſe ſeſe, vel ruſticum & inhumanum, vel timido, abiectoq́ue animo exhibuerit, plerumq́ue à populo miniſtriſq́ue ſuis deſpici, & negligi, ab hoſtibus etiam contemni ſolet. iam verò ſi grauiter quidem ſatis alijs imperet, verùm ipſe tamen ſuas ipſius actiones ſegniter, negligentérue tractet, omniumq́ue poſtremum ſeſe*

præbeat

præbeat, negligentiæ propriæ exemplo, & res & populum corrumpit. Quamobrem in officio aliis imponendo grauitatem, in proprio ſubeundo atque præſtando ſtudium, & ſedulitatem, ſuam publicè probare bonus atque pius Princeps debet: nam quod publicè exigitur, publicè exhiberi oportet. hoc igitur eſt, quod hoc loco tribus illæ ſuo, atque cæterarum nomine a Ioſue exigunt.

tu tantùm confortare, & viriliter age.

VERBVM *Confortare, ad animi & morum, atque conſiliorum grauitatem; Viriliter agere, ad proprij muneris ſedulitatem, alacritatemq́; in agendo refertur. namq; vti diximus, his partibus prædito principi & conſilij commoditatem diuina Lex, & actionis dexteritatem cum felici ſucceſſu Deus ipſe proſpiciet.*

CAPVT SECVNDVM.

MIſit igitur Ioſue filius Nun de Setim duos exploratores in abſcondito.

IMPERIO *iam conſtituto, atque omnibus ad expeditionē paratis, rei deinceps geſtæ ratio à principio narratur; ipſoq́; narrationis initio Ioſue prudentia, dexteritaſq́; indicatur. Quippe ille ſuo tantùm conſilio, nullis admotis arbitris, rationem excogitauit, quemadmodum populus vltra fidem promiſſo diuino adhibitā, certis etiam argumentis & periculis in ſpe obtinendæ regionis confirmaretur, cognito regionis ipſius rerum atque hominum ſtatu. Nam quæ auxilia, quas commoditates, quæ præſidia ipſi haberent, edocti iam erant Iſraelitæ, rempe Dei promiſſa antiqua totties confirmata, nunc etiam recentia monita atque hortamenta, temporis conſtituti opportunitatem, Imperatoris optimi auctoritatem, & præſtantiam, ipſorum omnium concordiam, animiq́; promptitudinem, & fratrum, hoc eſt duarum tribuum cum dimidia, ſingularem alacritatem, ita vt rem iam iam aggreſſuris nihil ipſorum ex parte deeſſet. Reliquum verò erat, hoſtium quos inuadere & expugnare parabant, vires animoſq́; cognoſcere; vtrumq́; enim ad prudentis Principis curam attinet, quantum videlicet ipſe conari & inſiſtere, quantum reſiſtere hoſtis valeat. Hoc vero prudentiſſimè a Ioſue curatum fuiſſe ſacra hiſtoria indicat: quippe ille ad hanc rem delectos homines triduo.*

ante

antè miſit, quàm Reubenitas & Gaditas alloqueretur, atq. adeò quam ipſe Imperator diuino illo alloquio confirmaretur. Nam quamquam Moſis ſucceſſor viuo Moſe fuerat declaratus, nunquam tamen vel miniſtri Moſis, vel Ioſue filij Nun, hoc eſt priuati adhuc viri titulum mutauit, quoad à Deo poſt Moſis mortem compellatus fuit. At verò dum huiuſmodi conditionem adhuc teneret, in ipſo Moſis luctu de populi ſalute, incolumitate & felicitate cogitabat, Dei promiſſa animo voluebat, quæ propediem obtentum iri credebat, & cùm ſe à Deo electum noſset, quamquam vltro ipſe auctoritatem illam ſibi non aſſerendam putabat, ſed diuinitus confirmandam ſperabat, tamen ea quæ commoda opportunaq́. videbantur, ad illam breui futuram expeditionem prudenter adornabat. Inprimis verò exploratores mittendos cenſuit, quorum iudicio in adeunda occupandaq́. regione vteretur. Miſit autem illos, antequam publicè declaratus, atq. ſuſceptus eſſet imperator, dū nomen ſuum priuatum adhuc tueretur, ideoq́. hoc loco appellatur Ioſue filius Nun. Namque ex ſacri ſermonis obſeruationibus illa vna eſt, vt cùm quiſpiam vel proprio nomine, vel patris cognomento appellatur, niſi quid præterea exprimatur, priuati hominis locum citra vllam publicam dignitatem tenere intelligatur, vt ex illo Nabalis reſponſo apparet: Quis eſt Dauid? et quis eſt filius Iſai? & ex illo etiam: Nonne hic eſt faber, & fabri filius? nōne mater eius dicitur Maria? Atq. hanc rationē rectè hiſtoria hæc obſeruauit, Ioſue appellato filio Nun, ante illius diuinæ allocutionis initiū. Et factum eſt poſt mortem Moſis ſerui Domini, vt loqueretur Dominus ad Ioſue filium Nun miniſtrum Moſis. & hoc etiam loco legimus, Miſit igitur Ioſue filius Nun. *Hoc eſt dum adhuc filius Nun cognominaretur, neque ſuo nomine, magis quā paterno cognomine clarus eſſet. Poſtquam verò iam Imperator publicè declaratus, atque ſuſceptus & ſalutatus fuit, illa communi atque celebri oratione, Sit Dominus Deus tuus tecum, ſicut fuit cum Moſe, ita clarus celebriſq́. propria dignitate perpetuò deinceps Ioſue appellatur, nulla patris mentione facta, vſque ad hæreditatis ſortem, & obitus ipſius narrationem: tunc enim & patrem indicari oportuit: vt cùm ad eum locum Deo duce deuentum fuerit, exponemus. Plures verò rationes indicari nobis poſſunt quamobrem Ioſue exploratores hos tempeſtiuius mittendos duxerit: ex quibus illæ ſunt, vt cùm populus illos miſ-*

1.Reg.25.

Supr.1.

ſos reſciret, minimè exiſtimare poſſet illos à Ioſue dubitante vel metuente miſſos, imò potius à credente & ſperante promiſſorum Dei ſecundum & certum ſucceſſum, & illum iam animo meditante atq. ſtudiis & conſiliis opportunis adornante. Nam ſi miſsi fuiſſent, poſt declaratum Ioſue & confirmatum, atque publicè exceptum ducem ſummum, varius & plerumque ſuſpicioſus populus facilè putaret miſſos cauſa cognoſcendi hoſtium vires, & expectandi reſponſi quod deliberato & conſtanti atque fidenti animo factum eſſe, non ita planè vulgus hominum, vel crederet, vel affirmaret: Cùm verò conſtet illos adhuc à priuato viro, atque de populi rebus cogitante miſſos, ea res magnæ & conſtantis in Deum fidei, & ardentiſsimi erga publicam rem ſtudij, & deliberati firmiq. conſilij opinionem apud populum Ioſue conciliabat & confirmabat, beneuolentiamq. omnium erga virum excitabat, et ſpem etiam faciebat optimi ſucceſſus duce adeò ſtrenuo, prudente, atque diligente. Expectandum præterea illud Dei atq. Moſis interpretis iudicium commemorabat, quo in Ioſue ſpiritū eſſe comprobatum fuerat. Quòd verò illi à Ioſue nōdum publicè conſtituto & ſalutato duce miſsi fuerint exploratores, apertè conſtat, ex eo quòd is dies, quo declaratus Ioſue dictare cœpit, tertius fuit ante Iordanis tranſitum; namq. illo primo edicto apertè affirmatū eſt, Iordanem fluuium poſt tertium diem eſſe tranſmittendum: ſic enim Hebraicè illum legimus locum: Quoniam in adhuc tribus diebus tranſibitis, &c. Atque exploratores Ierichuntinenſium inſidiis erepti, Rahab conſiliū ſecuti, tribus diebus in monte latuerunt, & poſt tertium diem aut ipſo tertio Iordanem traiecerunt, traiectoq. Iordane ad Ioſue peruenerunt citra Iordanem cum omni populo commorantem, qui tres dies ſecundū Iordanem conſedit. Haſitim verò qui locus nō longè à Moabitarum agro iacet, ad Iordanem, & à Iordane ad Ierichunta vrbem ſpatij plus eſt, quàm quod vna die ab exploratoribus confici poſſet, qui & ipſi in vrbe vt minimum ſeſqui die ſunt commorati, vt ex narratione cōſtabit. Vt verò deſcenderēt de monte, atq. Iordane tranſmiſſo, ad Ioſue redirent, vna die etiam opus fuit vel dimidia: itaque exiſtimamus illos à Ioſue filio Nun ad minimū ſexto vel quinto die, antequam populus omnis traiceret, fuiſſe miſſos, & interea Ioſue edictum de commeatu parādo publicatum, & Reubenitas de faciendo officio fuiſſe compellatos: certamq. ſpem fuiſſe, Ioſue exploratores intra triduum ab hac præparatione eſſe redituros: Vt

Sup.cap.1.

autem illi intra triduum redirent, Dei prouidentia eueniſſe, vt viri illius fidei reſponderet euentus; atque ita poſt triduum (vt inferius legemus) populus fluuium prætergreſſus eſt. Hanc verò de exploratorum negotio narrationem, hoc loco interſeri oportuit, vtpote multa continentem; diuinæ prouidentiæ, primùm; deinde etiam ſapientiæ Ioſue argumenta, cum exemplo illuſtri fidei Rahhab. quæ omnia nobis narrationis verba obſeruantibus oſtendentur. Principio autẽ docemur conſilium hoc à Ioſue ſingulariter profectum, neque conſulto, neque rogato populo, neque etiam homine alio: ideò enim dictum eſt, Ioſue filius Nun: qui quandiu publicè ſuſceptus, & imperator ſalutatus non erat, noluit ſibi id publicè arrogare, propter ſuam illã ſummam modeſtiam, atque etiam ad aliquorum inuidiam, & populi inconſtans iudicium vitandum: namque populi pars aliqua exiſtimaret illum metu quodam motũ, vt iam ſuperius exponebamus; pars etiam de numero & conditione eorum qui mittendi erant, deliberandum eſſe cenſeret, nonnulli hos, alij illos mitti vellent: denique non ea libertas & integritas, quam res exigebat, ſeruaretur; ij demum qui mittendi eſſent, aliis & aliis modis animarentur, vel turbarentur à populo variæ inconſtantisq́; mentis: reuerſi verò, & vulgi importunitate excepti & interrogati, vel taciturnitate grauiſſimã ſuſpicionẽ, vel expoſitione & narratione variam interpretationẽ moliri poterant. Igitur conſultiſſimum viſum fuit Ioſue, huiuſmodi rem clam & ſecretò curare, cuius neque ſecundum, neque aduerſum euentum à populo cognoſci expediebat. Vt verò ratio hæc apertior fiat; exemplum hoc cum illo quod Moſis tempore editum eſt, collatum, commodè eſt examinandum. Atque ex duobus locis quibus illud prius refertur, breuior ſic habet: Et acceſſiſtis ad me omnes, atque dixiſtis, Mittamus vires qui conſiderent terram, & renuntient per quod iter debeamus Deut. 1.
aſcendere, & ad quas pergere ciuitates. Cumq́; mihi ſermo placuiſ- "
ſet, miſi è vobis duodecim viros, ſingulos de tribubus ſuis. Qui cùm "
perrexiſſent & aſcendiſſent in montana, venerunt vſque ad Vallem "
botri; & conſiderata terra, ſumentes de fructibus eius, vt oſtenderẽt "
ubertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt, Bona eſt terra, quam "
Dominus Deus noſter daturus eſt nobis. Et noluiſtis aſcendere, ſed "
increduli ad ſermonẽ Domini Dei noſtri murmuraſtis in tabernacu- "
lis veſtris, atque dixiſtis, Odit nos Dominus, & iccirco eduxit nos de "

„ terra Aegypti, vt traderet nos in manu Amorrhæi atque deleret.
„ Quò aſcendemus? nuntij terruerunt cor noſtrum dicentes, Maxima
„ multitudo eſt & nobis ſtatura procerior, vrbes magnæ & ad cælum
„ vſque munitæ: filios Enachim vidimus, &c.

Itaque tunc poſtulante populo duodecim viri miſſi ſunt ſinguli à ſingulis tribubus delecti; atque vt res hominum eſſe ſolent, nihil mirandum ſi ſinguli ſuarum tribuum ſtudia, opiniones & affectus ſequerentur, ſi inter ſe poſtea diſſentirent, vt planè diſſenſiſſe res ipſa docuit; nam præter vnum Caleb ex tribu Iuda, & alterum Ioſue filium Nun ex Ephraitarum genere, cæteri omnes in varia iudicia & diſcordes abierunt ſententias; alij enim regionem ipſam valde laudarunt, alij illam incolarum deuoratricem eſſe dixerunt, hi homines vaſtiſſimos à ſe conſpectos teſtati ſunt, illi Enachim filios, monſtroſum horridumq́; genus depinxerunt; quibus nuntiis populus perterritus maiorem fama ſibi ipſi metum finxit; maximè verò, quòd ex illo duodenario collegio, maior pars meliorem, vocibus, rumoribus, & obnuntiationibus vicit. Præterea illi nuntij à populo poſtulati, à
„ Moſe vt populi duce miſſi ſunt, idq́; Deo annuente. S.S.E. Locutus
„ eſt Dominus ad Moſem dicens, Mitte viros qui conſiderent terram
„ Chanaan, quam daturus ſum filiis Iſrael, &c. Delectus horũ ab ipſis tribubus eſt factus, quorum tamen frequentia, & infidelitatem, & metum populo molita eſt ſiniſtris illis rumoribus ſpargendis. ita qui populum iuuare debuerant, in fraudem coniecerunt. Quo exemplo edoctus prudentiſſimus Ioſue, nec populariter, nec publicè, hoc ſibi curãdum eſt arbitratus, ſed aliam rationem iniit, magis opportunam atque certam, nihilq́; periculi aut incommodi populo allaturam, omnibus partibus, numero, conditione, argumẽto, mandatis, loco & tempore ab illa altera diuerſam. Namque duos tantùm delegit, quæ copia & ſibi mutuo auxilio eſſet, & proditioni atque detectioni minus obnoxia: ſiquidem quouis loco abſcondi, occultari, laterèq́; duo poſſunt, commodiùs quàm tres, aut plures, meliusq́; ſuas diſſimulare perſonas, aliasq́; ſimulare ſciunt. Deinde ad obſeruandas variè res atque notandas ſatis eſſe poſſunt, opinione ac ſententia melius concordant: quòd ſi alter depræhendatur, cauere alter ſibiq́; vni conſulere faciliùs, quàm turbæ valebit, & euaſus difficiliùs reperietur, præcipuè in aliqua vrbis aut populi frequẽtia. Ad teſtimoniũ etiam fidemq́; faciendum,

dum, duo ſatis eſſe ſolent; ad indicandum, & ſignificandum vnus. Itaque huiuſmodi in rebus officium duo facere poſſunt, prodeſſeq́; valdè: quòd ſi peruertantur, nocere minimum poſſunt, maximè cùm mittantur priuatè, & non publicè: nam ſi bonum referant nuntium, auctore eo à quo miſſi ſunt, indicare publicareq́; poſſunt, vbi id opus fuerit; ſin verò aliter affecti redeant, & celari, & ad arcanum ſeruandum cogi poſſunt; atque adeò in vniuerſum, vtilius eſt huiuſmodi miniſtrorum officia, & teſtimonia ſiue indicia celari quàm in publicum euulgari, non tantùm ab ipſiſmet, ſed ab iis etiam apud quos agunt. Hoc enim pacto, & plus his auctoritatis & fidei accedit, & maior paratur ſecuritas; cùm alij ſciant hos ita ſuas partes agere, vt nihil de illis publicè affirmari, nihil conſtãter decerni poſſit. Iam, vt opinor, apparet ratio quamobrem duo tantùm à Ioſue ſunt miſſi; ij autem non magni aliqui, & celebres viri, qui facilè in illo populo requirerentur, non ex certa aliqua, & nominatim notata tribu delecti ſunt, ſed ex illorum ordine, & numero, qui huiuſmodi miniſteriis in exercitu, atque populorum vagantium frequentia inſeruire conſueuere: quorum munus eſt cæteris anteire, viarum, vadorum, pontium, manſionum, paſcuorum, diuerſoriorum, & huiuſmodi rerum opportunitates, præcipere, notare, atque indicare. Cuius generis complures eſſe oportuit in illo tam frequenti populo, quadraginta annos per ſolitudines vagante. Nam ſi maximè nubes illa diuinæ tutelæ atque prouidentiæ miniſtra, peregrinantibus iter demonſtrabat; quia tamen per medium aëra procedebat, non ſemper locorum anfractus, & ſalebras non montium & vallium inæquales, & ſitus oſtendebat præcipuè populo ponè ſequuto; atque per trium itinerum interuallum diſtanti. Oportuit igitur aliquos eſſe, qui non adeò longè à frequentia progreſſi, locorum rationes atque vſus demonſtrarent. Ex horum igitur ordine, hos ad Ioſue aſcitos miſſóſq. fuiſſe, vocabulum Hebraicum MERAGELIM *declarat; quod nomen familiaris miniſterij, & conſueti magis, quàm eam rem ſemel experti hominis eſt, vt* MELAMEDIM *doctores,* MESSARERIM *cantores, ita &* MERAGELIM *exploratores interpretamur, quo nomine nuſquam illos qui à populo & Moſe miſſi fuere, appellari Hebraicè obſeruauimus. Quanquam enim alicubi exploratores terræ ab Interprete noſtro dicuntur, tamen id Latini ſermonis penuria factum arbitramur, qui*

vno verbo Explorare, duo Hebraica excipit RAGAL *&* THVR; *quorum poſterius priore latius multo eſt. namque Thur omnem tam locorum naturæ, ſitus, fertilitatis, aëris ac cæli, quàm hominum, incolarum, & ingeniorum complectitur notationem: vt ex illo exemplo*
Num. 13. *atque aliis cognoſcitur. Conſiderate terram qualis ſit, & populum qui*
" *habitator eſt eius, vtrum fortis ſit, an infirmus, pauci numero, an plu-*
" *res; ipſa terra bona, an mala; vrbes quales, muratæ, an abſque muris;*
" *humus pinguis, an ſterilis, nemoroſa, an abſque arboribus. Omnia hæc verbo illo Thur agenda ſignificantur. Altero autem verbo* RAGAL, *quod Latinè Gradi vertere licet, vnde pedi nomen regel factum eſt, ea tantum exploranda indicantur, quæ ad viarũ, portuum, anguſtiarum aditus, exitus, inuaſionisq́ opportunitatem faciunt: id quod Io-*
Gen. 42. *ſephi accuſatio illa aduerſum fratres ſimulata oſtendit: Explorato-*
" *res eſtis, vt videatis infirmiora terræ veniſtis. & paulo inferius:*
" *Immunita terræ conſiderare veniſtis. Huiuſmodi itaq. homines à Ioſue fuiſſe miſſos ex ipſo nomine apparet, atque etiam ex mandato illis credito; miſſos vero à viro de terræ occupatione minimè dubitante, ſed de ingreſſus opportunitate cogitante, idq́ ſecretò; quoniam id clam populo fieri, tum ad cætera omnia, tum etiam ad populi varia iudicia, atque dicta vitanda maximè expediebat. Neque verò in magno numero eorum qui huiuſmodi officio fungerentur, duo homines requiri poterant, aliàs obſcuri, quales id muneris genus exercere ſolent, & ſi maximè requirerentur: quonam diuertiſſent non facile coniectu erat: namque aliter atque aliter cuiuis exiſtimare licebat, vel retro rediſſe illos, vel ad dexteram vel ad ſiniſtram contendiſſe variorum locorum cognoſcendi, vel alias res agendi cauſa: demum commodiſsimè mittebantur à Ioſue ij quorum officio potiſsimũ opus eſſet ad eam rem quæ parabatur, hoc eſt ad inuaſionẽ regionis. namq́ illi muneris exercitatione ſui dexterius, melius, ac citius loca cognoſcere, & reuerſi indicare poterant. Atque explicationem hanc noſtram ipſum Ioſue mandatum confirmat.*

Et dixit eis: Ite & conſiderate terram, vrbemq́; Iericho.

NIHIL *de loci, aquarum, cæliq́ natura, nihil de hominum ingenio, & viribus adiunxit; terram tantùm conſiderandam, ſiue, vt Hebraicè eſt, videndam, vel inſpiciendam commendauit; nomine appellato* ERETS, *quo terram ſignificat, ea ratione qua frequentari*

eam

eam ab animantibus contingit, vocabulo affini verbo RVTS, *quod currere interpretamur: Itaque ferè conſideratio huiuſmodi ſpectat, vias, portus, flumina, montes, valles, aprica, aut aperta loca, pugnæ ſi opus fuerit committendæ, inſidys vitandis, aut etiam extruendis, inuaſioni faciendæ, recipiendo exercitui, opportunos ſitus, & quæcunque huius generis, vel ad iter, vel ad bellum faciendum prudentiſsimi imperatores curare cognoſcereq́; conſueuere opera & indicio eorũ quos Hiſpanicè Reconoſedores, vel Deſcubridores vocamus. Vrbem etiam conſiderare iubentur, qua parte impeti inuadiq́; opportuniſsimum ſit; qua oppidani effugere, qua periculum inuadentibus creare poßint; quæ loca primùm potiſsimumq́; occupari expediat. Verbo autem, Conſiderate, Ierichunta ſolùm conſiderari iubet, vtpote regionem ab ortu Iordane tranſmiſſo ingreſſuris omnium primam, & quam primam omnium, eandémq; firmiſsimum cæteris mediterraneis præſidium ab inuadentibus expugnari capiq́; oporteat; cuius occupatio cæterarum expugnationẽ faciliorem, certioremq́; reddat. Atq. hæc Ioſue mandatum duo cum primis indicat; magnam videlicet viri illius fidem atque ſpem obtinendi promiſsi diuini, & ſapiens conſilium erga ea quæ ad expeditionem huiuſmodi obſeruari, cognoſci, antecapiq́; oporteat. Plurimum enim in militari ſcientia locorum cognitio, atque vſus valet; quorum qui rectè compotes fiunt, bonam, & vtiliſsimam ad ſucceſſus omnes commoditatem ſortiuntur; ideóq; in bellorum & præliorum narrationibus, diligens locorum ſpectatur deſcriptio. Quamquã autẽ Deus vrbẽ illã miraculo edito capiendam traditurus eſſet, interim tamen dum ſingulari illud conſiliũ Dei certo reſponſo explicatum non teneret Ioſue, optimi ac prudentiſsimi ducis & bellatoris conſilium inſtituit exploratoribus mittendis, quorum opera, locorum & vrbis quam ipſe primùm captum iri crediderat, opportunitates & difficultates edoctus cognoſceret. Atq. illud conſilium Deo probatum exitus ipſe oſtendit: quippe non ſolùm regionis, vrbisq́; ſitum, quod muneris erat ſui, exploratores cognouere, ſed opportunitatẽ totius prouinciæ obtinendæ certiſsimo quodã veluti Dei reſponſo intelligentes, ad Ioſue retulere. Euenit enim, vt à fœmina quadam, quam fides imbuerat, & omnium totius regionis incolarum ſenſus, curæq́; notitia informarat, id quod minimè fortaſſe exiſtimauerant, audirent; & certiſsimum eſſe manifeſtis argumentis*

mentis & ſignis cognoſcerent, atque ita ad Ioſue plura & præſtantiora quàm obſeruare iuſsi fuerant, reportarent.

Qui pergentes ingreſsi ſunt domum mulieris meretricis nomine Rahhab, & quieuerunt apud eam.

TOTIVS *narrationis breuem ſummam verſus hic continet; quam deinde diſtinctior oratio explicat, occaſione cum primis indicata cognoſcendæ rei, pro temporum & locorum ratione opportuniſſima, nimirum ſtatus hominum totius regionis: iuſsi fuerant exploratores à Ioſue ire, & conſiderare terram & vrbem; hoc eſt, dum irent, obſeruare viarum, & locorum opportunitates, & importunitates. Cùm verò historia repetat verbum, pergentes, apertè ſignificat illos inter eundum ea quæ obſeruari opus erat obſeruaſſe, & tandem Ierichunta vrbem perueniſſe, ac diligenter conſideraſſe; dieq́ in illa re conſumpto, ad meritoriam tabernam diuertentes, operæ & itineris labore laſſos cubuiſſe. Atque tabernariæ nomen multis de cauſis appellari, ad æternamq́ memoriam ſcriptis mandari, ſapientis conſilij fuit. Exemplum enim Spiritus ſanctus imprimis conſtitui voluit eorum qui cùm ex gentibus eſſent, tamen fide & pietate Dei erga ſe miſericordiam & benignitatem conciliauerunt, atque adeò ſancti populi obtinuerunt communionem. deinde etiam vulgaria hominum iudicia inſipientiæ nomine notare, & diuinæ ſapientiæ admiranda argumenta probare. Quippe in magna, frequenti & illuſtri admodum ciuitate vna tantùm femina reperta eſt quæ veræ pietatis curam ſtudiumq́ ſubierit: eaq́ non ex primis, non ex medijs, ſed ex poſtremis plebis ordinibus, atque adeo ex eo vitæ genere, quod aliàs omnium corruptiſſimum exiſtimatur. Quis neget in illa vrbe cœli atque ſoli natura ſaluberrima, fructuum & frugum copia præſtante, ingeniorum varietate & elegantia nulli alij cedente, virorum tum aulicorum, tum aliorum copiam fuiſſe, prudentum & ſapientum, acutiq́ iudicij, ac ſenſus perſpicacis, ad eam normam examinatorum, quam hominum ſententia exactam putat? quis non intelligat magna illic & exquiſita fuiſſe conſilia, & tamen nemo ex illis, nec vir, nec femina præter vnam Rahhab, in eam cogitationem incidit, quam omnium ſapientiſſimam fore, ipſa rerũ temporumq́ natura & conditio demonſtrabat. Magnus profectò ad meditandum, & exponendum, orationeq́ perpetua amplificandum diuinæ*

nine prouidentiæ argumentum hoc vnico exemplo ſeſe nobis aperiebat campus; quem tamen conſpectum tantum relinquimus ad commentationis compendium pedem referentes. Igitur ad exempli expoſitionem certam, feminæ nomen appellari oportuit, vt intelligeremus in infimo, abiectiſſimoq́; hominum ordine, atque adeò in vitæ genere infami, neque Dei miſericordis curam deeſſe, neque eam vnquam inefficacem inueniri; imo ſæpe vſu venire, vt fidei, pœnitentiæ, omniſq́; pietatis ſtudium ab alijs ſuſcipiatur, qui apertum & manifeſtum improbæ vitæ genus fuerint antè ſecuti, vtpote qui Dei admonitionibus non deſerantur, & ijſdem ſentiendis & agnoſcendis, demumq́; admittendis & excipiendis animum applicent & intendant: ij vero qui vel ſapientiores habentur, vel moribus integrioribus, ſaltem minus infamib. eſſe putantur, paria aut etiam maiora Dei monita, vel non animaduertant, vel in ſuam ſalutẽ non admittant. Præterea aliæ cauſæ ſunt Rahhab nominis appellandi: ex quibus vna eſt hiſtoriæ fides; quam hac etiam ratione, hoc eſt nominum, locorum, atque temporum demonſtratione firmari, iam aliàs obſeruauimus & oſtendimus. Ad hæc verò & ipſa rei agendæ atq. conficiendæ legitimeq́; abſoluendæ ratio poſtulabat, vt eius nomen ab initio notũ eſſet, cuius erga Deum pietas, erga nuntios beneficium, erga omnem Iſraeliticum populum officium, conſtaret, & fide atque debita exceptione, obſeruationeq́; eſſet rependendum. [Ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis.] Diuina prouidentia effectum eſt, vt illi totum diem in terra & vrbe exterius cõſideranda poſuerint, atq. iam aduentante nocte ad eam tabernam diuerterint quam maximè expedierat ſubire propter ea quæ deinde euenere. Atqui ipſa loci commoditate effectum videtur, vt illi in eam tabernam ſe reciperent, quæ vrbem ab orta ingreſſis prima & portæ proxima notata fuerat, & ſedentibus ad quieſcendum, atque etiam ad effugiendum, ſi res id poſtularet, opportuniſſima videbatur, deinde etiam ad latendum tutiſſima; quippe quæ neque magnam familiam haberet, imo vnam tantùm feminam, à qua tametſi prodi poterant, capi tamen, & teneri viri duo non facilè poterant, neque etiam ab ancillis, pueris & ſeruis, qui nulli erant, indicari, neque ab alijs hoſpitibus notari. Apparet namque neque diuitem neque frequẽtem fuiſſe tabernam illam quam mulier vnica adminiſtraret. Hæc omnia diligenter notata, &

obſeruata videntur fuiſſe: eadem verò diuinæ prouidentiæ conſilio ita conſtitiſſe intelligimus, tum ex euentu ipſo, tum ex temporis occaſione. voluit enim Deus illos in obſeruandis regionis atque vrbis locis diem totum occupatos in eam domum ſeſe recipere, in qua certiores fierent earum rerum quas maximè cognoſcere expediebat. Iam verò de meretricis vocabulo Latino quo noſter Interpres eſt vſus, quanquam non multa explicemus, aliàs enim explicaturos nos Deo volente ſperamus, duas ſententias indicare, & noſtram ſubiungere, conſultum viſum eſt. Expoſitorum enim pars altera, hanc feminam publicam meretricem fuiſſe arbitratur, quæ ſui proſtitutione corporis quæſtum faceret, idq́; meretricis nomine Latinè indicante: altera vero pars, illam non meretricem aliquam turpem, ſed tabernariam interpretatur, ex Hebraico nomine ZONAH, *quod à verbo deriuatur Paſcere & paſci, atque victum quæritare ſignificante, quibus Chaldaici interpretis verſio ſuffragatur exponentis* PVNDACHITHA, *quod propriè ſignificat eas qui tabernarium quæstum exercent.* PVNDAKA *enim illa lingua domum ſignificat ad reponendas merces hominesq́; promiſcuè excipiendos conſtitutam; cuius generis meritoriæ tabernæ ſunt. hoc vocabulum & Italis ex Chaldaica, & Hiſpanis ex Arabica lingua receptum eſt. namque huiuſmodi domos publicas in quas merces variæ comportantur, Itali Fondacos, Hiſpani Alfondigas vocant. Itaque ex nominis ratione & interpretatione, & ex ipſo facti exemplo conſtat, Rahhab meritoriam tabernam excipiẽdorum cauſa hoſpitum habuiſſe. Nobis autem vero ſimillimum ſit, vtramque rationem vno eodemq́; nomine fuiſſe comprehenſam, meretricij videlicet quæſtus, atq. tabernariæ hoſpitalis, qui & ipſe turpitudine non caret. rarò autem fit, vt quæ publicis hoſpitiis operam dant feminæ, ſtupri ſuperent periculum, cum tam multis & variis virorum, iuniorũ, grandiorum ingeniis conflictatæ, atque colloquiis, tentamẽtis & aliis impudicis dictis, cantibus, & ſpectaculis ſollicitatæ. quod ſi maximè culpã caueant aliquæ, ſuſpicionẽ tamẽ & nominis notam vitare non poſſunt. ſiue igitur alterũ tãtummodo, ſiue vtrumque de Rahhab affirmetur, diuinæ miſericordiæ, veritatis, & prouidentiæ monumenta hoc probantur exẽplo.* & quieuerunt apud eam. *Paulo ante noctem laſſi eò venerant, excepti ſunt, & cubuerunt, animo & conſilio ſummo mane ſurgendi, & redeundi ad Ioſue.*

Nun-

Nuntiatumq; eſt regi Iericho,& dictum:Ecce viri ingreſſi ſunt huc per noctem de filiis Iſrael, vt explorarent terram.

NON *neglıgentẽ aut ſecurum illo tẽpore Ierichuntis Regem,in otio & ſegnitie,hiſtoria indicat,ſed ea curantem & prouidentem,quibus vt ſibi rebusq; ſuis conſuleretur opus eſſet, excubias, obſeruatoresq; habuiſſe per quos hoſtis conſilia & facta, quoad id fieri poſſet, cognoſcerentur: Obſeruamus etiam omnium quæ publicè priuatéq; fiunt rerum primum conſcium eſſe regem, vtpote cui cæteri omnes, vel proprij muneris, vel gratiæ captandæ ſtudio inſeruiant; multa præterea aliis ignota eſſe, quæ reges minimè latent, idq; maximè expedire. Namque ſapientis ad rempublicam conſeruandam conſilij initium apud regem eſſe oportet; ab eodemq; decretorum & agendarũ rerum rationes proficiſci: ideò non dicitur hoc loco rumores fuiſſe in populo ſparſos de virorum illorum aduentu; cùm primùm enim hoc reſciſceret populus,vel metu,vel temeritate, & leuitate,(quæ vulgo propria eſt,)actus ad hoſpitium vndique concurreret, voces, clamores iactaret,aliaq; multa ageret,quibus viri illi ſibi proſpicere poſſent: & ſanè populus illos comprehendere & trucidare conaretur. Verùm id quod alias rectam agendarum rerum rationem apud regem illũ ſpectabat,percommodum fuit illis etiam viris à Ioſue miſſis; adeò omnia iis qui Dei ſequuntur partes optimè cedunt. Diligentiſſimum verò fuiſſe excubiarum officium & indicium ipſa oratio declarat: neque enim obſcura & incerta ad regem adferri oportet, ſed certa & explorata,quorum cauſa ſapiens conſilium ineatur,atque ea ſuſcipiantur quæ maximè expedire cenſentur. Ideò in hoc indicio affirmatio præmittitur,Ecce:deinde argumenta omnia exponuntur, quibus res comperta demonſtretur,Sexus,ætatis,gentis,loci,temporis & cauſæ. non enim pueri,non feminæ,ſed viri ingreſſi nuntiantur,qui & melius ſcirent & promptius auderent ea agere quorum cauſa eſſent miſſi. Quòd verò ingreſſi in vrbẽ nuntiantur, ad animi deliberationem referendum eſt: non contenti obſeruaſſe vias ſuas,& ſitum vrbis & muros,& quæ exterius conſtant omnia ,ingreſſi etiam ſunt vrbem vt penetralia quoque vrbis cognoſcerent. hanc etiam argumentationem temporũ notatio confirmat, Per noctem ingreſſi ſunt: Et vt tutius agerent & liberius poſſent explorare; demum genus ipſum aperterem demonſtrat: namque alij multi viri ingredi poterant vrbem*

illa etiam hora, ſed à quibus nihil eſſet metuendum. nulli enim alij ex finitimis vel vicinis gentibus viri Iſraelitas iuuandi cauſa ſeſe in eiuſmodi ſuſpicionis diſcrimen conijcerent; quippe nulla natio tunc erat quæ Iſraelitas amaret, aut propoſiti compotes eſſe vellet, vt poſthac Rahab teſtimonio cõprobabitur. Hactenus media omnia propoſita ſunt, quibus argumentatio conſtrueretur, & collectio ſiue concluſio affirmaretur: erat autem collectio, illos eſſe exploratores, atque hoc nomine accuſari; hoc verò ex ipſorum reſponſo nondum ſciri poterat; vtpote qui ſecretò miſſi neminem conſcium fecerant; ex ſuis, nedum ex hoſtibus facerẽt. ſed argumentatio ſic inſtituẽda eſt: Ecce, *hoc eſt, exploratum compertumq́ eſt, atque nobis denũtiantibus conſtat, viros huc ingreſſos ſub noctem de filiis Iſrael, quibus rebus rectè examinatis, & conſtitutis, intelligimus illos veniſſe vt explorarent terram. Namque viros ex illa gente, quibuſcum neque pax, neq commercium nobis eſt, illa hora duos tantùm vrbem ingreſſos facile coniectu & affirmatu eſt explorandi cauſa veniſſe, cùm ſciamus Iſraelitas huc regionis expugnandæ propoſito contendere. Itaque oratio illa, vt explorarent terram, concluſionis ſiue complexionis locum in argumentatione obtinet. Quod verò ait, de filiis Iſrael, argumento eſt, fuiſſe ad portas cuſtodes, qui diligenter vel inquirerent, vel prudenter obſeruarent, atque notarent hoſpites omnes vrbem ſubeuntes, vt in dubiis temporibus caueri fieriq́ ſolet apud vrbes eas quæ muro clauduntur. facile autem fuit hoc pacto illos duos viros vel habitu vel geſtu, vel aliquo linguæ diſcrimine vel diſſimulationis animaduerſione, vel aliis notis, præ cæteris hoſpitibus internoſci, & diuerſionis notato loco ad regem deferri, accuſariq́ nomine illo, quòd exploratores eſſent. Atque huic rei à Rege prouiſum eſt, opportuna auctoritate, occultisq́ actionibus maximè: namque in omni hoc rerum genere arcanum commendatur.*

Miſit rex Iericho ad Rahab dicens.

M ANDATVM *grauiſſimum & maximæ auctoritatis hac oratione ſignificatur ad Rahhab delatum. quodtamen illa propter fidem quam iã animo conceperat, pietatis ſtudio & officio anteponendum minimè eſſe cenſuit, imo forti animo ferendũ, eludendumq́ ſuſcepit, & ſapiẽter eluſit. Semper, vti iam ſæpius admonuimus, in ſacris orationibus, verborum ſingulorum ratio expendenda, obſeruandaq́ eſt.*

Vide-

Videmus auctoritatem mandantis nomine ipſo indicatam: nõ enim à priuato quopiam, non à portarum ianitore aut cuſtode, non ab apparitore, non denique ab infimo aliquo, non à ſummo magiſtratu, ſed à rege ipſo Iericho poteſtate auctoritateq́ regia mandatum iuſſum eſt, cui illam parere non mirum foret, vtpote feminam, eidemq́ regi ſubiectam vnam ex illius ciuitatis ciuibus: vtrumque itaque nomen & regis & vrbis plurimum ponderis habebat ad mulierem vel alliciendam vel terrendam. præcipuè quòd ipſius mandati titulus apertè indicat illius nomen, conditionem, & ſtatum regi non ſolùm non fuiſſe ignorata, ſed etiam ſingulariter nota, & ad obſequium exigendum appellata. Rex Iericho ſuo & ciuitatis nomine ac iure graues ac certos nuntios mittit ad tabernariam mulierculam proprio ac diſtincto nomine appellatam. Quænam ex illo mandato vel magnam regis gratiam oblata conciliandi occaſione non ſperaret, & obſequij præmium, neque id vulgare, ſed regium; præterea totius ciuitatis plauſum, beneuolentiam & gratulationem non expectaret, quibus ingenia quæſtui dedita non ſolúm ad id quod officij nomine defendi alias poſſet, ſed ad quoduis magnum facinus ſuſcipiendum flecti, & impelli ſolent? Rahhab à rege nuntios mandataq́ expreſſe, nominatim & ſingulariter habet, & non id præſtabit quod aliàs debere videri poſſet, & ſuis ipſorum legibus conuinci? Rurſus quænam tanto animo, tanta auctoritate & honeſtate, tanta eſſet integritate femina, vt illi regis mandato obtemperare dubitaret, neque deprehendi in parricidij vel proditionis crimine metueret, & grauiſſimum ſibi ſupplicium inde afferendum non putaret, atque famæ opinioniq́ ſuæ, & ſuorum ſaluti conſulendum eſſe nõ duceret? nedum hæc non cogitaret pauper ac ſolitaria muliercula Rahhab ſuo nomine regi vel ex illo tempore nota omnibus humanis præſidijs & tutelis, etiam cognatorum & parentum fide, ſi deprehenderetur & accuſaretur, deſtituenda, tamq́ ex illo miſero vel tabernæ, vel proſtitutionis, vel vtriuſq́ generis quæſtu aſſueta metuere magiſtratuũ et miniſtrorum exactiones & calumnias, quibus perpetuò obnoxij ſunt ij qui eiuſmodi turpes ac vtiliſſimas lucri rationes exercent. id quod ex antiquis gentium legibus atque ex perpetua nationum omnium conſuetudine facile cognitu ſit. Sed omnia hæc & quæ multa alia indicari poterant vel ad cupiditatem, & auaritiam, atque adeo ad gloriam, vel

ad metum facientia argumenta in tenero Rahhab ingenio & animo, quamuis tot conditionibus & circũſtantijs manifeſtis implicatæ, validiſſimè cõtempſit & ſuperauit fides illa hiſce rebus animaduertendis indicata, & ab Apoſtolis Chriſti mirum in modum decantata. Hactenus mandati grauitas ex perſonarum parte indicata eſt. Nunc deinceps ipſam mandati ſententiam expendamus.

Educ viros qui venerunt ad te, & ingreſsi ſunt domum tuam; exploratores quippe ſunt, & omnem terram conſiderare venerunt.

R EGVM *iuſſa quanquam potentiæ nomine priuatos homines cogere terrereq́ valent, efficaciora tamen ſunt, melioremq́ exitum habent, cùm æquitate atque iuris rationibus inſtruuntur, potiusq́ ad obſequium alliciunt quàm impellunt. Atque bene conſtitutæ, & ſapienter ſibi conſulentis potentiæ, in omni republica eſt, honeſta & moderata primùm experiri; quæ ſi non ſuccedant, ſupereſt regia vis, quam & ipſam legibus temperari oportuerit. Poterat quidem rex armatos miniſtros in Rahhab domum mittere, qui impetu facto penetralia cuncta explorarent, ſumma & ima peruoluerent, & omnes hoſpites illic inuentos caperent, captos in carcerem obtruderent, ſingulos examinarent, & cætera facerent, quæ & olim facta aliquando legimus, & non vno exemplo nos fieri conſpeximus. Verùm huiuſmodi impetus, & inopinatæ oppreſſionis, nullos vnquam ſecundos exitus obſeruauimus. Quamobrem ſapientioris conſilij eſſe exiſtimatum eſt, ſecreto & paucis commiſſo modo res aggredi, & conficiendas curare, interim dum nullus dimicationis exiſtit metus, idq́ cum ſemper, tum maximè in dubijs & turbatis temporibus probatur. Neq. enim opportunum neq. commodum fuit, eo tempore quo tota ciuitas in metu & ſuſpicione erat, in tabernam meritoriam, aut domum aliam repentè irruere, quippe rumor ille, & cognatos omnes, & vicinos permoueret, & remotos in alias atque alias cogitationes impulſos ad arma excitaret, hora noctis intempeſtiua; qua commodi nihil omnino, incommodi verò ac turbarum oriri poterat plurimum: Commodiſſimum igitur viſum eſt rem nõ vi, ſed imperio auctoritateq́ tentare, atque iure, æquitate, & quadam rei ipſius honeſtate, imò & neceſſitate cum femina agere: auctoritatem, vt iam diximus, Regium nomen mulierculæ præferebat: ius & æquitas atq. neceſſitas*

in cauſa

in cauſa conſiſtit, quæ duob. ſtatibus cōtinetur, definitiuo & legitimo, atq; tribus è quæſtionibus petitur, An ſit? quid ſit? & quale ſit? Cauſæ ſuaſoriæ atque imperatoriæ ſumma concluſio erat, debere feminam educere viros illos, qui ad ſe diuerterant; id verò quod facere deberet, à rege poſtulari. Atque id quod in arte poſtremum eſt, id eſt concluſio argumentationis, in hac oratione propoſitio & poſtulatio eſt in hanc ſententiam: Regis qui cogere poſſet mandato iuberis educere viros, qui venerunt ad te, ſiue hoſpitij ſiue ſtupri cauſa: neque enim hac oratione ambiguæ ſignificationis temere vſi ſunt nuntij. Hæc igitur propoſitio fuit; quæ tam ad ſuaſorium quàm ad iudiciale genus referri poteſt. huius vero cauſæ duæ erant, examinandi ſtatus, alter conſtitutiuus ſiue definitiuus: poterat illa negare ad ſe cauſam illam pertinere, vt prorſus inſciam eius rei quam rex poſtularet, hanc defenſionem occupatione eludit mandatum, affirmationeq́; compertæ & certiſſimæ res, qui venerunt ad te: A te igitur ratio reddenda eſt horum virorū qui ad te venerūt. Quòd ſi dixeris illos nihil negotij habuiſſe tecū, tamē illud inficiari non potes, vtpote notum & teſtimonijs certis compertum, illos domi tuæ fuiſſe; quippe & ingreſſi ſunt domum tuam: *non aliam vicinam ſed tuam, non ad oſtium tantùm conſiſtere, ſed ingreſſi ſunt. hucuſque ſtatus cauſæ conſtitutiuus & affirmatiuus eſt, ab artificibus coniecturalis vocatus, quo cōfirmatum fuit illam teneri eorum rationem reddere. Iam ſupererat vnica defenſio ad legitimum ſtatum referenda. nam ſi maximè illa fateretur viros ad ſe veniſſe, tamen indignum iniuſtumq́; eſſe illos à ſe prodi, neque hoſpitij ius apud gentes omnes olim ſanctiſſimum violari fas eſſe. Hic ſtatus duplici quæſtione examinandus erat; primum enim quærendum, An hoſpites verè eſſent, quod ad definitionem ſpectat ex qua legitimus petitur: quod ſi conſtet illos non eſſe hoſpites, illam non obligari hoſpitij iure conſequitur. Ex definitione verò conſtabit hoſtes illos non hoſpites eſſe, imo hoſtibus ipſis deteriores & nocentiores, vtpote exploratores: quorum ars ad perniciem eorum ad quos diuertunt, comparatur, & expugnationem regionum atque locorum faciliorem multo reddunt, quippe cùm bona gerendi belli & ſucceſſuum pars in locorum opportunitate conſiſtat, quam huiuſmodi exploratores docent: non oportere autem latrones, proditores & exploratores, huiuſmodiq́; inſidiarum miniſtros, hoſpitum nomine aut*

defendi

defendi aut ſeruari, ſed tanquam latrones opprimi & comprehendi. ideò illa non eſt iuſſa alio verbo quàm Educ; ſiue, vt Hebraicè eſt, exire fac, Hiſpanicè echa fuera, dicitur; Belgicè propriè laet vut gaen. *Quæ verba ſimplicia ſunt, neque proditionem neque crudelitatem aliquam ſonāt, imo vtilitatē promittūt ei cui denūtiantur. ac ſi dicatur, Habes domi tuæ homines, & tibi et omni vrbi regioniq́, exitiales, cura vt quāprimū hoc malo te & vnà tecū cæteros omnes liberes. At verò vnica reliqua erat exceptio, qua ſuaſionis huius vtcunq. infirmaretur vis; eaq́, huiuſmodi eſſe potuit. Quanquā illi exploratores munere proprio fuerint, tamen ſi huc vel populum ſuum fugientes ſeſe receperunt, vel aliam rem acturi venerunt; nihil eſt cur à me eiiciantur, vel à vobis infeſtentur. multi enim artes exercent eiuſmodi, quibus non vbique nocent; vbi ſeſe innocentes præbuerint, illic illos lædi non oportere. ex huiuſmodi artium generibus vnum eſſe exploratorum: atque exceptio hæc ſolerti confirmatione depellitur, illos non ſolum exploratores eſſe, ſed exercēdæ artis cauſa huc veniſſe in vrbis atque regionis perniciem. hoc eſt quod ſubiungitur,* & omnem terrá conſiderare venerunt. *Vniuerſalis vox hominum crimen amplificat & exaggerat, homineſq́, digniſſimos eſſe cōtendit, non ſolùm qui eiiciātur, ſed qui publicè priuateq́, exagitentur, & perdantur, vtpote qui non vni tantùm domui & familiæ, non vni Ierichunti vrbi, ſed omni in vniuerſum regioni exitium, perniciemq́, moliantur: neque parcendum eſſe iis quorū opera id curabatur vt nulli parceretur. Quanquam verò nō conſtaret illos eo conſilio veniſſe, conſiderandi videlicet omnem terram, imò certum eſt, illis commiſſam terræ partem ad Ierichunta vſque, vel non longius multo. non enim in mandatis acceperant* conſiderare omnem terram, *ſed* conſiderare terram & Iericho, *Hebraicè notificatiuo articulo adiuncto, qui certam terram indicat, nimirum ad Ierichunta vſque, vel nō longè vlterius. tamen ita illi regij nuntij regis nomine apud Rahhab affirmarūt vel ex ſuſpicione, namq. ſuſpicio quo amplior, eo exiſtimatur prudētior, vt furem domi noctu deprehendens facilè quis ſuſpicari poſſet precioſiſſima quæq́, imo omnia quæ auferri poſſent auferēdi cauſa ingreſſum. itaque vel propter huiuſmodi ſuſpicionē, vel propter metū & odium feminæ aduerſus illos augendum dictum eſt:* omnem terram conſiderare venerunt. *Oportet igitur te & communib. rebus, & priuatæ*

etiam

etiam tuæ ipſius conſulentem ſaluti viros hos educere ; atque ad officium hoc faciendum tanto regiæ auctoritatis & gratiæ, tanto honeſtatis & vtilitatis, imò etiam neceßitatis pondere permoueri.

Atque humana ſapientia nihil hic, vt arbitramur, haberet quod exciperet, quominus homines regis imperio tradendos exiſtimaret. At verò quæ Deum vnicè intuetur fides aliam rationem ineundam iis quos inſtruit, commonſtrat; illis enim nihil prius, nihil antiquius diuinæ voluntatis cognitione & obſeruantia exiſtimatur. Deus omnium Dominus, gubernator ac iudex creditur, cuius virtuti reſiſtere ſit impoßibile, cuius iudicium & ſanctißimum & rectißimũ vereri, cuius miſericordiam implorare oporteat. Intellexit prudentißima femina regionem illam pertinaci incolarum culpa damnatam, diuinæ ſententiæ obnoxiam: nullum pœnitentiæ ſtudium in ſuis hominibus vidit, quamobrem actum eſſe de illis arbitrata eſt. Deinde etiam terram nouis cultoribus à Deo electis, & ſingulari prouidentia ad eam rem deductis, conceſſum ac traditum iri credidit, atque ex miſero ſtatu in vſum felicem mutandam eſſe regionem illam cognouit: duas ſibi conditiones propoſitas cogitauit; alteram interitus neceſſariò ſubeundi, ſi gentium illarum communem exitum communi pertinacia expectare vellet; alteram verò ſalutis, quam ex Dei miſericordia ſperare poterat, ſi à corrupto & peſtilenti ſuæ gentis conſortio ad vitæ & felicitatis verum & certum auctorem ſeſe traduceret, ab infamia ad ſapientiam, à morbo ad medicum medicinamq́, confugeret: itaque à damnata cauſa, ad principis ſui clementiam & miſericordiam prouocat, quam experturam ſe ſperat, atque omnibus quibus poßit officiis conciliare ſibi ſtudet. neque verò qui hoc pacto periculum euadit, quod alij obierunt, proditor dicendus eſt aliorũ; Quippe diuini iudicij eſt, vt vnuſquiſque in peccato ſuo moriatur, pœnitentiæ autem veræ ac legitimæ diuina miſericordia nõ deeſt: Illius ergo intererat cùm aliis pœnitentiam perſuadere non poſſet, iis conſulere, & perſuadere quibus poſſet, hoc eſt ſibi, & parentibus cognatisq́; ſuis. id quod fidelis femina diligenter curauit. Et quidẽ quanquã exploratores comprehenſi trucidarentur, tamen ſciebat Dei conſilium nihilominus efficiẽdum eſſe. ſtultißimum igitur foret illos prodere; conſultißimum verò liberare: hoc enim pacto & ſcelus ipſa vitabat, & regi populoq́; ſuo, ne ſceleri ſcelus adderetur, cauebat. Prudentißimæ itaque deliberationis

fuit, id optare quod iuſtiſsimum, opportuniſsimum, atque adeò neceſſarium eſſe cognoſceretur, & Dei conſilium, quod ſucceſſu nunquam eſt cariturum, ſequi, & officio opportuno colere potius quàm regis atque gentis perditiſsimum propoſitum obſequio prorſus inutili iuuare conari: Demum cauſæ iuſtiſsimæ adhærere, relicta ea quam damnatiſsimam eſſe ſciebat, & pertinacia ipſa damnatiorem fore cognoſcebat.

Atque fidem hanc Rahhab feminæ pœnitentiæ exercitatio ſeria conſecuta eſt, officijs omni ſtudio & conatu faciẽdis. id quod diligenter obſeruandum ſancti Dei Apoſtoli nobis ad imitationem propoſuerunt, viuam feminæ huius fidem minimeq́; otioſam commẽdantes. quæ cùm cæteræ gentes omnes in metu grauiſsimo eſſent, atque excidium publicum Dei potentiſsima manu ſibi adferendum timerent, tantum abeſt vt de pœnitentia vtili cogitarẽt, vt ſe conſiliis, armis, copiis, coniunctis viribus defendere molirentur, & eos quos Deus ſui puniendi cauſa mittebat, propulſare conarentur, atque ſuæ pertinaciæ & malitiæ argumentum exploratoribus occidendis oſtendere curarent. Contrà verò prudentiſsima femina egit. Quippe & Deũ propoſiti tenacem cognouit, & aſſertorem ſeſe oſtenſurum credidit, & iis etiam proſpecturum qui diuina conſilia venerarentur, & opportuno proſequerentur cultu. hunc verò illa oblata commoditate ſedulò exhibuit, ſeruatis & celatis atque ſecurè dimiſsis iis quos diuinæ voluntatis miniſtros & nuntios eſſe intelligebat.

Tollensq́; mulier viros abſcondit.

DELIBERATI, *intrepidi, atque fidelis animi ſedulitatem omnibus opportunis partibus & numeris abſolutã hoc exemplo quaſi ſpectandam nobis Spiritus ſanctus exhibuit. Ex ipſa orationis obſeruatione apparet, feminam illam regios nuntios nondum domi admiſiſſe, ſed vel è feneſtra vel è cancellis audiiſſe. clauſis interea ianuis, illisq́; auditis, continuò exploratores inſidiarum ignaros alterum ab altero ſemotos locis aliquibus abſcondiſſe ſecretiſsimis, vt ſi maximè fores aperirentur, tamen reperiri illi non poſſent: hanc priorem abſconſionem ita diſcretam Hebraicæ orationis articulata verba docent, quæ ita verti vtcunq; poſſunt*: Et tulit mulier illa duos viros, & abſcõdit illum. *ſupereſt vocula* ETH; *cui nihil eſt quod Latinè reſpondeat. Eſt autem Hebraicè orationis obſeruatio, cùm plurali præcedenti numero*

mero ſingulare adiungitur pronomen, exponendum eſſe diſtributiuè, vt dialectici loquuntur. duos viros, & abſcondit illum. *idem ſignificat; quanquam duos tulit ſimul, non tamen ſimul abſcondit, verùm diuerſis locis alterum, & alterum, vt commodius latêret vterque, & difficilius ambo reperiri poſſent. Primùm hac actione fidelis iã feminæ animus integer atque intrepidus indicatur, quæ non tumultuariè aut temerè viros abſcõderit, ſed deliberatè & conſultò certum locũ alteri atq. alteri cogitarit & addixerit: deinde illius in reſponſis ad regios nuntios eludendos prudentia obſeruatur.*

Fateor, venerunt ad me, ſed neſciebam vnde eſſent: cúmque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, neſcio quò abierunt; perſequimini citò, & compræhendetis eos.

DIDVCTIS *& abſconſis exploratoribus, mulier nuntios regios, ſiue feneſtra, ſiue, quod res ipſa indicare videtur, domi iam admiſſos, oſtio aperto, prudentiſſimè alloquitur & eludit, diſſimulatis rationibus ijs, quas diſputare minimè expediebat, & ijs conceſſis quas negare non erat. Itaque coniecturalem ſtatum orationis illorum omnem confeſſa, definitiuum ad ſe non pertinere ſimulauit, & legitimi periculum in illos eoſdem ſapienter retorſit. Fatetur enim viros ad ſe veniſſe, quod vt manifeſtum negare minimè poterat, & ſi negaſſet; conuincitur facilè illos domum ingreſſos; nihil verò diſputat, aut moratur in exponenda cauſa, quãobrem domũ ſuam illi fuerint ingreſſi. Namq; nũtij orationem ambiguam protulerant, Venerunt ad te: id quod cùm de muliere Hebraicè dicitur, rei habendæ ſignificationem ſortitur ſæpiſſimè; tametſi ad alia negotia etiam cum feminis tractanda referatur. Igitur illa & vt rem faciliùs expediret, ac tẽporis quàm minimum differendo conſumeret, atq. nuntios quàm breuiſſimè dimitteret, non dixit: Quanquam ſint domum meam ingreſſi, tamen non venerunt ad me ſtupri cauſa, vel non ſunt à me conſpecti: & huiuſmodi alia quæ poſſent aliquam ſuſpicionẽ parere vel illorũ, vel ſui ipſius defenſionis: ſed ſimpliciter fatetur illos ad ſe veniſſe. qua confeſſione culpæ nihil ſibi creare intelligebat, nimirum mulieri cauponæ publicæ, cuius domus omni hominum conditioni excipiendæ publicè parata ſit, adeò vt nullum crimen intentari poſſet aduerſus eum qui taberna meritoria tã ignotos quàm notos exceperit; id quod*

culpæ daretur alys priuatis hominibus, qui ignotum hominem, turbulento præſertim tempore, excipiant hoſpitio. ita mulier illa ſuſpicionem omnem muneris ſui iure depellit, illos ad ſe veniſſe faſſa; cætera pernegans ſibi cognita eſſe, quæ cognoſci ſua ipſius minimè intererat. hoc eſt quod ait: ſed neſciebam vnde eſſent. *neque mea retulerat ſcire neque rogare. Quod ſi in hac parte peccatum eſſet, in illos ipſos à quibus compellabatur, & in regem negligentiæ culpam conferendam eſſe prudens femina ſignificabat. namque ipſa nec ſciebat vnde eſſent, neque cognoſcere debuit. Ipſi autem & cognoſcere, et cauere debuerunt, & cognouerunt, neque tamen cauerunt: non enim oportuerat cognitos expectare, quoad in tabernam aut alium locum concludi contingeret, ſed præſenti opportunitate vti ad homines capiendos, maximè ſi compertum eſſet exploratores eſſe, quos ex artis peritia & exercitatione callidiùs & faciliùs elabi, celari, & euadere poſſe & ſcire credendum erat, quàm ab obſeruatoribus capi, loci ac temporis interuallo conceſſo. Deinde verò ea adiungit, quibus ipſa videretur officio ſuo faciendo illis præſtare à quibus poſtulabatur. Namque vt pietatis opus quod propoſuerat commodiùs exequeretur, orationem fingit ad illos turbandos & fallendos valde idoneam, qua & ſe illorum moleſtia & importunitate eximit, & illos in curam negotiumq́ conycit, quo nullum aptius excogitari poterat ad eludendas inſidias exploratoribus inſtructas. Ait enim regis nūtios intempeſtiuiùs atque ſeriùs veniſſe, negligenter ſeſe geſſiſſe miniſtros illos quorum munus erat exploratores obſeruare. oportuiſſe enim eò ingredi cùm primùm exploratores fuiſſent ingreſsi, idq́ lucente adhuc die; quippe manifeſtum eſſet noctis tenebras opportuniores eſſe exploratoribus ad effugiendum, quàm obſeruatoribus ad quærendum. ideò exploratores ſapienter feciſſe, vtpote qui in tenebris exierint domo, eo tempore quo porta domus claudebatur, ne domi concluſi depræhenderentur: id quod illorum culpam arguebat qui non obſeruarint ante oſtium ſi domum ingredi nollent: Itaque illi, & temporis & loci captandi commoditatem exploratoribus permiſerunt. Iam verò ſuum munus concludit expoſitione earum rerum quas ipſa exponere poterat: hoc eſt, quas nouiſset noſſeq́ potuiſset, illos eſſe ingreſſos, & exyſſe certo tempore: id verò quod poſtea eueniſſet, neque ſibi notum eſſe, neque curandum ſibi fuiſſe.* cúmque porta clauderetur in tenebris,

nebris, & illi pariter exierũt. *Tabernæ ipſius potius quàm vrbis portam indicari hoc loco exiſtimamus. Neque enim illius vrbis vnica porta erat, vt hîc ſingulariter dicitur, neque illa tam attentè notare poterat temporis punctum quo vrbis porta clauderetur; ſed eatenus ſibi notum eſſe ait, quoad homines, qui ad ſe diuerterant, exirent. Deinde verò quorſumnam tenderent, neque ſibi notum fuiſſe, neq. curatum? Quod ſi eadem hora vel vrbis portam exijſſent, vel aliò contendiſſent, opportuniſſimum eſſe conſilium quamprimum illos perſequi, non longè hinc progreſſos & ſecuriores, atque lentius iter facturos, vtpote qui neſcierint ſe eſſe cognitos. hoc conſilio oſtendebat femina ſe meliùs quàm regis nuntios vrbis rebus proſpicere, vtpote quæ ad exploratores quærendos diligentia & feſtinatione vti ſuaderet. Quod dicit, neſcio quò abièrunt, tam intra quàm extra vrbem intelligendum eſt. Negauit enim ſe noſſe vnde eſſent, neque obſeruare potuit, quò abirent, an in vrbe manſiſſent, an exceſſiſſent vrbe, quod magis conſentaneum videbatur; quamobrem hortari ſe illos vt tempus aucuparentur, & quamprimum perſequerentur illos extra vrbem nondum longè progreſſos. Prudentiſſimo conſilio adſcribendũ eſt huic feminæ id omne quod factum hactenus eſt. oportet enim verum celari illi cui non ſolùm non debeatur, ſed iniquum etiam ſit fateri: eos etiam quorum pernicioſum eſſe propoſitum conſtet, eludere officij eſt, vt aliàs pluribus exemplis, Deo docente, oſtendemus, vbi de veris & certis officijs diſſeremus. Monet itaq. mulier id corrigere diligenter in perſequendis exploratoribus, quod in obſeruandis atque deprehendendis fuerat peccatum. Deinde verò alio ſedulitatis officio fidem pietatemq́ſ ſuam probat: quippe vt prius exploratores deductos, repentinam in domum nuntiorum irruptionem verita, abſconderat; ita rurſus exiſtimans fieri poſſe vt vel inquiſitores alij venirent, vel hoſpites nouis forſitan ſubingrederentur, illos tutiſſimo & hoſpitibus minimè petendo aut viſendo loco denuo abſcondit.*

Ipſa autem fecit aſcendere viros in ſolarium domus ſuæ, operuitq́; eos ſtipula lini quæ ibi erat.

Antea certis locis ſeorſum abſconderat: nunc nè diligentius ab alijs domi quærerẽtur, vel ab hoſpitibus viderẽtur, ſi qui forſan venirent, illos ſuper tectũ deducit. quippe illius regionis tecta propter cæli

temperiem, & materiæ commoditatem, non tegulis, ſed lateribus, vel bitumine, & calce, vel alio cæmento inſternebantur, vt iam in ſacro Apparatu oſtendimus, & aliàs etiam plenius oſtendere cogitamus. Huiuſmodi tectum Interpres noſter Solarij nomine ſignificauit. atque in tecto illo linum arefactionis cauſa extenſum erat, ex quo pia femina tuguriolum confecit celandis duobus viris aptum: neque enim intelligendum eſt illos humi iacentes inſtrato lino fuiſſe opertos, quippe hoc moleſtiſſimum eſſet, neque diutiùs ferendum ſpirantibus animalibus, nedum hominibus, quibus vitæ ſpiraculum in naribus eſt. Solertiam itaque in ædificando tuguriolo, & ad inſtar molæ quam Hiſpani hacinam vocant, componendo atque diſſimulando, nobis verbum Hebraicum TAMAN *indicauit, pro quo noſter Interpres, operuit, reddit. Quòd verò Latinè legimus, ſtipula lini, interpretamur linum nondum contuſum, ſed canna ſiue culmo integro conſtans, quod recens euulſum exſiccationis cauſa exponere extendereq́ ad ſolem agricolæ conſueuere. Hebraicus ſermo ſic hanc rem & actionem feminæ deſcribit:* & abſcondit illos in lini lignis ipſis diligenter compoſitis ſuper tectum. *Lina ligni, illius linguæ germana proprietate Linum integra canna conſtans ſignificat, quod vt nimis durum Interpres noſter Latinis verbis emolliuit,* ſtipulamq́; lini *vertit. Illud verò quod Hebraica ſonant, diligenter compoſitis, referri poteſt vel ad extenſionem lini antequam tugurium ab illa pararetur, vel potius etiam ad ſolertiam & dexteritatem in tuguriolo molæ inſtar conſtruendo, ne omnino putari poſſet quiſquam ſub illa ſtrue latêre. Penſanda verò ſunt omnia hæc quibus piæ feminæ officij & ſtudij magnitudo amplificatur: obſeruandumq́ qua cura, qua diligentia in abſcondendis eripiendiſq́ è periculo exploratoribus, qua in eludendis nuntijs orationis dexteritate vſa fuerit: tantum enim & dicendi & diſſimulandi prudentia effecit, vt regis nuntij ad omnem aliam cogitationem potius ſe contulerint, quàm ad cenſendum exploratores apud illam eſſe; imò cùm audirent illos noctu in tenebris illinc diſceſſiſſe, omnino vrbe profectos ad ſuam gentem redire exiſtimauere.*

Lib. De ſacris fabricis.

Hi autẽ qui miſsi fuerant ſecuti ſunt eos per viã quæ ducit ad vadum Iordanis: illisq́; egreſsis ſtatim porta clauſa eſt.

CVM *nuntij exploratores abijſſe crederent; humanæ prudentiæ*

erat

erat exiſtimare, illos varijs quidem vijs poſſe effugere, vel prudentes & ſcientes ſe iam obſeruatos fuiſſe, vel huius etiam rei incertos, tamen ſibi cauentes, vt exploratores decet: ideoq́ minus certum magisq́ laborioſum & moleſtum eſſe per varias vias illos inſequi, expedientiſsimum verò & certiſsimum fore ad ipſum fluuij vadum obſeruari atque expectari, quò tandem eſſet deueniēdum quacunq́ pergeretur. ideò igitur ſequuti ſunt eos per illam viam quæ ducit ad vadum Iordanis; vt breuiorem, expeditiorem, demumq́ certiorem ijs qui fugientes inſequerentur. Hebraica verba indicant illos aduſq́ ipſa vada Iordanis fuiſſe inſecutos: & Vada pluraliter ſcripta ſunt, vt ſignificetur plura vada eſſe, & omnia ab inſecutoribus præoccupata fuiſſe. His etiam alia ſedulitas adiuncta eſt ijs qui in metu, periculo, ſuſpicioneq́ ſunt, opportuna, ea eſt, vrbis portam, ſimulatque inſecutores prodiere, fuiſſe diligenter clauſam, ne vel ignotus quiſpiam, qui malum aliqua ratione afferret, ingrederetur; vel illi exploratores ſi fortè intra vrbem adhuc erant, egredi noctu poſſent; quos per lucem internoſci & capi facile eſſet.

Necdum obdormierant qui latebant, & ecce mulier aſcendit ad eos, & ait.

CVRA, *ſtudium & ſedulitas fidelis feminæ omnium officiorum commemoratione à Spiritu ſancto in exemplum commendatur: quæ cùm poſt dimiſſos, imò diſtractos regios nūtios, & expectatum temporis ſpatium, quo an alij ad ſe inquirendi cauſa venirent attendere poterat: cùm neminem iam ſentiret, opportunum conſilium cepit monendi exploratores, vt per noctis conticinium euaderent, & eam rationem tenerent, quam ipſa commodiſsimam ducebat. Interim obſeruandum eſt quemadmodum improborum vel inuitorū, vel imprudentum opera Deus ad ſua cōſilia peragēda vti ſoleat ſapientiſsimè. Neſciebat mulier quinam illi viri eſſent, qui ad ſe diuerterant. edocta autem eſt à regijs nuntijs illos eſſe exploratores; fidei quam iam animo conceperat, luce cognouit, oblatam ſibi eſſe opportunitatem ad exercendam pietatem & diuinam voluntatem opportunis obſequijs colendam. Ea igitur curauit diligenter quæ hactenus vidimus. Deinde ea addidit, quibus ſuum officium planè abſolueretur; non paſſa eſt viros dormire, neque diutiùs apud ſe eſſe, ne temporis opportunitas prætermiſſa eos in diſcrimen conijceret. neq.enim dubium ipſi*

erat

erat, quin ſummo manè re audita, vel alÿ regÿ miniſtri, vel vicini, vel pueri, vel demum ex vulgo alÿ atque alÿ, ad eam ſciſcitandi cauſa venirēt, domum, loca, habitum & geſtum ipſius reſpondentis obſeruarent; neq. etiam adeò expediens illis erat lucente ſole effugere. Hanc autem mulieris ſolicitudinem oratio ipſa indicat, fidei argumentorū, & prudentis atque vtilis conſilÿ pleniſſima, qua exploratores totius regionis rerum ſtatus certiores facti ſunt. Quod verò legimus, ecce mulier aſcendit ad eos: *ex Hebraica conſtructione curam, ſtudium atque ſolicitudinem ſignificat feminæ de illis intento animo cogitantis. Sunt enim quædam illius linguæ voces, ex earum genere, quas Latini indeclinabiles vocant, quibus varius vſus variam annotationem affert. In his vna eſt* GHAL. *quā hoc loco autor vſurpat. Sed iam feminæ orationem audiamus.*

Noui quòd Dominus tradiderit vobis terram; Etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ.

V IRTVTIS *diuinæ agnitionem & confeſſionem atque diuini cōſilÿ fidem propoſitio hæc cōtinet. Finis verò totius orationis ſuaſorium reſpicit genus. Atque initio quidem officÿ ſui fundamentum ſubſtruit firmiſſimum pia mulier, quo omnem de conſilio animoq́; ſuo dubitationem illis eximat: aſſerens, non niſi deliberato, certo, maturoq́; conſilio hæc omnia ab ipſa acta eſſe & agi, vt pote quæ planè perſuaſum habeat nulla alia ratione ſibi ſuorumq́; ſaluti conſuli poſſe, niſi hac quam ab initio inierit & nunc proſequatur. itaque communem ſibi cum illis eſſe ſalutis cōditionem, ſibi tamē grauiorem & duriorem, vtpote quæ hactenus à ſalutis illius promiſſo longius abfuerit, quod nunc fide atque diligenti obſequio conciliare ſibi paret. Igitur ex periculi proprÿ cognitione & expoſitione, fidem ſuā exploratorib. probat & cōfirmat: qui primus ad perſuaſionē gradus eſt. Oſtendit ſe nō fictè, ſed verè officia hæc facere, atq. hoc nō ex vllo aduerſus gentem ſuam odio, ita vt proditionis notam ſubire aliqua ex parte poſſit, atque eo nomine minorem mereatur fidem apud homines; imò contrà ex firma atque certiſſima fide in Deum, qua edocta ſit id ſibi expedire, quod deliberatum, decretum, inceptumq́; iam fuerit. Se enim ſcire regionem illam ob incolarum culpam à Deo totius orbis Domino atque gubērnatore Iſraelitis eſſe adſcriptam, & in poſſeſſionem traditum iri*

iri; vanaq́ omnia conſilia & conatus experturũ eſſe eum qui contrà cõtendere ſtuduerit. Quamobrẽ ſapientis cogitationis eſſe Dei omnipotentis voluntati nõ modo cedere, ſed parêre atque obſequi omnino; idq́ ſibi iam deliberatum certumq́ eſſe. Vt vero omnem illis arrogantiæ atque inſolentiæ anſam præriperet, ait ſe apud illos, non vt apud victores aut dominos tanquam ancillam bello captam agere, ſed vt apud ſeruos eiuſdem Dei, quem ipſa credit, veneratur, colit, ac timet, cuius conſilio obedire paret, tanquam veri Domini atque iudicis communis omnium hominum, atque adeò ipſorum quos alloquitur nunc, & monet non minore in diſcrimine conſtitutos apud ipſam, quàm ipſi aliquando apud illos eſſe accidet: verùm ſeſe eiuſdem Dei quem nunc timet, & colit, conſilio iam obſequi in illis liberandis, & præſidio niti in ſalutis ſibi futuræ ſpe: Non enim exiſtimat, Deum illis tamdiu antea notum, non eſſe etiam metuendum, quo tempore cõtingat eadẽ conditione erga ipſam eſſe qua nunc ipſa erga illos eſt. Sentẽtia itaque totius exordij eſt: Nõ vos alloquor nũc vt mihi præſtãtes ac dominos, ſed vt ſeruos eiuſdẽ Domini, quẽ ego credo, ſuſpicio et colo; qui ſicut vindicẽ ſeſe præbebit in me, quicquã aduerſum vos præter ipſius voluntatẽ et conſiliũ auſam, ſic in vos etiã ſeuerũ ſe probabit vltorem, quicquam præter fidẽ atque officiũ beneficio meo debitum auſuros. Nam niſi regiones hæ vobis ab illo traderentur, nobis profectò vt hactenus conſtarent: Itaque fides hæc & ſcientiam rei ipſius & fiduciam de vobis efficit. Nec enim vos vel ſuperbire vel inſoleſcere decet in feminam ſcientem, non virtute, non fortuna aut felicitate veſtra, ſed benignitate Dei vobis terram eſſe traditam. Quamobrem quod ego erga vos officiũ hoc nomine facio, vt Dei voluntati obſequar, & pro iniuncta nunc mihi perſona miniſtram me præbeam, idem & vobis erit faciendum eiuſdem Dei voluntati obſecuturis, vbi ſimilis aduerſum me poteſtas contigerit. Vnica ergò oratione & fidem & fiduciam ſuam oſtẽdit Rahhab, propoſita agnitione voluntatis diuinæ, quam ſuſpicere & pietate omni proſequi ſibi certum ſit. Atque propoſitionem hanc ſibi conſtantiſſimam, quibus argumẽtis firmauerit, ſubiecta expoſitione oſtendi. etenim irruit in nos terror veſter. Manifeſtum ſignum ſibi eſſe ait, quòd tam regibus quàm populo omni immiſſus fuerit metus atque terror maximus, idq́ ſubitò, quod non niſi diuina virtute effici poſſe, natura ipſa docet.

K Namque

Namque gentem innumerabilem, fortem, concordem, mutuis auxilijs & conſilijs inter ſe coniunctam omnem ſimul terrore pauoreq́ affici, nulla adhuc pugna cum hoſtibus commiſſa, ad efficientiam Dei eſt planè referēdum: qui cùm regionem Iſraëlitis tradere decreuerit, propugnatorum deiectis animis, captu facillimam reddat. Atque verbum HHARAM *excidere, & vaſtare Latinè verti poteſt; ex quo verbo Græcum nomen* ἔρημος *eſt factum. Quòd verò duplici oratione vtitur, non ad expoſitionem, ſed ad partitionem nobis videtur attinere. Namq. in ſimplici, propria & ſignificātiſsima ſpiritus ſācti oratione non libenter vel Heteroſes vel Tautologias admittimus: imò ſingula potius verba ſuam certam ac diſtinctam ſentētiæ partem ſortiri exiſtimauimus: id quod nobis, vbi res poſtulauerit, pro virili indicare decretum eſt. Atque hoc loco duas has orationes ita exponimus; vt alteram communis cum Rahhab conditionis incolas, alterā verò cæteros omnes cultores ſpectare arbitremur. Rahhab in regia vrbe eademq́ munitiſsima vnà cum rege & principib. viris & ciuibus habitabat. Itaq. conditione ſimili vſos, hoc eſt regias & principes ciuitates cum regibus & principibus qui viribus & animi conſilio, atque armis præſtare ſolerent cæteris, eos omnes ſubito terrore & pauore perculſos, neque conſilijs, neque viribus valere, ſubitum communem & cælitus immiſſum pauorem, verbū, irruit, indicat, atque hanc potentiorum ciuitatum conditionem eſſe affirmat: cæterorum verò omnium qui in apertis oppidis, in pagis, villis, & prædijs habitabant, atq. adeò omnium in vniuerſum incolarum illam alterā non meliorem.* elanguerūt omnes habitatores terræ. *ij etiam qui laboribus aſſueti robur aliquod in bello præſtare poſſent, & copia atque multitudine terrori eſſe, omnes nullo excepto elanguerunt. Hebraicè omnia hæc & affirmationis & ratiocinationis formam obtinent; tria enim ſibi nota eſſe ait, ex quibus aliud alij fidem adferat; quòd Deus illis terram tradiderit, quòd Principes regionis terrore maximo, quòd populus omnis reliquus pauore & virium defectu laboret. Ideò ſingulis affirmationibus Hebraicè præpoſita eſt vox* CHI, *affirmationis & rationis index: habitatores terræ metu exterritos ad munitas vrbes confugiſſe indicat oratio: atque huiuſmodi terrorem & pauorem grauiſsimorum exemplorū cogitatione & æſtimatione amplificatum, altius inſediſſe ait.*

Audi-

Audiuimus quòd ſiccauerit Dominus aquas maris ad veſtrum introitum, quando egreſſi eſtis de Ægypto.

PRIMVM *exemplum quo illis euidens fiebat conſilium Dei, erat celeberrimi illius miraculi fama adhuc recens, et in ore omnium; quòd eductis ex Aegypto, vt via facilior & commodior atque tutior eſſet, Rubri maris aquas aperuerit, non ſolùm cedente, ſed adiuuãte etiam elementorum natura occupationem aliarum regionum ab ipſis incundam: itaque quibus mare concedat, viamq́ſubſternat, nihil mirandum ſit, ſi terra etiam ipſa obſequatur, teſtariq́ naturam omnem, cæli & elementorum, Dei conſilium erga populi illius tutelam & amplificationem: quid verò obſiſtere poßit hominibus ijs quibus venti, mare, & terra ex Dei prouidentia ſingulari auxiliantur; aut quis deliberet an ſit humanis viribus experiũdum aduerſus eos, quos ipſa rerum mutarum firmißima natura fouet & iuuat; præcipuè cùm manifeſtum exemplum extet eorum, qui ſuo magno malo contra conari tentauerint.* & quæ feciſtis duobus regibus Amorrhæorum qui erant trans Iordanem, Seon & Og, quos interfeciſtis. *Argumento ex contentione ducto oſtendit Rahhab magnum excidium metui ab omnibus Cananææ regionis incolis. Nam ſi duo potentißimi reges, quorum regna Iſraelitis non fuerãt antè in promiſſo explicata, tamen propter impeditum tranſitum, non ſolùm victi, expoliati, & occiſi, ſed omnino etiam exciſi fuere; manifeſtum fit, neque loci natura, neque hominum virtute vllum impedimentum obijci Iſraelitis poſſe, quominus promiſſa illa regio obtineatur: maximè cùm Amorrhæorũ reges neque illam ſententiam aduerſus regionem ſuam à Deo pronuntiatam prænouerint, neque animo fracto atque perturbato fuerint, imò adeò intrepido atque deliberato, vt venientibus, & nihil tale cogitantibus Iſraelitis bellum vltrò obtulerint; quid verò ijs fiet quorum regionem Deus Iſraelitis adſcripſerit, quorúmq. animos perterrefecerit; & vires confregerit omnes! Significãter autem annotauit; qui erãt trans Iordanem; ad loci & ſitus naturam atque ad gentis copiam notandam, & illud præcipuè quod dicebamus, regionem illam non fuiſſe antea nominatim damnatã. Quod verò ait,* quos interfeciſtis: *integram regum & regnorum exciſionem ſignificat; id quod ex diuino conſilio factum eſſe cognoſcitur. Namq́ totius gentis exciſio, ſicut omnis alia publica calamitas, manifeſtum*

» *Dei iudicium conſiliumq́; probat. S.S.E. An eſt malum in ciuitate*
» *quod non faciat Dominus? Atque verbum* HHARAM *excidere & vaſtare Latinè verti poteſt; ex quo verbo Græcũ nomen* ἔρημος *eſt factum, Hiſpanicè dici poteſt, Que los yermò. quo verbo non ſolùm reges, verùm populos etiam omnes penitus exciſos eſſe ſignificabat. inde autem exempli ſimilis in ſe ſtatuendi metu Cananæos tum reges tum populos conſternatos eſſe affirmabat. his autem argumẽtis complexio ſubtexitur neceſſaria ex contentione, vti diximus, argumentando. ea autem huiuſmodi eſt:*

Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum.

SOLA *fama effectum eſſe ait, vt omnium animi terrore & pauore conſternarentur, antè etiam quàm Iſraelitæ propiùs accederent. verùm illis iam non procul diſtantibus, atque adeò conſpectis, nihil virium aut roboris in quoquam ex fortiſſimis fuiſſe relictum. Nã ſi alienæ cladis fama terrorẽ incuſſit, quid exiſtimandũ eſt, vbi Iſraelitæ & animum & aciem aduerſus aliquem populum intenderint, deliberato ipſis vel potius à Deo conſtituto, & firmato conſilio? Itaque duo tempora hìc diſtinguuntur; & famæ ex alienæ calamitatis narratione, & expectationis ex proximo conſpectu. Atq. ſpiritum, animi virtutem, & corporis robur hoc loco exponimus: cor noſtrum, ad omnem gentem referimus: illud verò* nec remanſit in nobis ſpiritus, *ad principes & ad robuſtiores atque fortiores eſt referendum. Hebraicus Idiotiſmus ita habet:* neque ſtetit ſpiritus vlterius in viro à facie veſtra. *hoc eſt vobis proximis & ferè inſtantibus. Si coniecturæ locus eſſet, exiſtimare poſſemus lectionem Latinam, ad introitum veſtrum, fuiſſe mutatam, olimq́; legi ſolitum, ad intuitum veſtrum: ſed correctiſſimorum exemplarium Latinorum ſanctam fidem perpetuò eſſe volumus in vulgata editione, quam exponendam ſuſcepimus & defendendam. Si legimus, ad introitum, exponendum eſt iam vobis penè ingreſſis regionem noſtram, non longè adhuc diſtantibus: Commodiſſimè verò atque opportuniſſimè omnis ſuperbiendi occaſio à prudentiſſima femina præciſa fuit hoc loco illis, qui ſibi gentisq́; ſuæ fortitudini illum populorum terrorem vendicare poſſent, vt facilè humana ſtultitia, quod audit, non tam eſſe curat, quàm credit. Affirmat igitur femina per Epanorthoſim figuram, illius metus*

atque terroris communis cauſam, non ad Iſraelitarum, ſed ad Dei virtutem eſſe referendam.

Dominus enim Deus veſter, ipſe eſt Deus ſurſum, & in terra deorſum.

S V A S *cuique partes adtribuit Rahbab, populo Iſraelitarum electionem à Deo profectam, & ipſorum in Deum fidem commemorãs, & Dei virtutẽ in vniuerſum prædicans. Non, inquit, veſtra fortitudine vel dexteritate facta ſunt hæc, ſed virtute eius, qui ſumma infimaq́; gubernat, qui ſe vobis propitiũ gubernatorẽ ſingulari prouidẽtia præbet. Neque enim regũ illorum excidium & regnorũ extinctio ex alia virtute proficiſcitur, ab ea qua Rubri maris aquæ vobis ingreſſuris diductæ, & detentæ fuerunt, hanc virtutem vobis timendam ego ipſa credo, timeo, colo & veneror; atque exercendam in vos gẽtemq́; veſtram pietate proſequor. Hactenus orationis exordium eſt, quo fidem ſuam in Deum Deiq́; conſilium inſignis illa femina profitetur, quo rerum atque hominum ſuæ regionis declarat ſtatum, quo metum & religionem exploratoribus, atq. adeò omni Iſraelitico populo incutit, oſtẽditq́; non ex propriæ potentiæ perſuaſione, ſed ex diuinæ virtutis & voluntatis cogitatione agẽdum illis eſſe, tam in ſuis ipſorum quàm in aliarum gẽtium rebus iudicandis, æſtimandis, atq. tractandis. Deinde verò ad perſuaſionem accedit, ſalutisq́; ſuæ commẽdationem officij erga illos ſui expoſitione tum præteriti, tum præſentis, & futuri, ſuamq́; illis curam primùm probat, quam officij ſimilis repenſione ſibi exolui oportere confirmat.*

Nunc ergo iurate mihi per Dñm; vt quomodo ego miſericordiã feci vobiſcum, ita & vos faciatis cum domo patris mei.

H O N E S T A *manifeſti beneficij confeſſione illos primùm obligare prudens femina ſtudet, idq́; Deo teſte probatore, & iudice fieri poſtulat; vt cùm res tempusq́; exegerit, vel officium legitimum repetere poſſit, vel Deum fraudis & iniuriæ certiſſimum vltorẽ habeat. Nomen autem iurandum appellat illud arcanum Iſraelitis præcipuè notum & cultum; cuius ſignificatio, ad miſericordiæ & benignitatis, ad publicæ ſalutis myſteria plerumque refertur. itaque Deum hoc appellatum nomine, & ſui erga illos beneficij arbitrum, & ipſorũ erga ſe officij teſtem aſſertoremq́; proponit.* Nunc ergo; *concluſionis vim habet in omni orationis genere: atq. in deliberatiuo frequẽtiſſimè ad*

ſuaſionem vſurpatur;vt, Nunc ergo filij audite me. iurate mihi: *Hebraicè hoc verbum paſſiuè legitur, & manifeſtam obligationem indicat: Latinè, in cæteris temporibus & modis rarum eſt huiuſmodi*
Horat. *exemplum;in participio verò elegãter paſſiuè vſurpatur,vt, Per ſanctum iuratus dicat Oſirim. Interpres noſter Latino verbo Latinè eſt vſus:namque ipſa iurandi ratio paſſiuam obligationem continet. fatemini, inquit, mihi iuramento interpoſito, nomineq́; appellato Dei miſericordis, quem ego veneror, voſq́; colitis, ita vt illius cauſa à me beneficium in vos profectũ, vt ego profiteor, vos agnoſcatis, & illius metu vos ad officium rependendum obligemini.* vt quomodo ego miſericordiam feci vobiſcum, ita & vos faciatis cum domo patris mei. *Duo exigit; alterum, vt beneficium ſibi acceptum iuramento fateantur, hoc apertè ſignificat vox illa* quomodo; *itaque primùm confeſſione obligatos eſſe vult: deinde ad obligationis exolutionẽ promittendam inducit,* ita & vos faciatis . *Hebraicè partitio hæc apertiſſima eſt. Vult autem eoſdem ipſos qui beneficio affecti fuerint, ſuo ipſorum periculo, nomine, officio, non aliorum nuntiorum vel procuratorum perſonis vti, eandemq́; rationem ab illis, in ipſius procuranda ſalute, teneri vult, quam ipſa erga illos tenuerit. Tria verò membra petitionis huius adnotamus, quæ iuramento adſtringi poſtulantur: quòd iſti beneficium ab ipſa acceptum agnoſcunt & fatentur; quòd beneficij repenſionem in ſe recipiunt; quòd ſignum certum & confeſſionis & obligationis, atque exolutionis dabunt. Porrò beneficij rependendi conditiones ad accepti inſtar proponuntur, quòd ipſa illos liberauit, vna femina, duos, hoc eſt omnes quotquot in ſuam domum ſe receperant, quòd illi ſuam ipſius domum in qua ſeruati ſunt, excipient & liberabunt, non tam muros & tecta quàm animas ſibi coniunctas, & chariſſimas: ſibi non eſſe virũ, neque liberos, verùm viri & liberorum loco eſſe parentem vtrumq. & fratres & ſorores, quorum animas à morte liberari poſtulet. ſibi autẽ verum, ſiue veritatis, vt Hebraicè eſt, ſignum dari poſtulat; quo illa parẽtibus & fratribus polliceri ſecuritatem poſſit, & ſalutis promiſſo fidem etiam in Deum perſuadere: hoc etiã argumento feminæ pietas probatur, & cura erga ſuos feruentiſſima, & ſtudiũ religionis veræ pro viribus propagandæ apud eos quos conuertere ad Deum poſſit, hoc eſt apud parentes & fratres quos charos habebat, quóſque ſibi audituros ſperabat. porrò*
præter

præter vitæ atque ſalutis nullam aliam ab illis conditionem poſtulabat.

Vt ſaluetis patrem meum & matrem, fratres ac ſorores meas, & omnia quæ illorum ſunt: & eruatis animas noſtras à morte.

QVIBVSNAM *conditionibus exceptionem illam ſui & ſuorum intelligi velit, luculenta oratione expoſuit: tantùm vitam poſtulat ipſis ſeruari; namque illam orationis partem*, & omnia quæ illorum ſunt, *ad reliquam familiam ſeruorum, ancillarum, & liberorum; ſiqui alij illis erant, referendum eſt: id quod ex petitionis explicatione vltima confirmatur:* & eruatis animas noſtras à morte. *nam ſi de re familiari, & ſupellectili ſermonem faceret, quorſum attinebat hoc addere; vel ſi hoc non adderet & explicaret, quid intererat in re familiari excipienda, quæ ſi liberaretur, nulli vſui futura erat illis non liberatis? Cura itaque omnis capita ipſa non rem ſpectabat. quanquam verò Latinè legamus* omnia, *in neutro genere, id ex Hebraica dictione* CHOL *verſum eſt, quod maſculinũ ſimul & femininum complectitur; atq. pro argumenti ratione eſt exponendũ, vt illud apud Apoſtolum, Inſtaurare omnia, quæ in cælo & quæ in terra ſunt, & omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Cephas, ſiue Apollo. itaque illa tantùm animas eorum quos charos habebat ſeruandas commendauit; nihil de honore, loco, conditione; nihil de re familiari excepit, ſiue illis poſtea ſeruitutis, ſiue alias leges imponere placeret, ſiue à ſe abycere, ſiue apud ſe retinere, illorum ipſorum vel arbitrio permittebat: itaque pro magno pietatíſque pleno beneficio id poſtulabat, quod vel apud hoſtes poſtremum duci ſolet, nempe vitæ vſuram tantummodo arbitrio victorum ducendæ. Iam verò quid viri æquiſsimi contrà reſponderint, audiamus.*

Qui reſponderunt ei, Anima noſtra ſit pro vobis in mortem, ſi tamen non prodideris nos.

MAGNVM *beneficiũ non niſi maiori rependi oportere, æqui atq. pij viri docent; qui vitæ & ſalutis poſtulatam condicionem, non tantum dignã conceſſu eſſe, ſed niſi diligẽter præſtari contingeret, capitali ſupplicio vindicandã, itaque illud tanquã debitum apertè aſſeritur; alia verò adduntur præter poſtulata, quæ grati animi, & benignitatis argumentum præbeant: quod ad vitam & ſalutem attinet,*

non ſo-

puli pollicentur pleniſſimum beneficium. Tu à nobis ſalutem tantùm poſtulaſti, contenta vna exceptione animarum, idq́; eo tempore quo in vrbem irrueremus: nos verò non hoc tantùm tibi pollicemur, proprij capitis diſcrimine præſtandum, ſed etiam perpetuò conſeruandum: vt cùm Deus nobis tradiderit terram, atque adeò omnia quæ in terra ſunt, nos te & rerum communicatione, honore, atque amplificatione proſequamur; nõ enim in poſtremis & ignobilibus manebis, imò potius in primorum familiam aſciſcêris. Atque Rahhab Salomoni ex Iudæ familia inſigni viro matrimonio coniunctam ſacra Scripta indicant. Matth.1. *Igitur quod exploratores hoc loco pronunciarunt,* miſericordiam, *ad beneficium referimus, minimè poſtulatum, ſed vltro promiſſum: Veritatis autem nomen ad officium à femina poſtulatum, ab illisq́; receptum. Græci libri nonnihil hîc variant in perſonarum annotatione, idem tamen ſententiæ pondus reddunt, quod Hebraici, Chaldaici, atque Latini habent. Iam verò compoſito atque conuento promiſſoq́; facto pietatis officium femina abſoluit exactiſſimè, non ſolùm dimittendis impunè, atque tutò exploratoribus, verùm ſapienti etiam conſilio monendis; tanta illi diuini propoſiti cura erat, tam incenſa, atque diligens ſolersq́; fides.*

Demiſit ergo eos per funem de feneſtra, domus enim eius hærebat muro.

ET *loci & temporis opportunitatem captaſſe videtur prudens femina. Poterat namque portam illis aperire dimittendis, & funem porrigere quæſituris commodum locum aliàs in muro ad effugiendum, ſed ianuæ ſtrepitus apud vicinos nonnihil ſuſpicionis commoueret. neque adeo facilè intempeſta nocte ab hoſpitibus ignota in vrbe inueniri poterat locus ad ſe ſe dimittendum commodus atque tutus. bene autem accidit vt ipſius feminæ domus, muro vrbis innixa hæreret, ita vt poſteriorem partem publicus murus muniret, & clauderet; in quo muro, vel ſuper contignationes domus erant conſtructæ, atque feneſtræ agro imminebant; hoc & ipſis ad prodeundum, & ipſi poſtea ad periculum euadendum fuit commodiſſimum. Ipſa igitur ad feneſtram viros deduxit, ipſa funem parauit, ipſa demiſit, & quoad deſcendiſſe & libero loco eſſe cognouit, adfuit & perſtitit. deinde verò conſilio ſapienti iuuit, monens quemadmodum & quamdiu latêre oporteret inſectantium inſidias euaſuros.*

Dixitq; illis, Ad montana conſcendite, ne fortè occurrant vobis reuertentes, ibiq; latitate tribus diebus, donec redeant, & ſic ibitis per viam veſtram.

INSEQVENTIVM *conſilia præoccupat prudẽs femina, & eludit; intelligebat enim rectam viam, & vadorum loca, ab inſidiatoribus eſſe petenda, & facile fore exploratores capi, viam ipſam tenentes. Monet igitur montem conſcendere, qui & propter altitudinẽ, & ſyluæ denſitatem, & ad latendum, & ad inferiora proſpiciendũ commoditates haberet magnas, & ſi quid periculi crearẽtur melius effugi poterat. Spatium verò illis dierum trium perſcribit, nimirum iter vnum, à Iericho ad fluuium alterum, à fluuio ad Ierichunta, vnumq́; diem ad obſeruandum, & expectandos exploratores aſſignans: ex antiquis nonnulli hoc prophetico ſpiritu ab illa dictum interpretantur, præſciente tantundem temporis ab inſecutoribus fore conſumendum. vtcunque ſit, prudentiæ plenum hoc loco in femina cõſilium agnoſcimus, & officiũ pietatis obſeruamus, curantis non tantùm præſentem exploratorum ſalutem, ſed futurũ exitum, & ſucceſſum omnino incolumem. id quod Apoſtolus diligenter annotauit: Nónne* Iacob. 2. *Rahhab meretrix ex operibus iuſtificata eſt ſuſcipiens nuntios, & alia via eiiciens? Quod verò ait,* & ſic ibitis per viam veſtram: *ſic exponimus, vt ipſis liceat triduo per montem ire verſus Iordanem, non tamen ad publicam viam deſcendere ante tertium diem: nam ſi antea deſcendatur, via non erit ipſis tuta, poſtea verò tutiſſima futura eſt; perinde atque ſi illis tantum pateat. deinde ſignũ illis dat ſucceſſus optimi ex fide, qua ipſa incenſa erat, petitum. Si triduo latueritis eos qui vos inſequuntur, intelligite viam vobis eſſe à Deo inſtructam. Itaque exploratores feminæ illius opera & conſilio ſuſcepti, & liberati, atque demiſſi, dimiſſiq́; ſunt, iureq́; iurãdo obſtricti ſe illius domus tutelam & defenſionem ſuſcepturos. Verùm quia dubitare fortaſsis poterat prudens femina de exploratorum fide, quam concluſi ac pene coacti dederant, & ne metus atque periculi excuſatione demum exciperent, eam dubitationem boni officioſiq́; viri ex mulieris animo tollere voluere, idem nunc iam liberi polliciti, quod antè intra domum concluſi iuramento facto condixerant.*

Qui

Qui dixerunt ad eam, Innoxij erimus à iuramento hoc quo adiuraſti nos.

ORATIONIS *huius ſententia cum ſequenti exploratorum expoſitione, eo quem indicabamus modo, cohæret; aliàs enim ide repeteretur inferius quod ex ſacri eloquij ſimplicitate non eſſe, iam ſæpe aliis multis exemplis oſtendimus, oſtendemusq́ perſæpe aliàs: itaque hæc oratio hanc nobis explicationem indicat. Iuramentum iſtud quo tu nos domi concluſos, & penè coactos, atque in periculo conſtitutos adiuraſti, exceptionem habere aliquam poteſt, nunc iam liberatis nobis, & metum excuſantibus. Verũ enimuerò nihil huiuſmodi verearis: namque idem quod apud te concluſi promittebamus, nunc liberi maiori cum declaratione & certa ratione ſuſcipimus. Itaque verbum (erimus) à Latino interprete poſitum, non tam futurũ tempus quàm affirmationem annotat: vt illa, Os habent & non loquentur, oculos habent, & non videbunt. Hebraicè, & Chaldaicè propoſitio hæc ſic pronuntiatur: Liberi nos à iuramento, &c. Græcè verò, indemnes ſumus; &c. Iam verò id quod ex metu admiſiſſe videri poterant, ex conſilio ſibi eſſe admiſſum teſtantur, denuoq́ confirmant.*

Si ingredientibus nobis terram, ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaueris eum in feneſtra, per quam dimiſiſti nos; & patrem tuũ, ac matrem, fratresq́; & omnem cognationem tuam, congregaueris in domum tuam.

RATIONEM *officij ab ipſis ſuſcepti exponunt, & quemadmodum rectè præſtari, nulloq́ errore impediri id poſſit, decernunt. Dictio Latina, ſi, hoc loco non tam conditionem quàm expoſitionem affirmationemq́ obtinet; reddita enim eſt pro Hebraico* HINE. *quod ſæpe aliàs in, ecce, Latinus vertit. Ita etiam hoc loco Chaldæus* HA. *quod demonſtrantis & affirmantis eſt. ita Græca lectio ἰδοὺ habet. Eſt itaque ſententia: Eo tempore quo nos ingrediemur terram (ingrediemur enim dubio procul Deo nobis hoc donante) tu inprimis funiculum hunc coccineum ad eandem feneſtram appendes, per quam nos dimiſeris; deinde verò eos omnes quos chariſſimos habes, hoc eſt quos tu nobis indicaras, domum vocatos congregabis. ita ſiet, vt omnibus iis parcatur qui apud te fuerint, dum tu neminem qui ex iſtis non ſit, ſuſcipiendum cures. Atque hoc ita excipiebant illi, vt qui ex illorum hoſtium gente nulli parcendum eſſe, legis præceptis fuerant edocti.*

Poterant autem confugere ad illam domum complures vita indigni, niſi huiuſmodi fuiſſet exceptionibus cautum. Porro quòd funiculum Latinus interpres vertit, multiplex filum ſignificat, quale à feminis paratur, antequam in globulos conuoluatur: Hebraicè, THIKVATH HHVT, *congregatio fili, Chaldaicè* THVRA DE-HHVT. *Hiſpani Cemadexa de hilo. Iubetur autem coccineum ſignum appendere, quòd & colore & ſplendore purpura longius cõſpiciatur; deinde certæ magnitudinis, & notæ eſſe oportuit, ne vlla in agnoſcendo deceptio eſſet, ideoq́; ſignificanter dixerunt*, funiculus iſte. *Atque exiſtimo funiculum illum non Rahhab, ſed exploratorũ antea fuiſſe. Conſueuere enim exploratores, & excubiæ atque cuſtodes vrbium & exercituũ huiuſmodi res apud ſe habere, quibus pro teſſeris vtuntur, cùm ratio tempusq́; exigit. Poterat etiam cingulũ alterius ex illis eſſe, qualia Neapoli ex ſerico varij coloris conficiuntur; ita enim Rahhab poſtularat: Detisq́; mihi verum ſignum. hoc autem ſignum vt propriũ illi agnoſcere potuerunt, & in fidei datæ pignus mulieri tradere, vt & illa* Gen. 38. *etiam à Iuda Thamar nurui tradita ſunt, annulus, & armilla, & baculus, quem ipſe manu tenebat. Iam verò ſigno dato, & loco notato, atque cæteris conditionibus conſtitutis, quatenus ipſi ſuas partes, quatenus etiam Rahhab familiares ſuas, acturi ſunt; conſtituitur, ne qua cauſa intercidere poſſit iuramenti vtrinque turbandi, debere ipſam omnes ſuos quos ſaluos eſſe optauerat, ad ſe aſcitos domi concludere, & continere.* in domum tuam: *Significat pronomen* tuam *illos ob Rahhab meritum ab illa clade eſſe ſeruandos: quod etiam apertius Hebraica, Chaldaica, & Græca lectio indicant, addito illo membro* ad te in domum tuam.

Qui oſtium domus tuæ egreſſus fuerit, ſanguis ipſius erit in caput eius, & nos erimus alieni.

TOTAM *domum certum aſylum conſtituunt exploratores, cuius terminum oſtium definiunt, ratione rei ita poſtulante. namque in inuaſionis tumultu, neque is qui prodiret domo ſibi cauere, neque inuaſoribus fidem facere poterat, ſe eſſe ex Rahhab familia. ideoq́; quatenus alteri & alteri culpam ſuam vel declinare poſſent vel præſtare deberent, decernitur.* Sanguis ipſius erit in caput eius. *hac oratione idem ſignificatur, quod apud Latinos Culpam ſuſtinere, vt in Idiotiſmorum libro docebamus. Græci interpretes in hanc ſententiam*

tiam exponunt ἔνοχος ἑαυτῷ ἔσται: *ſed Chaldæus paraphraſticωs expo-nit, culpa necis ſuæ in capite ipſius.* & nos erimus alieni, *ab omni cul-pa & cauſa remoti; neque enim alienam culpam præſtare tenebimur.*

Cunctorum autem ſanguis qui tecum fuerit redundabit in ca-put noſtrum, ſi eos aliquis tetigerit.

POSTVLARAT *mulier ſuam ſuorumq́ animas tantùm: ipſi non modò ſalutem, ſed incolumitatem offenſionis omnis expertem polli-centur: ſi quiſpiam ex iis qui domi apud te fuerint, læſus offenſúsue fuerit, noſtra culpa eſto, neq. culpæ pœnam effugere ſtudebimus. Hæc verò omnia vt rectè, exactè, atque certiſsimè vtrinque ſeruarentur, arcani commendatione concludi oportuit. Nihil enim ad priuatarum rerum, nihil ad ſingularium conſiliorum ſucceſſum, æquè atque arca-num, fides, & taciturnitas exigitur, cuius conditione ſublata, dicto-rum conuentorumq́ conſtantia labefactatur.*

Quod ſi nos prodere volueris & ſermonem iſtum proferre in medium, erimus mundi ab hoc iuramento quod adiura-ſti nos.

DICEBAMVS *exploratores ex beneficÿ & officÿ erga ſe facti gratia, repenſionem vltro in ſe ferre cœpiſſe, minimè coactos aut in-uitos, ideoq́ conditiones potuiſſe addere pro iure ſuo, eas autem ad-didiſſe quas oportebat, nimirum fidei, & taciturnitatis: Nam qui quod illa popoſcerat, non ſolùm libenter, & liberaliter, verùm cu-mulate etiam promiſerant, definire cetera iure poterant, & aditum præcludere ad aliorum hoſtium ſalutem, & incolumitatem, cui Deus non eſſe conſultum volebat. Cauent igitur exploratores, ne conſilium hoc & pactum, conuentumq́ prodatur à Rahhab. Quod ſi, inquiunt, tu omnia hæc quæ facto apud te ſermone conſtituimus, cuipiam indi-caueris, nihil eſt cur à nobis promiſſum exigas, quod ſponte his legi-bus fecimus: neque verò eſt cur idem à nobis præſtari poſtules, nomi-ne iuramenti apud te facti; namque illud non plus valere volumus, quàm iuſiurandum, vi, metu, aut periculo propoſito extortum. eſt enim duplex ratio in hoc negotio; altera promiſſi exploratorum, quod quia nec vi nec dolo malo receptum erat, ipſi ſponte ſe præſtituros pol-licebantur certis conditionibus fidei ac taciturnitatis: altera verò iu-riſiurandi per illam ab ÿs exacti, qui apud eandem concluſi erant & in periculo conſtituti, quo ſe minimè adſtringi poſſe affirmabant,*

 vtpote

vtpote iam liberi, ſuæq́; ſponſis: oportere igitur illam officium ab ipſis & beneficium vltro promiſſum, officij etiam declarati obſeruatione expectare, non autem debitum iuriſiurandi prius exacti nomine exigere. Ideò ſignificanter dictum eſt, erimus mundi ab hoc iuramento quo adiuraſti nos. *Hebraicum verbum præteriti atque futuri ſimul temporum annotationem habet, vna adiuncta coniunctione* VAV. *quod ex illius linguæ germana proprietate ad ſententiam explicandam conſulto vſurpatum eſt, hac ſignificatione*, & fuimus & erimus mundi. *id quod Latinæ linguæ ratio & vſus vnica voce dictum non fert. Neque verò illi diſcedunt quoad de omni hac ratione ſit ex vtraque parte conſtitutum. id quod bonorum atque ſedulorum fideliumq́; virorum eſt, curare ne quid incertum in pactis conuentisq́; relinquatur, neque vlla ad crimen vel ad culpam, vel ad fraudem dolúmque, vel demum ad reprehenſionem anſa vtrinque detur.*

Et illa reſpondit, Sicut locuti eſtis, ita fiat.

ILLORVM *rationem ſermonemq́; omnem probat Rahhab, & eos à priori iureiurando liberari rectè poſſe ait, & poſteriori promiſſo atque recepto teneri iiſdem conditionibus optat & orat, atq. libenter admittit; námque omnia confirmat oratio illa*, ſicut locuti eſtis. *Hebraicè plurali numero hæc pronuntiatur, Idiotiſmo tamen Hebraico, quem Latinus interpres purè & clarè vertit: ſic Hebraica ſonat ratio*, vt verba veſtra, ſic rectè ipſum. *hoc eſt, rectè à vobis explicatum, rectéq́; exceptum, rectè promiſſum & receptum, rectè à me captum, & admiſſum eſt, idq́; eiſdem legibus, pactis & conditionibus vt conſtet, volo & confirmo.*

Dimittensq́; eos vt pergerent, appēdit funiculum coccineum in feneſtra.

NVLLVM *humanitatis officium à Rahhab prætermiſſum fuiſſe Dimittendi verbum indicat, quod opportunam ſalutationem includit. Nam quæ domo prodire non poterat, vt illos aliquo ſpacio deduceret, bonis verbis eſt proſequuta, Ite in pace, ſiue aliis iuxta linguæ illius, atque ætatis, & regionis morem.* Vt pergerēt, *abiiſſe illos, eandemq́; rationem eundo ſeruaſſe, quam illi præſcripſerat, hoc verbum ſignificat: Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè*, & abierunt: *infracto videlicet, & nihil hæſitante, ſed feminæ conſiliis obſequenti animo, optimum itineris ſui ſperantes ſucceſſum. Illa verò funiculum teſſeræ*

nomine

nomine ſibi datum quamprimum in feneſtra appendit. prudens femina, tum ex fide quã de Dei in ſe miſericordia conceperat, tum etiã ex ſapienti conſilio fecit, ne ſi eadem die qua Iſraelitæ obſidionẽ vrbis inciperent, funiculum illa appenderet, ſuſpicionem conciuibus daret compoſitæ iam & conuentæ rei, atque adeo proditionis crimen ſubiret; id quod minimè accideret, ſi multò antequam vrbs obſideretur, funiculus in feneſtra eſſet conſpectus. Feneſtram verò eandem hanc fuiſſe qua demiſſi fuerant exploratores, Hebraicus articulus declarat. Atque omnia diuino conſilio acta, ac tandem peracta eſſe, ipſa rerum ſeries prædictionibus & monitis reſpondens indicat; idque ita narratur.

Illi verò ambulantes peruenerunt ad montana, & manſerunt ibi tres dies, donec reuerterentur qui fuerant perſequuti: quærentes enim per omnem viam non inuenerunt eos.

EADEM *die qua exploratores montem aſcenderunt, Ioſue, vt antea exponebamus, populum ad Iordanis tranſitum hortabatur: exploratores id omne quod ipſis apud Rahhab euenerat diuinitus inductum interpretati, conſilium feminæ diligenter ſequuntur, in monteq́; triduo manent: interea verò ij qui illos iuſſu regis inſequebantur in vrbẽ rediere omnib. vijs perluſtratis, & inquiſitione diligenter facta per viam, veſtigiis omnibus obſeruatis, rogatis obuiis quibuſque: neq. verò illis cogitatio de mõte vlla incidit, vtpote qui exiſtimarẽt hominib. aduenis regionis ignaris, nõ potuiſſe in mentẽ venire, vt mõs peteretur, vtpote incognitus, maximè noctu, cùm facilius, promptius atque tutius eſſet viam teneri tritam, quamobrẽ viis potius inſiſtendum ſibi eſſe cenſuerunt: ita videmus, vt hominũ conſilia à Deo irrideantur, qui ſuos vbique miniſtros habet per quos agenda omnia, & monere & efficere ſolet. Significanter autem ſcriptum eſt,* quærentes per omnem viam non inuenerunt eos, *vt oſtenderet illos officium ſuum, & feciſſe, & in vrbem reuerſos teſtatos eſſe, illos à ſe minimè inuentos. quod ſi per omnem viam quæſiti, non inuenti eſſent, argui facile poterat, vel in ipſo regionis agro adhuc hærere illos & latere; vel miraculo effectum eſſe, vt illi effugerent, cùm inquiſitoribus fuiſſent tempeſtiuè occupata vada omnia.* Per omnem viam. *Hebraicè indicatur inſecutores*

illos

illos certas vias tenuiſſe, & diligenter obſeruaſſe; habet enim nomen viæ notationis adiunctum ſignum.

Quibus vrbem ingreſſis reuerſi ſunt, & deſcenderunt exploratores de monte, & tranſmiſſo Iordane venerunt ad Ioſue filium Nun, narrauerúntque ei omnia quæ acciderant ſibi.

EXPECTATO *triduo exploratores à monte ad quem diuerterant ad viam rediere, quæ à Ierichunte Iordanem vſque planior erat; id quod verbum* deſcenderunt *indicat. Quòd vero dicitur ad Ioſue filium Nun veniſſe illos, apertè ſignificat omnem hanc rationem populo fuiſſe occultam & celatam, ipſosq́; priuatè atque occulto conſilio à Ioſue nondum imperatore apertè confirmato miſſos, atque eidē adhuc ipſis priuato exiſtimato rem omnem retuliſſe, & narraſſe, de itinere, de via, de hoſpitio, deq́; ceteris omnibus ad eam vſque horam euentibus & ſucceſſibus. ex quibus illud compertum concluſumq́; erat, & ſummam rerum continebat omnem, quod narrationi adiunctum eſt. atque dixerunt:*

Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus noſtras, & timore proſtrati ſunt cuncti habitatores eius.

NARRATIONIS *totius complexionem affirmatiuam continet oratio hæc; atque cauſam indicat ſucceſſuum omnium, Dei videlicet voluntatem, cuius conſilio quicquid ipſis contigerat, factum eſſe interpretantur. adeò ſibi omnia videri comparata, vt non de futuro prædici, ſed præterito verbo vti fas ſit; nempe terrā in manus eſſe traditam, nec ipſorum virtute, aut præſtantia, ſed benignitate Dei, ipſis verò reliquum eſſe manus tantùm aperire ad capiendum: cùm verò hoc aliquo negocio & labore conſtare poſſet, vt regio caperetur, tamen incolæ viriliter dimicarent, & propugnarēt; Dei tamen virtute effectum eſſe, vt omnes habitatores terræ, viribus fractis, animo percuſſo & abiecto ſint, non ſolùm cogitatione diuinæ potentiæ, ſed opinione fortitudinis atque dexteritatis Iſraelitàrum; ita vt neq; contra Deum neque contra ipſos aliquid incolæ efficaciter ſint molituri. Ita Deus & Iſraelitis obtinēdam regionem tradiderat, & idem hominibus metū iniecerat, opinionemq́; fecerat virtutis Iſraelitarum non propriæ aut naturalis, (ſiquidem ipſi non minus quàm illi homines erant,) ſed diuina efficacitate auctæ & amplificatæ, quemadmodum*

dum

dum Rahhab dixerat: Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor “
noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum: Do- “
minus enim Deus veſter ipſe eſt Deus in cælo ſurſum & in terra deorſum. Hebraicè ſententia hæc ſic legitur: Et NAMOGV omnes habitatores terræ ipſius à faciebus veſtris. *verbum* NAMOGV *Interpres noſter interdum vertit Obrigere: vt, Obriguerunt omnes habitatores Canaan. Interdum Elanguere, vt in hoc ipſo capite. Nonnunquã Tabeſcere: vt, Anima corũ in malis tabeſcebat. Huiuſmodi itaque animo & cogitatione depinguntur habitatores regionis illius aduerſum Iſraelitas. Chaldæus autem interpretatur: Et fracti ſunt omnes habitatores terræ corã nobis. Græca verò lectio ſic habet: Contractusq́; eſt omnis habitans terram illam propter nos. Ita variarum linguarum varia oratio eandem ſententiam reddit. Atque hoc ad Ioſue eadem nocte relatum intelligimus, quæ tertia ab ea die numerabatur, cùm ille populo prædixiſſet, Poſt tres dies tranſibitis Iordanem iſtum.*

Exod. 15. Sup. verſ. 9. Pſal. 106.

CAPVT TERTIVM.

IGitur Ioſue de nocte conſurgens mouit caſtra: egredientesq́; de Setim venerunt ad Iordanem ipſe, & omnes filij Iſrael, & morati ſunt ibi per tres dies.

TOTVM *ſuperius, hoc eſt ſecundum, caput, ad exploratorum hiſtoriam relatum, in ipſoq́; narrationis curſu opportunè interiectum eſſe oſtendebamus, quadam veluti paraſceue ad rem melius exponendam neceſſaria. Iam verò hoc in capite Ioſue hiſtoriæ filum repetitur, qui illius diei, qua commeatus præparationem indixerat, proxima nocte, ſummo manè ipſe ſurrexit, optimorum ducum atque Principum exemplo, qui præ cura eorum quos regendos ſuſcepere, & vltimi ſomnium capiunt, & primi diluculo conſurgunt, vt cæteros excitandos, & ſuo quemq́; officio exercendos curent. Fuit autem ille dies primi menſis ſeptimus; vt inferius cognoſcemus. Ex quo intelligimus Moſem ſeptimo poſtremi menſis è viuis exceſſiſſe. Namq. decima menſis primi Iordanem fuiſſe tranſmiſſum hiſtoria tradit: tribus verò diebus antea Ioſue ducem diuinitus confirmatum legimus poſt trigeſimum iuſtorum Moſi ſolutorum diem. Igitur ſi à ſe-*

ptimo primi triginta repetantur dies, in poſtremi ſeptimo ſiſtendum erit. Neque verò à Setim ad Iordanem longis itineribus itum eſt; ſed in illo ſpacio tres ſunt dies conſumpti, ita vt tertia nocte citra flumen Ortum verſus quieſceretur. atque ita exponimus illud, & morati ſunt ibi per tres dies. *Hoc eſt, à Setim ad Iordanē vſque, tres dies poſuerunt, quod aliàs vno die confici poſſet. Verùm hoc triduum, & populi fidem explorabat, ferentis facilè eam moram, quam Ioſue interprete Deus definierat, & proximos hoſtes perterrefaciebat illa ſecuritate & cunctatione, quam populus adeò frequens præferebat in alienis agris, perinde atque in proprijs conquieſcens: deinde etiam fama ad remotiores proferebatur. Quod verò dicitur, ipſe & omnes* filij Iſrael, *ad certam deliberatamq; rem eſt referendum; quippe tam populus quàm dux alacri animo & conſtanti fortitudine ſeſe ad promiſſa obtinenda compararunt, non tentantes, verùm omnes vno conſilio, atque vna fide, filiorum videlicet Iſraelis, qui cum Deo & cum hominibus potens fuerat, nihil hæſitantes, nulla ex parte ſui muneris deficientes, ſed omnes. Neque verò eadem nocte qua eò peruentum eſt, flumen tranſmitti Deus voluit, ſed expectari ſequentis diei lucem: vt interim expectantium probaretur fides; atque etiam vt miraculi magnitudo, & ipſis Iſraelitis & gentibus fieret illuſtrior, & Ioſue ducis auctoritas & dignitas ampliſſima eſſe oſtēderetur: Verſum hunc vt hoc modo explicaremus, Hebraica inprimis lectio, deinde Chaldæa, & Græca verſio fecere. Hebraicè enim ita legimus*: Et ſurrexit Ioſue in mane ipſo, & mouerunt caſtra, & venerunt vſq. Iordanem, ipſe & omnes filij Iſrael, & pernoctarunt illic antequam tranſmitterent. *Secundus verſus ita incipit*: Et fuit à fine trium dierum.

Igitur illam verſionis noſtræ orationem, Et morati ſunt ibi per tres dies, *ita exponimus, vt numerum ab eo die incipiamus, quo Ioſue dixerat, Poſt tertium diem tranſibitis Iordanem.* Sup. 1.

Quibus euolutis tranſierunt præcones per caſtrorum medium, & clamare cœperunt.

Qvos *hic præcones Interpres dicit, iidem ſunt quos ſuperius Principes nominarat, Et præcepit Ioſue principibus populi, &c. horum munus & officium iam deſcripſimus. Oportuit autem ante miraculum illud magnum (quod à Ioſue ſperabatur) ad ingreſſum deſiderata* Sup. 1.

deratæ regionis fluminis traiiciendi beneficium diuinitus acceptu-rum populum legitimo ritu præparari, exemplo ſpiritualium Dei be-neficiorum, quæ non niſi iis qui ſeſe à vitiis purè & ſanctè purga-rint conferuntur. De iis verò beneficiis hic loquimur, quæ ad cœleſte regnum obtinendum præcipuè referuntur.

Quando videritis arcam fœderis Domini Dei veſtri, & ſacerdotes ſtirpis leuiticæ portantes eam, vos quoque conſurgite, & ſequimini præcedentes: ſitq; inter vos & arcã ſpacium cubitorum duûm milliũ, vt procul videre poſſitis, & noſſe per quam viam ingrediamini, quia prius non ambulaſtis per eam.

ANIMADVERTENDA *omnino eſt huius exempli ratio ad rectè inſtitutæ Reipub. normam obſeruata, atque ad Chriſtianæ veritatis imaginem inſtituta. Siquidem ex quo Lex in Sina monte lata eſt, & à populo accepta, Deus ipſe populi regem ſeſe eſſe declarauit, ſoliumq́; ſuum ſuper Cherubin, quibus arcæ propitiatoriũ obtegebatur, conſtitutum indicauit. Erat igitur Arca locus in quo lex conſeruabatur; lex inquam, qua ſeſe populus in Dei cultum obligarat, & qua Deus ipſe vltrò ſeſe etiam populo regem, tutorem, atque ſingulariter prouidentem, beneficumq́; exhibuerat, & declararat: quamdiu enim lex à populo purè ſanctèq́; coleretur, tamdiu Deum populo cõciliatum retinebat, & fauentem. Igitur in expugnandæ & obtinendæ regionis prima accupatione primùm oportuit regiam maieſtatem antecedere; deinde verò cæteros omnes propriis ſingulorum obſeruatis ordinibus ſubſequi. Hanc adeò rem Ioſue Dei miniſter & interpres per inſtitores illos, ſiue principes, ſiue præcones, populo obſeruandam præcipiebat: ſimul vt recto more principis & populi ratio iniretur; ſimul etiam vt miraculi tum in Iordane tranſmittendo, tum in occupanda regione, futuri auctoritas & efficientia Deo ipſi, cuius erat propria, tribueretur, atq. adeò fides illis amplior confirmatiorq́; redderetur.* Arcam fœderis Domini Dei veſtri: *eam ſignificationẽ habet annotatio hæc, quam paulo antè indicabamus; nempe in arca illa contineri legem, cuius recto cultu, miſericors ille Dominus Princeps & Rex populo illi ſingulariter declaratus conſeruabatur.* Et ſacerdotes ſtirpis leuiticæ portantes eam. *Arcã à Leuitis portari iubet lex, quam tamen quatuor à ſacerdotibus portatam fuiſſe legimus hoc loco*

in Iordanis tranſitu, & in Ierichuntis vrbis obſidione, & bis Hieroſolymis, cùm reſtituta eſt loco ſuo poſt pacatum à Dauide regnum Abſalone occiſo, & cùm à Salomone in templum eſt inducta. Hoc autem maieſtatis, auctoritatis & obſeruantiæ cauſa factum intelligimus. oportebat enim eos qui arcam, hoc eſt, Dei ſolium ferrẽt, ſanctos à populoq́; reliquo ſecretos eſſe, ideoq́; Leuitas ad eam rem delectos legimus. At verò celebrioribus locis & temporibus, maioris amplitudinis exemplo, & ſanctioribus perſonis vti oportet, vt cæteris hac imitatione maius obſeruantiæ onus imponeretur, & ſacerdotes ipſi intelligerent ſe primos eſſe, qui pietatem, officiũ, & cultum erga Deum Deiq́; ſanctitatem publicè profiteri deberent. Sic etiam apud gẽtium reges moris eſſe videmus, vt cùm primùm vel victores alicubi, vel domini apud ſuos excipiuntur, primorum regni vel vrbis virorum officio vtantur, aliis in comites delectis, aliis ad vela & conopæa ferẽda, ad equorũ habenas tenẽdas aliis deſtinatis. Itaq. arcam fœderis qua Dominus regionem regis nomine ingreſſurus geſtabatur, à ſacerdotibus vt à ſanctioris ordinis miniſtris portari oportuit, atque hos præeuntes reliquum populum ſubſequi. Facit etiam & ad hanc eandem rationem illud, quòd antea toto profectionis & longi illius per ſolitudinem itineris tempore duo exercitus ſigna arcam præibant.
„ S.S.E. Leuabitur autem tabernaculum teſtimonij per officia Leuita-
„ rum, & turmas eorum, &c. vt ſuo exponemus loco. Nunc verò ipſius regis Dei ſolium, cuius regis virtute omnia efficienda erant, omnem populum, atque adeò ſigna omnia militaria anteit; hoc eſt quod populus iubetur, vos quoque conſurgite: *id eſt mouete tentoria, ſarcinasq́; tollite, & ſequimini præcedentes ſacerdotes, à quibus arca Dei portatur.*

Sitq́; inter vos & arcam ſpacium cubitorũ duûm millium.

HOC *ſpacium interiectum & obſeruatum eſſe oportuit à populo, antequã ad Iordanis ripam perueniretur, vt hoc interuallo commodè videri poſſet quicquid per Deum circa arcam efficiebatur: namq. cauſa quamobrem hoc obſeruare iubentur, eueſtigio ſubiungitur:* Vt procul videre poſſitis, & noſſe per quam viam ingrediamini, quia prius non ambulaſtis per eam; & cauete ne appropinquetis ad arcam. *Videtur Ioſue non antea noſſe fluminis vada, & altitudines: tantumq́; potuiſſe cognoſcere partes eas per quas exploratores tranſijſſent,*

iſſent, et qua Iacob antea traieciſſet: & quamquam ex diuino monitu, [*tranſi Iordanem iſtum*] *miraculum expectaret, quemadmodum tamen, & quatenus, quáue parte edendum eſſet, nondum apertè intellexiſſe & noſſe.* per quam viam ingrediamini: *an plana, an ardua, an depreſſa ſit, proſpicere; deinde qua ſit tranſeundum. Cur verò duorum millium cubitorum interuallum ſit præſcriptum, præterquam quòd commodum eſſe ſatis videtur ad agnoſcendū ex proſpectu profectionis & viæ rationem, fortaßis & illud etiam in cauſa fuerit, quòd eo ſpatio ſabbathi iter, cuius mentio in Euangelio eſt, definiebatur, vt ſi contingeret ſabbatho alicubi conquieſcere ſupplicandi cauſa eouſque deambulare fas eſſet. Apud Ierichunta enim ſabbathum incidit. Quod verò ait,* ne appropinquetis ad eá: *intelligendum eſt, toto terreſtri itinere, antequam ad flumē perueniretur. Moſis tempore nubes interdiu, ignis columna noctu populo iter monſtrabat; nunc verò in regionem promiſſam deductis, iam nō opus erat nubis ductu, ſed ſatis erat arcam à ſacerdotibus vel leuitis portatā praeire, iterq́; prophetæ reſponſo indicari, quamobrem interuallum conſtitui oportuit, vt præcedentē arcam ponè ſequuturi omnes proſpicerent, cùm & ductoribus & populo eodem ſolo eſſet iter faciendum.*

Dixitq́; Ioſue ad populum, Sanctificamini: cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.

PROPHETÆ *& miniſtri officio vſus eſt hoc loco Ioſue, ea prædicens quæ expectanda à Deo erant, atque ad eorum expectationem ea quæ fieri expediebat, præcipiens. Diuino enim monitu cognouerat, magnum aliquod ſignum à Deo eſſe edendum in beneficium vſumq́; populi. Sed quale illud, quóue loco eſſet futurum, nondum diſertè fuerat edoctus. certus tamen rei, iubet populum ſanctificari, hoc eſt, animo atque ſtudio omni ad miraculum expectandum intentum eſſe, precibus vacare, ſupellectilem & vaſa omnia præparare, & componere; denique ſeſe promptos agileſq́; præſtare, nequid impedimenti eſſet quominus omnes qua hora Deus vellet tranſirent: itaq. ſanctificationem, non ſolùm animorum beneficio diuino exſpectando intentorum (quam primam & præcipuam partem eſſe oportuit) ſed corporum, veſtium, vaſorum, atque omnium ſarcinarum præparationem diligentem interpretamur hoc loco. Quod verò ait, inter vos, eius eſt ſignificationis, vt oſtendat Deum præſentem, ſingulari-*

terq́ prouidentem ſeſe illis nouo ſigno & miraculo edendo eſſe probaturum: namque hanc rationem in voce illa Hebraica BEKEREB, *obſeruauimus, quæ ad publicas & communis vſus res plærunque refertur: vt illa, Eo quòd repuleritis Dominum, qui in medio veſtri eſt: &, Quoniã Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui. Interpres noſter pro hac voce ſæpe, in medio; aliquando, intra; nonnunquam verò, inter, vertit. Nomen autem* mirabilia *ſingularem rationem indicat miraculi edendi, quippe ex multis verbis quibus miracula ſignificantur, vnũ eſt* PALA, *quod Abſcondere, & ſecernere, atque ſingulariter, & à communi vſu & conſuetudine remotum aliquid Agere, interpretari poſſumus. Miraculum igitur vox hæc ſignificabat futurum non vulgare, non frequens, non ex eorum genere quæ cum natura rerum vel temporum aliquid cõmune habeat; vel quod ab inimicis diuinæ veritatis ad cæli ſiderumq́ efficientias referri vlla ratione poſſet, ſed planè mirandum, omniq́ naturæ negatum, vníque Dei virtuti & efficacitati tribuendum.*

Num. 11.

Et ait ad ſacerdotes, Tollite arcam fœderis, & præcedite populum. Qui iuſſa complentes tulerunt, & ambulauerunt ante eos.

OBSERVANDA *eſt rerum ſeries: Ioſue ſummus Dux, idemq́ propheta, populum primùm monet, vt ſe ad miraculi expectationem præparet, quòd maioris & longioris aliquantò moræ erat. Deinde ad eiuſdem miraculi expeditionem ea quæ agi per miniſtros oportebat, agenda curat et commendat. Quo enim grauiores perſonæ huic rei animum, ſtudium, & operam conferebant, eo maiori mentis attentione populus communia totius eccleſiæ vota iuuabat: oportuit enim ſacerdotum onus illud ſubeuntium ſolemnem aliquam precationem præceſſiſſe, cui animis atque linguis faueret populus, vt illam legimus celeberrimam: Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius, &c. Cur verò dux non vnctus ſacerdotibus vnctis præcipiat, ſi præceptum aut iuſſum huiuſmodi appellandum eſt, (cùm potius nobis officij admonitio dicenda videatur) tamen illam quam reddamus, in promptu rationem habemus, illum non tanquam ducem aut imperatorem populíue principem ſacerdotibus præcepiſſe hoc loco, ſed tanquam prophetam, ea quæ Deus illis curanda agendaq́ iuberet, expoſuiſſe. Prophetæ autem officium nullis certis*

Pſalm.

certis perſonarum, locorum, temporúmue rationibus coërcetur, aut definitur, ſed pro Dei voluntate & iuſſu explicatur: ita videmus vel paſtores prophetico ſpiritu actos, regibus, ducibus, & principibus atq. ſacerdotibus dictare: cuiuſmodi exempla in Moſe ipſo, in Iſaia, in Amoſo, in aliiſq. multis obſeruantur. Igitur nouam rem Ioſue Sacerdotes nunc monet; namque antea à Leuitis non à ſacerdotibus arca tollebatur. eam verò nouam rem pro loci atque temporis ratione Prophetici muneris auctoritate ſacerdotibus mandari intelligimus: id quod Hebraica oratio apertius nobis indicat eiuſdem formulæ cum illis omnibus quæ in Legũ libris legimus; cùm aliquid Moſi ad populum vel ad ſacerdotes referendum dictabatur. ſonat verò in hũc modum Hebraica oratio, Et dixit Ioſue ſacerdotibus dicens; cùm verſu proximo, vbi de populo agitur, legamus: Et dixit Ioſue ad populum, Sanctificamini, &c. *Neque verò vel mirum vel alienum eſſet aliàs in militaribus ordinibus, & itineribus pro tempore ac loco ſacerdotes ab imperatore ipſo moneri, vt ſuum munus quamprimùm obirent, ſuum locum tenerent, primi omnium irent, vel poſtremi re id exigente: ſed nos certam huius loci rationem in prophetica eſſe auctoritate exiſtimamus: diligenter verò obſeruandum, menteq́. recolendum, illud eſt, perpetuò in his locis arcam fœderis appellari, primùm ad diſtinctionem, namque duæ aliæ arcæ aſportabantur; altera Moſis, in qua Tabularum raptarum fragmenta, Vas manna plenum, & Aaronis virga claudebantur; & arcam etiam oſſium Ioſephi ex Aegypto tranſlatorum: quemadmodum à nobis proprio & opportuno declarabitur loco. Deinde verò præcipuè ad ſignificationem & obſeruationem illam fœderis inter Deum & populum pacti, cuius rationem aliqua ex parte ſuperius indicabamus, & ad Chriſti virtutem, efficacitatem & gloriam pertinere adnotabamus, quem ſacerdotalis officij, populiq́. obſequij, omnis denique antiquæ, magnæq́. ſapientiæ ratio ſpectabat; de quo nobis magnus & arcanus eſt ſermo. Eodem ordine quo moniti fuerunt ſacerdotes, partes ſuas curarunt; ſolemniter enim arcam petierunt humeriſq́. ſuſtulerunt, arcam inquã illam fœderis, vt Hebraica lectio repetendo adnotat, Et primi cœperunt iter Iordanẽ verſus facere populumq́. præire. hoc ſacerdotum deliberato & conſtanti exẽplo populi fidem & ſpem augeri firmariq́. oportuit. Iam verò populo atque ſacerdotali ordine ad officium faciendum*

dum prompto atque in ipſo officio conſtituto, quod hactenus in genere certior factus erat Ioſue de miraculo exſpectando, nunc ſingulari ſignificatione cognoſcendum admonetur, & quorſum hæc tam magna res tendat, apertè docetur, nempe ad ipſius dignitatem, auctoritatem, amplitudinemq́ non modò populo ipſi Iſraelitarum, ſed gentibus alijs clariſſimè oſtendendam.

Dixitq; Dominus ad Ioſue: Hodie incipiam exaltare te coram omni Iſrael; vt ſciant, quòd ſicut cum Moſe fui, ita & tecum ſim.

E x *hoc Dei reſponſo primùm intellexit Ioſue Iordanis aquas eſſe diuidendas, qui cùm toto alueo plenus eſſet, atque illa parte quæ obuia proximaq́ erat, præcipuè altus, illéq́ dies tranſmittẽdo flumini eſſet prædictus, cùm nunc audiret, ſe, præſente populo, eodem die eſſe amplificandum, idq́ ad exemplum Moſaicæ amplificationis eſſe faciendum; intellexit prudentiſſimus & legis peritiſſimus vir, diuinã virtutem ſui ornandi cauſa in aquis, hoc eſt in flumine, oſtenſum iri: nam qui dies Rubri maris interſecti & peruadati miraculo inſignis fuit, idem primus etiam amplitudinis, & præcipuæ dignitatis atque auctoritatis fidem Moſi apud populum arrogauit. S. S. E. Filij autem*
" *Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris, & aquæ eis erant quaſi*
" *pro muro à dextris & à ſiniſtris: Liberauitq́ Dominus in die illa*
" *Iſrael de manu Aegyptiorum. Et viderunt Aegyptios mortuos ſu-*
" *per littus maris, & manum magnã quam exercuerat Dominus con-*
" *tra eos: timuitq́ populus Dominum, & crediderunt Domino & Mo-*
" *ſi ſeruo eius. Itaque cùm ad hoc exemplum auctoritatem ſuam amplificatum iri audiret, ſapienter credidit fluminis aquas miraculo eſſe interſecandas; idq́ vt credidit, ſic etiam populo prædixit; vt paulò pòſt ſubiungitur:*

Tu autem præcipe ſacerdotibus qui portant arcam fœderis, & dic eis: Cùm ingreſſi fueritis partem aquæ Iordanis, ſtate in ea.

P A R T E M *hanc in qua conſiſtere iubentur ſacerdotes, non priorem ipſam ingredientibus, ſed poſteriorem, hoc eſt ſecundum alteram ripam ab occaſu, intelligimus. Iubẽtur enim non omnino traijcere, ſed manere, & conſiſtere in ipſa fluminis poſtrema aluei parte, citra ripam. Hanc expoſitionem facti ratio, & Hebraica, Chaldaica, &*

Græca lectiones nos docent. Sic Hebraicè ex verbo, cùm veneritis vſque ad extremum aquarum Iordanis, in Iordane conſiſtetis. *Sic etiam Chaldaica ſonant. Græca ſic, Cùm veneritis ad partē aquæ Iordanis, & in Iordane cōſiſtetis. hoc autem iubebantur facere ſacerdotes, vt miraculum diuina tantùm virtute ſingulariter conſtare cognoſceretur, tamdiuq́. durare, quoad efficacitas ipſa ſiſteret. Erat autem efficacitas prouidentia Dei volentis illo tempore ſeſe ſingulariter apud arcam illam probare & oſtendere. Neque enim naturæ vi, neque horæ, aut ſiderum efficientia, neque populi ipſius virtute, ſed Dei præſenti & efficace voluntate illud fiebat. At verò Ioſue vt auctoritatem ſuam à Deo profectam eſſe prudenter & modeſtè inſinuaret, huiuſmodi præfatione vſus eſt.*

Dixítque Ioſue ad filios Iſrael, Accedite huc, & audite verbum Domini Dei veſtri.

VERBVM *Domini, ad religionem populo incutiendam, & obſeruantiam ſuadendam aptiſſimo & efficaciſſimo nomine eſt vſus: ita vt quæ deinceps dicturus in oratione ſit, fidem atq. etiam obſequium ſpectantia, pondus habeant maximum. Rem verò publicam, cōmunem & omnibus vtilem promittebat oratio illa,* accedite huc, *ad filios Iſrael dicta: hoc ipſo filiorum Iſraelis nomine, quod & diuini beneficij antiquam amplitudinem commemorabat: Deinde verò grauitatē indicabat orationis (vt iam diximus) illud, Audite verbum Domini Dei veſtri: cuius verbi ſe miniſtrum, interpretem, atque adeò vatem eſſe ipſe ſignificabat. ſimul etiam totius orationis argumētum præferebant nomina illa, Domini Dei veſtri, in quibus miſericordiæ & gubernationis rationes continebantur. Facile enim ex frequenti conſuetudine intelligebant illi, aliquid illis exponendum, quod ad miſericordiæ vſum & promiſſa, aliquid etiam quod ad actionem obſeruantiamq́. pertineret: exordio verò orationis & allocutionis corpus attexitur.*

Et rurſum in hoc, inquit, ſcietis quòd Dominus Deus viuens in medio veſtri eſt: & diſperdet in conſpectu veſtro Chananæum, & Hethæum, & Heuæum, & Pherezæum, Gergeſæum quoque, & Iebuſæum, & Amorrhæum.

PROMISSI *ad nomen illud ineffabile Domini pertinentis certum ſignum in ipſo illius diei miraculo obſeruandum proponit. Indi-*

cabat verò arcam ipſam à ſacerdotibus prælatam, cùm diceret, In hoc cognoſcetis. Hodie, inquit, aperto ſigno intelligetis Domini ſingularem erga vos prouidentiam in hoc ſolio eſſe manifeſtandam, eúmque ſeſe probaturum tutorem, regem & vindicem veſtrum, qui vt naturam ipſam aquarum & fluminis ab omni vobis inferendo impedimento arcebit, ita etiam gentes has quarum præcipua capita vobis nomino, omnino ſubmouebit. Animaduertendum verò eſt, gentes omnes, quæ citra Iordanem conſederant, communi ciuitatis nomine in hos pagos, deinde verò pagos ipſos in multas vrbes olim diuidi; de quibus nos latiùs in ſacro Apparatu agebamus. Quod verò ait, Deus viuens; non ſolùm ex antitheto deorum aliorum, qui nulli erant, ſed ex Moſis memoria interpretamur. Nam cùm apud mare Moſes eſſet, illud miraculum celeberrimum editum fuit, cuius ad omnes eſt gentes perlata fama, ita vt Moſis magnum nomen apud omnes increbuerit. nunc verò Moſe è viuis ſublato, oſtendetur illius populi ſecundas res non Moſis felicitati, ſed Dei virtuti, & efficientiæ eſſe adſcribendas, cui Moſe, vel quouis alio vita defuncto, tamen vita propria conſtans perpetuaq́; eſt, & virtus efficaciſſima, quam terra, aqua, maria, flumina, abyſſi, & gentes omnes tremant. Illud etiã præter ſuperiora proponitur ipſis credendum, Deum, cui ſuam prouidentiam ſingularibus in illum populum beneficijs in illius arcæ loco oſtendere placuit, Iordanis aquas diuiſurum eſſe, ſeſeq́; oſtenſurum eundem eſſe, qui omni terræ dominetur & præſit. Atque ſignum quo hæc illis cognoſcenda & credenda confirmabantur, illud fuit, nempe ſanctam illam Arcam flumen tranſituram ſpectantibus ipſis. Lib. Canaan

Ecce arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Iordanem.

QVAM *anteceſſionem non poſſe citra miraculum conſpici res ipſa demonſtrabat: namque Arca ſacerdotum ſublata humeris non erat ſine ſacerdotibus anteceſſura, atque fluuius per quẽ anteceſſura erat, alueo redundabat pleno. Conſequens igitur erat miraculum expectari oportere. Quoniam verò arca, non vt arca, ſed vt fœderis cuſtos celebrabatur, fœduſq́; initum erat inter Deum & populum, vt quodcunque Deus vellet, hoc faceret populus; quocunque duceret Dominus, eò populus tenderet, & ſequeretur, neque inter vtramque partem diſſenſio & pugnantia eſſet; oportuit, in publicis atque celeberrimis*

rimis diebus hãc rẽ legitimis ceremonijs oſtenſam teſtatamq́; eſſe, ita vt qui illius fœderis participes eſſe profiterentur, communi omnes ſeſe in cauſa, communi conſenſu & exemplo idem demonſtrarent. Iam verò fœderis primum ac præcipuum caput erat Deus, qui ſe vltro regem præbuerat populo; alterum caput minus, populus erat, qui ſeſe Deo principi addixerat: huius fœderis miniſtri, internuntij, & teſtes in terris erant ſacerdotes, qui qua parte homines erãt, ad populum referebantur; qua verò vncti, & ſpiritu miniſtrationis aucti, maius quid populo atque adeò diuinum obtinebant. Oportuit igitur in illo celeberrimo in terram poßidendam aduentu & introitu, integram fœderis huius rationem obſeruari, ita vt Deus tanquam rex cũ populo, populus rege ſuo comes ingrederetur: neq. enim rex ſine regno neq. regnũ ſine rege cognoſcitur. Quanquã verò Deus terræ omnis Dominus iure appelletur, tamen quia introitum hunc, non hoc tantùm nomine communi, ſed ſingulari nomine fœderis Deus faciebat, opus fuit eos qui fœderis rationem conficiebant, ad eundem introitum vocari, atque miraculi ad fœdus promouendum facti eſſe participes. Hoc itaque Ioſue prudẽtißimus dux & propheta ſapientißimus curauit.

Parate duodecim viros de tribubus Iſrael ſingulos per ſingulas tribus.

HOS *ex omni populo atque adeò ex ſingulis tribubus delectos totius populi perſonam gerere voluit Deus, qui & bellicam & regiam œconomiam, & fœderis obſeruarent rationem. Vt enim in publicis conuentibus principes & ſummi magiſtratus ciuitatis omnis; in eccleſiaſticis concilijs epiſcopi & paſtores primi eccleſiæ totius vice officium faciunt; ſic etiam in hoc fœderatorum introitu duodecim hi ſinguli ex ſingulis tribubus delecti, partes agebant populi, quos non ſolùm hoc nomine, ſed bellico etiam more, tanquam totius populi principes viros communem Dominum regemq́; ingredientem, fluménque tranſmittentem, comitari oportuit; cæterum verò populum opportuno tempore tranſire; hos autem à tergo arcæ Domini tranſeuntis non diſcedere. Atque hoc ſapientius à Ioſue curatũ fuit, quàm illud aliud fuerat à populo conſtitutum, cùm duodecim illi viri ex tribubus delecti ad explorandam regionem fuere delegati: ſatis enim tunc fuiſſet exploratores mitti, quàm principes viros, qui non niſi*

vnà cum Domino eſſe debuere. namque aliàs conſiliorum & ſtudiorum atque officiorum ſententiarumq́. diſſenſionem maximam vereri oportuit; quo morbo plerumq́ reſpub. laborare ſentiuntur, quoties æqualis auctoritatis exiſtimationiſq́ homines, non vni cuipiam addicti capiti, gerendæ cuiuſpiam rei cauſa longius mittuntur. Hos itaque arcæ comites, non vt illos præcedere conſtituerat populus, ſed ponè ſequi voluit Ioſue, qui rerum perſonarumq́ ordinē rectè inſtituit, & fidem ſpectatione miraculi firmare ſtuduit, cuius miraculi amplificationem certis definitionibus demonſtrauit. eadē opera ſuam auctoritatem atque propheticam dignitatem populo commendauit ſapientiſſima inſinuatione.

Et cùm poſuerint veſtigia pedum ſuorum ſacerdotes, qui portant arcam Domini vniuerſæ terræ, in aquis Iordanis, aquæ quæ inferiores ſunt decurrent atque deficient; quæ autem deſuper veniunt, in vna mole conſiſtent.

IN *miraculorum atque etiam in vaticiniorum ratione circumſtantiarum quas vocamus definitionem diligenter obſeruari oportere, iam aliàs docuimus: neque enim Scriptura, vbi de certis miraculis agit, communia quædam verba mathematicarum diuinationum more adfert, quæ in quēcumque euentum flectere poſtea artifices poſſint, ſed certa locorum, temporum, & perſonarum ſigna notanda prædicit atque obſeruanda, quorum conſtans ſpectataq́ ratio, rem ipſam non ex naturæ, non ex caſus efficientia, ſed ex Dei ſingulari conſilio profectam oſtendunt: hæc eo maiora, eoq́ admirabiliora eſſe probabuntur quo magis cum prædictionibus conueniunt. Ita adeò miraculum id quod illa die expectabatur (cuius exemplo probandum erat, vniuerſæ terræ Dominum Deum inter Iſraelitas eſſe, & regionis illius totius populos eſſe expulſurum,) ſingulariſſimis circumſtantiis obſeruandum fuit, ita vt ad aliam quàm ad Dei ipſius efficiētiam referri minimè poſſit. Primæ itaq. circumſtantiæ temporis & perſonarū fuit, vt cùm primùm ſacerdotum veſtigia aquam Iordanis tetigerint, non antea neque poſtea, ſed quamprimùm, neque verò quamprimùm vel baculi, vel veſtes, vel manus, vel aliquid aliud, niſi ipſa pedum veſtigia, quæ poſtremæ partes corporis ſunt, ex Dei Arcæ inſidētis virtute, non*

te, non ſua ipſorum, id erat efficiendum quod ſperabatur. Ne verò ad commune ſacerdotum munus, aut ad huiuſmodi aliquam auctoritatem hoc referatur, adiūxit Ioſue, qui portant arcam. *Nam quāquam alij arcam non portantes, vel ipſi iidem tamen depoſita arca, aquas contingerent, miraculum tamen non erat euenturum, eo quòd Dei conſilium erat oſtendere ſe illi arcæ fœderis, ſingulari prouidentia & virtute, vt populi illius regem gubernatoremq́ſummum inſidere, neque in aliis aquis hoc eſſe nunc ſpectandum miraculū, ſed in Iordanis aquis, in quo fluuio illud edi fuerat à Deo conſtitutum. Hæ ſunt loci, temporis ac perſonarum obſeruationes. Atqui miraculi etiam amplificatio ex ipſa fluuij natura & ex modo oſtenditur. Namque Iordanis nomen à Iarad accepiſſe videtur, quòd non leniter, vt de Arare atque aliis accepimus, labatur, ita vt oculis in vtram partem fluat, iudicari non poſſit, ſed decliui admodum deſcendat curſu: tamē illæ aquæ ex ſuperiori parte pedum ſacerdotum decurrenti flumini reſiſtentes in vnam molem inſurgāt, tanquam cumulum aut montem ex aquis conſtitutum; neque vel ſuo pondere ita comprimantur, vt aliqua ex parte erūpant; vel ſuperioris influxus impetu impellātur, aut ſuperentur, vel findantur, vt in congelatis fluminibus fit, ſed in vna tantùm eademq́ perpetua mole rotunda conſiſtant, inſtar cumuli qui ex frumenti culmis vel lini manipulis ab agricolis componi ſolet; ſiquidem hoc nomen* NED *ſignificat; pro quo nos Latinè molem rectè legimus: at verò aquæ omnes inferiores penitus defluant, cùm nullus ſit fluuius cuius ſi intercipiatur fluxus, omnes inferioris loci aquæ defluant, ſed eæ tantùm quæ pendere, ſoliq́ æquabilitate altiores eſſe comperiuntur; neque verò id repentè, & vno impetu, ſed æquabili defluxu fit, iuxta ponderis & magnitudinis, altitudinisq́ rationem, ita tamen vt lacunæ non paucæ relinquantur, in quibus aqua diu contenta reſideat. At verò illo tempore atque loco natura omnis magna ſingularitate Deum adeſſe teſtatura erat, quippe aquæ omnes quæ inferiores ſunt,* decurrent *atque* deficient, *populo tranſeunti cedentes, & locum tranſitus liberum, ſiccum & expeditum relinquentes: hoc autem vt prædictum à Ioſue fuerat, ſic factum narrat Scriptura, vt Ioſue auctoritas apud populum amplificaretur.* Cæſ. lib. 1. de bello Gal.

Igitur egreſſus eſt populus de tabernaculis ſuis, vt tranſiret

Iordanem,& ſacerdotes qui portabant arcam fœderis pergebant ante eum.

E O D E M *tempore quo populus tabernacula ſoluebat, vt Iordanem tranſmitteret, ſacerdotes etiam officium faciebant ſuum, ſublata & humeris impoſita arca populo præeuntes: quod ſignificanter hiſtoria exponit ad indicandam vtriuſque partis fidem; tam enim populus quàm ſacerdotes nihil in Dei promiſſo hæſitantes tranſmittendi fluminis illius quem plenum conſpiciebant certa ſpe ducuntur, ideo maiori adnotatione dicitur,* vt tranſiret Iordanem. *Iam verò res ipſa vt expedita fuerit, narratur deſcriptione appoſitè facta loci, temporis, & naturæ fluminis; vt miraculi magnitudo oſtendatur apertius.*

Ingreſſisq; eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquę tinctis (Iordanis autem ripas aluei ſui tempore meſſis impleuerat) ſteterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab vrbe quæ vocatur Edom vſque ad locum Sarthan.

C V M *fluuij omnes ferè calidiore tempore minus aquæ ferant, hoc ſingulare Iordanis habet, vt etiam totis meſſis diebus, quibus arent agri, toto alueo plenus fluat, idq; tū hoc loco, tum in Paralipom. libro docemur. S.S.E. De filiis Gad quæ Dauidi ſuppetias laturi venerunt,*
Paral. lib 12. ›› *iſti ſunt qui tranſierunt Iordanem menſe primo, quando inundare*
›› *conſueuit ſuper ripas ſuas: ſiue ea ſingularis fluminis illius natura ſit, ſiue montibus illis quibus Iordanis oritur & augetur, liquatæ per æſtum niues aquæ copiam effundāt, qualē Lateſim fluuium ex Rethiis alpibus æſtiuo tempore accipere vidimus, qualemq; Nilus ex Aethiopiæ montibus, vt nonnulli arbitrantur, accipit. Erat autem dies quo Iſraelitæ Iordanem traiiciebant, primi menſis decimus, qui illis calidioribus in regionibus meſſi initium facit: tunc enim hordea meti illic incipiunt. nihilominus tamē tantus defluētis aquæ impetus Dei miraculo fractus fuit, ſteteruntq;* aquæ deſcendentes, *ex ſuperiore parte, intelligendum eſt, quod Hebraica lectio, Græca & Chaldaica et res ipſa docet. Illæ aquæ ſuperiores quæ à fonte et torrentib. nihilominus decurrebāt, tamē prope locum quē primū ſacerdotū pedes cōtigere conſtiterūt: conſtantes autē neceſſe fuit ad mōtis inſtar cōſurgere perpetuo defluxu, ideò dicitur* aquæ deſcēdentes: *quòd deſcēdentes non*

tes non ſiſterentur ante locum illum in quo conſurgentes refluebant, atque ita mons ille in altum excreſcens dilatatus eſt ad vrbem Edom vſque ſecundum Sartham; ad quæ loca nunquam aliàs Iordanis aquæ pertinuerant. Oportuit autem inſtar magni alicuius lacus Iordanis aquas ſtagnaſſe, vt ab vrbe illa à Iordanis alueo procul remota aquarum ſtagnum inſurgere conſpiciebatur: ita multos etiam ex gentibus miraculum illud teſtes habuit.

Quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur Mortuum, deſcenderunt vſquequo omnino deficerent.

QVÆ *inferiores erant ſacerdotum pedibus meridiem verſus qua flumen decurrebat. Mirandum autem maximè fuit ſpectaculum illud aquarum repentè fiſſarum, partimq́ue conſiſtētium & conſurgētium, partim velociſſimo curſu aufugientium, neque vllo loco conſiſtētium ad mare vſque ſolitudinis, quod alio nomine Salis mare dici Hebraica, Chaldaica atq. Græca lectio docet: alio verò Mare mortuum nominari, apud Latinos præſertim, noſtra verſio indicat. Quod verò exponitur,* vſquequo omnino deficerent, *eò pertinet, vt liber & expeditus Iſraelitis tranſitus relictus eſſe cognoſcatur, idq́ue ſubiuncta deſcriptione explicatur.*

Populus autem incedebat contra Iordanem.

INDICAT *qua parte ſit Iſraelitis tranſitum: nam quamquam tranſiri poterat toto illo ſpatio quod à cumulo recedētis aquæ ad Mortuum vſque mare pertinebat: tamen ea parte fluuij tranſitum eſt, quæ è regione Ierichunta vrbem regiam ſpectabat, quam primam vrbem Ioſue capere atque occupare intenderat. Aliquot Latina exemplaria impreſſa habent, contra Iordanem. Verùm res ratioq́ue ipſa fauet exemplaribus in quibus legitur, contra Iericho, conſentientibus Hebraica, Chaldæa, & Græca lectionibus. Erat autem, vt ex topographia accepimus, ea fluuij pars quæ Ierichunta è regione ſpectabat, ceteris amplior atque profundior, & tamē ſeſe trāſeunti populo arefactā ſubſtrauit. A facie enim Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob: hoc eſt quod ſubiuncta oratione ſignificatur.*

Sacerdotes qui portabant arcam fœderis Domini, ſtabant ſuper humum in medio Iordanis accincti.

QVIPPE *Domini atque principis fœderis illius virtute, efficacia,*

cia, & auctoritate miraculum illud conſtabat; vt quemadmodum dominici fœderis portatores ſuper ſiccam terram ſtabant intra fluminis alueum, ex altero latere ſecundum occidentalem ripam, ſic fœderis illius cōpos populus ſicco etiā vteretur fluuij alueo. Quod verò notatur accincti, *exponere poſſumus, data opera, ſtudioſe & intento animo atque propoſito non pertranſeundi quoad populus omnis tranſiret. Namque Hebraicè legimus* CHEN. *hoc eſt firmiter & rectè, vel ſic, vt cœperant & primùm conſtiterant. Eſt enim magna elegantia vocis huius in illa lingua; vt, Sic, voculæ in Latina: cuius exempla*
Ioan. 4. Horat. epiſt. lib. 1. 15. & lib. eod. *ſunt, Sedebat ſic ſupra fontem. & apud exteros, Sic poſitum ſeruabis onus. &, Cur nō ſublata vel platano vel hac pinu iacentes ſic temere & roſa. Vocē hanc, pro qua Latinus noſter vertit,* accincti, *Chaldæus interpretatur* METAKNAIA, *id eſt recti & conſtantes intentoq́ animo; vt omnis populus tranſiret, non antè illinc diſceſſuri, ſed intra ipſum alueum citraq́ ripam firmati. Exponimus autem, in medio Iordanis, non Geometrica medij ratione, ſed intra alueum; ita vt neque prodirent donec populus omnis tranſiret; neque timerent aut dubitarent miraculum illud tam diu duraturum, quoad ipſi cum arca fœderis illic conſiſterent. atque hæc omnia ſacerdotum fidei commendant exemplum.*

CAPVT QVARTVM.

QVibus tranſgreſſis, dixit Dominus ad Ioſue: Elige duodecim viros ſingulos per ſingulas tribus, & præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo vbi ſteterunt pedes ſacerdotum, duodecim duriſſimos lapides, quos ponetis in loco caſtrorum vbi fixeritis hac nocte tentoria.

NON *eoſdem duodecim viros eſſe hos, quos ſuperius Ioſue deligendos curauerat, multis argumentis cognouimus; ex quibus illa clariſſima ſunt, illos fuiſſe per Ioſuam ex populo poſtulatos, deligendiq. curam & arbitrium populo datam ad officium comitatus regij, qui ſacerdotes arcam portantes ponè ſequerentur, officium quod à nobis iam indicatum eſt, facturi. Præterea illos non expreſſo Dei iuſſu, ſed ex ratione & more tum regni, tum militiæ fuiſſe à prudente duce & prophetici ſpiritus pleno imperatos: eos verò quorum ratio huius capitis*

pitis initio habetur, non antè delectos aut poſtulatos accepimus, quàm populus omnis tranſiſſet, idq́; à Deo expreſſo mandato conſtitutū, & cauſam etiam quamobrem deligi iuberentur adiunctam. Atque tentare voluit Deus illorum fidem qui iam tranſierant flumen, hoc eſt populi totius: namq. hactenus populus omnis cōſtanti & firmo traiecit animo, nullo tumultu aut curſu, ſed ſedato & compoſito greſſu, perinde atque ſi per pratum aut vallem tranſiret: ita vt neque primi poſtremi, neque poſtremi primi ex turbatione & trepidatione redditi ſint, ſed omnes eo ordine quo iter facere ſolebant traiecere. id quod poſtrema ſuperioris capitis verba Hebraica exprimebāt, donec finierunt omnis illa gens tranſire Iordanem. *Hac enim oratione ordo in tranſitu cōpoſitè obſeruatus ſignificatur. Iam verò cùm omnes tranſiſſent, miraculumq́; ſpectaſſent, iterum iuberi eundem alueum repetere fluminis, atque illic aliquandiu hærere, vt poſtea videbimus, ad nouum fidei faciendum periculum pertinet. Nam cùm nō fuiſſent à Deo delecti vel appellati ij, quibus officium illud erat demandatū, ſed Ioſue arbitrio eſſet electio relicta; facile erat vt ex ſingulis tribubus vnuſquiſq. ſibi metueret ne ipſi imponeretur id onus miraculi illius iterū ſibi expectandi, quæ res & metū augeret, quippe tranſeunte numeroſo populo ſinguli aliorum exemplo animantur, neque periculū vſq. adeò animaduertunt, ſicut nauigātibus in turbulenta tempeſtate vſu venire videmus: minus enim trepidatur vbi frequentia, quàm vbi raritas eſt vectorum: voce ipſa murmureq́; loquentium, clamantium, canentium, ſibilantium, currentium periculi cura diuertitur. Adde quòd conſcia ſibi errorum & peccati mens hominum, malo etiam dæmone ſuggerente, difficilia huiuſmodi loca adire formidat, atque ſibi ſupplicium à Deo paratum veretur: vulgare enim hoc reſponſum eſt, vbi quis durum aliquid aggredi iubetur, ſi ſolus, aut cum paucis aggreſſurus fuerit, atque ex hominum vocibus & cogitationibus huiuſmodi orationes proficiſcuntur: Vetabo, qui Cereris ſacrū Vulgarit arcanæ, ſub iiſdem Sit trabibus, fragilemq́; mecum Soluat* Horat.Car.3
phaſelum. ſæpe dieſpiter Neglectus, inceſto addidit integrum. Rarò antecedentem ſceleſtum Deſeruit pede pœna claudo.
Et illud de iis qui admiſſi ſceleris conſcientia exagitantur:

Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent, Iuue. Sat.13.
Dum tonat exanimes primo quoque murmure cæli,
Non quaſi fortuitu nec ventorum rabie, ſed

Iratus cadat in terras,& vindicet ignis;
Illa nihil nocuit, cura grauiore timetur,
Proxima tempeſtas velut hoc dilata ſereno.

Namque populo frequente periculum adeunte ſibi quiſque minus metuit; tum propter eas quas indicabamus cauſas; tum quòd fieri non poſſe putatur, quin in tanto numero innocentes aliqui & pij ſint, præter infantes etiam quorum cauſa cæteris Deus parcendum decreuerit, Gen. *quemadmodum in primo Moſis libro ab Abrahamo diſertum legimus. Igitur ad examen fidei eorum qui iterum Iordanis alueum ſiccum petere iuberentur, referendum eſt hoc Dei iuſſum; & quia fidei præceptum erat, ideò à Deo eſt pronuntiatum, non à Ioſue, qui niſi a-* Iacob. *pertè monente Deo hoc non faceret. Eſt autem fidei teſtimonium obſequium Dei iuſsis cumulata ſeueritate, animiq; integritate exhibitum, nulla hæſitatione, aut cura difficultatis rerum earum quæ imperantur, neque cogitatione infirmitatis ſui ipſius, ſed conſilij atq. dicti* Rom.4. *iubentis Dei, cuius rei multa exempla & in pluribus alijs pijs antiquisq; viris & in Abraham ſpectata ſunt, qui contra ſpem in ſpem credidit, & non infirmatus eſt fide, neque conſiderauit corpus ſuum emortuum, cùm centum eſſet annorum; neque quicquam aliud quod feruentis fidei curſum retardare poſſet, ita illa die qua Iordanis fluuius fuit ab Iſraelitis traiectus, magna in omni populo eſt fides reperta aſſentiente primùm delectui per Ioſue faciendo; magna etiam in ipſis delectis, qui nulla cũctatione, aut exceptione Ioſue dicto atq. adeò Dei iuſsis paruerunt: itaque quod perſonarum exemplum ſpectabat, hoc obſeruandum cenſuimus: quod verò ad rem reiq; cauſam pertinet, Deus ipſe Ioſue interprete expoſuit. Iubentur autem lapides tolli de medio fluminis alueo, non de ripis aut riparum lateribus, ſed intra alueum ipſum; neque de quocumque loco temere, ſed de loco vbi ſteterunt pedes ſacerdotum; hoc autem & ſignum ipſum facturũ ſtatuendumq; monumentum propius ſpectabat, & fidei illorum acuebat examen: ſiquidem conſiſtentibus adhuc ſacerdotibus, & arcam ſuſtinẽtibus, minus erat metuendum ne fluuij moles erumpere atq. defluere inciperet; ipſis verò motis & locum mutantibus iamq; egredientibus in promptu erat, vt ſibi quiſque metueret, maximè quod duodecim magni lapides ex vno eodemq; loco erui, deligi, ac tolli non poterant citra aliquam interijciendam moram. Sed nihil horum obfuit quominus illi iubenti Deo crederent, & obedirent. Magnos autem*

opor-

oportuit eſſe lapides, ex quibus pyramis conſtruenda eſſet, miraculi illius memoriam conſeruatura. Ideoq́ magnitudinis ſignificatione iuſſi ſunt lapides in humeris tollere, atque ex Iordanis alueo exportare, ac tandem ad poſteritatis monumẽtum eo loco componere, in quo illa prima nocte eſſent quieturi.

Vocauitq́. Ioſue duodecim viros, quos elegerat de filiis Iſrael ſingulos de ſingulis tribubus, & ait ad eos, Ite ante arcam Domini Dei veſtri ad Iordanis medium, & portate inde ſinguli ſingulos lapides in humeris veſtris iuxta numerum filiorum Iſrael.

SERIEM *qua res peracta fuit, ipſa verba indicant: Primùm enim à Ioſue fuiſſe delectos robuſtiſſimos quoſq́ ex ſingulis tribubus ſingulos, verbum Hebraicum* HECHIN *ſignificat, quod in apparitionis, conſtitutionis, erectionis, examinationisq́ rationibus vſurpatur, & ad rectam firmamq́ ſtaturam etiam ſignificandam affertur: deinde nomen viri: præterea etiam conſtructio illa de ſingulis tribubus, quippe vox* DE *Hebraico* MIN *reſpondens, delectum indicat, eumq́ diligentem. hos itaque ad ſe vocatos iubet iterum tranſire verſus arcam Domini Dei ipſorum; hoc eſt nihil aliud cogitantes quàm quod Arca Domini, quę ipſi Deum ſuum præſidium, principem miſericordem proſpicientemq́ habeant & credant, intra Iordanem ſit, oculíſque in eam fixis tanquam in ſedem ſingularis erga ſe prouidentiæ, id quod Deus iuſſerit, faceſſant; ſatis illis eſſe, videre arcam intra alueum fluminis, vt nihil periculi ſibi inde creari metuant, maximè non temerè eò accedentes, ſed & iuſſis obſequentes; nullum enim diſcrimen, nullum malum imminere poteſt tantum, quod fideliter diuina iuſſa ſubeuntes opprimat, quorum capilli capitis omnes numerati ſunt. Quod verò dictum eſt* iuxta numerum filiorum Iſrael, *non fuerat à Deo pronuntiatum, ſed à Ioſue prophetæ explicationis cauſa fuit adiunctum.* numerum filiorum; *hoc eſt tribuum filiorum Iſrael: ſic enim explicãdum & ratio, & Hebraica, Chaldaica & Græca lectio docet. Cauſa autem aſportationis & collocationis lapidum ſubijcitur à Ioſue.*

Vt ſit ſignum inter vos. & quando interrogauerint vos filij veſtri cras dicẽtes, Quid ſibi volunt lapides? reſpõdebitis eis.

ANTIQVVM *& vetus eſt gentibus omnibus geſtarum rerum,*

pactionum, fœderum, victoriarum, occupationum, profeſſionum, terminorum, & aliarum rerum quas ad poſteritatis memoriam conſecrare velint, monumenta ex lapidibus ſtatuere, quòd illa materies temporum atque hominum iniurijs minus obnoxia, quàm cæteræ omnes, probetur, quamquam nulla æterna eſſe cognoſcatur. Igitur huiuſmodi lapides à Deo per filios Iſrael tolli, aſportari locariq́ mandat, tametſi nulla inſcriptione eſſent inciſi aut inſculpti, tamen naturæ munere lociq́ contemplatione multa variaq́ ſignificabant ſpectatoribus obſeruanda, vel inquirenda: primùm enim lapides ex fluminés ſublatos arguebat durities & leuitas, quæ fluuialib. ſaxis plerumq́ accidunt, propter diu hauſtum incoctumq́ humorem, atque etiam propter diuturnam aliorum lapidum alliſionem & contritionem, vel propter exeſionem à præterfluentibus & perpetuò alluentibus aquis factam. His etiam rebus pondus propter eaſdem cauſas accedit. Oportet enim graues eſſe lapides qui perpetuò fluente & ſæpius exundante amne non euoluantur, ſed in fundo potius aluei ſubſidant. hoc primùm lapides illi præferẽtes in flumine ſeſe natos arguebant. atqui hoc cum primis obſeruatione animaduerſioneq́ dignum erat, quemadmodum lapides qui in fluuio diu fuiſſent, & fortaſſis ibidem nati, è medio fluuio eſſent ſublati, cùm id neque facilè fieri potuiſſet, neq́ niſi cauſa ſubeſſet quamobrem fieret, ſine conſilio eſſe factum, credi poſſet. Videntibus enim poſteris lapides ex medio fluuij alueo in locum aridum, neq. adeò propinquum, aſportatos, primùm mirari ſubibat, quemadmodũ à quibuſq́ fuiſſent delati. hoc eſt quod prædicit interrogaturos primùm filios, Quid ſibi volunt iſti lapides? *Iſti fluuiatiles quid ſibi volunt indicare? Illud verò pronomen,* ſibi, *reciprocum hoc loco eſt, indicatq́ non eos qui interrogant, neq. lapides ipſos, ſed eos potius, qui interrogãtur. Latina autẽ huiuſmodi reciprocatio pronominum, Sui & ſuus, obſcurior aliquanto eſt, atque Laurentij Vallæ diligentia non viſa indigna: Hebraicè, Chaldaicè, atque Græcè minus quàm Latinè hoc loco eſt obſcura. Namque tribus illis linguis perſonæ ſecũdæ pronomẽ eſt expreſſũ. Hebraicè,* Quidnam lapides, ipſi hi, vobis? *Chaldaicè,* Quidnã lapides ipſi hi vobis? *Græcè verò τί εἰσιν οἱ λίθοι οὗτοι ὑμῖν? Cuius interrogationis ſententia eſt, Horum lapidum ratio à vobis eſt reddenda, ſi tamen ad vos ipſi pertinent, vt pertinere videntur: nam multa videmus quæ arguant illos non hic*

natos,

natos, non caſu coniectos, ſed conſultò poſitos: primùm natura fluuialis, dende numerus, præterea conſtructio, demum locus; quid hæc vobis? Namque ſignum oportet hoc eſſe alicuius rei vobis cum Iordane communis; vobis inquam filijs Iſrael, quorum res & rationes omnes ad Deum ſunt referendæ. Ideò à Ioſue ſignificanter eſt dictum, vt ſit ſignum inter vos. *Inter vos erit perpetuum ſignum Iordanis, quod teſtatur aliquid vobis apud Iordanem contigiſſe, quamobrem lapides hi vobis à Iordane tanquam pignus aliquod, tãquam direptionis et poſſeſsionis monimentũ, fuerint ſublati, vt qui victores ex prouincia victa res auferunt atque aſportant illis locis vel natas, vel celebres, quibus ſubiectæ vel aditæ & frequentatæ prouinciæ argumentum confirmatur. Primam huiuſmodi admirationem & interrogationem ſic excipiendam cenſebat Ioſue.*

Reſpondebitis eis: Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini cùm tranſiret eum: idcirco poſiti ſunt lapides iſti in monumentum filiorum Iſrael vſque in æternum.

MVLTA *hic obſeruanda breuiter ac ſtrictim adnotabimus: Primùm non iuberi filios Iſrael aliquid inſcribere lapidibus illis, cuius lectione viatores admonerentur, ſed tantùm duodecim lapides ita collocari, vt numerari facilè poſſent, & Iſraelitarum tribuum referre numerum; indicareq́ tribuum nomine illic eſſe conſtitutos. Atque in antiquis monumentis, quorum multa exempla vidimus, plura ab alijs accepimus, & non pauca à veteribus auctoribus legimus relata. Illud in vniuerſum obſeruatur, ne quid inſcriberetur quod opere ipſo abſque literis & notis oſtendi poſſet. Non enim, vt nunc vulgo fieri ſolet, legitur in illis: Hoc ſepulchrum eſt Pauli; hic arcus Veſpaſiani eſt: Satis quippe ſua ſponte, arcus, ſepulchra, pontes, fontes, et ſimilia opera, naturã, rationem ſtructuraq́ ſuæ genus produnt. Ea verò tantùm inſcribebantur, quæ cùm memoranda ſcituq́ digna eſſent, ipſo tamen opere ſignificari non poterant, cuius generis ſunt auctor & ratio & cauſa. Ad auctorem referuntur genus, familia, adnotatio publici, aut priuati, & nonnunquam impenſæ pecuniæ, cùm id exponi oporteret. Rationem hiſtoria exponit; cauſam vero affectus & ſtudij vel vſus etiam explicatio. De qua arte à*

nemine ſcriptorum, quod ſciamus, noſtro ſeculo diligenter tractata, nos ex ſacrarum lectionum obſeruationibus plenius Deo volente aliquando diſſeremus. Igitur lapides illi à Deo in monumentum tolli & collocari imperati numero ſuo Iſraelitarum tribus indicabant, natura & facie genus prodebant, & locum vnde fuerant deportati. Supereſt tãtum indicare, quinam factum ſit vt ex flumine fuerint ſublati, & qua de cauſa quóque auctore fuerint constructi. Omnia hæc quæ lapidibus ipſis non poterant indicari, niſi inſcriberentur, non notarum ſed hominum ipſorum memoria atque traditione accipi & cum poſteritate communicari voluit Deus, qui beneficia à ſe facta magis animo comprahendi, teneri, & tanquam debitum conſeruari mente, poſteritatiq́; eodem modo mandari volebat. Facilè enim temporum hominúmue iniuria vel cæli ſoliq́; vitio inciſæ lapidibus notæ exeduntur, vel obducuntur, maximè cùm breues exiguæq́; ſunt; quòd ſi grandiores incidantur, longiorem orationem non admittunt: neq; ſi longa inſcribatur oratio, à viatoribus, niſi pauciſsimis, legitur, qui ab itineris conficiendi ſtudio alienas ducunt legendi moras. Quamobrem qui ſapientiſsimè olim hæc putauere, quàm breuiſsimas deſcri-
Habacuq 1. *ptiones eaſdemq́; expeditiſsimas faciebant. S. S. E. Vt percurrat qui*
" *legerit eum. At verò quorum ſignorum explicatio non literis & notis, ſed hominũ menti, idq́; ſub præcepto commendatur, ea & melius certiuſq́; tenetur, & crebrius repetitur, & facilius intelligitur; neque viatores remorari ſolet; imò dum narrantur, canuntur & exponuntur, iuuare potius & leuare: adde his, quod non omnes legere ſciunt; et ſi plures id ſciant, inſcriptionum tamen notas perpauci norunt; omnes verò breuem rei geſtæ hiſtoriam, & rationẽ animo capere, mente retinere, & quærentibus referre poſſunt. Oportuit autem horum lapidum monumentum commune eſſe omnib. quotquot illius beneficij compotes fuiſſent, vtpote quo & beneficij ipſius narratio & officij ipſorum quorum hæc noſſe intererat, continebatur exponebaturq́; ratio. Ideò non ait Ioſue, Vt ſi quando te aliquis rogarit, ſed apertè dicit* Quando interrogauerint vos filij veſtri cras. *Quibus verbis nullam parentibus vllis ignorandi copiam, exceptionem, vel excuſationem relinqui voluit, ſed vt quicunq. patres eſſent, idem & ſcire & reſpondere deberent; neque vero vllum tempus parentibus ad ignorandum concedi; non præſens, quo res vel acta, vel*

narra-

narrata eſt, quodq́ voce hodie ſignificatur, non futurum quod cras aduerbio indicari ſolet. Quippe vt hodie perpetuò eſt præſens, ita cras perpetuò futurũ eſt. Obligãtur itaq. parentes hoc loco huiuſmodi beneficij, diuiniq́ ſuiq́ ipſorũ officij memoriam, narrationem & profeſſionem indeclinabilem & in præſens, & in poſterum tempus tenere, & quoties interrogati fuerint reddere, neque cuiquam minori, quouis loco, quouíſue tempore negare, aut celare, diſſimulare, vel differre reſponſum. Itaque pueris propter ætatis imperitiam ignoratio cauſæ culpæ non adſcriberetur, taciturnitas & interrogandi negligentia vitio daretur; cùm aliàs pueri cognoſcendi auiditate hominibus innata & in puerilibus annis, atque oculis potiſſimùm ebullient e percontatores eſſe, & quod ſemel didicerint diutiſſimè retinere ſoleant. Itaque ſiue pueri, ſiue iuuenes quàm ſæpiſſimè interrogauerint, reſponſum documentúmque certum ſibíque conſtans referant oportet, quoties rogauerint. rogare autem ipſos filios debere, & ad id rogandi ſtudium aſſuefaciendos eſſe manifeſtè docet Ioſue oratio, qui non ſub conditione pronuntiauit, Si interrogauerit te filius tuus: *ſed aperta aſſeueratione,* quando interrogauerit. *Hebraicum* CHI *(pro quo Interpres noſter ſæpe vertit Quãdo, cùm, nam, quoniam) affirmandi vim habet, quam perpetuò ferè exercet. Quibus ex rebus æſtimare licet quantam curam Deus populo ſuo impoſuerit ſacræ religionis atque pietatis ſumma capita atque elementa cognoſcendi ac docendi, quantumq́ exemplo hoc multorum Chriſtianorum negligentia damnetur. Illud etiam animaduertendum eſt, reſponſum à Ioſue præſcriptum, quod ad fidem atque etiam ad officij obligationem pertineat, certis & ſignificantibus apertisq́ verbis eſſe dictatum, atque iiſdem vt referretur traditum, neque ſi millies repeteretur eſſe mutandum, aut orationis varietatibus expoliendum; quippe in iis quæ fidem, quæq́ pietatis officia ſpectant, orationibus, multum & ponderis, & auctoritatis momentiq́ habet candida illa diuinorum ſermonum ſimplicitas, quam qui vel ſuas vel auditorum ingenij delicias ſecuti faſtidiunt, vel in magna incidunt incommoda, vel certè admodum exiguos exilesq́ fructus referunt. Complura alia hoc loco adnotatione digna occurrebant, quæ prudens lector expendendis orationum huiuſmodi verbis exiſtimare apud ſe poterit. Itaque non dixit Ioſue, Reſpondebitis in hanc ſententiam, ſed reſponſum ipſe*

ſum ipſe dictauit breuiſsimum illud quidem, vtpote ad præcepti formam concinnatum; quod tamen omnem interrogationis rationem abſoluat. Eſt enim præceptorum breuis compendioſaq́; oratio cùm à ſapientibus dictatur, vt citò dicta Percipiant animi dociles, teneantq́; fideles. Continet verò oratio narrationem miraculi, quæ prima in interrogatione expetebatur. Quid lapides iſti? *quo pronomine admirationem indicari obſeruabamus naturæ fluuialis lapidum. Interrogatio verò excipitur hoc reſponſo:* Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis. *Verbum* defecerunt *idem valet atque deciſæ ſunt: Non enim ita defecerũt, vt vel à terra abſorberẽtur, vel Solis æſtusq́; vi exhalarentur, aut ventorum flatibus abſumerentur, ſed ipſæ deciſæ ſunt ante arcam fœderis Domini. Namque ita res ipſa factum docet, abſciſſas fuiſſe aquas, ſuperioriq́; parte intumeſcente & refluente inferiores in mare celerrimè defluxiſſe. Docet etiam & ſignificatio verbi* CHARATH; *quod propriè Scindere ſignificat, & per tranſlationem ad multa vſurpatur: idq́; ab Interprete noſtro ex ſermonis Latini vſu pro adiunctorũ ratione variè redditur, nunc Delere, nũc percutere, interdum conſumere, aliquando circumcidere, abigere, ferire, atque etiam ſæpiſsimè cædere, & ſuccidere. Eſt autem frequentiſsimum verbum locisq́; pluſquam trecentis atque decem in Hebraica Bibliorum lectione repetitum. Igitur patrum apud filios profeſsio primùm opportunitatem lapides ex fluuij alueo tollendi miraculo adſcribit. Miraculum autem à Deo fœdus cum populo pactũ conſeruante & promouente factũ declaratur, dum dicitur, Ante arcã* fœderis Domini. *Quodſi ante arcã fœderis Domini factum eſt, ex appellatione ipſa nominis intelligitur fœderis nomine & ratione factum. Fœdus autem hoc in ſumma continebat, Vt populus fide & pietatis cultu illis tabulis comprehenſo, illisq́; voluminibus explicato, Deum ſibi regem ſingulariter proſpicientẽ fauentemq́; haberet; Deusq́; à ſe miſericorditer promiſſorum conſtantia & veritate populum illum in illa regione peculiari tutela, ſingularique prouidentia gubernatum & amplificatum conſeruaret ad ſæculorum fines, quo ad veniret promiſſum illud ſemen in quo gentes omnes benedicendæ erant. Igitur, hoc pacto vtrinque inito & celebrato, Rex populum ſuum in regionem illam promiſſam inducebat, inducenti verò regionis ianitor Iordanis portas aperuit, non populi ipſius virtuti dignitatíque*

cedens

cedens, verùm à facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob. Nam cùm Domini fœderis arca tranſiret, prouidentia fœderis illius aſſertrix atq. vindex tranſibat. huius autem fœderis ratione populus fœderis particeps miraculo illo adiutus fuit, & ad terram illam poſſidendam inductus, eiſdem tamen conditionibus poſſidendam, quibus tenendam occupandamq́, acceperat. acceperat verò fœderis perpetuò obſeruandi conditionibus. Opus autem fuiſſe videtur miraculo cùm induceretur populus ille, vt humanæ ſapientiæ, ſtultitiæ inquam, & gloriationi, omnis præcluderetur aditus ad dicendum aliquando, Regionem illam bellica virtute inuaſam, occupatã, expugnatamq́, fuiſſe, neque illius cauſa maiorem cultum deberi Deo, quàm ab aliarum regionum quondam occupatoribus vel expugnatoribus debeatur: Vt ab Eſau, cui Seir mõtes traditi à Deo fuerint, expugnandi tamẽ, & incolis pulſis, aut coarctatis, occupandi & inhabitãdi: ſic etiam & Moabitis ſuas fuiſſe cõceſſas habitationes. Ita ſolent beneficij immemores atq. ingrati homines; vel naturæ, vel virtuti ſuæ, vel caſui vel felicitati, & aſtrorũ efficientiæ, vel cùm Deo acceptũ referunt, frigidè & communiter rerum ſuarum facultatem adſcribere. Ne verò populo huic quem in lucem gentium & iſtorum errorum dedocendorum exemplum ſecreuerat Deus ad huiuſmodi aliquam ſocordiæ, culpæ atque negligentiæ defenſionem vlla relinqueretur anſa, ſapientiſſimo conſilio effectũ eſt, vt ipſa prima occupatio regionis citra illuſtriſſimum & omnibus aliis gentibus etiam teſtatiſſimum miraculum, non conſtaret. Quo miraculo notum fieret, non populum, ſed Deum fuiſſe inuaſorem & occupatorem, ſicut ſcriptum eſt: Neque enim gladio ſuo poſſederunt terram, neque arcus eorum ſaluauit eos, ſed dextera tua & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis. Quam rem ingrato poſtea Iſraelitarũ populo exprobrabat per Prophetam Deus, Dilexi vos, dicit Dominus, & dixiſtis, In quo dilexiſti nos? Nónne frater erat Eſau Iacob, dicit Dominus; & dilexi Iacob, Eſau autem odio habui? Et poſui montes eius in ſolitudinem, & hæreditatem eius in dracones deſerti. Quod ſi dixerit Idumæa, Deſtructi ſumus, ſed reuertentes ædificabimus quæ deſtructa ſunt: Hæc dicit Dominus Deus exercituum, Iſti ædificabunt, & ego deſtruam, & auocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus eſt Dominus vſque in æternum. Et oculi veſtri videbunt, & vos dicetis, Magnificetur Dominus ſuper terminum Iſrael. Huius loci à nobis citati longior

Palm.

Malach. 1.

expoſitio ex noſtris in illum prophetam commentariis petatur licet. Ad præſentem commentationem ſatis fuerit, cōſiderare illius concluſionis ſentētiam: Et oculi veſtri videbunt, & vos dicetis, Magnificetur Dominus ſuper terminū Iſrael: hoc eſt quod ad Iſraelis terminos pertinet, res eſt quæ Domini magnitudinem amplitudinemq́ obſeruandam admirandamq́ probat, & ipſos Iſraelitas ad hoc ipſum confitendum obligat. Hoc igitur præter alia complura ſignificat oratio illa, defecerunt aquæ Iordanis ante arcam Domini cùm tranſiret eum. Neque enim homines tantùm huius beneficij teſtes relinqui voluit Deus, quorum lingua non ſemper verum dicere, ſæpe autem mentiri fraudemq́ facere ſolet, ſed naturam etiam ipſam fluminum, terræ, maris atq. montium, quæ cùm hominibus non cedat, ſimplexq́ ſemper ac verax conſtet, vni Deo cedit, cuius magnitudinem ſanctitatemq́ teſtatur. Atque hanc rationem omnē ille gratulatorius comprobat Pſalmus: In exitu Iſrael de Aegypto, domus Iacob de populo
„ barbaro: Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius; mare
„ vidit & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorſum: montes exultaue-
„ runt vt arietes, & colles ſicut agni ouium. Quid eſt tibi mare, quod
„ fugiſti? Iordanis, quia conuerſus es retrorſum? Montes exultaſtis vt
„ arietes, & colles ſicut agni ouium? Reſpondet autem ipſa rerum natura, ſe non caſu, non hominum virtute miranda huiuſmodi exhibuiſſe ſpectacula; ſed à facie Domini, &c. Hoc eſt quod Ioſue reſpondendum præſcribit: Aquas Iordanis, qui deficere non ſolet, defeciſſe ante arcā fœderis Domini, cùm tranſiret Iordanem arca ipſa; nō ait, cùm tranſirent homines, aut populus, ſed arca. nam niſi arca fœderis Domini primùm tranſiret, aquæ non deficerent. Hebraica verba quod genera etiam & perſonas exprimant, apertè hanc efficiunt ſententiam, præterquam quòd illa lingua ter eſt appellatus Iordanis in oratione hac. Narrationi autem expeditæ miraculi & beneficij populo collati ratio etiam ſubiungitur lapidum ex fluuio ablatorum, & cauſa etiam eorundem compoſitorum attexitur; idcirco poſiti ſunt lapides iſti in monumentum. Fluuiales iſti lapides auferri illinc potuerunt deductis atque defectis aquis, & idcirco iſti, non alij, poſiti ſunt in monumentum miraculi editi, quod negare vel impijſsimi & inimiciſsimi nequeunt; cùm fluuiales viderint lapides, qui aliunde quàm ex Iordanis alueo tolli non potuerunt, maxime cùm coloribus &

cer-

certis alijs notis, fluuiorum etiam lapides diſtincti conſpiciantur; in monumentum quoque filijs Iſrael beneficij accepti nomine, & conditionibus fœderis; in monumentum dominij in regionem non Iſraelitarum proprij, ſed Dei ipſius ſingulari etiam iure: in monumentum huius iuris ex Dei liberalitate & miſericordia fœderis illius participibus communicati: in monumẽtum denique fœderis ab ipſis iuxta præſcriptas leges conſeruandi, idq́; in æternum vſque. Vocabulum GHOLAM, *pro quo Latinè vel Sæculum, vel æternum reddimus, non ſemper Aeternitatem illam terminis carentem ſignificat ſed perpetuam durationem rerum quoad ſingulorum generum natura fert: Itaque ſi diuinis adiungatur, abſolutam indicat æternitatem; ſi naturalibus rebus, ipſarum æuum. Humanis argumẽtis nunc longiorem, nunc breuiorem pro appellatæ rei definitione protractionem oſtendit; vt multis in locis cum euentu ipſo collatis obſeruari poteſt, & à nobis in Definitionum opere indicabitur. Hoc autem loco cùm ad lapides illud in æternum refertur, ſignificat tam diu illos viſendos quamdiu Iſraelis filij regionem illam incoluerint. cùm verò ad monumentum ipſum definiendum traducitur, perpetuam, nullo tempore nulloq́; loco definiendam, commemorationem indicat. Nam quanquam ſæculorum impulſu rerumq́; mutatione lapides illi vel conſumpti, vel ſublati fuerint, memoriã tamen miraculi diuiniq́; beneficij, quam tot ſæcula aluerunt, quam ſacra Scripta conſeruarunt, nulla vnquam delere poterit obliuio. Atque hactenus de monumento illo, quod quia multarum magnarumq́; rerum ſummam habeat, longius explicandum cenſebamus.*

Fecerunt ergo filij Iſrael ſicut præcepit eis Ioſue, portantes de medio Iordanis alueo duodecim lapides, vt Dominus ei imperauerat, iuxta numerum filiorum Iſrael, vſque ad locum in quo caſtrametati ſunt, ibique poſuerunt eos.

FIDEI *periculum eorum qui lapides e fluuio tulerunt obſequio officioq́; factum declarat hiſtoria, idq́; omnium tribuum, & ordinum conſenſu atque adeo approbatione cõſilij Dei per Ioſue indicati. Ex quo ipſi curam illam impoſitam ſuſcepiſſe probantur agnoſcendi memoriaq́; retinendi beneficij, conſeruandi lapides, illorumq́; ſignificationem ijſdem quibus à Ioſue iuſſi fuerant, verbis conteſtandi, ne vlla exceptione facta vel rei, vel temporis, vel loci, vel tribuum,*

tam earum quæ vltra, quàm earum quæ citra Iordanem conſiderent, ſed omnium pari conſenſu & approbatione iuxta numerum filiorum Iſrael. quod cùm Deus non apertè pronuntiaſſet, Ioſue tamen, quia res ita poſtulabat, atque etiam quia ipſe iam illo miraculo diei illius diuini conſilij apud populum illum interpres declaratus fuerat, expoſuit. Quod verò additum eſt, vſque ad locum, cò pertinet, vt illos in poſſeſſionem ſuam veniſſe, eandemq́; ſibi à Deo datam, & certa præſentiq́; manſione & pernoctatione occupatam ex more ſignaſſe, definiſſe, & conſtituiſſe oſtendatur, ædificato rei atque temporis, iuris & auctoritatis monumento. Idem namque lapides illi referebant, atque ſi publicis tabulis conſcriberetur, illos noctem illam eo loci conſediſſe auctoritate illius, qui Iordanem diſciderat, vnde lapides illi erant ſublati, eademq́; auctoritate lapides illos collocaſſe. Quod verò legimus ibíque poſuerunt, *intelligendum eſt arte & induſtria ita fuiſſe compoſitos, & conſtitutos, vt & ſitu, & numero facilè obſeruando rem omnem referrẽt, cuius cauſa eò loci delati atq́; compoſiti fuiſſent. namque verbum Ponere, apud Latinos ad ſtructuram, architecturamq́; eleganter vſurpatur: vt, Templa Ioui centum* Aeneid. 4. *latis immania regnis, Cẽtum aras poſuit. quam elegantiã quoq́; verbum* HENIAHH *in ſacra lingua obtinet.*

Alios quoque duodecim lapides poſuit Ioſue in medio Iordanis alueo, vbi ſteterunt ſacerdotes qui portabant arcam fœderis Domini, & ſunt ibi vſque in præſentem diem.

PRIORES *lapides illi non tantùm miraculi, verumetiam fœderis præclarum teſtimonium atque monumẽtum futuros, poſſeſſioniſq́; ius & rationem indicaturos, & tolli & conſtitui Deus iuſſit, idq́; diligenter Ioſue curauit: qui non ex expreſſo Dei iuſſu, ſed ex ducum & principum noua loca occupantium more, non tamen præter diuinum conſilium quod propheta ille cognoſcebat, ipſe ſua manu duodecim alteros intra Iordanẽ ſtatuit eodem loco ex quo alij duodecim fuerant ſublati, hoc eſt, quo in loco ſacerdotes illi, qui arcam fœderis portabant, hæſerant, interea dum populus pertranſiret, quo facto & Ioſue nihil dubitantis fides & ſtudium illuſtrandi modis omnibus diuinam gloriam commendatur, & veritas etiam rei geſtæ diuiniq́; miraculi magis comprobatur. Quippe minus temporis poni*

potuiſ

potuit à duodecim viris, ſingulos lapides tollentibus ex vno loco atq; extra fluminis alueum aſportantibus, quàm ab vno principe viro totius populi nomine duodecim lapides, eoſdemq; magnos in vnum locum intra alueum ipſum comportãte; deinde etiam ſingulos erigente, & ſtatuente, ita vt fixos, erectos, ad numerum cognoſcendum diſcretos conſpicere quis poſſet. namque hoc modo poſitos Hebraicum verbum HEKIM *ſignificat.* Et ſunt ibi vſq. ad hodiernum diem. *Vſque ad eum diem quo hæc à propheta ſcribebantur. Neque verò dubium eſt illos diutiùs multo permanſiſſe, quoad Deus hæreditatem illam non ſpreuit à malitia inhabitantium in ea. Poterant verò lapides illi conſpici & notari ab ijs qui in ripa conſiſterent, quandoquidem Iordanis aquæ puriſſimæ, maximeq; perſpicuæ eſſe perhibentur: notati autem apertè indicabant ſe illic abſq. miraculo non fuiſſe conſtitutos. Nemo enim intra aquam lapides inquirere, comportare, certo ordine collocare, erigere, & figere poſſet. Oportuit autem duodecim fuiſſe ſacerdotes Leuitaſq; illos, qui portabant illa die arcam, totum Iſraelitici populi concilium referentes, cùm legamus, lapides hos alteros à Ioſue erectos,* vbi ſteterunt ſacerdotes qui portabant arcam fœderis. *Singulos enim lapides pro ſingulis capitibus erectos interpretamur: ſiquidem poſitos legimus vbi ſteterunt ſacerdotes. namque in ſpacio quod ab illis ambiebatur, non ſteterunt: ergo lapides in illo ſpacio nulli ſunt erecti. Atque Hebraica verba rem hanc aperte indicant:* Sub ſtatione pedum ſacerdotum. *ſub ſtatione pedum. Ergo vel ſex fuerunt ſacerdotes, & in ſingulis pedum veſtigijs ſinguli lapides ſunt fixi, ſed hi exigui admodum, neque adeò firmi, neque adeò conſpicui eſſent: Vel fuère duodecim ſacerdotes, & ſingulorum velut ſigna ſinguli lapides erant: atque hoc rei ratio magis probare videtur, præcipuè cùm pro eo quod nos vertimus* ſub, *Hebraicè ſit* TAHHATH, *quod vicem alterius ſignificat, & perpetuò vſurpatur in huiuſmodi enuntiationibus: Mortuus eſt Salomõ, & regnauit Roboam filius eius pro eo: Vbi nos dicimus, pro, illa lingua dicitur* TAHHATH, *ſub eo, ſiue illius loco. Neq. verò neceſſe fuit ſacerdotes illos magnos eſſe cùm vnus tantùm eſſet ſingulis ætatibus magnus ſacerdos, præter quẽ multi erant ex Aaronis familiis prognati. Quamquam quidem opus fuit ſacerdotes ex illo loco in quo conſtiterãt, dum populus tranſiret, aliquantulũ concedere, vt Ioſue lapides fixuro ſpa-*

cium relinqueretur, nō tamen ab illis Iordanis ripæ fuere adhuc trāſmiſſæ, ſed intra fluuium ipſum manebatur adhuc: hoc eſt quod narratio ſubiungit.

Sacerdotes autem qui portabant arcam, ſtabant in Iordanis medio, donec omnia complerentur quæ Ioſue vt loqueretur ad populum, præceperat Dominus, & dixerat ei Moſes.

ALIA *miraculi amplificatio atque fidei ſacerdotum commendatio hoc loco indicatur, cum ſummæ officij à Ioſue expoſitione. Neq; enim vna tantùm, aut altera intra Iordanem à Ioſue curata fuit res, quin potius plura acta ſunt, eáque certo ordine. Quippe antequam populus omnis pertranſiret, cùm adhuc pars intra fluuij alueum eſſet, pars vero nondum eſſet ingreſſa, Ioſue commendatum ſibi à Deo per Moſem officium facturus intra fluuij alueum, vti videtur, conſiſtens, legis & præceptorum Dei ſummam repetiuit & expoſuit populo in tribus conſtituto locis, atque ideò commodius audienti: atque hoc modo magiſtri anteceſſoriſq; ſui Moſis partes hoc etiam loco tranſegit. Allocutionis vero ſumma fuit, Dei beneficium illud, quo illa die afficiebantur, obſeruandum, animaduertendum, colendumq; proponere, indicare promiſſorum illorum terrenorum euentum, fidem in poſterum perſuadere, & officij ipſis faciendi ſtudium commendare. Hoc enim inter alia curandum & imitatione ſui Deiq; iuſſu Ioſue Moſes impoſuerat, ſicut ſcriptum eſt: Præcipe Ioſue, & corrobora eum atq; conforta, quia ipſe præcedet populum, & diuidet eis terram quam viſurus es, &c. & paulo inferius: Et nunc Iſrael audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo te; vt faciens ea viuas, & ingrediens poſſideas terram, quam Dominus Deus patrum veſtrorum daturus eſt vobis. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, non auferetis ex eo. Cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis. Oculi veſtri viderunt omnia quæ fecit Dominus cōtra Beelphegor, quomodo contriuerit omnes cultores eius de medio veſtri. Vos autem qui adhæretis Domino Deo veſtro, viuitis vniuerſi vſque in præſentē diem. Scitis quod docuerimus vos præcepta atque iuſtitias: ſicut mandauit mihi Dominus Deus meus; ſic facietis in terra, quam poſſeſſuri eſtis, & obſeruabitis & implebitis opere. Hæc eſt enim veſtra ſapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſi præcepta hæc dicant, En populus ſapiens & intelligens, gens magna. Neque enim eſt alia natio*

Deut. 3. Deut. 4.

nullo tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus “
noſter adeſt cunctis obſeruationibus noſtris. Quæ eſt enim alia gens “
ſic inclyta, vt habeat ceremonias, iuſtaq́; iudicia, & vniuerſam legem, “
quam ego proponam hodie ante oculos veſtros? Cuſtodi igitur temet “
ipſum, & animam tuam ſolicitè. Ne obliuiſcaris verborum quæ vi- “
derunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ: “
docebis ea filios, ac nepotes tuos, &c. Omnia hæc & quæcunque in di-
uina lege in hanc ſententiam populo inculcanda leguntur, intra Ior-
danem expetiit Ioſue, & hæc nobis in hoc loco indicantur, donec om-
nia complerentur quæ Ioſue vt loqueretur ad populum præcepe-
rat Dominus, & dixerat ei Moſes. *Poſt factam vero allocutionem*
ſtatim Ioſue iubente populus qui reliquus erat, traiecit: hoc eſt quod
narrationi ſubiungitur:

Feſtinauitque populus, & tranſiit.

H A C T E N V S *nemo feſtinauerat, ſacerdotes intra fluuium diu conſtiterant, lapides fuerant ſublati duodecim, totidem à Ioſue erecti, allocutio facta, omniaq́; hæc opportunè, maturè, & ordine ſeruato acta fuerant. Nunc vero populus is, qui reliquus erat, feſtinaſſe dicitur, idquod Ioſue iuſſu factum exiſtimare oportet; cui ſicut hacte-nus aqua partim conſiſtens, intumeſcens, & refluens, partim verò defluens obſecundauerat, ita etiã quamprimùm iuſſa defluxura erat, intraq́; proprium alueum recipienda. Non enim tanta Ioſue auctori-tas oſtenderetur, ſi fluuius diutiùs quàm opus eſſet retineretur, quan-ta oſtenditur cùm iuſſus refluit, expectatq́; diu, & eam moram, non ſua natura, aut ſponte, aut temporis, aſtrorúmue vi, ſed Dei impe-rantis iuſſu & prophetæ prædicentis mandato facit, rurſusq́; iuſſus reſidere, accelerat & defluit, ita vt nihil ſibi, vel actionis, vel tem-poris in hoc exemplo vſurpet: Igitur ad fidẽ faciendam auctoritatis Ioſue tam fuit expediens, fluuium qui iam refluxerat dicto paren-tem, feſtinare quamprimum, & defluere, quàm fuerat antea ſcindi, ſurgere, intumeſcere, & refluere: perinde ac ſi clarè diceret Ioſue, Feſtinate, tranſite omnes: volo namque fluuium iubere reſidere, vt videntes hoc eſſe iuſſui Dei illũ parere omnino agnoſcatis. ita miracu-la [illegible]tur, & innoteſcant magis, vbi natura rerum præſcri-pta temporum momenta ad vnguem obſeruat. Atque hinc eſt quod in ijs miraculis, quæ à præceptore noſtro Chriſto facta narrantur,*

frequens

Ioan. 4. *frequens temporis obſeruatio conſpicitur: vt Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit: & dixerunt ei, Quia heri hora ſeptima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus, Filius tuus viuit.*

Cumq; tranſiſſent omnes, tranſiuit Arca Domini, ſacerdotes quoque pergebant ante populum.

HEBRAICE *ante verba illa* cumque tranſiſſent omnes, *legimus* & fuit. *magna notatione cuẽtus cum prædictionibus comparandi; indicatur enim ordo rerum ac temporum. Iuſſerat Ioſue maturari traiectionem reliquorum qui vltra Iordanem adhuc erant: maturatum feſtinatumq́; eſt; neque tamen continuò aqua reſidere incepit, quæ non populi virtute, ſed omnipotentis Dei iuſſu continebatur & ſtabat; oportuit autem arcam pertranſire cui fluuius obſecundabat, atque ita factum eſt: nam cùm populus omnis tranſiſſet, mox arca Domini omnia hæc efficientis tranſiit, & quæ prima cœperat tranſitum poſtrema abſoluit. Deinde verò vti regis ſolium præceſsit populum à ſacerdotibus delata ante populum, quorum officium tunc fuit exemplo ſuo aliis anteire: Atque hoc pacto populi ſacerdotumq́; fides explorata fuit, cui ſeſe ſociam addidit duarum illarum tribuum atque dimidiæ fides, vnà cum officioſo obſequio: non enim illi ſicut cæteri timuerunt eodem loco eodémque modo traiicere, ſed promiſſam à ſe præſtituri.*

Filij quoque Ruben & Gad, & dimidia tribus Manaſſe armati præcedebant fratres ſuos filios Iſrael, ſicut eis præceperat Moſes, & quadraginta pugnatorum millia per turmas & cuneos præcedebant per plana atque campeſtria vrbis Iericho.

BONORVM *fratrum officia & partes viri in exemplo ſuo probabãt, non alios ponè ſecuti, ſed præcedentes, & fidẽ Moſi datã illiusq́; iuſſum alacri animo præſtantes, atq. ita Deo obedĩetes, incenſo ſtudio amplificandi Iſraelis nomẽ, cuius filios ſtrenuè iuuarunt & ipſi quoque filij Iſrael. Opportune verò indicatur virorum illorum copia, animus, & alacritas atque pietas. Siquidem domi relictis paruulis, & iis qui bello inepti erant quadraginta millia ſumptis armis appriméque inſtructi, vt verbum* HHALVTZIM *ſignificat, bella Domini cum primis pugnaturi animo deliberato atque prompto præcedebant, reli-*

ctiſq;

ctiſq́; ſuis ſedibus, in quibus reſidere potuerant, vtpote occupatis, & omni hoſte vacuis, tamen ad pugnas quas Dominus illis capeſſere iuberet parati, primos ſeſe obtulere in campeſtribus Iericho. Ipſa autem acierum, cuneorum, & armorum appellatio illorum fortitudinem, manumq́; promptam probat, obedientiam atque pietatem commendat. maximè verò hoc declarat loci ab ipſis occupati natura & ſitus; neque enim ſeſe illi vt præſidiarios aut ſocios aut auxiliatores præbentes, loca tuta, vt colles, vel mõtes, vel anguſtias occupauere, vt ex ſuperiori loco & ſibi cauere, & fratribus in diſcrimine belli ancipitiſq́; pugna ſuppetias ferre, aut hoſtibus metum tantummodo incutere poſſent, non pugnaturi aliàs, aut ſeſe periculo commiſſuri: imò potius ipſi acie inſtructa, copijs armatorum quadraginta millium explicatis, primos ſeſe conſtituentes ad pugnam paratiſſimos obtulerunt in campis & planis locis Ierichuntis vrbis regiæ, locis inquam pugnæ committendæ opportunis, ita vt ipſi exercitus omnis frontem efficerent, & hoſtis ex vrbe irruentis impetum primi omnium ſuſtinerent.

In die illo magnificauit Dominus Ioſue coram omni Iſraël, vt timerent eum, ſicut timuerunt Moſem, dum adhuc viueret.

P L V R E S *eſſe cauſas, quamobrem vnum idemq́; miraculum edatur, ſæpe adnotare licet, atque hîc præter illam diuinæ virtutis atque efficientiæ, & prouidentiæ erga populum illum oſtenſionem, et probationem publicam, aliam quoq; hiſtoria indicat auctoritatis Ioſue publicæ amplificandæ & confirmandæ, idq́; duabus rationibus, munerum, ciuilis videlicet, & prophetici. Namque ad vtrumque miniſterium Deus viro illo vſus eſt; altero, quo belli paciſq́; res, vt Dux, Imperator, Dictatorq́; perpetuus gereret; altero, quo ea quæ ad conſtitutæ reipublicæ illius exercitationem & compoſitionem referri oporteret reſponſa ab illo tanquam diuinæ voluntatis interprete declarata peterentur. Opus enim fuit in illa primùm formanda omnino filiorum Iſraël communi ciuitate, non ſolùm legibus, quas plenè iam Moſe miniſtro dederat Deus, ſed ipſa etiam viuendi, legibusq́; vtendi diſciplina, & opportuna morum compoſitione, rerumq́; agendarum expoſitione, pro tempore atque loco: omnia enim hæc in noua, atque recenti illa populorum, publicarumq́; rerum compoſitione,*

animaduerti, obſeruari, & componi oportuerat, eamq́; ad rem Prophetam aliquem conſtitui expediebat, qui ex Dei mente populi Deo peculiariter addicti, res & rationes curaret, & conſolidaret. Vtrumque autem munus Ioſue, vt ſummo Imperatori, & Prophetæ demandatum illo die Deus declarauit: eumq́;, quod ad ciuiles bellicasq́; pertinet res, MAGNVM; *quod verò prophetiæ facultatē ſpectat,* VERENDVM *venerandumq́; conſtituit. Atque ad hanc interpretationem duo verba obſeruanda ſunt in verſu hoc; quorum alterum* magnificauit, *ad ciuilem dignitatem amplitudinemq́; refertur, & regibus principibuſq́;, ducibusq́; ſummis adſcribitur: vt, Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt. Et illud, Sublimius faciat ſolium eius à ſolio domini mei regis Dauid. huiuſmodi multa loca eodem verbo leguntur* GADAL, *quod Magnificare, ſublimare, creſcere, & ſimilibus Interpres noſter pro linguæ Latinæ vſu vertit. Alterum verò verbum eſt, Timere, quod ad religionem ſignificandam vſurpatur. atque hoc verbo auctoritatem ſacram vaticinandi, & ex Dei mente reſpondendi Ioſue eſſe tributam, intelligimus, argumento à relatiuis ducto: Cùm enim legimus populum timore Ioſue fuiſſe correptum, non metum aliquem duræ ſeruitutis, aut tyrannidis, & potentiæ vehementis, atque ſuperbæ, ſed timorem interpretamur, qualem apud populū naſci oportet, erga eos quos familiari alloquio Deus dignatur, aut quos prophetico ſpiritu, vel ſacerdotali, aut Pontificali dignitate auget, quorum dictata, vtpotè à Deo profecta, violare, aut negligere, vel contemnere nefas piaculumq́; eſt. Ideò & his verbis vſa eſt Scriptura, quæ ad efficiendi, gerendi, atque dictandi auctoritatem referri ſolet, atque ſimul Deo ipſi attribuuntur, cuius vicem in terris Principes, in ciuilibus adminiſtrationibus Pontifices, ſacerdotes & prophetæ in eccleſiaſticis dictatis, & reſponſis, & interpretationibus præceptionibusq́; obtinent, ſicut multis in locis legimus. Dominus Deus tuus in medio tui eſt, Deus magnus & terribilis. Iiſdem verbis hæc atque ea quæ nunc de Ioſue legimus, pronuntiat ſacra lingua, atque exemplar ipſum, ad quod ſententia hæc examinanda eſt, Ioſue non vt tyrannum vel durum aliquem regem, aut dominum, ſed vt ampliſſimum ducem, & certiſſimū prophetam, diuinæq́; mentis interpretem, populo timori venerationiq́; fuiſſe. His enim nominibus Moſes apud populum ſpectabilis, magnus, venerabilisq́; fuit, & tunc*

Inf. 14. Deut. 7.

tunc demum confirmatus, cùm tranſmiſſo Arabico illo mari, aquæ quas primùm populus diſciſas muriq; inſtar vitrei cōſpexerant, Moſe rurſus virga innuente, atque percutiente reſederunt, hoſtésque omnes ſubmerſerunt. Ad eum itaque modum illo die quo diſruptis aquis Iordanis eſt traiectus, Ioſue coram omni Iſrael magnificatus atq. ſacratus fuit; magnificatus inquam ciuili poteſtate & bellica; ſacratus vero prophetici ſpiritus communicatione diuinitus conceſſa: vt timerent eum ſicut timuerant Moſem dum adhuc viueret. *Poteſt referri expoſitio* dum adhuc viueret, *ad Moſem: poteſt & ad Ioſue, cuius auctoritas vnà cum muneris vtriuſque facultate, & adminiſtratione perpetua fuit: aliis enim prophetis vaticinandi ſpiritus ad tempus tribuitur; vt Amoſo ad biennium, aliis longius, vt ex Dei conſilio expedire iudicatur: Moſi verò atque Moſis ſucceſſori Ioſue vtraque poteſtas dum adhuc viuerent, prorogata confirmataq;. fuit, idq; ex oratione Hebraica exponitur,* omnibus diebus vitæ ipſius. *Neque verò vtraque hæc dignitas & ampliſſima auctoritas Ioſue in ſuperbiam, arrogantiam, contumaciámue traduxit, ſed modeſtum, humanum, atque omnino pium retinuit, vtpote ſcientem illā tantam amplitudinem non ſibi innatam, non à ſe partam, neq. ſibi, ſed à Deo, idque ad omnis Iſraelis vtilitatem conceſſam; id quod nobis obſeruandum ipſa Dei auctoris appellatio indicat: In die illo* magnificauit Dominus, &c. *Atque hæc eſt huius amplificationis Ioſue tributæ propoſitio & affirmatio. Quemadmodum verò id factū fuerit, ſubiuncta narratione exponitur, more ſacræ hiſtoriæ, quem nos aliàs nō ſemel indicauimus, & ſingulari aliquando argumento ex Dei benignitate ſumus explicaturi.*

Dixitq; ad eum, Præcipe ſacerdotibus qui portant arcam fœderis, vt aſcendant de Iordane.

Vt *religionis totiuſq; ſummæ rerum adminiſtrandæ cura & auctoritas Ioſue tanquam Duci atque Prophetæ diuinitus tradita, publice oſtenderetur, iubet Deus Imperatori ipſi vt præcipiat ſacerdotibus, nempe ijs, qui fœderis arcam portabant, vt aſcendant de Iordane. Atque iam diximus hoc non ex communi poteſtatis vſu factum, ſed ex propheticæ auctoritatis ratione, cui non ſolùm minores, ſed magnates etiam viros, atque adeo principes ipſos ac ſacerdotes & Pontifices obſequi oporteat: vbi enim manifeſtum eſt Spiritū Dei*

ineſſe propheticum, & ea quæ mandantur ad ædificationem Eccleſiæ; atque adeo ad pietatem legitimè promouendam faciunt, nullam priuatæ condicionis rationem haberi oportet, quominus mandato illi pareatur ex mandantis Dei auctoritate; cùm lege conſtituta pœna ſancitum ſit: Omnis enim anima quæ non audierit voci Prophetæ illius, abſcindetur anima illa de populo ſuo. Ita videmus Nathan, & alios Prophetas, Dauidi regi atque ſacerdotibus agenda aliquãdo Dei verbis indixiſſe. Ita etiam hoc loco atque die noluit Deus, vel arcam ipſam, vel ſacerdotes etiam arcam portantes, qui proximi tunc Dei in terris ſolio erant, & munere fungebantur ſuo, tamen noluit inquam antea ex Iordane prodire, quàm à Ioſue tempus prodeundi notaretur, vt aquarum defluxus, miraculiq; finis, Ioſue arbitrio permiſſus, probaretur, quod tamen arbitrium ex Dei conſilio iudicioq; pendebat: nihil enim publicè agebat Ioſue, quod ex Dei mente, quã ipſe vt propheta opportunè docebatur, non eſſet profectum.

Qui præcepit eis dicens, Aſcendite de Iordane. Cumq; aſcendiſſent portantes arcam fœderis Domini, & ſiccam humum calcare cœpiſſent, reuerſę ſunt aquæ in alueum ſuum, & fluebant ſicut antea conſueuerant.

EVENTVS *antecedenti Ioſue dicto reſpondens, & miraculum confirmat, & Ioſue auctoritatem probat. Natura enim aquæ & fluminis diuino iuſſu ad tẽpus impedita, rurſúsq; liberata, in ſe rediiſſe oſtenditur, & vnius Dei virtuti paruiſſe demonſtratur ſingulari illa annotatione præceptionis Ioſue, vt diuini mandati interpretis, & certa temporis & perſonarum obſeruatione: quòd iubente Ioſue ſacerdotes arcam portantes aſcenderent, illiſque aſcendentibus, & aridam terram quamprimùm tangentibus, atque calcantibus, aquæ e veſtigio ſolutæ ſuum curſum atque defluxum recuperauerint. Significanter autẽ ſacerdotes ij appellãtur qui arcam fœderis Domini portabant, vt factum hoc diuinæ virtuti ſingularíq; efficientiæ tribuatur. Nam quamquam & populus & ſacerdotes alij aſcendiſſent, non tamen antè aquæ defluxere, quàm aſcenderent ſacerdotes portantes arcã fœderis Domini: de qua appellatione appellationisq; cauſa tã ſuperius egimus. Quod verò in narratione additũ eſt,* & fluebãt ſicut antea conſueuerant, *ad amplificationem facit miraculi: ſignificatur enim aquas quamuis ſolutas, non tamẽ præcipiti impetu, erupiſſe, & ripas*

ripas vicinoſq́ inundaſſe agros; ſed perinde ac ſi in vtre contenta aperto & ſoluto vtris ore proxima orificio aquæ proſiliũt; deinde vero ea defluunt, quæ illis incumbebant: ita infimas in Iordanis alueo aquas primũ defluxiſſe, deinde ſupremas paulatim receßiſſe, nũquam vero exceßiſſe riparum crepidines, ſed reuerſas in alueum ſuum paulatim decreuiſſe, donec eum modum tenerent quam antea ſolebãt. Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè locus hic ſic ferè habet: Et reuerſæ ſunt aquæ Iordanis in locum ſuum, & ierunt ſicut heri, & nudiuſtertius ſuper omnes crepidines ſuas: *hoc eſt, alueo pleno.*

Duodecim quoque lapides, quos de Iordanis alueo ſumpſerant, poſuit Ioſue in Galgalis.

P O S S E S S I O N I S *occupatæ auctoramenta certis poſſeſſorum actionibus, regionum & gentium vel lege vel more iniri ſolent, vt ædificatione, foßione, fructuum collectione, vel deguſtatione, tuta, atque à nullo impedita vel interturbata. Huiuſmodi verò actiones eo ſunt illuſtriores, quo vel magis publicè, vel ab inſignioribus perſonis ineuntur. Cùm autẽ hoc loco poſſeßio Domini Dei Iſraelitarum nomine ad gentis illius vſum occuparetur, opus fuit poſſeßionis ſolennem actionem, hoc eſt monumenti conſtructionem publicè fieri à Ioſue propheta, populiq́ duce ſummo, atque Dei ipſius miniſtro, magna amplitudine diuinitus ornato.*

Et dixit ad filios Iſrael, Quando interrogauerint filij veſtri cras patres ſuos & dixerint eis, Quid ſibi volunt lapides iſti? docebitis eos, atque dicetis.

S O L E N N E *eſt iis, qui vel vacua cultoribusq́ carentia loca primi occupant, vel alienas regiones impetu facto inuadunt, & expugnant, ſedem quam primam tenuere, monumento aliquo cõſtructo literis vel imaginibus inciſis vel inſculptis, poſteritatis memoriæ conſecrare, adiuncto elogio eorum per quos primùm occupata regio fuerit: cuius rei inſigne exemplum Thomas Phaſelus nobis conſeruauit, quo primores eius partis Siciliæ quæ Panhormo adiacet, cultores & habitatores Chaldæos ſeu potius Idumæos fuiſſe teſtatur, alterum verò noſtro tempore à Luſitano duce ſtatutum fuit in orientalis Indiæ maritima ora, quam gens illa primam occupauit; quod tamen propter importunum eorum qui in lapide appellabantur, de nominum ſerie certamen atque diſsidium, inuerſum in muro locãdum curauit dux ipſe, inſcri-* De rebus Sicul. Dec prio. lib. 5.

ptionemq́; adiunxit, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes. Huiuſmodi autem monumentum occupationis primæ regionis illius Ioſue hoc loco ſtatuit; certo tamen elogio addito auctoritatis & gloriæ ei adſcribendæ atque tribuendæ, cui proprio debebatur iure, hoc eſt Deo Domino vero, vnicóq; beneficiorum illorum omnium auctori. Hoc eſt quod deinceps explicandum aſſiduaq́; declaratione commemorandum declarat.

Per arentem alueum tranſiuit Iſrael Iordanem iſtum in conſpectu noſtro donec tranſiretis, ſicut fecerat prius in mari rubro, quod ſiccauit donec tranſiremus.

RELIGIONIS *rationes eas maximè quæ ad beneficiorũ Dei cõfeſſionem & commemorationem faciunt, neq. obſcurè tenendas, neq. negligenter reddendas, ſed dilucidè, ſtudioſeq; recolẽdas et referẽdas docet hoc Ioſue decretũ. Quippe non tantùm dixit, reſpondebitis, neq. reſponſi huius referetis ſummam aliquam: quibus verbis id fiat, nihil retulerit: ſed apertè dixit, docebitis, ita vt ſingulos parentes filiorum magiſtros de rebus & articulis ijs conſtituat, quæ tã filijs quàm parentibus neſcire malum ſit. neq. ſolùm ſententiam vtcunque prolatam voluit, ſed certis ſacratiſq; verbis referendam, præſcripſit, vt eiuſdem & cognoſcendi, & referendi, atque laudandi diuini beneficij ſicut vna veritas ſuberat, ſic vna etiam oratio conſtans ſibiq́; conſentiens ab omnibus recitaretur, & caneretur: ideò inquit, & dicetis. Iam verò id quod dicendum traditur, & prioris, & poſterioris magni miraculi in aquis tam marinis quàm fluuialibus facti monumentum continet. Cùm enim vtrumque ab vno Deo vnius populi cauſa factum ſit, atque vnius rei præſtandæ integritatem præceſſerit, alterum ſimul cum altero referri oportuit. Maris enim rubri diruptio, apertio, & exiccatio ſalutem ex Aegyptijs hoſtibus factam præceſſit, quæ prior terrenorum promiſſorum fuerat pars. Iordanis verò ſciſſio quietis obtinendæ initium dedit, quæ pars promiſſorum publicorum, eorundem terrenorum inquam, fuerat poſterior. Atque magna his duabus partibus promiſſorum ſpiritualium & cæleſtium per Ieſum Chriſtum præſtitorum ſignificatio continetur, quam nos hîc obiter contemplati & venerati conſultò in locum tempuſq; proprium differimus. Nunc verò in ipſa figura ad noſtram vtilitatem explicanda operam ponimus. Rei geſtæ narrationẽ, atque monumenti poſita*

ti poſiti explicationem à miraculo incipi Ioſue vult; ne, quod fieri in huiuſmodi monumentis aliàs plerumq; ſolet, hominum virtuti, vel efficientiæ, ſed Deo potius omnis boni euentus auctori gloria tribuatur: ideò ait, Per arentem alueum tranſiuit Iſrael Iordanem iſtum: *vt tranſitus iſte non tribueretur carni & ſanguini, hoc eſt populo illi ea ratione qua homines erant; nulli enim mortalium hominum propter naturalem virtutem vel dignitatem hoc vnquã contigit, vt tranſiret Iordanem per arentem alueum, ſed Iſraeli cõtigit, hoc eſt populo illi ea ratione qua ad Iſraelis, hoc eſt cum Deo potentis dignitatem auctus euectusq; fuerat; hoc eſt, qua fidelis erga Deũ manebat. Neque verò hoc Iſrael ipſe ſibi effecit, ſed ab eo accepit, à quo vt Iſrael eſſet, acceperat; ideò ſubiungit,* ſiccante Domino Deo noſtro aquas eius in conſpectu noſtro. *nõ nobis, non vobis inquam Iſraelitis ſiccantibus, ſed Domino Deo noſtro, neque antea aut aliorum cauſa, ſed in conſpectu noſtro nobis videntibus, & exſpectantibus, & miraculo fruentibus; ideoq; ad perpetuam gratulationem ſingulariter obligatis.* donec tranſiretis, *vt veſtri cauſa tantum ſingulari prouidentia & efficientia beneficium hoc factum agnoſcatur. Multis ex Latinis codicibus tã impreſſis quã manuſcriptis omnia hæc pronomina ſecundæ perſonæ ſunt,* Deo veſtro in conſpectu veſtro, *ſicut Hebræi & Chaldæi codices habent, quadrátque lectio cum verbo* donec tranſiretis. *Facile enim ex contractione ſcripturæ, quam breuiaturã vocant, pro ur̃ legi potuit, atq. deſcribi nr̃, & ita in varia exemplaria transfundi: nos certè codicem Latinum elegantem habemus in membranis ſcriptum dono à Guadalupenſibus monachis acceptum, cuius litera hoc loco ambiguam lectionem facit: ſed vtrolibet modo legas, eandem obtinebis ſententiam, præterquam quòd ſecunda perſona ampliorem ſignificationem tenet hoc loco. Docet enim beneficium publicè populo factum ad poſteritatem vnà cum obligatione pertinere, non minus atque ſi poſteritas ipſa beneficium illud viuens atque ſentiens ſpectauiſſet accepiſſetq;, quippe certè atque re ipſa accepit. Nam quæ ſalus maioribus allata ad minores vſque propagatur, & in illo Iſraelitarum tranſitu omnis Iſrael præſens et futurus fuit collectus, ſicut in Noachi arca, omne hominum genus præſens & futurum ex aquis diluuij fuit ſeruatum; præſens inquam, atque adeò id etiam quod fuerat ante inundationem definito generis nomine, eo pacto, quo*

cto quo definiri tunc Deus voluit in filiis Seth, atque adeò in illis paucis, hoc eſt octo capitibus; cæteros namque omnes penitus deletos Deus voluit. Itaque vt nos fuimus in illa arca, ſic & Iſraelitarum qui præſentes in traiectione Iordanis fuerant, poſteritas omnis in illa traiectione fuit: Iuxta quam rationem Aaronem ſacerdotē in Abrahæ lumbis decimatum fuiſſe D. Paulus docet. Huiuſmodi iure in eccleſiaſticis & religioſis rationibus ſalutis cauſa inſtitutis filii à parentibus atque parentum procuratoribus obligantur, vt in baptiſmo Chriſtiano fieri nouimus. Hoc eſt quod apertè Ioſue explicat explicandumq́; docet, donec tranſiretis. *Quanquam verò hoc ad filios qui tunc minore etate erant, & cum parentibus, vel à parentibus ſublati tranſierant Iordanem, hæc oratio referatur; tamen ad omnem poſteritatē (vti diximus) pertinet: id quod in capitis fine declarabitur; ideò dictum, donec tranſiretis, vos filii quicunque horum lapidum rationem rogatis*. ſicut fecerat prius in mari rubro, quod ſiccauit donec tranſiremus, *nos patres veſtri, qui illo tempore viuebamus, & teſtes fuimus illius miraculi, noſtra & patrum noſtrorum cauſa editi. Huius autem commemorationis & confeſſionis, atq. huius monumenti conſeruationis cauſam duplicem eſſe ait Ioſue; hoc eſt existimationem tum virtutis & efficientiæ Dei apud omnes terrarum incolas, tum miſericordiæ etiam agnitionem atque obſeruantiam apud Iſraelitas.*

Vt diſcant omnes terrarum populi fortiſſimam Domini manum, & vt vos timeatis Dominum Deum veſtrum omni tempore.

MARIS *rubri tranſitum nonnulli ex gentibus Moſis ſapientiæ & arti tribuebant, quod vel ipſorum Aegyptiorum ſtudio factum putamus, qui dum illud opprobrium declinabant, & ſe ſuosq́; deos vero vnicoq́; Deo Iſraelitarum inuiſos eſſe audire impatienter ferebant, ad magicæ artis contentionem prouocarūt, vel etiam hominum errore & malitia, qui quod Dei prouidentiæ & virtuti adſcribēdum eſt, aliis minoribus, incertisq́; cauſis falsò adſcribunt; demum Sathanæ opera, qui Dei gloriæ hominumq́; ſaluti inuidens, callido contentoq́; conatu aduerſatur, cuius fraudi tribuendū eſt quidquid in Gentium libris de illo miraculo falſiſsimè traditur, vt in illo qui Beroſi* Iuſt lib. 36. *Chaldæi ementito nomine circumfertur libro, & apud Iuſtinū Trogi Pom-*

gi Pompeij abbreuiatorem appellatum: horum enim vanas narrationes ex inuento apud gentes mendacio profectas exiſtimamus. Cui mendacio impudenti diluendo occurrit hæc à Ioſue reſignata commemorationis & confeſsionis frequentis ratio; vt ſciant omnes gentes illa miracula non naturæ vi, non Moſis arte, & cõtentione, ſed vnius Dei virtute facta, eiuſdemq́ue auctoris opus fuiſſe alterũ, cuius & alterũ fuerit: hoc poſterius manifeſtè fuit Dei, cuius arcæ traiecturæ Iordanis aquæ ceſſerunt; id quod lapides cõſtructi teſtantur; cùm Moſes nõ adeſſet, cùm nulla inter homines de arte cõtentio fingi poſſet: quippe nulli alij præter filios Iſrael erant quibus beneficiũ illud ad tranſitus facilitatem, copiam & incolumitatem fiebat. Illud etiam alterum quamquam præſente Moſe, tamen à Deo fuit etiã factum eiuſdem qui tunc erat populi Iſraelitici cauſa: Neq. enim hoc arte à mortali homine fieri potuit, ſed Dei immortalis fortiſſima manu, *qua tunc Iſrael ab hoſtibus liberatus ſalutem accepit, ab eodemq́ue poſtea incolumitatem in Iordane atque promiſſæ regionis copiam eſt adeptus: hanc manum non Moſis, non hominis cuiuſquam, ſed Dei factis hoc monumento teſtatam, & veſtra aſsidua aſſertione aſſertam diſcent omnes terrarum populi. Vos verò vltra hoc Dominum hunc miſericordem ſalutiſq́ue auctorem certiſsimum, vobiſq́ue ſingulari prouidentia gubernatorem atque tutorem agnoſcentes & credentes, omni obſeruatione ac reuerentia intentoq́ue ſtudio coletis omnibus diebus. Namq. idem Deus tunc vobis patribuſq́ue noſtris adfuit, & proſpexit, qui nunc nobis & vobis proſpicit, & qui in poſterum vobis ſe timentibus & colentibus eſt proſpecturus. Siue igitur vobis faciles & ſecundæ contigerint res, ſiue duriores & aduerſæ euenerint, quæcũque, qualiacunque tempora inciderint, ille vnicus & ſolus auctor ille veſter Dominus, ille veſtrarum omnium rerum moderator & credendus, & debito cultu religionéque legitima obſeruandus eſt; ille inquam, qui & fluuios, & maria mutare, ducere, reducere, impellere, propellere, in ſuorum ſalutem & in impiorum perniciem poteſt; quíque vel his miraculis vos docuit, quales vos erga eum præbere, & conſeruare oporteat.*

CAPVT QVINTVM.

POſtquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum qui habitabant trans Iordanem ad occidentalem plagam;& cuncti reges Chanaan qui propinqua poſſidebant magni maris loca,quòd ſiccaſſet Dominus fluenta Iordanis corā filiis Iſrael donec tranſirent, diſſolutum eſt cor eorum.

DIVINORVM *miraculorum notitiæ certæ,quem duplicē euentum fore prædixerat Ioſue,eum re ipſa fuiſſe indicat hiſtoria, nempe terrorem Dei nominis hoſtibus incuſſum, & conſolationem atq. viuam ſpem verè piis factam: priorem autem, hoc eſt metum, formidinemq́. improbis impoſitam huius capitis initio legimus, magna ſignificatione vocis illius Ergo:quæ ſuperioris ſententiæ connexionem adfert. hanc enim Interpres noſter prudenter poſuit vice verbi Hebræi* VAIHI, *hoc eſt Et fuit. Ita fuit,inquit,vt Ioſue futurum docuerat: Ergo poſtquam vicinioribus Iordani regibus miraculi veritas comperta exploratáq́. fuit, ab his ad remotiores occaſum verſus habitantes perlata fama eſt, id quod celerrimè eſt factum. Nuntij autem ſumma erat,aquas Iordanis fuiſſe ſiccatas, non naturæ vi, non hominum arte, ſed Domini Dei virtute, idq́. cauſa filiorū Iſrael; non hominum aliorum cauſa, ſed vt illis opportunitas & cōmoditas maior crearetur inuadendi terram, vtq́. notum exploratumq́. eſſet omnibus, inuaſionis illius auctorem eſſe Dominum, illiuſq́. manum validam pro Iſraelitis pugnare. Intelligentes igitur nullam poſſe humanam vim obſiſtere iis, quibus naturam ipſam maris & fluuiorum obſequi iuberet Deus, diſſolutum eſt cor eorum, quod animi conſilia ſpectat, ita vt cogitare prouidereq́. ſibi nihil rectè ſcirēt. Quod vero ad corporis membrorumq́. virtutē & fortitudinē attinet,* nō remanſit in eis ſpiritus: *adeò vt neque conſilio neque viribus quicquam à ſe effici poſſe exiſtimaretur. Atque narratio ipſa rei geſtæ, ſingularem erga Iſraelitas prouidentiam atque tutelam Dei probabat manifeſtè,* quòd ſiccaſſet Dominus fluenta Iordanis donec tranſirent. *Illorum enim tranſitus cauſa ſiccata indicabat apertè, quòd non antea fuiſſent ſiccata quā illi præſentes ripæq́. viciniſſimi eſſent, & quòd tantùm ſiccata fuerint quoad tranſirent. Apparet autem ex hoc loco magnam curā fuiſſe iniectā omnibus Cananæorū regibus, & populis*

certio-

certioribus iam factis aduentus proximi filiorum Iſrael,& mandata legationesq́; miſſas à remotioribus ad proximos Iordani reges, vt ad Ierichũta & alia loca, quib. curaretur, vt ea quæ apud Iſraelitas agerẽtur perquàm diligenter cognita, quã maturrimè omnibus aliis ſignificarentur, quorum vt commune periculum erat, ita & commune conſilium auxiliumq́; eſſe oportebat. atque hoc pacto miraculum apud Iordanem factum, omnibus ijs etiam qui vltima regionis illius loca, ſecundum mare quod mediterraneum à noſtris dicitur, incolebãt, per celeres nuntios ſignificatum diligenter explicatumq́; eſt, circumſtantijs locorum, perſonarum, atque temporis adnotatis omnibus, ex quo effectum eſt vt omnes pariter turbarentur, terroreq́; nimio commouerentur; veriſsimumq́; eſſe oſtenderetur id quod exploratoribus dixerat Rahhab: Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum. Sup. 2. Geographiæ rationẽ quoniã in ſacro Apparatu abundè expoſuiſſe videmur, hic nullam explicamus, præterquam quòd neceſſe fuiſſe arbitramur hanc rem, quæ à finitimis Iordani fluuio ad proximos mari reges celeriter eſt delata, fuiſſe etiam mediterraneis indicatam: id quod duplicem in partem diſtributa regio declarat. Quippe omnes in vniuerſum, qui à media regione Iordanem verſus habitabant, Emorrhæorum: qui verò occaſum reſpiciebant ad mareq́; mediterraneum vſq. Lib.Can. pertinebant, Cananæorũ reges dicuntur cõmunibus vocabulis, quamquam aliàs omnes Cananæi & eſſent & dicerẽtur; vt nos in illo Opere docebamus. Hos quos Verſio noſtra propriè Cananæos appellat, Græci interpretes vocabulo Græcis familiari & frequenti, Phœnicas dicunt. Namque Græcorum vulgus etiam ſcriptorum ferè omnium propter celebrem maritimorum Phœnicũ conſuetudinẽ, omnem regionem illam communiter nunc Phœniciam, nunc Syriam Palæſtinam vocabant, exiguo adnotato diſcrimine earum partium, quæ vel ad meridiem, vel quæ ſeptentrionem verſus iacebãt. Atque illud etiam hoc loco obſeruatur, primos miraculi illius nuntios, non ad populos ſed ad reges fuiſſe perlatos, quorum vt præcipuum erat periculum, ita etiam & cognitionem primam præcipuamq́; eſſe oportuit. Atque hoc inter illos ita erat ſecretò conſtitutum rationibus ijs quas gubernationis gerendæq́; rei antiqui dixere, noſtri verò hoc tempore ſtatus vocant.

Eo tempore ait Dominus ad Ioſue: Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſrael.

INTERIM *dum hoſtium principum animi, metu inuaſionis filiorum Iſrael turbati, in vrbibus & arcibus muniendis occupabantur, neque vel vllum, vel minimum negotium Iſraelitis faceſſebāt, eodem tempore quo hi tranſmiſſo Iordane iam terras tenebant, verùm nondum in vllius loci poſſeſſionem erant deducti, iuſſus eſt Ioſue, vtpote totius populi dux Imperatorq́ ſummus, & prophetici etiam ſpiritus miniſter, rem curare illius gentis conditioni neceſſariam: hoc eſt, circumciſionem publicè celebrari omnium qui hactenus per totum iter non fuerant circumciſi. Namque initi cum filijs Abrahæ, hoc eſt cum ijs ad quos diuinorum beneficiorum promiſſa pertinerent, fœderis hoc ſignum eſſe Deus voluit in carne impreſſum; ita vt nemo populi illius communione vti poſſet, qui ſignum huiuſmodi non haberet, ſicut ſcriptum eſt: Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit, excindetur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Atque hoc præceptum & pactum ſanctum adeò eſſe quondam voluit Deus apud omnes fœderis illius cultores, vt Moſes ex Madian in Aegyptum redire iuſſus, quòd ad populum ſuum duos filios incircumciſos deduceret, graui ac periculoſo morbo affectus culpæ non effugerit pœnam. Nūc verò cùm Iſraelitas omnes in promiſſam regionē collocare Deus pararet, Ioſue circumciſionem publicam diligenter curare iubet, ne vir quiſpiam in populi illius iura & commoda admitteretur incircumciſus. Atq. magnum hoc loco in figura myſterium nobis indicatur ad Ieſu Chriſti veritatem in nouo teſtamento oſtendendam, quam pro votis aliquando cognoſcere & explicare benigniſſimus dabit Deus, idem qui, quod figurā ſpectat, certo decretoq́ conſilio Ioſue duci manu faciendam circumciſionem diligenter commendauit. Oportuit autem rem tam grauem, tamq́ neceſſariam illius gentis imperatori ac prophetæ curandam committi. Prouidentiſſimè verò Deus ita rem temperat faciendam, vt & præcepto ſatisfiat, & hominum ſanitati minoriq́ incommodo caueatur: iubet enim cultros lapideos parari, quorum materiam non lapidem, ſed acutiſſimum ferrum fuiſſe intelligimus. Vocantur verò lapidei illi, qui quāprimùm ex cote ſublati ſunt, ita vt acutiſſimam aciem contineant. Hebraicè Cultros petrarū legimus, hoc eſt ex petris ipſis, cotibus inquam,*

Gen. 17.

quam, ad opus faciendum tunc primùm depromptos. Namque ex ſilice cultros quamuis ad ſcindēdum habiles effici poſſe occidētalis terræ incolæ noſtro æuo nobis cogniti vſu ipſo oſtenderint, non tamen eadem materia noſtro hemiſphærio eſt, neq. ſimilis atque illis, inopia ferri, ex quo acutiſsimi fieri poſſunt gladÿ, quales eſſe oportere ad circumciſionem illam Deus docebat, vtpote quam viri multi adultæq́; ætatis iuuenes & infantibus maiores pueri ſubituri erant, quorum durior caro acutiſsimum ferrū poſtulabat, vt præputÿ abſciſsio, citiùs, rectiùs, minoriq́; cum incommodo ac dolore expediretur. Similem omnino Idiotiſmum Hebraicū obſeruamus in illo Pſalmo, vbi Interpres noſter reddit elegāter: Auertiſti adiutoriū gladÿ eius; Hebraicè legimus, Auertiſti petram ſiue cotem gladÿ eius. Quippe cos gladÿ adiutorium eſt. Itaque Cultros lapideos cum Chaldæo interprete Cultros acutiſsimos exponimus; Hiſpanicè ſolet etiam dici Nauaſa quitada de la piedra: ad quam etiam phraſim Græca alludit verſio ἐκ πέτρας. Porrò illud obſeruandum eſt, hoc circumciſionis negotium eodem die quo Iordanis eſt transmiſſus, ſaltem eadem nocte fuiſſe præceptum, & poſtera luce cæptum & abſolutum. Namque illi decima die traiecerunt, & quintadecima menſis eiuſdem paſcha celebrarūt, totis ferè quadraginta annis intermiſſum. Nemo verò non circumciſus paſchatis epulo participare communicareq́; poterat. S.S. E. Circumcidetur omne maſculinum eius, & tunc ritè celebrabit. Oportebat autem totum triduum à circumciſione quieſcere propter vulnerum dolorem, & cætera incommoda, quæ antequam pus conficiatur, non quieſcentibus accidere ſolent vulneratis. Ex quo fit, vt vocem eodem tempore etiam ad tempus ſignificandū reſtringamus, quo fuit Iordanis tranſmiſſus. Quod verò additum eſt aduerbium ſecundò, *non bis circumcidendos eſſe ſignificat; nullus enim iteratò circumcidebatur, ſed diligentiā, ſtudium & aſsiduitatem vox* SENITH *in ſacra lingua indicat. pro qua Latinus Interpres, iterum, ſecundò, repetitò, & huiuſmodi alias reddere ſolet. Eſt autem ſententia, Vt ſemel atque iterum percurrantur caſtra, & circumciſio diligēter fiat, quoad intelligatur tandē neminē incircūciſum eſſe relictum: quippe quod iterū fit, ſtudium facientis demonſtrat. Vſurpātur verò huiuſmodi verba, ſecundò, iterum, repetitò, &c. quæ illam vocem* SENITH *Latinè referūt in frequentiæ, diligentiæ, & aſsiduitatis ſignificatione. Atque hæc*

Pſa'm. 88.

L. cotem. De Publicanis & vectig. ff.

Exod. 12.

ſatis apta expoſitio viſa eſt quibuſdam doctis: verùm alia nobis certa aptáque magis eſt quærenda, quæ voci ſecundò *ſimpliciter vſurpatæ ſatisfaciamus. Ea verò huiuſmodi eſt: Cùm primùm inſtituta fuit Circumciſio, & Abrahamo patri præcepta duo obſeruata fuerunt; alterum, quòd Abraham ipſe vnus ex miniſtris circumciſionis, idémq. præcipuus fuit; S.S.E. Tulit autem Abraham Iſmael filium ſuum, &*
,, *omnes vernaculos domus ſuæ, vniuerſosq. quos emerat, cunctos ma-*
,, *res ex omnibus viris domus ſuæ, & circumcîdit carnem præputij eo-*
,, *rum ſtatim in ipſa die, ſicut præceperat illi Dominus. Alterum verò fuit, quòd circumciſio publicè celebrata fuit, ita vt populus omnis, qui ad Abrahami familiam pertinebat, fuerit vna die circumciſus, vt ex eodem libro edocti ſumus. Ex illo autem tempore vſq. ad hunc diem, hoc quod Ioſue commendatum eſt, ſecundum publicæ circumciſionis fuit exemplum, quo populus multus atque frequens, omnes in vniuerſum qui incircumciſi reperiebantur, principe viro procurãte, eodemq. etiam operam ſuam in ea re ponente, circumciſi vna die fuerint, expreſſo Dei iuſſu, ipſi gentis ſummo duci, & patriæ, vt ita dicamus, patri facto. hæc ratio eſt quamobrem ſecunda circumciſio hæc appelletur. Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè Ioſue nomẽ appellatur hoc loco, cui ſecundo poſt Abraham, totius gentis circumcidendæ mandatum creditum fuerit. Cùm autem ſciret Ioſue ab ijs qui diuinorũ promiſſorum compotes eſſe optarent, præceptorum obſeruationem poſtulari, id quod ſibi iniunctum erat & commendatum, ſtudioſè faceſſit.*

Fecit quoq. quod iuſſerat Dominus, & circumcîdit filios Iſrael in Colle præputiorum.

IOSVE *ipſum huius operis miniſtrum fuiſſe, oſtẽdit apertè oratio* fecit quoq. *&c.* circumcidit *&c. vtpote Principem populi, & ſacrorum præceptorum cultorem ſtudioſiſſimum, non tamen ſolum; neque enim vnicus tantum numerum commodè circumcidere poterat tam breui tempore, cùm circumciſio non nuda, ſed certis precationibus, & carminibus ſacris, alijsq. ceremonijs celebraretur; quemadmodum à nobis in magno Opere deſcribetur Deo inſtruẽte: Igitur illius operis complures adminiſtros aſſumi oportuit, id quod Dei iuſſu declaratum eſt,* Fac tibi cultros &c. *Verùm in communi conſuetudine poſitum eſt, vt cuius operis quiſpiã præcipuus auctor eſt, is ſolus cõ-*
3.Reg 6. *memoretur. vt, Igitur ædificauit Salomon domum, & conſummauit eam.*

eam. Verbum fecit quoque, *ad cultrorum apparationem eſt referendum, vt ex Hebraica, Chaldaica, & Græca lectione conſtat. Quod verò loci nomen appellatur,* in Colle præputiorum; *exponendum eſt ex perſona ſcriptoris, cuius tempore nomen illud celebre notumq́. erat. Quippe ante circumciſionis illius celebritatē collis ille erat: Cui tamē nomen hoc impoſitum fuit in monimentum rei in illo confectæ. Quamobrem etiam collem potius delectum arbitramur, qui vt conſpicuus erat, ita rei geſtæ commemorationem procul etiam aſpicientibus aſsiduam referebat. atque ita Chaldæus interpres exponit, In colle quem vocauerunt Collem præputiorum. Huius verò circumciſionis publicè nunc curatæ, frequentiaq́. magna circumciſorū celebratæ rationem ſacer hiſtoricus reddit:* Hæc autem cauſa eſt ſecundæ circumciſionis. *Hanc ſummam eſſe rationem indicat huius circumciſionis diligenter à Ioſue curatæ & celebratæ. itaque* ſecundæ *vocabulum quod Latinè hîc legimus, quemadmodum exponendum ſit, iam oſtendebamus. Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè expoſitione non indiget. rationem audiamus:*

Omnis populus qui egreſſus eſt de Ægypto generis maſculini, vniuerſi bellatores viri mortui ſunt in deſerto per longiſſimos viæ circuitus.

V NIVERSAM *illam ætatem in duas partes primùm diuidit hiſtoriæ ſcriptor; quorum alterā deinde rurſum partitur: Illo, inquit, quadraginta annorum tempore populus ille Iſraeliticus duabus primùm partibus cōſtabat: Altera eorum qui in Aegypto orti ex Aegyptoq́. profecti fuerant: Altera verò eorum, qui in itinere fuerant nati: Rurſus ij qui ex Aegypto educti fuerant, partim vigeſimum exceſſerant annum, belloq́. exercendo apti erant, partim ætatem hanc nondum attigerant. Omnes verò in vniuerſum ij, qui ex Aegypto diſceſſerant, circumciſi erant: quippe in Aegypto circumciſionis præceptum & tenebant, & obſeruabant; neque populi illius iure, ac nomine cenſeri poterant non circumciſi. Ideò autem conſultò vocantur hoc loco Populus. Verùm enimuero ob incredulitatem ac diffidentiæ admiſſum peccatum, quotquot vigeſimum exceſſerant annum, indignos ſe reddiderunt, quibus diuinum promiſſum præſtaretur. Atque hi omnes præter Ioſue & Chaleb, illis quadraginta annorū vagationibus in ipſa ſolitudine fuerūt extincti: ſupererant autem*

ij qui

ij qui in Aegypto fuerant nati, viginti annis minores eo tempore, quo regionis potiundæ ſpe deiecti ſunt ij, qui hos ætate anteibant. at hi omnes circumciſi erant, populiq́; nomen tuebantur: hoc eſt quod exponit, qui omnes circumciſi erant; *& de his nihil agere eſt iuſſus quod circumciſionem ſpectaret. Supererãt etiam illi alij qui in ſolitudine fuerant nati poſt ſecundum annum quo ex Aegypto ſunt profecti: hi quamquam ad populum pertinebant, vtpote filij Iſrael ſecundum carnem, atque eadem fide cum cæteris præditi, eadem pietatis doctrina imbuti, atque inſtituti, tamen fœderis illius arcani ſymbolum non ferebant: ideoq́; non poterant eiuſdem populi pleno iure muneribus frui, niſi circumciderentur. hoc eſt quod proximè ſubiungitur:*

Populus autem qui natus eſt in deſerto per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis, incircumciſus fuit.

DISCRIMEN *manifeſtum indicat lectio ipſa inter eos qui ex Aegypto prodierunt, & eos qui in ſolitudine nati ſunt: maximeq́; agnoſcitur diſcrimen articulis Hebraicæ, Chaldaicæ, & Græcæ linguarum, quibus Latinus caret ſermo. Legimus namq. illis linguis: Et populus illorũ natorũ in deſerto: ita vt aliquid in illis requiri videatur, quominus populi pleno iure cenſeantur. Requiri autem declarat circumciſionem, non ipſorum vitio vel culpa neglectam, ſed propter itineris importunitates & incertitudines dilatam. Hanc autem cauſam apertè ſignificauit auctor, loco, tempore, & negotio indicatis:* In deſerto per quadraginta annos itineris. *Primùm deſertus locus, neque certã præbebat ſedem, neque inpræſentiarum commodam. Deinde verò totum illud tempus itineris fuit, & inter agendum iter non licebat quemquam circumcidi, propter vitæ periculum ijs proximum, qui intra triduum à circumciſione loco mouerentur. Incertum verò illis omni in loco fuerat ſoluendi atque migrandi hora: S.S.E. Cúmq́; ablata fuiſſet nubes, quæ tabernaculum protege-* Num. 4.
,, *bat, tunc proficiſcebantur filij Iſrael, & in loco vbi ſtetiſſet nubes,*
,, *ibi caſtrametabantur, ad imperium Domini proficiſcebantur, &*
,, *ad imperium illius figebant tabernacula. Quamquam verò in Sinæ montis ſolitudine, paſcha celebratum dicatur ſecũdo anno poſt egreſſum ex Aegypto, atque eos qui illo paſchati interfuerint, circumciſos eſſe oportuerit, diſsimilis tamen ratio hæc ab illa fuit. namque illo*

*ſecun_*

ſecundo anno natos circumcidere illis licuit & vacauit, vtpote illo loco totò illo ſpatio commoraturis, quo tabernaculum conſtruebatur, erigebatur & conſecrabatur. Oſtenditur autem ratio tantæ multitudinis circundandæ ante occupatam poſſeſſionẽ alicuius vrbis & ſedis in quiete promiſſa.

Donec conſumerentur qui non audierant vocem Domini, & quibus ante iurauerat vt non oſtenderet eis terram lacte & melle manantem. horum filij in locũ ſucceſſerunt patrum, & circumciſi ſunt à Ioſue, qui ſicut nati fuerãt, in præputio erant, neque eos in via aliquis circumciderat.

IVSTVM *Dei iudicium in eos qui diuinis promiſſis non crediderant, commemoratur opportuniſſimè; ſignificaturq́ apertè, diuina promiſſa non præſtari, niſi ijs qui & fide & ſanctorum præceptorum obſeruatione vocationem ſuam certam facere ſtuduerint; alijs verò quamuis vocatis, quamuis fœderis ſigno munitis, quamuis etiam ex priori obſcura & laborioſa conditione eductis, tamen nõ permanentibus ac perſeuerantibus vſque in finem, repulſam eſſe decretã. S. S. E.* Rom.7. *Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo, nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, &c. Quam figuram cùm Chriſtus ipſe indicaret, aiebat; Non omnis qui* Matth.7. *dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Hanc adeo rem apertè ſacra explicat hiſtoria;* donec conſumerentur, qui non audierãt vocem Domini. *Quòd verò ait filios in parentum locum ſucceſſiſſe, eò ſpectat, vt diuina conſilia, & promiſſa euentu ſuo non poſſe carere doceamur. Namque ſine pœnitentia ſunt vocatio & dona Dei, vt Apoſtolus ſapientiſſimè ait. Quòd* Rom.11. *ſi aliquando differantur promiſſa, id culpa hominum accidere, qui ſeſe indignos reddiderint promiſſorum fructu. ijs autem ob fidei aut officij defectum abdicatis & repudiatis alios ſubſtitui, quibus promiſſa præſtentur beneficia, ſiue repudiatorum filios in officio tamen conſtantes:*

ſtantes: quòd ſi neque hi conſtiterint, non defuturam tamen gētem, quibus miſericordiam ſuam admirabilem, promiſſorumq́; cōſtantiam & veritatem probet Deus, qui Abrahæ filios vel ex lapidibus ſuſcitare poteſt. Hoc eſt quod illa oratione ſignificatur, horum filij in locum ſucceſſerunt parentum. *Hebraicè idem verbum eſt quo Ioannes Baptiſta eſt vſus: Et filios illorum ſuſcitauit pro illis. Deus ipſe parentum loco filios ſuffecit, quibus promiſſam præſtaret requiem, & ex incircumciſis, circumciſione vna die celebrari iuſſa, aptos reddidit ad populi Iſraelitici nomen plenè obtinēdum, & promiſſorum Abrahæ factorum capiendum vſum.* Math. 3.

Poſtquam autem omnes circumciſi ſunt, manſerūt in eodem caſtrorum loco donec ſanarentur.

PRÆCEPTVM *diligenter obſeruatum docet oratio,* Poſtquam omnes circumciſi ſunt. *Deinde indicat quot dies in illo loco curationis cauſa conquieuerit populus, nimirum quatuor ad minimum; tribus enim totis in dolore atque debilitate fuerunt, vt nos in Opere magno, cùm de medicina diſſeremus, Deo propitio, oſtendemus. Facile autem cognitu eſt illos intellexiſſe totis illis quatuor diebus non eſſe illinc migrandum. Siquidem cùm circumcidi publicè iuberentur à Deo, ab eodem ſperandum exſpectandumq́; erat tempus ad ſananda vulnera. Ita enim Deus his qui in ſe credunt vitæ labores temperat, vt nullam ipſe cum præceptorum obſeruatione pugnantiam difficultatémue periculoſam offerat: ſi quid verò ſua iuſſa faceſſentibus, ſincereq́; agentibus incommodi difficultatisq́; extrinſecus euenerit, id credendum eſt ad fidei & conſtantiæ periculum faciendum permitti ab ipſo, qui non patietur tentari ſuos vltra id quod poſſunt, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum.*

Dixitq́; Dominus ad Ioſue: Hodie abſtuli opprobriū Ægypti à vobis. vocatumque eſt nomen loci illius Galgala vſque in præſentem diem.

VARIA *à multis acutè & ingenioſè ad huius loci expoſitionem cogitata atque deſcripta vidimus; quæ dum legentium iudicio relinquimus, rem ipſam ex verborum ſignificatione atque ſacra lectione quamſimpliciſſimè explicabimus. Primùm igitur huius nominis Opprobrij ſignificatio eiuſmodi eſt apud Latinos, vt culpæ alicui vel ob officium deſertū, vel vitium cōmiſſum, vel etiam dignitatis propriæ pro-*

proditionē notatæ tribuatur, quāquam hoc verbū quod ſciamus à Cicerone vſurpatum non legatur: legitur tamen apud elegantes & diſertos ſcriptores: vt, Quid multa? pudicum Qui primus virtutis honor ſeruabat ab omni Non ſolùm facto, verùm opprobrio quoq; turpi: &, Ille & nefaſto te poſuit die Qui primus ſacrilega manu Produxit arbos in nepotum Perniciem opprobriumq; pagi. &, Cecropiæ domus Aeternū opprobrium quòd male barbaras Regum eſt vlta libidines. Atque hoc nomen, ſapienter & aptè admodum ab Interprete noſtro vſurpatum eſt ad reddendam vim Hebraici verbi HHARAPH, & HHERPATH: *cuius vſus in eadē ſententia eſt, qua Opprobrium apud Latinos: In quem ſenſum Rachel dicebat; Abſtulit Dominus opprobrium meum: quòd ſacra, Deoq; inuiſa antea ex ſterilitate exiſtimaretur. & Nahas Ammonites obſeſſis à ſe Iabeſinis dicebat; In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam oculos veſtros dextros; ponamq; vos opprobrium in vniuerſo Iſrael. Opprobrium autem futurum, erat ignominia & nota Iſraelitis inurenda, vt qui fratribus obſeſſis auxilio eſſe vel noluerint, vel non valuerint. Igitur cùm Aegyptij ad declinandam illius acceptæ cladis infamiam, & Deorum etiam ſuorum ignominiam (vt eſt fere omnium hominum contumax & ſuperbum ingenium) nihil non fingerent, velut Iſraelitas non ſpontè & deliberato conſilio, ſed coactos propter ſuillam lepram, vt quidam vanè ſcribebat, vel propter tumultus, vt alij dixerunt, è regione exceſſiſſe. Vel ſi maximè euincerentur, Dei numine, conſilio & virtute liberatos, & eductos migraſſe; tamen non propitio ſed auerſo infeſtoq; Deo ſuo illos deductos, non in meliorem conditionem transferendos, non in beatiora traducendos loca, ſed occidendos in ſolitudine, vtpote ſibi inuiſos & exoſos. alij verò omnino illis Deum eſſe negarent aliquem fauentem; ſicut & Pharao dixerat aliquādo, ſe neſcire quiſnā eſſet ille Hebræorum Deus nomine* IEHVEH. *alij verò Deū illis præeſſe non inficiarentur, ſed qui illos cùm in promiſſam regionem deducere non poſſet, in ſolitudine detineret penitus extinguendos. Huiuſmodi enim voces à gentibus, maximeq; ab Aegyptijs ſpargēdas et ſparſas, in ſacris libris audire eſt: Cuiuſmodi opprobrij genus Moſes aliquādo deprecabundus orabat; Cur Domine iraſcitur furor tuus cōtra populum tuum quem eduxiſti de terra Aegypti in fortitudine magna,*

Marginal notes: Horat. lib. 1. Sat. — Lib. 2. od. 13. — Lib. 4. od. 12. — Gen. 30. — Exod. 32.

„ *& in manu robuſta: Ne quæſo dicant Aegyptij, Callidè eduxit eos,*
„ *vt interficeret in montibus, & deleret è terra. Hoc opprobrium quod Moſes metuebat, ſi primo anno quo Iſraelitæ ex Aegypto educti ſunt interficerentur; conſentaneum maximè eſt fuiſſe obiectum & diffamatum, toto quadraginta annorum ſpacio, quo Iſraelitæ omnes per ſolitudines vagabantur, in quibus etiam morichantur, ita vt nullus viginti annis maior ex ijs qui ex Aegypto ſunt profecti, præter Ioſue & Caleb ſuperſtes fuerit: atque adeò anſa videtur data Aegyptiorum malitiæ ad affirmandum nullum Deum illis fauere, nullas ſedes eſſe promiſſas, nullas obtinendas, mentitos fuiſſe omnes qui hac ſpe vel opinione, vel hoc prætextu, exceſſerint ex Aegypto, illorumq́; vanitatem euentu ipſo conuictam, quandoquidem omnes in ſolitudine perierint, totiſq́; quadraginta annis nihil præter errores vagationesq́; fuerint aſſecuti; neque illos numinis præſidio auxilióue aliquo ſingulari vti, neque virtute ſua tantum poſſe, vt quietis locum ſibi pararent aliquem in regione quæ vel miſerum & horridum victum culta ſuppeditare poſſet. Hoc opprobrium Aegyptiorum Deus ſuffectis in parentum locum filijs, & circumciſionis fœdere ſibi adſcriptis, vltraq́; Iordanem traductis, & in regione promiſſa figentibus iam tentoria abſtuliſſe ſe ait, eodem die quo verè dici potuit populum omnibus partibus Iſraeliticũ definitum, ex Aegypto eductum partim, partim verò in itinere prognatum, in Cananæorũ & Amorrhæorum regione viſum quieſcentem, adeo vt, quod nunquam antea vacauerat, circumciſionem publicè celebraſſe, & ſanitatis cauſa tribus diebus conquieuiſſe, certum exploratúmque ſit; deinde poſtridie Paſchatis feſtum diem publica lætitia, ſolenni ſtatutóque more, & legitimis ceremoniis agitatum. Omnia hæc Aegyptiorum opprobrium procul remouebant, in cuius rei perpetuum monumentum, loco nomen eſt impoſitum:*

Vocatumq. eſt nomen loci illius Galgala vſque in præſentem diem. Manſeruntque filij Iſrael in Galgalis, & fecerunt Phaſe quartadecima die menſis ad veſperum in campeſtribus Iericho.

HISTORIA *ipſa his verſibus expoſita, certiſq́; verbis exornata, loci huius totius enarrationem apertè indicat. Nam loco nomẽ factum, imponendi nominis ius oſtendit & ſignificat, maximè cùm*

nomen nemine obſcurante vel reſcindente perdurauerit. Fuit autem nomen ab eodem verbo factum, pro quo Interpres noſter vertit, abſtulit: eſt enim verbum GALAL, *à quo geminatis vltima & prima literis,* GILGAL *nomen eſt deductum. Idem verò collis aſſini vocabulo, appellatus eſt Collis* GARALOTH, *hoc eſt, præputiorũ collis, propter ſepulta in ipſo præputia. Deinde quies ipſa & mãſio in compeſtrib. Iericho, nullo interturbãte, atq. adeo feſti ſolẽniſsima agitatio, eaq; die ſtatuto quartadecima menſis, hora etiam aſsignata, veſperi ex more atq. ritu: quid præterea requiri poſſet, quominus illi Deo curæ ſingulari eſſe, & promiſſa regione iam potiri dicerentur, idque Iſraelis nomine atque titulo, quod etiam verbum,* manſerunt, *ſignificat, & redditum ex Hebraico* IAHHANV, *cuius vis manſionem cum quiete exprimit. Illud etiam manifeſtè cõfirmat, illos non vt aduenas & peregrinos, neque vt amplius deinceps vagaturos, ſed vt ciues terræq; dominos, illic conquieuiſſe; quod mox ſubiungitur:*

Et comederunt de frugibus terræ die altero, & azymos panes, & polentam eiuſdem anni.

ANTEA *enim dum vagi inſtabilesq; eſſent, neque certa manſione neq. loco vterentur frugum humaniq; victus fertili, ſuppeditato in ſingulos dies cælitus manna paſcebantur, ex quo nihil in poſterum diem reponebant, tanquam hoſpites ac peregrini, quibus plerumq. in diem viuitur. Quòd ſi vt alienos fines aut agros cultos pertranſirẽt, eueniret, nihil omnino, neq. aquã abſq. pretio ſibi in vſus capiendam, & intelligebant, & affirmabant, vtpote quibus alienis rebus inuito Domino vti, lege fuiſſet interdictum. Nunc vero poſtera à paſchatis veſperæ die in terram ſibi promiſſam atq. à Deo traditam cõmoratis, cibos ex Canaan regionis agro, ſibi tã ad ſacras, quàm ad prophanas epulas colligere & parare licuit, vtpote dominis iam & poſſeſſoribus proprioq; iure fruentibus: id quod non tantùm illa die, ſed toto labente deinceps anni tempore facere donatum fuit.* polentam. *Ex frumenti igne toſtis cibi genus paratur, quod ſacra lingua* KALVI *dicitur, idq; Interpres noſter aliàs in hunc modum deſcripſit: Si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de ſpicis adhuc virentibus torrebis igni, & confringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Domino, &c. Hæc appellatur hoc loco Polenta eiuſdẽ anni; ad ſignificandum, Iſraelitas primo menſe regionem ingreſſos,* Leuit. 2.

terræ

terræ frugibus vti cœpiſſe, eo modo, quo per anni tempus vti licebat, hoc eſt, toſtis igni, ex quibus polenta parari poſſet.

Defecit manna poſtquam comederunt de frugibus terræ, nec vſi ſunt vltrà cibo illo filij Iſrael, ſed comederunt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan.

ADMIRANDA *diuinæ prouidentiæ ratio hoc verſu ad conſiderandum & in noſtram vtilitatem obſeruandum proponitur; vt quiſquis pietatem purè ſanctéq; coluerit, intelligat, nulla præſentium aut futurorum temporum difficultate aut incertitudine ſollicitum anxiúmue ſe eſſe debere; vtpote qui manifeſtis exemplis cognouerit, Deo curam eſſe ſingularem commoditatis eorum, qui ſe colunt. Namque ille Iſraelis filios à ſe vocatos, & ex Aegypto eductos, ſuúmque iuſſum ſecutos, antequam in promiſſam regionem lacte & melle manantem induceret, quamuis totis quadraginta annis per vaſtam ſolitudinem deduxerit, in qua nihil omnino humano victui opportunum, vel ſponte natum, vel cultura & induſtria comparatum inueniri poterat; quia tamen ipſe illius profectionis & vocationis auctor erat, admirando cibi genere, hoc eſt, pane cæleſti, omnem ſuauitatem in ſe habente, in ſingulos dies abundè ſuppeditato, pauit, quoad in promiſſæ regionis, fructibus refertiſſimæ, poſſeſſionem immiſit, atque fidem dicti ſui feliciſſimo euentu liberauit. Quemadmodũ enim aues dum pullos in nidis alunt, dumq; ad volatum exercent, è nidoq; eductos per aëris tractus diuersè agunt, cibis in ſingulos dies per opportunas horas allatis, & in os iniectis alunt, quoad illi locorum rerumq; peritia, & commodis inſtructi viribus, nidos & cubilia ſibi optare, & eſcas quærere, & inuenire poſſunt: ſic hunc populum Deus ſibi ſuſceptum quamdiu per ſolitudinẽ erudiendũ, inſtruendum, ſibique in regnum aptandum circumduxit, nullis ad vitam honeſtè viuendam neceſſariis rebus carere paſſus eſt: Deinde verò vbi promiſſi ſui præſtandi maturum tempus acceſſit, ſolo, omnium quæ ſub cælo iacent amœniſſimo atque beatiſſimo, locauit; tunc verò cibo illo ad tempus ſuffecto*
Exo. 16. *non amplius fuit opus, vt apertè in lib. Legis exponitur: Filij autem Iſrael comederunt manna quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem; hoc cibo aliti ſunt, vſquequò tangerent fines terræ Chanaan. Quam rem rationemq; omnem tanquam præſentem intuitus, vel potius vt præteritam iam certiſſimamq; commemorans*

Moſes, per enthuſiaſmon præcinebat: Inuenit eũ in terra deſerta, in "
loco horroris & vaſtæ ſolitudinis circunduxit eum & docuit, & cu- "
ſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui. Sicut aquila prouocans ad volandum Deut. 32. "
pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas, aſſumpſit eum "
atque portauit in humeris ſuis. Dominus ſolus dux eius fuit, & non "
erat cum eo Deus alienus. Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt "
comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, oleumq́; de ſaxo "
duriſſimo, butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum "
& arietum filiorũ Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſangui- "
*nem vuæ biberet meraciſſimum. hoc eſt quod hoc loco hiſtoria ſignifi-
cat,* comederũt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan. *Nam-
que regio hæc illis fuerat promiſſa, non alia; quæ nunc iam tradita, quas hoc anno produxerat fruges, illis tanquã dominis hoc anno ſup-
peditauit, quo anno adhuc terra Chanaan vocabatur, donec expulſis et occiſis incolis, Iſraelitica terra appellari cœpta eſt. Itaque fertilitate terræ non ſolùm ſuo ſed alieno etiam labore vſi ſunt, ſicut illis admo-* Infr. 24.
nitionis cauſa fuit poſtea à Ioſue commemoratum. Deditq́; vobis ter- "
ram in qua non laboraſtis, & vrbes quas non ædificaſtis, vt habitare- "
tis in eis, vineas & olıueta quæ nõ plantaſtis. Quod verò dicit, præ- "
ſentis anni; *ſignificat illis largam ciborum copiam ex fructibus iam productis toto illo anno ſuppetiſſe, neque opus fuiſſe quamuis non laborantibus, quamuis in vrbium expugnatione, & in bello occupatis, cibos aliunde coëmptos aut ablatos aſportare, ſed* terræ Chanaan. *Simul etiam illud indicatur, magnam ijs qui bellum inferunt commoditatem, magnam rurſus ijs qui bellum ſuſtinent incommoditatem adferri, cùm vtrique ex eadem regione quæ expugnatur, aluntur: fieri namque non poteſt quin expugnantibus vilius, propugnantibus cariùs annona cõmeatusq́; conſtet. Atque bonam partem opportunitatis ad bellum gerendum in rei frumentariæ copia vel inopia ineſſe, manifeſtè conſtat; quamobrem ſapientes atque ſtrenui imperatores hoſtem non expectare, & in ſua vel ſociorum regione excipere, ſed maturè in ipſa hoſtili quærere, aggredi & occupare conſueuère. Sic Ioſue ipſo anno quo Chanaan regionem expugnabat, ex eiuſdem regionis fructibus, victum & cõmeatum, ſibi, exercitui, & omni populo parabat.*

Cùm

Cùm autem eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe euaginatum tenentem gladium, perrexitq́; ad eum, & ait, Noſter es an aduerſariorum?

LOCI *huius breuitas expoſitores ſimplicem ſententiã quærentes premere viſa eſt; quippe Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè ſic verſus incipit:* Et fuit cùm eſſet Ioſue in Iericho: *noſtra vero Verſio habet,* Cùm autem eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho. *Quòd ſi de loco & ſitu exponatur oratio, videri poſſet ſuperuacaneè inducta, quippe ea omnia, quæ poſt Iordanem tranſmiſſum acta ſunt, in agro Ierichuntis vrbis ſunt acta; vt lapidũ collocatio, circumciſio publica, feſti celebratio, atque adeo Man colligendi finis. aliam verò ſententiam non videntur aſſecuti multi ex interpretibus Hebræis, præſertim qui cùm legerent* in Iericho, *expoſuêre in fine ſiue iuriſdictione Iericho, aſſerentes ex hac lectione, vrbis alicuius terminum omnem vrbis nomine cõtineri. Verùm aliud præterea nobis oratio ipſa, & vt Hebraicè, & vt Latinè legitur, ſignificat: primum verbũ illud* & fuit, *certam, animaduerſioneq́; dignam indicat rem. Deinde quòd ſubiungitur, Ioſue fuiſſe* in Iericho, *ſiue vt Latinè legimus,* in agro vrbis Iericho, *illud ſignificat, videlicet Ioſue, peracto iam feſto, atque obtenta regionis parte, in qua Mannæ vſus deſierat, intellexiſſe tempus eſſe inuadendi atque expugnandi vrbes, de eaq́; re ſecum animo agitanti, primam fuiſſe Ierichunta vrbem, cuius expugnationem meditaretur, vti ſtrenuum, ſedulum & vigilem ducem decuit: voluebat enim cura & cogitatione vrbis ſitum, agrorum naturam, murorum munitionem, oppidanorum & propugnatorũ numerum: apud ſe æſtimabat tempus opportunum, inuaſionis formam, cæteraq́; curabat diligenter, &, an obſeſſione, an irruptione, an oppidanorum ad pugnam prouocatione experiundum eſſet, & cætera ad huiuſmodi negotiũ bellicum pertinẽtia, quibus curam ſtudiumq́; ab optimo Duce poni, conueniens conſentaneumq́; eſt. Itaque orationẽ illam,* cumq́; eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, *ſiue illã,* cumq́; eſſet Ioſue in Iericho; *ad mentem, curam, cogitationem, & ſtudium referimus. Cuiuſmodi orationes nõ diſſimili ſententia in noſtris etiam linguis obſeruare eſt, vt apud Poëtam: Neſcio quid meditans nugarum, totus in illis. & apud Comicum: Illius cuiuſpiam animus in patinis eſſe dicebatur.*

Horat. lib. 1. Sat.

dicebatur. Hiſpanicè cùm aliquis monetur, interrogari ſolet, Eſtays en lo que digo ? eſtays en eſto ? *Ita cùm Ioſue totus in Ierichuntis expugnandæ, ipſiuſq; tam vrbis quàm agri omnis obtinendi ratione & cogitatione eſſet poſitus, admirabili opportunoq; ſpectro atque reſponſo Dei prouidentiæ ſingularis, monitus edoctusq; fuit. Quòd vero ſimulatq; conſpecta imago atque audita vox oculos animumq; ducis huius feriјt, ſtatim fides monitis eſt ſubſecuta; nullo ad veritatem cognoſcendam expectato aut poſtulato ſigno (vt aliàs apud ſanctos homines Gedeonem, Manueq; vxorem, & Manue ipſum factum legimus) in cauſa fuit ſpectri huius magnitudo atque dignitas ipſo ſenſu admiranda. Primùm enim virilis ſpecies ſibi vni oſtenſa: deinde habitus ipſe, nempe expugnatoris & bellum gerentis: deinde ſitus* Stantis contra ſe. *Argumento ipſi fuerunt viri pugnatores & fortes ad bellumq; prompti: iuit verò ipſe ſolus ad illum, quem ſolus ipſe & nemo præterea conſpexerat, vt indicat lectio:* Stantem contra ſe. *Ideò intellexit, diuinum viſum, à Deoq; obiectum eſſe: rogat igitur* num noſter es an aduerſariorum? *Id eſt, fortem & bellatorẽ te eſſe agnoſco ex ipſo habitu & ſitu, verùm cui ſis auxilium laturus, incertum adhuc habeo, niſi ipſe indicaueris.* noſter: *id eſt in auxilium noſtrum.* aduerſariorum: *eorum qui nos premere, vrgere, expellereq; cupiunt. ſic exponimus hanc vocem ex verbo* LETZARENV. *Quod cùm bellicum vocabulum eſt, idem quod apud Latinos Hoſtis, ſignificat. Hebraica conſtructio genitiuo atque datiuo ſimul explicari poteſt ex vi literæ* LAMED, *quæ frequens in Pſalmorum inſcriptionibus eſt. Gallicus ſermo huiuſmodi etiam conſtructione vtitur* Eſtes vous à nous, ou à nos ennemis?

Qui reſpondit, Nequaquam: ſed ſum princeps exercitus Domini, & nunc venio.

NEQVAQVAM. *Hoc reſponſum abſolutè incipiens à negatione, negante omnem interrogationem, illam nobis ſententiam reddit: Dum Ioſue cogitabundus totus in Iericho à ſe capienda eſſet, & quẽadmodum rem geſturus eſſet, quot hominum millibus, quibus armis, quibus conſilijs, quibus artibus vti commodè poſſet, intenta mente ſecum agitaret, virum conſpicit bellantis, imò & victoris habitu aduerſum ſe ſtantem, cùm ſolus videt, non humanum genus, ſed angelicum viſum eſſe intelligit, ex legis doctrina atque ex patrum diſcipli-*

na edoctus erat, ſingulis prouincijs, regionibus ac gentibus, proprios angelos in tutelam eſſe conſtitutos, hunc quem contra ſe conſpicit, vel ſibi atque ſuis vel hoſtibus auxilio eſſe poſſe exiſtimabat, adit; vtrùm ſit rogat. Ideoq́ antequam vtrarum partium ſit apertè norit, honore & obſeruantia ſingulari non excipit. Huic viri cogitationi reſpondet Angelus, Nequaquam: *hoc eſt, expugnatio huius vrbis, non tuis conſilijs tuaq́ opera, ſicut putas, expedienda eſt, neque vobis obſidentibus vel prælia committentibus, alijs verò propugnãtibus ac defendentib. res eſt gerenda: Quippe miraculo ſingulariq́ diuinæ virtutis exemplo eſt conſicienda; nulla hominũ vel manu vel opera, ſed cæleſtis exercitus virtute, quẽ ego princeps duco, atque ad hãc rem curandam, agendã et gerendã nunc primùm venio, ideoq́ non ſum antehac conſpectus, itaque nihil tu de Iericho tanquam tuis conſilijs capienda ſit, cogites: Ego ſum princeps qui Domini exercitum in hanc expeditionem duco. Atque angelum hunc Michaëlem fuiſſe, cùm Iſraelitiarum rerum cura & tutela in rebus gerendis commiſſa fuerit, ex illo*
Dan. 10. *loco cognoſcere poſſumus: Nemo eſt adiutor meus niſi Michael prin-*
Dan. 12. *ceps veſter. Hic aliàs Princeps Domini magnus vocatur; cui nos in Pijs carminibus hymnum dicauimus, cum commemoratione eorum omnium quæ de illo in ſacris leguntur libris. Hoc angeli reſponſum cùm reuerenter, magnaq́ pietate exciperet Ioſue, principem ſibi declaratum religioſa obſeruantia colit, debitíque obſequij oratione proſequitur.*

Cecidit Ioſue pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum?

DE *adorationum generibus diligenter diſputatum eſt à Theologis: hìc nobis ſatis erit intelligere, adorationis & reuerentiæ officium à Ioſue factum, quod principi exercitus Domini diuino conſilio atq.*
Lib. Ierc. *mãdato miſſo deberetur. Quod ad habitũ et ſitum adorantiũ attinet, iã multa & diligentius à nobis ſcripta ſunt in ſacro Apparatu. Orationis autem ſiue interrogationis nunc factæ ſententia eſt: Quandoquidem intelligo te ad hanc expugnationem miſſum ducem & Principem, officij mei eſſe agnoſco, me dicto tuo tanquam famulum obſequentem præbere.* Quid Dominus meus loquitur ad ſeruũ ſuum? *Tertiam perſonam pro ſecunda vſurpari frequens in ſancta lingua eſt, vt etiam in Hiſpanica,* Que dize el Seigñr alcalde? *Duobus itaq.*

nomini-

nominibus, Domini ac ſerui, & illum principem exercitus, & ſe famulũ obſequentem agnoſcit & profitetur, poſcitq́; ſibi officij faciendi materiam dari rationemq́; exponi.

Solue, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas ſanctus eſt. fecitque Ioſue vt ſibi fuerat imperatum.

SOLVE, *inquit Princeps ille exercitus Domini qui ita appellatur Hebraicè, Chaldaicè atq. Græcè, atque ita ſignificatur in noſtra Latina verſione verbo illo,* vt ſibi fuerat imperatum. *Quòd verò iubetur locum reuerentiæ cauſa nudis pedibus tangere, non calceatis, eò tendit, vt certior fiat Hierichunta vrbem cum toto agro, Deo Imperatori, & Regi ſummo regionis illius capiendæ primitias eſſe, & anathematis nomine ſepoſitam: ideoq́; ab illo expugnandam, nullis humanis adhibitis viribus: Itaque vrbem illam cum rebus ad eandem pertinentibus non eſſe prophanè tractandam, neque communi more adeundam, vtpote quam Deus delegerit ad oſtendendum virtutem ſuam in præſtandis promiſsis, impijs perdendis, pijs conſeruandis & amplificandis tanquam primum Theatrum. Cur ſancta loca nudis pedibus tangerentur, quidq́; illa ceremonia ſignificaret, in ſacro Apparatu exponebamus. At verò cùm huiuſmodi ſymbolo Ioſue rogantem angelus monuerit, verborum quibus hæc pronuntiata ſunt vim & Etymon conſiderantibus nobis, ſignificatæ ſententiæ myſterium ſeſe aperit: namque Latinum verbum* ſoluere *myſticum eſſe, & ad animum implicitum expediẽdum transferri, notiſsimum eſt. Superſunt duo verba* calciamentum & pedes, *quorum etymologia apud Latinos ſui contemplatione myſterium non promittit, apud Hebræos vero* NEGHEL, & REGHEL *ſignificationem indicant non ſimplicem. Nam* NEGHEL, *pro quo. Calceum ſiue calciamentum reddimus, affinem ſonum ſortitur verbo* GHALA, *& alijs eiuſdem pronũtiationis, quæ inter alia Cogitare & animo voluere, atque tollere ſuſcipereq́; de re aliqua curã ſignificat. Nomẽ verò* REGHEL, *pro quo Pedem vertimus, ad conſuetudinem & modum formamq́; ſignificandam transfertur. Cùm itaque angelus quod alijs verbis dicere poterat, his dixerit; vtramque ſignificationem in vnam eandémque ſententiam obſeruari voluit, cuius illæ explicationes ſunt. Quod ad externa attinet, ſcito locum* in quo ſtas ſanctum *eſſe, ideò pedibus* Lib. Ierem.

nudis, & à communi impuritate calceorum alienis, eſſe frequentandum. Quòd verò interna ſpectat, cogitationem omnem tuam de capiendo loco hoc communi & vulgari conſuetudine bellorum à te remotam volo. Nam locus hic ſanctus, id eſt, ſeparata ratione, hoc eſt ſingulari miraculo tenendus eſt, & occupandus. Itaque duplici eiuſdem orationis ſignificatione, quemadmodum res illa gerenda eſſet, angelus Ioſue prophetam docuit. Fecitque Ioſue vt ſibi fuerat imperatum. *Obſequentem ſe præbuit Dei voluntati, quam veneratus obſeruauit vt bonus Dei miniſter, exemploq́ ſuo oſtendit non eſſe opus ingenij humani cogitationibus & conſilijs, vbi voluntas Dei eſt manifeſtè declarata.*

CAPVT SEXTVM.

IEricho autem clauſa erat atque munita, timore filiorum Iſrael, & nullus egredi audebat aut ingredi.

FVTVRI *miraculi obſeruationem loci ipſius deſcripta ratio docere incipit; oſtenditq́ in primis vrbem humanis artibus & viribus difficilem expugnatu fuiſſe, captu verò difficillimam. Namque cùm primis muro circundatam iam in capite de exploratoribus cognouimus; idemq́ hoc loco ſignificatur: quippe duo verba* clauſa *atq.* munita *ad portas referuntur, vt ex Hebraicis vocibus* ZZOGERETH *&* MEZZVGERETH *docemur. Hiſpanicè dicere poſſumus,* cerrada, y recerrada, *interius videlicet atque exterius additis vectibus, peſſulis, ac ſeris omnium generum quàm firmiſſimis; ſiue vt Chaldaicus Interpres exponit, clauſa foribus ferreis, & roborata vectibus chalybeis.* timore filiorum Iſrael. *nulla alia cauſa; nam aliàs illa & patere ſolebat tota die, vt in illo capite docti fuimus; & alios nullos hoſtes timebat, aut tantum vnquam timere potuit, atque portarum & ſerarum munitionem ac firmitudinem ſtudioſè curatam & exquiſitè fuiſſe adhibitam declarat ipſa oratio,* timore filiorum Iſrael, *ſiue,* à facie filiorum Iſrael, *vt Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè legitur. Ita, inquit, clauſa et munita erat vrbs, vt filij Iſrael ingredi minimè poſſent, à quibus maximè metuebatur. atque hæc ratio ipſa declaratione difficultatis explicatur.* Nullus egredi audebat aut ingredi. *namque Hebraica oratio ſuo more participio cum negatione*

hoc

hoc pronuntiat; non egrediens, & non ingrediens. *Quippe duplici modo capiuntur vrbes, vel irruptione impetuq́; bellico, vel deditione. Defenditur etiam vel oppidanis interius ex muro, vel in ipſis plateis etiam propugnantibus, vel exterius ad pugnam erumpentibus. Conditiones porrò deditionis atque pacis, vel prodeuntibus quibuſdã ex vrbe, vel admiſsis in vrbem nonnullis ex hoſtibus quibuſcũ agatur fieri ſolet. Iam verò certum erat oppidanis Ierichuntis nõ pugnare contra Iſraelitas, quia liquefactum erat eorum cor, vt ſuperius Rahbab cõſitebatur; neque paciſci cum illis propter eam cauſam quam inferius ex ſacra lectione cognoſcemus: Quamobrem neque illorum quempiam ad poſtulandam deditionem admittere volebant, ſed vrbis ſuæ munitione ac præſidio ſeſe tueri, & tamdiu obſidionem ſuſtinere cogitabant, quoad tempus aliam rationem adferret, mutariq́; poſſet Iſraelitarum vel voluntas, vel felicitas ex aliqua cauſa: hæc mens atque hoc conſilium Ierichuntinorum videtur fuiſſe, vt videlicet quantum arte fieri poſſet, vrbis ſuæ expugnationem Iſraelitis redderent difficillimam. Itaque nullus erat qui ingrederetur aut egrederetur; nullo enim modo neque bello neque pace cum illis agendum ſibi conſtituerant. Igitur vrbs ipſa, (quod humanis viribus & artibus expectari poſſet) durum negocium Iſraelitis oſtentabat. Sed quod humanis ingenijs & viribus difficile, imò etiam quod impoſsibile videri poſſit, Deus cùm vult, ſua virtute, nullo hominum negocio conficit. Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibijs viri* Pſalm. 146.
beneplacitum erit ei. beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, "
& in eis qui ſperant in miſericordia eius. "

Dixitq́; Dominus ad Ioſue: Ecce dedi in manus tuas Iericho & regem eius omnesq́; fortes viros.

S V V M *omnino & conſilium, & factum, atque adeò beneficium illud agnoſci voluit Deus, ideoq́; ait,* Ecce: *rem attenta conſideratione dignam ſignificans, atque ſuo conſilio, & accipiendam & conficiendam, cuius cõſilij miniſtrum vult eſſe Ioſue ipſum, illiq́; curam rei committit. Vox* Ecce *ex verbo Hebraico verſa eſt, quod Videre, & contemplari ſignificat. Atque angelus ille, quem ſuperioribus verſibus Ioſue conſpectum alloquutumq́; accepimus, idem ipſe ex mittentis nomine Dominus appellari potuit, vt ſæpe aliàs in ſacris obſeruatur libris. ſic in Gedeonis hiſtoria legimus: Dixit ei Dominus, Ego* Iud 6.

ero tecum. Verùm cùm ſuperius angelus non dominum ſed Principē exercitus Domini ſeſe appellarit, iuſſeritq́ Ioſue locum venerari tanquam præſentis Dei templum; intelligimus, hoc alterum reſponſum viſione interna, vt à prophetis ſolet, acceptum à Ioſue, precibus & contemplationi intento, nudiſq́ pedibus illo loco Deum venerato. Quod verò ait in manus tuas; *rem, reiq́ traditæ adminiſtrationem illi ipſi creditam ſignificat, & diligenter ac ſedulò curandam committit. Neque verò vrbis & gentis debellationem aliàs ita facilem futuram niſi ipſe efficiat, Dominus indicat. Quippe non tantùm loci natura ac ſitu & opere, ſed etiam incolarum virtute & conſilio præſtabat; vtpote cui rex eſſet, qui conſilio, auctoritate, & arte defendere ſuum regnum aliàs poſſet; cui etiam ciues omnes non imbelles aut inermes eſſent, ſed fortes viri. Hebraicum nomen* HHAIZ *ad prudentiam, & virtutem, ſtrenuitatemq́ in rebus agendis pertinēs nomine Fortitudinis eleganter vertere ſolet Interpres noſter. vt, Mulierem fortem quis inueniet? ſic apud antiquos Latinæ linguæ ſcriptores: Fortes creantur fortibus & bonis. Itaque Iericho munitam, interius & exterius, ſatiſq́ diligenter clauſam, rege gubernatam, fortibus viris plenam, dare ſe Ioſue ait Deus, nō prohibere, vt Moſi vetarat, Moabitas, Ammonitas, & Idumæos capere aut infeſtare, tamen id non ipſius Ioſue viribus & conſiliis, ſed tantùm diuino miraculo ac dono. Atque hoc promiſſum à Ioſue fide excipi oportuit, vt inferius oſtendemus. Quemadmodum verò illis tradenda eſſet vrbs, continuò exponitur.*

Horat. lib. 4. Oda.

Circuite vrbem cuncti bellatores ſemel per diem: ſic facietis ſex diebus. Septimo autem die ſacerdotes tollent ſeptem buccinas quarum vſus eſt in iubileo, & præcedent arcam fœderis: ſeptieſq; circuibitis ciuitatem, & ſacerdotes clangent buccinis. Cumq; inſonuerit vox tubæ lōgior atq. conciſior, & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis, ingredienturq; ſinguli per locum contra quem ſteterint.

NOVAM *expugnandarum, imò & diruendarum vrbium rationem inauditiq́ vnquam aliàs exempli docet Ioſue Deus, vt expeditionem illam nulli alij, præterquam virtuti ſuæ, hoc eſt diuinæ quiſquam*

quam vlla ex parte adſcribere poſſet. atque vt Iſraelitæ actiones, vires operaſq́; ſuas omnes Deo auctori poſthac omnino acceptas referrent, & gentes aliæ diuinæ virtutis præſtantiam agnoſcerent & metuerent, intelligerentq́; non cum hominibus, ſed cum Deo ſibi rem eſſe, qui non ſolùm viribus, lacertis, armiſq́; hominum ſibi dilectorum, ſed vocibus tantùm, imò & nulla re admota, præterquam voluntate ſua efficaciſſima, poſſet maxima & firmiſſima hominū opera, oppida, vrbes, arces, & cetera omnia funditus euertere ac delere. Atque tota hæc præſcriptio luſtrationis vrbis, ſonitus buccinarum, & ceterarum rerum, quæ obſeruandæ, curandæ, & agendæ Ioſue mandantur, obſidionis, & expugnationis imaginem, & ſimulachrum reddebat. Namque arca fœderis, quæ Dei principis ſummi ſedem thronumq́; referebat, ſuis familiaribus miniſtris, ſublata et circumlata, deinde virorum armatus exercitus, eorum maximè qui bello apti idoneiq́; erant, relictis imbellibus, feminis & pueris, murum ambiens, & circumiens, idq́; totis ſeptem diebus negotium repetens, rem ſtudioſè & ſeriò agi atque geri oſtendebat, dū nemo quieſceret, nemo ſtaret, nemo non ſuum ordinem ſeruaret, nemo domi maneret: præterea etiam cùm buccinarum ſonus vocis ſimulachrum exhiberet bellice hoſteſq́; turbantis, proprium exercitum exhortantis, & incitantis, atque excitantis. Quod verò ſeptem diebus id fieri protrahíque imperatum eſt, ad auctoritatem diuinam oſtendendam ſpectabat. opus enim diuinum id eſſe demonſtrabatur, quod diebus ſeptem eſſet abſoluendum, vt mundus omnis ſeptem diebus abſolutus Deo auctore extitiſſe creditur, & in ſacris libris oſtenditur. Quippe numerum hunc ſingularibus rationibus adſcribit ſibi Deus; itaque ſeptimus dies finem, poſſeſſionem, atque operis illius exitum felicem quietémque allaturus ſperabatur. Iam verò quorſum hæc tenderent, & cur hoc modo agi hanc rem voluerit Deus, ex ſacra lectione inquirentibus nobis Apoſtolus Dei ſeſe expoſitorem præbuit certiſſimum, oſtenditq́; Ioſue & Iſraelitarum fidei periculum hoc pacto à Deo fuiſſe ſatisfactum. Namq. illud in primis credēdum propoſitum fuit, vrbem illam in manus Ioſue, non humanis viribus, verùm diuinitus tradendam, vnà cum Rege & viris fortiſſimis. Huius promiſſi fidem tentari voluit Deus, ijs rebus decretis & commendatis, quæ humani iudicij æſtimatione expenſæ, difficultatem potius & dilationem

nem moliri & augere, quàm conficiendam rem parare & maturare videbantur, & quæ hoſtibus animum magis quàm metum adferre poſſe exiſtimarentur. Quis enim putaret vrbem munitiſsimam rege, bellatorumq́; virorum copijs inſtructam, circuitione & luſtratione ſeptem dierum, tandemq́; clamore & vociferatione expugnatum, dirutum demumq́; captum iri, cùm ſecundi diei ambitus ille ſua natura nihil amplius quàm primi efficere poſſe iudicaretur, imò experimento primi ambitus inefficacis, ſpem frãgere minuereq́; poſſet; vt ſi quis ſurdo canat ſemel, fruſtraq́; ſe cecinifſe intelligat, deſperet ſecundo auditurum & operam perdere nolit. Deinde verò hoſtis cùm primo, altero, atque tertio die ſuam vrbem ambire viderit, nihil prætcrea aliud fieri aut agi, rurſusq́; hoſtem re infecta noctu in caſtra recipi, nónne exiſtimabit circuitiones illas vel conſiderandi muri, & locum inuaſionis quærendi, vel ſe ad pugnam prouocandi cauſa ſuſceptas; quod cùm quarta, demum quinta die repeti videat, minus profecto metuet, ſtudium non bellicum, ſed conſilium alienum inutiléque arbitratus, id quod eadem repetita cantilena nulla præterea addita re fuerit toties renouatum: nónne vel meliora ſibi ſperare vel prouidere incipiet? conſiliaq́; inibit opportuna tanto temporis interuallo? cùm quò tandem illa ambiendi aſsiduitas caſura ſit intelligi non poſsit, neque iam inſidias in illa contineri quiſpiam dicat, quandoquidem hoſtis apertè vrbem ambit, & circuit nulla cunctatione, nulla commoratione in loco vllo quem obſeruare notareq́; videatur; non enim iuſsi fuerant ſtare ſed circuire. Itaque hæc et cõplura alia oppidanos iuuare potius quàm terrere aut exanimare putarẽtur; Iſraelitas verò eadem retardare & ſpe deiicere, ſaltem turbare aliquo modo poſſent; tum ſex totis diebus, tum etiam ſeptima, cum duabus, tribus, quatuor et etiam ſex circuitionib. factis nihil noui aut miri cõſpiceretur. Atque ſi humani iudicij et conſilij ponderibus examinaretur hæc ratio, nihil prorſus cõſentaneum, nihil expediens ad rem cõficiendam, nihil demum ſolidi magniq́; momenti oſtenderet. Verùm enimuero quia hæc omnia & ad credendum propoſita Iſraelitis fuêre, & ad fidei tentationem mandata, alia via inſiſtendum erat, hoc eſt, relictis omnibus humanis argumentationibus, quæ diffidentiam magis parere quàm iuuare quicquam poterãt, ipſos Dei promiſſo innixos omnia quæ mandabantur ſubire oportuit, atque in eam tantùm cogitationem

tionem

tionem incumbere. Ipſe dixit & fiet, ipſe mādauit & obtemperandū eſt: huiuſmodi igitur fide inſtructus Ioſue quæ prophetico ſpiritu atq. reſponſo accepit, ipſe vt propheta mandatiq. miniſter faceſſit agendaq. curat, & commendat; omnem rationem hanc eo modo interpretatus, quo ſuperius exponebamus, videlicet verbis, rationibus, numeris, & rebus ad Dei doctrinam diuinorumq. operum contemplationem relatis. Quod in hoc Dei mandato legimus, ingredienturq. ſinguli per locum contra quem ſteterint; *ad miraculi amplificationem pertinet: ſignificat quippe euerſionem adeò magnam futuram, vt murus omnis omninò à terra abſorbeatur, ſoloq. æquetur; idq. repentè, vno temporis momento, adeò vt nulli futura ſit cura aut moleſtia quærendi aditus, qua irruptio facilior & apertior appareat; ſed omnia ita complananda eſſe dicuntur, vt vnuſquiſque nullo periculo, nullo labore, è regione ſui ingredi poßit: hoc eſt quod verba illa ſignificant,* funditus corruent: *Hebraicè enim certo idiotiſmo hæc dicuntur,* cadet murus vrbis ſub ſe. *Chaldæus Interpres idiotiſmi obſcuritatem exponens dixit,* abſorbebitur ſubtus ſe. Iubileorum buccinas & tubas, &c. *Interpretamur buccinas ex arietinis cornibus factas. Namque Arabum lingua, quæ Hebrææ proxima eſt, aries* IOBEL *dicitur; inde celebritati illi quinquageſimi anni, nomen etiam fuit factum* Iobel, *quòd huiuſmodi cornuum ſono, vti noſtra Verſio habet, anni illius ſacri aduentus indiceretur. quo anno antiqua Iſraelitarū aſſerebatur libertas, & hæreditatum iura ſuis dominis inſtaurabantur ex diuinæ legis præſcripto: huiuſmodi etiam cornuum ſono ſignificari voluit Deus, tempus iam extare, quo Chanaan regio ab iniuſtis poſſeſſoribus ad communem dominum & principem vindicata alijs traderetur colonis.*

Vocauit ergo Ioſue filius Nun ſacerdotes, & dixit ad eos: Tollite arcam fœderis, & ſeptem alij ſacerdotes tollant ſeptem iubileorum buccinas, & incedant ante arcam Domini.

HOC *mandatum ad ſacerdotes allatum per Ioſue, non vti Imperatorem, ſed vti miniſtrum ad eam rem legatum & prophetam, ſignificat appellatio illa,* Filius Nun: *quippe in hoc negotio miniſtri tantum ſingularis & famuli partes illi ſuſtinendas, angelus declarauerat, dicens,* Nequaquam, &c. *& ipſe receperat illa oratione,* Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum? *Quamobrem hoc loco*

non appellatur Ioſue *abſolutè, ſed patris adiūcta cognominatione* filius Nun. *quod & in priuatis hominibus ſæpiſſimè, & in Prophetis nominandis non rarò obſeruatur: vt, Viſio Iſaiæ filij Amos &c. Itaq. hoc apud ſacerdotes officium tanquam à propheta ex Dei mādato factum eſt, quod vel priuato dari ad ſummos viros poteſt: nihil enim refert per quem ex familiaribus princeps mandata perferenda curet, modò ipſe quem voluerit probet. Ita conſultò ad conſeruandam ſacerdotum auctoritatem huiuſmodi mandata ad religionis ceremonias atque ſacros ritus pertinentia non à Principe aut Duce ſummo, vt iuris munerísque ſui partes agente, ſed ab homine aliàs priuatè ad hoc delecto, tamen vt propheta, perferuntur. Voluit enim Deus viro huic pro locorum atque temporum ratione, & Imperatoris & Prophetæ partes imponere: ita tamen, vt quo nomine quidq; ageretur opportuna appellatione nominis & cognominis vel alia notatione exponeretur. Atque ita intelligimus nuncium qui ſacerdotes ad Ioſue vocarit, hoc titulo fuiſſe vſum; Vocamini à Ioſue filio Nun: ſacerdotesq; ipſos vocationis rationem & ius agnoſcentes vocanti fuiſſe obſequutos; vt & mādanti paruiſſe videmus.* Septem alij. *Non quòd ij qui arcam tollerent, ſeptem forent, & hi etiam alij ſeptem: nam ſi hoc ſignificare voluiſſet Interpres noſter, ſeptem* alteri *ſcriberet: ſed alios voluit intelligere eſſe eos qui buccinis vterētur ab ijs qui arcam tollerent, quorū numerus à tranſitu Iordanis erat iam notus, itaque.* alij, *idem hoc loco valet, quod non ijdem.*

Ad populum quoque ait, Ite & circuite ciuitatem, armati præcedentes arcam Domini.

VOLVIT *Deus hoc modo, vti diximus, populi illius tētare fidem & exercere etiam cogitationem recordatione & meditatione legis in illa arca concluſæ, quæ fœderis ſecum pacti rationes omnes continebat; totisq; illis diebus nihil aliud ab illis ad eam rem agi voluit, quàm credere & ſperare conſiderareq; ſancta atque fidem præſtare conſequēte obſeruatione, diuina promiſſa & beneficia ſibi eſſe obtinenda. Atque exercitus ordo ac ſeries huiuſmodi erat: primi omnium armati incedebant, nempe illi qui ante fratres ſuos armati Iordanē tranſmiſerant, Reubenita, Gadita, & dimidia tribus Manaſſe. Hi propriè dicuntur armati, qui præter arma nihil ſecum aliud è regione ſua tulerant: hos ſequebantur ſeptem ſacerdotes illi cornicines: deinde arca*

de arca geſtabatur, ponè quam reliqui omnes bello idonei incedebant quanquam inermes: totum agmen Dan tribus vltima claudebat, poſtremamq́ aciem conſtituebat, cui quartum vexillum extremi in exercitu loci ſors obtigit. S.S.E. Nouiſſimi caſtrorum omnium filij Dan profecti ſunt per turmas ſuas: quamobrem Hebraicè dictus eſt MEAZZÆPH, *id eſt collector vel coactor. noſtri ſeculi militaris lingua Retroguarda vocat; vt eos qui primi incedunt, Auanguardia: cuiuſmodi fuerunt hi qui hoc loco iubentur armati præcedere. itaq. ſic diſpungenda oratio eſt: Ite circuite ciuitatem. hoc mandatum omnem ſpectat exercitum, illud alterum* armati præcedentes arcam Domini, *ad duas tribus cum dimidia pertinet. Atque totus ordo quemadmodum inſtitutus fuerit, deſcriptione ſubiuncta oſtenditur.*

Cumq́ue Ioſue verba finiſſet, & ſeptem ſacerdotes ſeptem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini, omniſq́ue populus præcederet armati exercitus, reliquum vulgus arcam ſequebatur, ac buccinis omnia concrepabant.

LECTIONIS *huius ſententia ſic ordinanda eſt. Simulatq. Dei mandatum à Ioſue expoſitum & commendatum eſt, arca primùm conſtitit antequam ſeptem ſacerdotes buccinis totidem ſonare cœpere, quos populus armati exercitus, Reubenitæ videlicet & Gaditæ, & dimidia tribus Manaſſe præceſſere. Reliqua verò hominum bellatorum turba arcam ſequebatur, & inter eundum atque ambiendum ſonabatur buccinis, ita vt vnà cum pedũ totius exercitus ſtrepitu buccinarum ſonus audiretur.* Reliquum vulgus. *Non de pueris & feminis, neq. de imbelli populo, ſed de bellatoribus viris alijs omnibus, præter eos qui armati præcedebant, exponẽdum eſt: Hebraicè* HAMEAZZÆPH, *collector ſiue coactor; Græcè,* καὶ ὁ λοιπὸς ὄχλος, *cætera turba. Chaldaicus paraphraſtes; Et tribus domus Dan ibat poſt arcã.* ac buccinis omnia cõcrepabant. *Sacerdotes ſuum ordinẽ tenebant. Verùm inter eundum perpetuò ſonabant non vnica tantùm buccina, ſed vel omnibus ſeptem pariter, vel certè pluribus quàm vna,* buccinis *legimus*, concrepabant. *Significat ſonitus modos ſimulachrum incedentium greſſuum retuliſſe, ita vt creparent ſimul greſſus & buccina: noſtris militaribus verbis dici ſolet Italicè* toccare a marchiar: *Gallicè magis propriè* ſoner à marcher.

Præceperat autem Ioſue populo dicens, Non clamabitis, nec audietur vox veſtra,neque vllus ſermo ex ore veſtro egredietur,donec veniat dies in quo dicam vobis , Clamate & vociferamini.

IMPERATORIS *autoritate hic Ioſue erga exercitum vtitur, quem progredi, ſilentiumq́ obſeruare, & bellicis legibus omnino optemperare iubet. Namque bellatorũ partes ſunt, ducum ſuorum mandata quidem faceſſere, conſilia verò non curioſè inquirere, ſed ſequi quicquid dicatur & iubeatur. Eſt autem vociferatio ſiue clamor in cõmuni conſuetudine apud eos qui prœlia committunt, atq. apud eos etiã qui hoſtem ad pugnam prouocãt , vel conuitijs & minis agitant. Verùm licentiam illam pro loco atque tempore ducis prudentia temperari oportet. Hoc verò Ioſue ſignificare volebat, bellum illud aduerſus Ierichunta non humanis rationibus, verùm diuina virtute omnino eſſe conficiendum, nec ab illis quicquam , neque vocem quidem pro cuiuſpiam libidine eſſe adhibendam , niſi quando & quemadmodum Deo auctori placuerit, vt exitus ipſe non ex ipſorum opera, ſed ex Dei auctoritate profectus agnoſceretur. Itaq. tantum illos voluit exerceri totis illis diebus fide atque obedientia, & ſpe beneficij Dei. Tria autem præcipit Ioſue, vt Ioſue, hoc eſt vt ſummus illorum dux.* Non clamabitis: *bellicum clamorem & vociferationem vult in primis, ne quicquam illis vel leuis operæ in illa expeditione ponatur ipſorum arbitrio, ſed Dei voluntas & conſilium expectetur.* neque audietur vox veſtra. *etiam ea vox quæ non ad metum hoſti incutiẽdum aut animũ ſocio addendum, ſed vel ad amicũ vel ſocium requirẽdum, vel ad ordinis obſeruantiam commendandam, vel ad vrgendos eos qui præceſſerint, vel eos qui feſtinant, compeſcendos, vel excitandos eos qui ceſſant, & quæ huius generis multa exercitu incendente audiuntur. Nihil horum in illa expeditione audiri vult Ioſue, ſed ſingulos ad buccinarum ſonum compoſito gradu ſuum ordinem obſeruantes ingredi. Illud demum omnium difficillimum poſtremò petit, quod neque Cæſares, neque Alexandri, neque Hannibales, neque Pyrrhi in ſuis militibus prohibere vnquam potuerunt, nimirum temerarij atque vagantis ſermonis libertatem , quæ milites vel ducis conſilij ignari, vel ſuis ſingulorum incommodis affecti, vel exitus rerum incerti, vel etiam impotenti loquacitatis inſolentia, plurima ſæpiſſi-*

ſæpiſſimè effutire, loqui, colloqui & interdum publicè profari ſolent, quibus alij ſuas, alij communes & publicas querelas incitant, & fouent, alij vanos rumores ſpargunt, alij conuicia in alios, & non rarò in duces ipſos, atque adeò exercitus imperatorem iactant: alij dicterijs & facetijs capiuntur. Atque horum generum non pauca verba pronuntiari poterant à populo illo varij ingenij, maximè poſt vnius atq. alterius diei expectationẽ, nullo conſpecto exitu aut euentu illius ambitus & circuitionis; alijs enim aliud ex illa re cogitandũ, putandumq́; offerretur, vt & eloquendi libidine non exigua publicè laborandum eſſet. Nónne huiuſmodi exempla frequentiſſima quotidie videmus? nónne quamplurima apud hiſtoriarum ſcriptores legimus? an non ex hoc genere illa ſunt? Leuantes filij Iſrael oculos viderunt Aegyptios poſt ſe, & timuerunt valde; clamaueruntq́; ad Dominũ & dixerunt ad Moyſem, Forſitan non erant ſepulchra in Aegypto? Nónne iſte eſt ſermo quem loquebamur ad te in Aegypto, Recede à nobis vt ſeruiamus Aegyptijs? multo enim melius erat ſeruire eis quàm mori in ſolitudine. Et iterum: Dixeruntq́; filij Iſrael ad eos: Vtinam mortui eſſemus per manũ Domini in terra Aegypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate! cur induxiſtis nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame? & in Raphidin aquæ penuria nonnihil preſſi contra Moſem iurgati aiunt: Da nobis aquam vt bibamus. Quibus reſpondit Moſes, Quid iurgatis contra me? Cur tentatis Dominum? Sitiuit ergo ibi populus præcipuè penuria, & murmurauit contra Moyſem, dicens: Cur feciſti nos exire ex Aegypto vt occideres nos, & liberos noſtros, ac iumenta ſiti? Huiuſmodi pro temporis & loci occaſione querelas, obloquutiones & ſuſurros potuiſſe in illo exercitu ſentiri quis negabit? alijs rogãtibus, Quid hoc genus apparatus & inſtructionis ſibi vult? alij, vt armati; alij vt inermes procedant? quid hi ambitus, quid ſilentia hæc, quónam ducimur? quid acturi, quid demum effecturi, aut expectaturi? cuiuſmodi nam eſt hoc primorum bellorum exemplũ in hac regione? Alij ſe iugulatum iri dicerent, tanto inuadendæ vrbis conſtituto interuallo, quoad fortaſſis vicinæ & proximæ, atq. etiam remotæ gentes, & ciuitates vrbi auxilium laturæ inſtructis copijs confluerent. Demum varia varij dicerent, obmurmurarent & effutirent, pro cuiuſq; cogitatione aut

Exod. 14. Exod. 18. Ibid. 17.

libidine. Huiuſmodi incommoditati (quæ populi vel multorum ſaltem interturbare poſſet fidem & imminuere) proſpiciens Ioſue, cùm ſingulorum cogitationes & mentes compeſcere non poſſet (id enim humanæ auctoritatis non eſt, neque exterioris iuris aut legis opus) tamen ſermonem & orationem huiuſmodi cogitationum interpretem pronuntiari prohibet. Neque vllus ſermo ex ore veſtro egredietur. *Neque enim prohibet ne quiſpiam priuatè loquatur ea quæ populi rem lædere aut turbare minimè poſſent, & quæ nihil ad eam rem quæ agebatur attinerent, cuiuſmodi in quotidiano vſu & ſermone dicuntur: ſed ne quis quicquam eloquatur rei ad populum, atque adeò ad illam expeditionem pertinentis: ideò enim ſignificanter ſcriptum eſt,* præcepit Ioſue populo: *vt ne populariter & tumultuariè, incerto auctore, vti fieri ſolet, in frequentia hominum, quicquam diceretur: idem apertius declaraturus, non ait, ne quiſquam quid omnino loquatur, ſed pluraliter,* nullus ſermo egrediatur ex ore veſtro: *ne videlicet in communi aliquod verbum cogitationis, rerum præſentium vel futurarum index eloquerētur.* DABAR *Hebraicum nomē non ſolùm ſermonē aut verbū ipſum pronuntiatū, ſed rem & cogitationem, meditationemq́; animi ſignificat. itaque omnem anſam ad minuendum aut infirmandum publicè populi fidem, hoc præcepto præcidere voluit Ioſue, ſilentio imperato, ne quis quicquam de ea re cum alio communicaret, vel palam pronuntiaret; ſed vt in ſpe & fide populus permaneret, & obſequio intentus expectaret tandem bonum & proſperum exitum illius expugnationis. Non enim incertum futurum illis euentum, non longum expectationis tempus, ſed omnia certo conſilio agi, & præfinito conſtitutoq́; tempore maturatum iri, idq́; ipſi Duci notū certumq́; eſſe, cui opportuno tēpore cura erit indicendi ipſis clamorē, clamorē verò non incertū, ſed certæ ſignificationis, qualis eſt eorum qui prælium committentes ſuperiores ſunt. Hebraicè cùm multa verba ſint quæ Latinus vertit Clamare, vel vociferari, tamen ſingula ſuam germanam ſignificationem ſortiuntur, ex quibus* HERIAGH, *quod hoc loco vſurpatur, bellantium, aut exultantium & victorum vociferationi datur. Itaque illa exceptione ſiue expoſitione,* donec veniat dies in quo dicam vobis, *certam optimi euentus expectationem, & victoriæ ſpem facit, fidemq́; diuini huius beneficij ſuadet & fouet.* clamate & vociferamini. *Idem*

verbum

verbum, eadem ſignificatione repetitum, in Hebraicis exemplaribus & in Chaldaicis & Græcis verſionibus quæ apud nos ſunt, legitur. itaque pro eodem hoc quoque Latinè vtrumq; accipitur clamate, vociferamini. *Voluit autem Deus primam illam totius regionis vrbem miraculo capi, nulla humana opera adhibita, præter geſtationem arcæ fœderis, vt & Iſraelitæ intelligerēt, omne felicitatem ſuā ſingulari Dĕi erga ſe prouidentia conſtare, ſiue hoc modo ſiue quocunque alio contingeret; & gentes etiam agnoſcerent, Deum potentiſſimum illius belli eſſe authorem, & euentus omnes ex conſilio ſententiáque ipſius ceſſuros; ſimul etiam, vt omnis terrarum orbis excellentē præter cæteras omnes legis illius præſtantiam dignitatémque agnoſcerent, cuius à ſe latæ, conſtituendæ & excitandæ, atque ad obſeruationem commendandæ cauſa, tam multa atque magna miracula ſingularibus atque ſtupendis ederet exemplis.*

Circuiuit ergo arca Domini ciuitatem ſemel per diem, & reuerſa in caſtra manſit ibi.

V T *auctoritas & efficientia omnis expeditionis, illius diuino miraculo omnino tribuatur, arca Domini ſolummodo circuiſſe dicitur ſemel per diem; illum, primum circuitionis diem intelligimus: & quanquam circuierit illa armatis tantùm ijs qui præcedebant, neque aliud præter circuitionem actum ſit ex parte Iſraelitarum, tamen ex parte hoſtium nihil omnino fuit tentatum, ita vt arca Domini, eadem ſecuritate & pompa, qua circuire cœpit, illo die reuerſa eſt, manſitq; in caſtris Iſraelitarum per totam noctem. Antiqui ſcriptores tradunt, primam circuitionem primo hebdomadis die factam, ita vt ſeptimo die fuerit capta vrbs, & incolæ occiſi, nulla violatione ſabbathi; nimirum id iubente Deo, ſabbathi auctore, qui, ſicut in templo ſacrificia in ſabbatho celebrari & frequentari non vetuit, imò ita fieri inſtituit; ſic vrbē illam cum incolis & rebus omnibus in illa inuentis conſecrari ſibi ſabbatho voluit. Iam verò ijs qui de diuinis rebus rectè atque ſapienter exiſtimarent, obſeruatio illa incolumitatis primi diei, & ſecuri ambitus, & reditus in caſtra, quietis fidē augebat, atque ſpem fouebat optimi euentus.*

Igitur Ioſue de nocte conſurgente, tulerunt ſacerdotes arcam Domini.

D V C I S *optimi ſedulitatē & vigilantiā obſeruare hoc in loco eſt,*

qui

qui primus atque ſingulariter ſummo mane ſurrexiſſe dicitur, vt ea quæ tum ſibi, tum alÿs agenda eſſent curaret. Nam cùm ſacerdotes intelligerent Ioſue ſurrexiſſe, cuius tentorium non procul à ſacro tabernaculo erat, tulerunt ipſi quàm primùm arcam Domini, atque eadem continuatione ſerieq́ rerum ſeruata, diei ſecundæ circuitio eſt repetita.

Et ſeptem ex eis, ſeptem buccinas, quarum in iubileo vſus eſt: præcedebantq́; arcam Domini, ambulantes atque clangentes: & armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum ſequebantur Arcam, & buccinis perſonabant.

HÆC *rerum repetitio ad conſtantiæ & obſeruationis integritatem & ſimplicitatem indicandam adfertur: quod enim ſemel diuino iuſſu conſtitutum erat, non fuit vlla ex parte immutatum, ingenio, iudicio, arbitrio conſilióue cuiuſquam, publicè vel priu. quamquam illius rei exitus non eſſet adhuc conſpectus, tamen nihilominus non fuit diſcedendum à mandato Dei.*

Circuieruntq́; ciuitatem ſecundo die ſemel, & reuerſi ſunt in caſtra. Sic fecerunt ſex diebus.

ET *tamen totis ſex diebus, quamquam nihil adhuc Iſraelitarum cauſa effectum apparebat, tamen vel illud argumento erat, optimi futuri euentus ÿs, qui crederent promiſsis diuinis, quòd nihil hactenus incommodi vel ab oppidanis, vel à vicinis & proximis fuerat illatum, licueratq́ ſemper illis liberè manè prodire, vrbem ambire, buccinis ſonare, & incolumibus, in caſtra redire, atque quietis noctes tranſigere. Erat autem ſonus ille veluti præconis vox ſupplicium & exitium denuntiantis vrbi Ierichunti ex Dei iudicis omnipotentis ſententia, & tum Iſraelitas, tum alios omnes, qui animum attendere, intereſſéque ſpectaculo vellent, monentis & vocantis ad ſpectandum. quòd ſi nulli exteri intereſſent, at ipſa rerum natura, cælum, terra, aer, aqua, montes, lapides, plantæ, & aues atq́ animalia quæ omnia Deo viuunt, illiusq́ vocem agnoſcunt, ad ſpectaculum vocabantur.*

Die autem ſeptimo, diluculò conſurgentes, circuierunt vrbem, ſicut diſpoſitum erat, ſepties.

SICVT diſpoſitum erat, *quod ad perſonarum, locorum rerúmque*

ſeriem

ſeriem ordinémque attinet: nulla enim re mutata ſepties ſeptimo die ambitâ fuit vrbs; & quamquam nihil noui conſpiceretur tam quarta & ſexta quàm prima ac tertia circuitione, tamen vſque ad mandati finem eſt perſeueratum firma fide, atque conſtanti ſpe diuini beneficij. hoc loco indicatur commune ſtudium populi totius, qui quòd monitus eſſet circuitionis frequentius inſtaurandæ, ſeptima die omnes diluculo conſurrexere.

Cumque ſeptimo circuitu clangerent buccinis ſacerdotes, dixit Ioſue ad omnem Iſrael, Vociferamini, tradidit enim vobis Dominus ciuitatem.

SIGNATI *temporis, horæ atq. actionis certæ definitio, & euentus certiſſima prædictio miraculum probant diuinum, vt ſæpè aliàs adnotauimus: probant etiam propheticam in Ioſue auctoritatem, iubentis populum clamare, victoriam partam & obtentam ſignificante clamore. Neque verò ait, Tradet vobis Dominus quumprimùm clamaueritis, ſed, Iam* tradidit, *in præterito; adeò vt cùm ipſi clamarent, iam vrbs eſſet capta & tradita, tantumq́; ſupereſſet portas aperire ad capiendum & occupandum; pro portis verò totus murus ſubſidens, patefacti aditus illis liberrimam & ampliſſimam copiam feret. Neq. verò ait, vrbem ab illis capiendam, ſed adeundam & accipiendam à Domino tradente. Ne verò vel humana proteruia, vel ſtulta, atque diuinis laudibus inuidens mundi ſapientia dicere aliquando poſſet, fatum illud fuiſſe, vt Poëtæ ſomniare ſolent, vel vt mendaces Aſtronomi, ad vrbis finem referrent, cælorum atque ſiderum motibus & efficientia allatum tanquam naturalem terminum rerum: apertè Ioſue ait, illam vrbem iam eſſe traditam, idq́; factum Dei voluntate & efficientia libera & potentiſſima, adeò libera vt non expectãda eſſet temporis hora aut certa cæli conſtitutio, ſed tantùm vociferatio hominum; liberorum etiam, quorum niſi ſonaret vox, vrbs non caperetur. Id enim ſignum præcedere voluit Deus, vt manifeſtè cognoſceretur, vrbem illis tantùm eſſe traditam, duraturam aliàs diutiſſimè, quantum videlicet Deus voluiſſet; niſi iam Iſraelitis promiſſam nũc tradere deſtinaſſet, credentibus iam traditam, & id agentibus quod mandatum fuerat: Ideo ait,* vobis. *nam ſi alij eadem hora veniſſent, quibus non fuerat facta promiſſio, non corrueret ſponte murus, vt corruit ijs quibus deſtinata fuerat, quibúſque iam tradita affirmabatur:*

tur: atque hoc, quantum ipſius vrbis & gentis exitum ſpectat; qui nō ex infelici planetarum & aſtrorū aſpectu, ut mathematici fingere ſolent, ſed ex Dei conſilio iudicioq́; pendebat, neque etiam ex felicitate naturali aut aſtronomica eius cui tradebatur; quod alterum membrum eſſe notauimus in huiuſmodi iudiciorum diſciplina, cui cognoſcendæ operam iuuenes dabamus, & quantum vanitatis ineſſet ex Dei beneficio intelligebamus, edocti à pio viro Squiuelio, præceptore noſtro, mathematico peritiſſimo, atque iudiciorum huiuſmodi irriſore grauiſſimo. Supererat, inquam, dicere, vrbem non tantùm ſua ipſius infelicitate, ſed eius à quo capta eſt felicitate obtentam: ſic enim illi Alexandros, ſic Cæſares, ſic Pompeios, ſic Scipiones nobis effingūt ſideribus natos ſuperioribus & victoribus, fortunatisq́; domibus aduerſum eas vrbes, vel gētes vel perſonas quas vicerint, ceperint, delerint, & cætera; nec illis huiuſmodi exceptionibus locus in hac Ioſue prædictione relinquitur: namq. ille quamquā audierat ex Deo, Ecce dedi in manus tuas Iericho, &c. quod ſibi tanquam miniſtro & curatori dictum cognouerat; tamen non refert eadem verba populo, cui cōmuniter præſtari iam promiſſa cognouerat, ſed ait: tradidit enim vobis Dominus ciuitatem. *Publicam & communem eſſe illam traditionem affirmat vobis, non vni certis ſub aſtris nato, ſed vobis omnibus, quorum natales neque certo fœdere conſentire, neque ab vno ſidere duci poſſunt. Significanter verò indicatum eſt initio huius verſus, hoc non vni aut paucis, ſed toti populo fuiſſe expoſitum, omni inquam populo, in illa expeditione gradienti, quod vt apertius indicaret Interpres noſter, expoſuit* ad omnem Iſrael. *Quippe vrbs tradebatur populo illi, non vt populo cuiuis, aut hominibus aliorum hominum ſimilibus, verùm vt filijs Iſraelis, cui promiſſa antea facta erant, & nunc præſtabantur. Atque vrbem hanc illis traditam nulli vſui futuram prædicit, præterquam ad hoſtium imminutionem, & initium cæterarum vrbium & locorum illis in vſum tradendorum; hanc quippe Dominum, qui ſolus, nulla adhibita ab ipſis opera, capere voluerit, ſibi ſacram excipi, & dedicari velle ac iubere.*

E Sitq́. ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea ſunt, Domino, ſola Rahab meretrix viuat cum vniuerſis quæ cum ea in domo ſunt, abſcondit enim nuntios quos direximus.

NONNVLLI *expoſitores aiunt, hanc Ierichuntis vrbis conſecratio-*

cratio-

orationem atq. deuotionem à Ioſue inſtitutam decretamq́; fuiſſe, vel id prophetica monitione ſcienti, vel ex ratione & iudicio id cenſente, quandoquidem non videtur illis eſſe mandatum aliquod in ipſa libri lectione explicatum; verùm collocutionem illam angeli cum Ioſue, nobis attentè obſeruantibus, apertiſsimum de hac deuotione mandatum viſum eſt: illud primum; Non, ſed Princeps exercitus Domini ego ſum & nunc venio. *& illud,* Solue calciamenta de pedibus tuis, quia locus in quo ſtas, ſanctus eſt. *Manifeſtè enim conſequebatur, nefas eſſe, vel locum ipſum ſanctum & Deo ſecretum, vel ea quæ in ſancto loco erant ad eumq́; pertinebant, ad communes & prophanos vſus accipere, huiuſmodiq́; auſus, ſacrilegij nomini & crimini obnoxios fore. Hanc verò explicationē noſtram, ipſum poſtea Dei ſacrilegium vlciſcentis reſponſum confirmat. Ab hoc anathemate, diuino conſilio, iuſtoq́; iudicio, exceptū vult eſſe Rahhab, cui propter fidem, & propter factū beneficiū erga nuntios, illud debebatur officium vltra iuſiurandum ab ipſis nuntijs factum, re integra, antequam intelligeretur anathemati damnatam eſſe vrbem. Anathema enim non concludebat eos qui Dei partes agerent, ſed aduerſarios omnes diuini conſilij: itaque Rahhab tum propter fidem, tum propter operā ab ipſa poſitam, ad promouendum Dei conſilium; non inter infideles, ſed inter fideles & pios, atque adeò in Iſraelitarum numerum, ſi non genere tamen adoptione, cenſeri oportuit.* abſcōdit enim nuntios quos direximus. *Iudicij ratio redditur, hoc eſt beneficiū factum miniſtris populi Dei atque Dei ipſius. Qui autem accipit prophetam nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: qui nuntium nuntij nomine ſuſcipit, eum ſuſcipit à quo nuntius eſt miſſus; miſsi autem fuerāt illi nuntij nomine Iſraelis, & ſuſcepti, & abſconſi conſeruati, & alia via dimiſsi: ergo tam Ioſue à quo miſsi erant, quàm Iſraelitæ quorum cauſa fuerant miſsi, & iuſiurandum præſtare, & beneficium cumulatè rependere debuerunt, idq́; à prudentiſsimo & iuſtiſsimo duce proſpectum, curatum, atque publicè cautum eſt; & omni populo denunciatum, ne quis poſtea imprudentiam vel inſcitiā excuſaret, ſi forſitan contrà aliquid tentare auderet. Voluit autem mulieris nomē artemq́; nota eſſe populo omni: ſic enim in omni publica actione atq. denuntiatione, exceptionum ratio apertè diſtinctèq́; eſt obſeruanda, vt nullus poſtea dolis, calūnijs, fraudibus, cauillationibusq́; locus ſit. Ita ne quis*

aliàs præter hos qui in Rahhab domo erant ſeruaretur, néue quis ex illis læderetur, apertè fuit cautum. cum vniuerſis quæcunque in domo ſunt: *quos illi neceſſarios tantùm fore, iam ex pactione fuerat conſtitutum. Pulcherrimum hoc, atque adeò pijs omnibus principibus obſeruandum fidei publicæ exemplum, ad imitandum hoc loco proponitur, & quod neglectum quocunq. loco, apud quamcumq. gentem, calamitoſos exitus Deo vltore habebit; detracta enim publica fide, iuſtitiam omnem humanam ruere, huius verò caſum hominum ſocietatis inter ſe, atque coniunctionis, [imò totius humanæ commoditatis euerſionem conſequi neceſſe eſt.* Nuntios, *nomen miniſterij atque muneris eſt, quod cùm à quo proficiſcitur, in ijs quæ legationem ipſam ſpectat, quamdiu legatio durat, non ſecus atque miniſtrum ipſum obligat. Ideò non dixit, homines vel viros, ſed* nuntios *ipſos; & cum ipſis eos etiam, à quibus miſſi fuerant, obligatos indicat. Vt verò obligationem ad omnem populum pertinere confirmaret, addidit;* quos direximus. *ſiue de ſe loquatur Ioſue pluraliter, tanquam populi totius miniſtro atque duce ſummo, cuius auctoritatis eſt nuntios legare; ſiue populi totius nomine, cuius cauſa & auctoritate miſſi fuerant, eo iure quo obligatur exercitus ad ea probãda & ſuſcipienda quæ exercitus cauſa à duce decernuntur. Cùm verò ait,* Viuat, *ſaluam, incolumem illæſamq; omnino eſſe vult. Namque Hebraicum verbum hoc loco pronuntiatum, & vitam & ſanitatem & integritatẽ ſignificat, vt Hebraicè ſciẽtibus eſt notiſſimum. Locũ verò illius exceptionis obſeruãdæ, apertè definit* in domo. *nã qui extra domũ offenderẽtur, propter incertitudinẽ & alias rationes, neq. pacto neq. iure excepti conſebantur. hanc igitur feminam cum omni domo exceptam, ſaluam, incolumemq; eſſe vult & ſtatuit Ioſue, ita vt nihil quod ad illam pertineat, perire, aut à quopiam tangi permittat: idq; ex Dei iudicio à ſe caueri, vt iam diximus, probat. Quòd verò ad ſpolia in vrbe inuenta attinet, ea non ſecus atque vrbem ſancta & anathemate deuota declarat.*

L. offa. De religioſis, & ſumpt. fu.

Vos autem cauete ne de his quæ præcepta ſunt vobis quicquam contingatis, & ſitis præuaricationis rei, & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint, atque turbentur.

C V M *victoria illa ſola Dei virtute, nulla ab hominibus adhibita opera conſtaret: nullum omnino Iſraelitis in ſpolia ius erat. Voluit*

luit Deus, hanc primam vrbem cum ſpolijs omnibus ſibi deuoueri & conſecrari, in exemplum perpetuum & argumentum virtutis ſuæ, atque adeò ad timorem cæteris gẽtibus incutiendum: Deinde Iſraelitarum obedientiam, continentiam & modeſtiam exerceri hoc pacto Deus voluit, & prouidentiam ſuam obſeruari & coli, futuræq́; poſtea copiæ foueri ſpem, illam præterea temperantiam, confeſsionem publicumq́; teſtimonium eſſe victoriæ diuinitus partæ, atq. totius rei à Deo ipſo confectæ; quamobrẽ nefas duceretur, ſi quiſpiam vellet ea ſibi ſpolia vendicare, quorum adquirendi cauſa nihil ipſe fecerat aut egerat: quod ſi intacta relinquerentur, Dominoq́; conſecrarentur, argumẽto apertiſsimo erant, ſalutem illam Domini ipſius eſſe, ab eoq́; omnia confecta qui pro conſilio ſuo, & ſibi illa ſecernere, & quæ illis accipienda probaret tradere poſſet. Indignum verò & nefarium erat, tantarum diuitiarum & rerum quæ ſperabantur pleniſsima copia potituros ex Dei liberalitate & beneficio, tamen vnam vrbem cum repertis in ipſa rebus volenti ſibi deuoueri & ſecerni, non relinquere intactam atque obſeruatam; pernicioſiſsimo primi hominis exemplo, qui vnam tantùm arborem in pleniſsimo deliciarum horto Deo exceptam tamen affectarit & vſurparit. Proponit igitur publicè Ioſue Dei mandatum hoc, & diligenter ſtudioſeq́; dicit grauiſsimis verbis, quibus rem ipſam definitam legitima conſecutura pœna declarat & cauet. Cauete. *Publicè & priuatè temperari continereq́; iubet: nam Cauendi verbum malum ei minatur, qui neglexerit vel contempſerit. Hebraicè eſt* SIMRV, *eadem ſignificatione, cuſtodite.* ne de his quæ præcepta ſunt: *quæ anathematis iudicio obſeruanda vobis ſunt denuntiata,* quippiam contingatis; *prophano contactu, atque in vſus veſtros;* & ſitis præuaricationis rei, *ipſo facto eos qui contrà auſi fuerint deuotos ſacroſq́;, & vt eccleſiaſtico verbo exponamus, interdicto obnoxios fore denuntiat; namque Hebraicè eſt* THAHHARIMV, *id eſt, Anathematis crimen ſubeatis, ij qui eiuſmodi ſcelus admiſeritis priuatè; communiter autem & publicè, omnem populum contagio veſtri & conſuetudine atque communione ciuitatis eodem crimine inuoluatis: hoc eſt quod addit,* & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint atque turbentur: *ſub peccato anathematis, nam ſic exponitur Hebraicè, Chaldaicè, atque Græcè. Quippe ea, quæ publicè alicui ciuitati vel ſocietati edicuntur,*

 tur,

tur, ipſius ſocietatis commodum, decus, ſanctitatem, vel religionem ſpectantia; & omnes & ſingulos obligant, non externis modò mulctis, ſed occultis culpæ iudicijs; ita tamen, vt auctor ipſe ſi occultè ſcelus admiſerit quod nō fuerit demum proditum, grauius puniatur, quàm cæteri qui facinoris expertes fuerint & inſcij, niſi aliàs negligentiæ argui poſſent. Hic apertè Ioſue declarat, eos qui ſacras res & vetitas ſibi vſurparint, non modò ſibi, ſed omnibus Iſraelis caſtris eodem crimine inuolutis, malum allaturos: Itaque ab huiuſmodi ſceleribus admittendis duplici periculo atque nomine tum ſingulari ac priuato, tum communi atque publico deterrentur. Atque vt vaſa anathemate damnata contactu ſui res alias ſacrant; ita eius qui anathematis crimine obligatur, ceteris communicatione, non criminis tantùm, ſed vitæ conſuetudine quaſi contagione obeſt: maximè verò cùm omnes communiter, & veluti corpus vnum, aliquid vel fugere vel ſequi iubentur, atque turbentur. *Turbari hoc in loco interpretamur rectum proſperumq́ alicuius curſum intercipi atque impediri, nomen, inſigne, famam, opinionem atque laudem obſcurare, demum rectè inſtitutas rationes peruertere. Quippe eadem ſententia*
Gen. 34. *Iacob duobus filijs dicebat: Turbaſtis me & odioſum feciſtis me Ca-*
» *nanæis, & Pherezæis habitatoribus terræ huius. Nos pauci ſumus, illi*
» *congregati percutient me, & delebor ego & domus mea. Et illud*
1. Reg. 14. *quo Ionathan patrem incuſabat: Turbauit pater meus terram. &c.*
Ita prædicit & minatur Ioſue futurum, vt Iſraelis caſtra, quæ & nomine & opinione atq. fama felicitatis ſingulariſq́; Dei tutelæ omnes vicinas & remotiores etiã gentes terrebant, Dei ſingulari prouidentia deſerta & derelicta, hoſtib. affligenda atq. contemnenda exponantur, cum ingenti Iſraelitici nominis dedecore. Horrendæ profectò comminationis huius & prædictionis partes omnes ſunt, ſed vt euentus ipſe poſtea confirmauit, veriſſimæ atque certiſſimæ. Igitur vrbe, vrbiſq́; rebus anathemate damnatis, tanquam ſacris ignem incendiumq́; admouendum res ipſa docebat, & Ioſue poſtea curauit. Verùm res eas quæ igni abſumi non poſſunt, vt ſunt aurum, metallaq́; cetera, in ſacros vſus reponenda ſanxit.

Quicquid autem auri & argenti fuerit, & vaſorum æneorum, ac ferri, Domino conſecretur repoſitum in theſauris eius.

Obligantur ſinguli ea diligenter ſeruare & in theſaurum deferre

quæ

quæ metallorum ac materiæ horum generum,quocunque loco,quocunque modo reperirentur.Namque vocabulum omne *nihil excipit.Atque omnia hæc quæ ad anathema, quæq; ad ſalutem domus Rahhab pertinebant,ducis optimi voce & iuſſu prædicta oportuit, & publicè ſparſa;vt nulli ex toto exercitu ignota indictáue eſſent: deinde verò res, vt fuerat promiſſa, magno miraculo confecta eſt.*

Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, poſtquam in aures multitudinis vox ſonituſq; increpuit, muri illico corruerunt: & aſcendit vnuſquiſque per locum qui contra ſe erat, ceperuntq; ciuitatem.

Vt *verſus huius ſententia & ratio cum præcepto ipſo & quinto capitis huius verſu conueniat, rei ſeries eſt exponenda: iuſſerat enim Deus in hunc modum: Cumq; inſonuerit vox tubæ longior atq. conciſior, & in auribus veſtris increpuerit, concalmabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruët ciuitatis, ingredienturq; ſinguli per locum contra quem ſteterint. Hanc ſeriem exactè obſeruatam, deſcribit verſus hic. Nam bis clamaſſe populum indicat:ſemel ita;* Igitur omni populo vociferante: *hic enim clamor lætitiæ atque plauſus fuit, ob affirmationem illis factam vrbis iam captæ, imò iam traditæ. Itaque fuit læti populi clamor, non tamen is,quo audito, muri erant ruituri, namque ille edendus erat poſt tubarum clangorem,vt fuerat decretum: tubarum verò,ſiue cornuum ſonitus editus,ſignificatur illa oratione*, clangentibus tubis. *Harum verò clangorem, qui victoriam referebat, ſiue ſignum exercitui inuiſibili datum ad muros diruendos, populi ille clamor victoriam celebrans eſt ſecutus: hoc eſt quod legimus,* Poſtquam in aures multitudinis vox ſonituſq; increpuit. *Nam poſt tubarum clangorem, vox illa cum cornuum ſono permixta increpuit; ſed hic poſterior clamor longior, altior, & vehementior fuit, vt Hebraica lectio docet, & Græca: ita vt ſinguli quantum contendere voce potuerint, clamorem ediderint magnum.* & muri illico corruerunt: *Ea ex parte vrbis, quam tunc Iſraeliticus populus ambiebat: ita autem corruerunt, vt à terra abſorpti ſint, ſicut Hebraica & Chaldaica oratio,vno ſimplici verbo hoc loco & antea,vti monuimus,indicauit, et Chaldaicus paraphraſtes expoſuit. Atque ita aditus ad vrbem liber ſingulis ex populo illo patuit, vt aſcenderet vnuſquiſque per locum qui*

qui contra ſe erat, & ceperunt vrbem: *namque vrbs tunc capta dicitur, cùm ab expugnatoribus ingreßis occupatur.*

Et interfecerunt omnia quæ erant in ea à viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem, boues quoque & oues, & aſinos in ore gladij percuſſerunt.

VRBEM *hanc omnem, quæ prima illius regionis erat, anathemate ſacram atque deuotam, ex diuini iudicij ſententia ita vaſtari oportuit, vt nihil ex illa in humanos vſus transferri poſſet. Cauſa autem & crimen quamobrem gens illa omnino extincta fuerit, in Moſis libris explicatur, nimirum Amorrhæorum iniquitas iam completa, cuius iniquitatis partes multæ fuerunt, itaque ſatis ſupérque fuerat hoc à Deo eſſe decretum, atque iuſſum, vt iuſtißimum crederetur, nedum appoſitis & declaratis criminibus. Cur verò pueri vnà cum parentibus occiſi ſint, præterquam quòd ſancti grauéſque auctores diligenter diſputant, imprimíſque Diuus Auguſtinus; illud in cauſa eſſe arbitramur, tum quòd filij qui parentum exempla videre cognoſcereq́; poterant, ad eandem corruptelam procliues damnatos patrum mores imitari certi erant: minores verò infantes, interim dum ipſi cognitionis rerum expertes ſunt, in externis parẽtum bonis numerãtur: hoc autẽ ita obſeruatur, non humano, ſed diuino iudicio atque iuſſu, quod imitari homines non debent; namque humanis iudicijs parentes pro filijs, filios pro parentibus, aut aliquem pro aliena culpa puniri, nefas eſt. Demum voluit Deus, gentem illam, cuius ſceleribus terra contaminatißima erat, penitus extingui, ſicut quondam vniuerſum hominum genus, octo tantùm capitibus exceptis, publica inundatione; & quinque illas vrbes incendio damnauerat. Quamquam verò hoc per Iſraelitas ſabbatha confectum fuerit, non tamen ſabbathi religio illis eſt violata, diuino decreto parentibus, vti ſuperius oſtendebamus. Vbi Latinè legimus* interfecerunt, *Hebraicè* IAHHARIMV: *id eſt, vt Græci vertunt,* anathematizauerunt: *atque hoc verbo iudicij ratio indicatur: Bos, ouis, & aſinus, omne animalium genus, ex quo vſus capitur aliquis, comprehendunt nomina hæc: namque hæ tanquam innocua & bello inepta, paci vtilia, prædarum in partem recipi permittebãtur: equorum verò alia ratio erat & camelorum, & aliorum ſi quæ ad belli vſus apta vel inſtructa eſſent: Eiuſmodi enim vbicunque reperirentur, apud hoſtes crura ſuffrin-*

August. in hunc lo. q. 12.

ſuffringebantur ex lege. Nunc verò quæcunque apud Ierichunta fuère, ad anathema pertinebant.

Duobus autem viris qui exploratores miſſi fuerant, dixit Ioſue, Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam & omnia quæ illius ſunt, ſicut illi iuramento firmaſtis.

NON *contentus optimus dux Rahhab incolumitatem publicè edixiſſe, exploratoribus illius tutandæ curam committit, atque iuriſiurandi religionem & obſeruantiam commendat, neque ſolùm illam defendi, ſed à futuro incendio exploratorum opera eripi, & tuto loco conſtitui iubet; tantum diuino conſilio ſtudium illius feminæ beneficio afficiendæ Ioſue fuit, tantumq́ mulieris fides impetrare apud Deum potuit. Significabamus nõ multò antè omnem illam rationem & moram in Ierichunte expugnanda poſitam, tum ad alia multa, tum præcipuè ad Iſraelitarum exercendam fidem pertinuiſſe; idq́ nobis ab Apoſtolo indicatum declarabamus: atque etiam Rahhab mulieris incolumitatem viuæ fidei adſcribendam eſſe apoſtolico teſtimonio confirmabamus. neque verò minus feminæ fides & ſpes totis illis diebus conſtans laudanda eſt, quàm populi illius etiam perſeuerãtia, & adhibita Ducis mandatis ac iuſſis obedientia probanda. Siquidem vt hominum ingenia varia & corrupta plerunque ſunt, vtq́ mille artibus atque dolis contaminari à Sathana ſolent, vehementer commendandum ſeſe nobis & imitandum præbet exemplum populi, totis illis ſeptem diebus à concepta fide minimè deficiẽtis, quorum patres, tot ſignis viſis, tot acceptis beneficijs, frequenter defecerant, ſed illorum pœna cautiores atque experimento doctiores, optimiq́ Ducis prudentia & ſedulitate cultiores, Dei benignitate & voluntate atque gratia hi quàm illi ſapientiores, hoc tempore euaſere; adeò vt cùm vrbem ſibi traditam audierint, quanquam præter victoriæ facultatem & opinionem inde apud gentes confirmandam, felicitatis ſuæ nihil præterea ſeſe ex præda & ſpolijs aut ex loci commoditate reportaturos intelligerent; tamen lætabundi conclamarint primùm: deinde audito eorum ſono victoriam celebrarint, quæ ipſorum fides adeo efficax apud Deum fuit, vt muri repentè ſubſiderint: ſicut ſcriptum eſt, Fide muri Iericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem.* H.b.11.
" Fide Rahhab meretrix non perijt cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.

Ingreſſiq́; iuuenes eduxerunt Rahab & parentes eius, fratres quoque & cunctàm ſupellectilem ac cognationem illius, & extra caſtra Iſrael manere fecerunt.

F A C I L E *fuerat cùm totis diebus ſeptem, atq. ſeptimo ſepties vrbs ambiretur, mulieris locũ ex ſigno ad feneſtrã appẽſo notare atq; memoria tenere: ex hoc verò loco apparet, non omnem murum corruiſſe, ſed illum ſecundum quem Iſrael eadem hora ingrediebatur: namq. Rahhab domus muro, vti nouimus, innixa erat, quæ nunc conſtitiſſe ſignificatur, ita vt iuuenes exploratores à Ioſue miſsi domum intrarint, indeq́; feminam ipſam, & neceſſarios illius, cũ tota etiam cognatione, omnium inquam propinquorum gente; quod Hebraicum nomen plurale indicat; atque adeò omni re & ſupellectile, ita vt nihil deſideraretur, ſaluos incolumesq́; deductos in loco tuto collocarint extra caſtra Iſrael; tum quòd nondum erant Iſraelis religione initiati, tantumq́; proſelyti cenſebantur; tum etiam, vt illo in loco ſepoſiti, teſtimonio eſſent & Iſraelitis & alijs diuinæ miſericordiæ atque tutelæ erga ſe, et exẽplo certiſsimo prouidentiæ Dei in eos, qui ſe timent & colunt, atq. etiã fidei & grati animi atque officij publicè atq. priuatè ab Iſraelitis conſeruati, id quod primis illis diebus non adeò clarè conſtare poſſet, ſi quàm primùm eductis locus intra caſtra aſsignaretur: in tanta enim frequẽtia Iſraëlitarum illorũ copia atq; commoditas quanta eſſet, non ita facilè cognoſceretur; adde his, quòd fieri non poterat, quin illorum animi humanitatis aliquo ſenſu non afficerentur illo primo tempore exitij vrbi gentiq́; ſuæ allati ſpectaculo. Non decebat autem vllam mæſtitiæ ſpeciem in illa prima Dei victoria qua Iſrael lætabatur cõſpici. Obiter autem obſeruari expedit ab exploratorib. initio Rahhab præter ſuam, parentum & fratrum ſororumq́; animas nil popoſciſſe, nihil vltrà vel de ſupellectile vel de alijs cognatis excepiſſe, neque illos iuramento priori quippiam amplius fuiſſe pollicitos, verùm poſtea liberos, atque ſuæ ſpontis dixiſſe, Faciemus tecum miſericordiam, & veritatem: Hoc eſt, officium tibi noſtrum præſtabimus beneficio etiam addito cumulatum. Hoc verò beneficium ita illi amplìarunt, vt cùm multos intra domum repererint, qui parentum & fratrum numerum excedebant (erant tamen ex illius cognatione) omnes omnino tutati fuerint; & ſeruatos cum non exigua rei familiaris copia, commodo collocauerint loco.*

loco. De ſupellectile verò nullum expreſſum mandatum à Ioſue acceperant, qui tantùm dixerat, omnia quæ illius ſunt: *id quod de capitibus erat accipiendum, vt ſubiuncta declaratione fuit expoſitum,* ſicut illi iuramento firmaſtis. *At verò illi omnes animas quotquot intra domum receptas inuenêre, ſeruarunt & deduxerunt, & rem omnem illorum conſeruarunt. Hunc beneficij cumulum adnotandum indicat Hebraici verbi repetitio,* Venerunt & exire fecerunt Rahab &c. *Et paulo pòſt:* Et omnes cognationes illius exire fecerunt. *Magno profectò documento hæc repetuntur officij quàm ampliſſimè præſtandi, tum beneficij quàm cumulatiſſimè in benemerentes ponendi, tum præterea decreti, & mandati principũ in fauorem, cuiusq́; pronuntiati reapſe amplificandi & dilatãdi quatenus rei ſermonisq́; ratio conceſſerit. Dixerat Dux,* Omnia quæ illius ſunt. *áddiderat autem* ſicut illi iuramento firmaſtis. L.fi.ff.de cõſtit. princ.
At boni officioſiq́; iuuenes dictum illud omnia quæ illius ſunt, *amplè ſunt interpretati; illud verò* ſicut iuramento illi firmaſtis, *non* Beneficia princ.
ad exceptionis, verùm ad voluntatis confirmationisq́; rationem retulêre. Neque verò vrbis iam deuotæ atque ſacræ exciſio incendiumq́; antè cœptũ fuit, quàm Rahhab familiæ fuiſſet diligenter conſultum, cuius liberationem ſtrages conſecuta eſt vrbis & gentis.

Vrbem autem, & omnia quæ inuenta ſunt in ea, ſuccenderunt, abſque auro & argento & vaſis æneis ac ferro quæ in ærarium Domini conſecrarunt.

HÆC *vt à Deo decreta fuerant, per Ioſue curata, & à populo facta ſunt diligenter, præterquam ab vno ex populo, cuius hiſtoria inferiùs narrratur.*

Rahab verò meretricem & domum patris eius, & omnia quę habebat, fecit Ioſue viuere, & habitauerunt in medio Iſrael vſque ad præſentem diem, eò quòd abſcõderit nuntios quos miſerat vt explorarent Iericho.

NON *minorem miſericordiæ tribuendæ, fideiq́; publicæ præſtandæ, quàm vrbis ſacrãdæ curã Ioſue fuiſſe, locus hic apertè oſtẽdit. Neque enim ſatis viſum fuit, Ioſue familiã omnẽ illam cũ familiari re ſaluam incolumemq́; tueri, vt Hebraicè verbo* HEHHEIEH, *id eſt, viuere fecit, & ſanum præſtitit, ſignificatur: niſi honeſto fratrũ & conciuium nomine vti volẽtes amãter ſuſcipi, atq. foueri publicè priua-*

téq.decerneret, idq́; perpetua lege et cõſuetudine cõfirmaret. Quanquam enim illi non fuiſſent ex Iſraelitarum tribubus, neque ex Idumæis, neque Ammonitis & Moabitis, qui ſanguine coniuncti affineſq́; Iſraelitis erant, ſed ex impio atq. inimico Cananæorum genere; tamẽ propter vnius mulieris fidẽ cũ beneficio coniunctã, familiæ omni non infrequenti, non ſolùm parcendum, ſed libera honeſtaq́; cõditione ſtátuta conſulẽdum cenſuit. Et habitauerunt in medio Iſrael vſq. in præſentem diem. *hoc idiotiſmo Hebraico ſignificatur honeſti loci & liberæ atque integræ conditionis in ciuitate vel republica vſus. Namq. vocabulum* KEREB, *pro quo Medium reddere Latinè ſolemus, & interiora ventris, & propinquitatem, & neceſſitudinem & huiuſmodi alia ſignificat, gratiam, charitatẽ, ſtudiũq́; ſpectantia. Atq. hac eadẽ oratione Sunamitis illa Eliſæo officij ipſi exhibendi materiã quærẽti, Nũquid habes negotiũ, et vis loquar Regi vel Principi militiæ? reſpõdit, In medio populi mei habito: hoc eſt, bono in ſtatu ego reſq́; meæ omnes ſumus, chara & grata meis dego, nihilq́; negotij aut cauſæ habeo, bonoq́; apud gentem meam loco ſum. Huiuſmodi viuendi conditionẽ Rahhab & familiæ cognationiq́; illius apud Iſraelitas conſtitiſſe, perpetuoq́; fuiſſe conſeruatã, lectio hæc docet, idq́; ab optimo Duce inſtitutum ab Iſraelitis fuiſſe ſuſceptũ, declarat,* In medio Iſrael. *Rationẽ verò conſtitutionis huius publicè expreſſam, & literarum monumẽtis mandatã ſignificat, vt familiæ illi ſua iura perpetuò cõſtarent, & ſi quando cuiuſquã calumnia vel fraude peruerterẽtur, repetere legitimeq́; obtinere liceret.* eò quòd abſcõderit nuntios quos miſerat Ioſue. *Namq. beneficiũ publicè factum publico officio, beneficio atq. priuilegio rependi oportuit; eoq́; amplius, quo grauius atq. illuſtrius fuerit promeritum. Fuerat verò magnũ beneficium & meritũ, nuntios publica auctoritate miſſos periculo liberandi cauſa abſcondi, quocunq. nomine illi miſsi fuiſſent: ſed lõgè maius eſt non prodidiſſe, imò abſcõdiſſe & ſeruaſſe, liberoſq́; dimiſiſſe eos qui miſsi fuerant, vt vrbẽ Iericho propriam explorarent. Quippe magnæ fidei ſignũ argumentumq́; fuit, nuntiorum ſalutẽ propriæ patriæ cauſæ & nomini amoriq. anteponere, dignumq́; iudicatũ quod Iſraelitarũ patriæ & ciuitati communicatione rependeretur. Diſcant hoc exẽplo Chriſtiani quemadmodũ excipi, haberi & ornari oporteat eos, quos in ſuã eccleſiã Deus adſcribi voluerit. Scimus Rahhab Cananæa apud Iſrae-*

Iſraelitas generis aliàs ſui ſuperſtitioſos & faſtidioſos iactatores adeò honeſtū fuiſſe locū, vt & nuptiæ cū Salomone cōiunctæ fuerint, & ſobolis propagatio ad vſque Ieſum Chriſtum Dei filium orbiſq́; redemptorem conſtiterit: Atque hanc rationē tum ad ipſius familiæ ornamentū, tum ad perpetuum & publicū repenſi officij monumētum, tum etiam ad beneficiorum & promeritorum exemplū ſtatuendum in illius gētis priuilegio inſcriptum intelligimus, ſiquidē res hæc omnis à Ioſue duce omni Iſraele probante conſtituta eſt. ratio verò illa fuit: eo quòd abſconderit &c. *Atq. narratio hæc ad exitum rerū Rahhab pertinet: quē ſacer hiſtoricus hoc loco opportunè abſoluere voluit. Siquidē hoc decretū & inſtitutū de recipienda & conſcribenda gente illa in communionē ciuitatis Iſraeliticæ, non fuit factum eodem die quo Iericho capta atque incenſa eſt: nam quemadmodum illo tempore fuerit illis conſultum, vigeſimo quinto verſu fuit expoſitum.*

In tempore illo imprecatus eſt Ioſue dicens: Maledictus vir coram Domino qui ſuſcitauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho: In primogenito ſuo fundamenta illius iaciat, & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius.

IVDICII *ſeueritatiſq́; aduerſus impios, & benignitatis ac veritatis erga pios, demū virtutis et efficientiæ Dei monumentū pepetuum ſacrandū atq dicandū ex diuino conſilio curauit: id verò monumentum primæ illius vrbis ruinam & excidium perpetuum futurum erat, quòd regionem illam ingreſſuris omnibus vel egreſſuris, ex illa vltionem diuinam in Cananæos, & primam illam inſignem expugnationem teſtaretur, viſo loco muri à terra penitus abſorpti. Quod verò hæc dira imprecatio diuino cōſilio cōſtaret, Ioſue ipſe declarabat illa expoſitione,* coram Domino, *hoc eſt, vt hoc ego tāquam Domini miniſter & præco ipſo præſente denuntio, ſic eodem præſente atq. vlciſcente ratum, firmum fixumq́; eſto: quandoquidem locum illum ſibi ſanctum, nulliſq́; pedibus vſibuſq́; humanis expoſitum, Deus ipſe per angelum Ioſue declarauerat.* Sup. 5. Maledictus, *vna ex imprecationis diræ, ſiue potius ex maledictionis partibus ſterilitas vel orbatio eſt; vt cōtrà ex benedictionis generibus vnum eſt coniugij fecunditas & numeroſæ ſobolis propagatio. Voluit ergo Deus iam maledictionis partem nominatim hoc loco definiri, quæ iudicium diuinum de perpetua Ierichuntis vaſtatione teſtaretur. Atq. duo in hac imprecatione ſunt cau-*

ta & prohibita: alterum, ne vrbs eadem vel antiquo vel alio nomine eodem loco reſtitueretur; alterum, ne vrbs alia quocunque loco ædificaretur indito nomine Iericho: Namque eiuſdē vrbis reſtitutio ruinæ in perpetuum decretæ monumentum delebat. Nomen verò vrbis illius alij impoſitum, memoriam confundebat illius, cuius famam perpetuam, vſum verò nullum fore decernebatur. Ex Geographiæ namque diſciplina cognouimus, extantis alicuius loci celebritatis memoriam, alterius qui iam eſſe deſierit ſimile nomen obliterare. Neq. enim nos qui Hiſpalenſes ciues ſumus, quo loco antiqua Hiſpalis fuerit, propriè ſignare poſſumus, poſtquam huic vrbi quæ Romulea quondam dicebatur, Hiſpalis eſt datum nomen. Itaque vtrumque cauet Ioſue, ne quis vrbem hanc ſuſcitet, néue quis omnino Iericho vrbem quouis loco ædificet. Hæc diſtinctio Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè aperta eſt propter articulorum & demonſtratiuorum proprietatem, quibus Latini carent; ſed in verſione noſtra facilè cognoſcetur, ſi alteri ex duobus verbis alterum ex appoſitis tribuatur, hoc modo, qui ſuſcitauerit ciuitatem, *ſubaudiendum ex illis linguis, hanc eandem ipſam quæ diruta eſt.* & ædificauerit Iericho: *Id eſt, ædificauerit vrbem aliquam cui nomen fecerit Iericho. Atque vt nomen hoc ex natura locorum & rerum deducta ratione interpretemur, quod aliàs lunam vel deficientem, vel, vt alij dicunt, ciuitatem culpæ ſignificare fertur: nos quidem ſtudioſorum cauſa aliquid de proprijs locorum & perſonarum nominibus aliquando diſſerere Deo ſuggerente meditamur; nunc verò etymologiæ & naturæ rationem ſecuti, tantùm dicimus, Iericho nomine ſignificari locum odoratum ſiue fragrantem; impoſitumq́ fuiſſe vrbi illi propter præſtantem balſami naturam illi vni ſolo ex omni terrrarum orbe conceſſam: Siquidem Aegyptus balſami quoque plantas alebat, minus tamen generoſas. Eſt autem balſamum vnguentorum omnium ſuauiſſimum, cuius ſpecimen aliquod cùm nos totis quindecim annis Venetijs & in Italia atque Romæ & in Hiſpania videndi cognoſcendíque ſtudio diſquireremus, tandem Antuerpiæ ex Galliarum Regis aula, primùm aliquanto tamen adulteratum, deinde ex amico quoddam veriſſimum accepimus, quod inter variam ſtudiorum noſtrorum materiam ſeruamus. Itaque ob perpetuam præſtantiſſimi odoris atque ſingularem laudem, Iericho nomen*

Diſcor. lib. 1. c. 17.

illi

illi vrbi ab incolis factum apparet. Atque adiurationis ſiue diræ imprecationis contemptæ pœna ipſi cauſæ perſimilis conſtituitur & prædicitur. In primogenito ſuo fundamenta illius iaciat, & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius. *Vt enim diuino iudicio vrbem illam anathemate damnatam, omnino vaſtandam Deus decreuerat, & perpetuò deſertam atque exciſam eſſe oportuit, ita eius qui reſtituere auſus fuerit ſoboles, perpetua exciſione mulctari conſentaneum fuit. Eſt igitur huius prædictionis ſententia. Quo tempore quiſquis ille fuerit, qui inſtaurare hanc vrbem volet, prima fundamenta iecerit; maximum natu ex liberis ſuis amittat, deinde ceteros omnes, poſtremùm autem minimum omnium, cùm iam opere abſoluto ad ianuarum locationem deuenietur. Atque hanc Ioſue imprecationem & prædictionem iudicio ſuo dignam verámque Deus certo probauit euentu, ſicut in fine hiſtoriæ Achab filij Amri ſcriptum eſt: In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel Iericho: in* 1.Reg.16.
" *Abiram primitiuo ſuo fundauit eam, & in Segub nouiſſimo ſuo*
" *poſuit portas eius: Iuxta verbum Domini quod locutus fuerat in*
" *manu Ioſue filij Nun. Qui locus planè confirmat prædictionem*
" *imprecationémque hanc à Ioſue, vt propheta coram Domino; hoc eſt, Dei iuſſu eſſe factam. Vt autem Dei conſilium & piorum virorum atque miniſtrorum officium purè & ſimpliciter factum, euentu ſuo nunquam fraudentur aut deſtituantur, ſubiuncta oſtendit lectio.*

Fuit ergo Dominus cum Ioſue, & nomen eius vulgatum eſt in omni terra.

V E R Æ, *ſolidæ atque certæ dignitatis eius, quam Latini opinionem ſiue exiſtimationem, noſtri ſæculi homines reputationem dicunt, pulcherrimum exemplum hoc verſiculo Spiritus ſanctus noſtris, hoc eſt, Chriſtianis principibus atque ducibus exhibet; quod quiſquis ſequi vel neglexerit, vel neſcierit, pro affectata & alijs conſilijs quæſita opinione & reputatione, contemptionem primò ac poſtremo ignominiam ſibi pariet. Multi enim magno ſumptu, magno molimine, ingenti labore, plurimis incommodis, dum humanis rationibus & vulgaribus opinionibus exiſtimationem famamq́; tueri vel amplificare ſtudent, & oleum & operam perdunt, & rem atque decus vnà amittunt, ſicut ſcriptum eſt: Vanum eſt vobis* Pſal.126.

„ *ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis qui manducatis pa-*
„ *nem doloris. Et profectò doloris panem comedent, quicunque non expectata diuinorum mandatorum luce, & ſurgere & conari & laborare contenderint, ac tandem conatus ſuos irritos vanoſq́ experientur. Contrà verò qui diuinam lucem præeuntem ſibi optant, hancq́ omni ſtudio & conſtanti animo ſequi decreuerint; etiam prius quàm magnum aliquid ipſi gerant, ſibi & nomen ex Dei prouidentia atque beneficio quàm ampliſſimum conſtitutum, & viam ad gerendas res feliciter munitam, & proſperum conſiliorum, actionum atque ſuſceptorum munerum experientur exitum, ſicut ſcriptum eſt:*
Ibid. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum; ecce hæreditas Domini, filij: merces, fructus ventris: Tanti eſt Deum dextrum propitiumq́ habere, vt Ioſue fide atque pietate mandatorumq́ obſeruantia habuit, cui antequàm vllum aduerſus Cananæos bellum eſſet geſtum, tamen nomen per omnem illam regionem iam conſtabat ampliſſimum, & longè latéque propagabatur, ex vna illa tantum cauſa, quòd Dominus eſſet cum illo; non quòd ipſe adhuc præclari quicquam egiſſet.* Et nomen eius vulgatum eſt. *Hebraicè* SAMVAGH, *Auditio, ſiue Fama, pro quo vocabulo Interpres noſter Nomē aptiſſimè reddidit: eſt enim vna ex ſignificationibus verbi huius, Nomē, apud Latinos eadē quæ exiſtimationis, opinionis, famæ ſiue reputationis, vt noſtri loquūtur.*

Virg. Geor. 3 vt Mox tamen ardenteis accingar dicere pugnas
Cæſaris, & nomen fama tot ferre per annos
Tythoni prima quod abeſt ab origine Cæſar.

Fuiſſe autem vulgatum Ioſue nomen in omni terra dicitur. Sed quodnam nomen? rerúmne ab ipſo geſtarum? non; ſed ſingularis & ampliſſimæ felicitatis ducis eius cui ille IEHVEH *appellatus Deus adeò dexter propitiúſque eſſet, vt vel quieſcenti fluuios diſcinderet, vrbes firmiſſimas, fortiſſimis regibus & viris refertas, expugnaret, expugnataſq́ traderet, hoſtium conſilia atque animos indicaret, indices conciliaret, & futuri temporis euenta prædiceret, arcanaq́ reuelaret. His etiā accedebat commemoratio grati animi humanitatiſq́ viri, & fidei, omnibus etiam alienis à gēte ſua ſeruandæ officijq́ præſtādi, et beneficij apud promerētes cumulatè ponendi, curæ & ſtudij et ceterarū virtutū enumeratio, quas in hoc duce ſūmas obſeruauimus, vt modeſtiæ, diligētiæ, prudētiæ, ſedulitatis ac vigilātiæ;*
demum

demum ſingularis in dicendo grauitatis & efficiētiæ, cum vitæ ſanctitate, & actionum omnium dignitate coniunctæ.

CAPVT SEPTIMVM.

FIlij autem Iſrael præuaricati ſunt mandatum, & vſurpauerunt de anathemate. Nam Achā filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda, tulit aliquid de anathemate: iratusq; eſt Dominus contra filios Iſrael.

NON *rarò ex hominum prauitate accidere ſolet, vt qui magnam apud externos auctoritatem & exiſtimationem iure optimo habet, minorem apud ſuos obſeruantiam experiatur. Atque vtinam nō peioribus & magis etiam publicis exemplis illud veriſſimum eſſe deprehenderemus prouerbium, quod ex antiqua & veteri conſuetudine Ieſus Chriſtus in ſuam vſurpauit cauſam, Nemo Propheta acceptus* "
in patria ſua: Nō quòd Ioſue apud ſui temporis Iſraelitas non ſit pro- "
pheta habitus, verùm quòd non eam obſeruationem ſit expertus, quam lex ex diuino mandato per ipſum pronuntiata poſtulabat. Nam cùm ijs, quibus nondum conſpectus erat, fama tamen magnus, gratus & ampliſſimus Dei miniſter celebraretur, ijs tamen quibus notiſſimus erat, & multis adeò ſignis atque modis ornatiſſimus, contemptus fuiſſe videtur, audentibus conditionem legemq; ab eodem de anathemate cauendo latam negligere, & violare. Hanc comparationis expoſitionem poſtulat vox illa autem, *quæ de ſuperioris verſiculi ſententia excipit. Cùm Ioſue nomen vulgatum fuerit per omnem terram, vt vel nomen ipſum alijs terribile eſſet, tamen filij Iſrael non ſolùm viri nomen, ſed Dei mandatum à viro denuntiatum violauere. Cur autem ob ſingulare hominis vnius ſcelus omnis cœtus in culpam crimēnque vocetur, in cauſa eſt Iſraelis nomen, cuius definitione populus omnis continebatur, & veluti membra vnius corporis multa comprehendebantur, ita vt quicquid Iſraelis aut populi nomine appellato præſcriberetur & indiceretur, & omnem ciuitatem, & ſingulos ſeorſum obligaret; idq; ſi vel ab vno perrumperetur, vnius culpam in omnes transfunderet, totúmque collegium ſiue tota familia pœnæ obnoxia eſſet, & illius membri vitio communicare cenſeretur, quoad ſceleris auctore producto culpa*

expiaretur. Atque de alijs ſingulorum hominum vitijs & erratis alia ratio diſputatióque eſt; nunc ea tractamus exempla, quæ omnem rempublicam, ciuitatem, eccleſiam, ſocietatem, collegium, &, vt nunc noſtri loquuntur, communitatem aliquam complectuntur. Quanquam enim in illo populo multi peccatores eſſent, ea tamen quæ Deus illis tunc conferebat beneficia, ſingulares homines non propriè reſpiciebant, ſed Iſraelis (cui promiſſa facta fuerant) familiam integram, quam ſingulari quadam prouidentia in communi Deus fouebat, cuique ſupremum miniſtrum, Ducem & Prophetam Ioſue filium Nun conſtituerat. Quicquid ergo illis publicè imperabatur, & omnes & ſingulos compræhendebat, aliàs illam ſingularem erga omnem Iſraelem prouidentiam minimè experturos. Interim verò dum hic mandata publicè facta non violarent, quanquam alijs humanis vitijs laberentur aliqui aut complures ex illis, priuatè ſinguli ſuas culpas aut pœnitentia expiaturi, aut debitas pœnas priuatè exſoluturi (de occultis peccatis loquimur) non tamen ideò illa ſingulari prouidentia quæ Iſraelem omnem ſpectabat deſtituendi erant, niſi ea quæ Iſraeli publicè indicta eſſent violarentur. Atque illud de anathemate obſeruando & cauendo mandatum publicè fuerat edictum. ſic enim legimus: Dixit Ioſue ad omnem Iſrael, Vociferamini, &c. *Deinde ſubiũxit:* vos autem cauete ne de his quæ præcepta ſunt quippiam contingatis. *Nam cùm* quippiam *ſingulare ſit, & minimam etiam ſignificet rem, tamen cautum eſt non ſingulariter, ſed plurali pronomine* Vos: *non dictum, Caueat vnuſquiſque ne quippiam contingat; ſed* Vos cauete ne quippiam contingatis: *ita ſi quippiam contactum fuerit, vos contigiſſe arguemini. Atque de huiuſmodi publica cauſa hæc nunc ſatis dixiſſe fuerit: iam verò verba ipſa exponamus.* Præuaricati ſunt mandatum: *Verbum hoc Præuaricari, Latinum plurib. quàm vni Hebrææ voci ſufficere facit Interpres noſter. Nam cùm hæ voces, Præuaricari, Præuaricator, Præuaricationes, in veteris Teſtamenti libris Latinis ex Hebraico verſis ſexagies & nouies reperiantur: verbum verò* MAGHAL, *quod hoc loco Hebraicè legitur, ter & quadrageſies tantùm notetur, neceſſe eſt eum qui ſuperſit numerum ad alias Hebræas dictiones referri. neque verò* MAGHAL *verbum ſemper in Præuaricari vertit Latinus Interpres, ſed*

Supt. cap. 6.

ſed in alias & alias voces, pro ſententiæ, atque puri perſpicuiq́; ſermonis vſu, ſicut & in multis alijs rectè conſueuit. Igitur Præuaricari, in ſacris lectionibus non vnam tantùm ſignificandi rationem obtinebit, vt apud Legiſperitos, apud quos is præuaricari dicitur, qui ab aduerſario corruptus cauſam, quam receperat, agendo prodit. Sic Piſo præuaricator Catilinæ quondam poſtea vltor dictus eſt. Quæ autem ſit huius verbi ratio, Hebraicè ſcientibus ex Hebræo, cui reſpondet, vocabulo; neſcientibus verò ex præſentis rei argumento obſeruare cognoſcereq́; expediet. MAGHAL, *quantum nos obſeruatione conſequi poteramus, ſignificat Fidem prodere eam, quam vel populus principi, vel vir viro, vel vxor marito communi iure, vel legibus, vel pactionibus, vel moribus debet; ita vt alter alterius ius manifeſtum violet. Hoc delicti genus* MAGHAL *Hebraicè, Latinè Præuaricatio in noſtra Verſione dici plerumque ſolet: vt, Anima ſi præuaricans ceremonias in his quæ Domino ſunt ſanctificata peccauerit &c. Et illud: Donec confiteantur iniquitates ſuas, & malorum ſuorum recordentur quibus præuaricati ſunt in me, et ambulauerũt ex aduerſo mihi. Et illud, Si polluta eſt et contempto viro adulterij rea. tota hac oratione hoc loco verbum* MAGHAL *Interpres expoſuit. Igitur filij Iſrael præuaricati ſunt hoc modo mandatum, quòd Dei ius ſanctum, & ſacrum illi anathema ſacrilego auſu violarunt. Itaque præuaricationem pro ſacrilegio hoc loco accipimus: fraus etiã aduerſus legem facta hoc vocabulo declaratur, atque ipſa quæ proximè legitur oratio, præſentem verbi ſignificationem declarat, nempe* Et vſurpauerunt de anathemate. *Hæc ſumma propoſitio criminis narratione exponitur:* Nam Achan &c. *indicatur autem tribus & familia hominis, quæ quamuis illuſtris atque ceterarum dux anteſignáque erat, hunc tamen audacem ſacrilegumq́; hominem, aliàs bonis & probatis populoq́; notis maioribus prognatũ habuit: ne quis virtutẽ vel probitatem, vel etiam improbitatem alicui hominum genti neceſſariam, & veluti hæreditariam exiſtimet; quandoquidem boni & mali ſtudium in vnius cuiuſque optione & arbitrio poſitum eſt, non in ſanguinibus, neque in carnis propagatione quæ ſecundum naturam conſtat. Cùm verò ille ſolus aliquid de anathemate tulerit,* iratus eſt Dominus contra filios Iſrael. *Hactenus cauſæ narrationis, & correptionis eſt*

Leuit. 5. Leuit. 26. Num. 5.

ſumma propoſita, quæ omnia deinceps fuſius narrantur, atque depræhenſionis ratio ab vltima propoſitionis parte repetitur primum.

Cumque mitteret Ioſue de Iericho viros contra Hay, quæ eſt iuxta Bethauen ad orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis, Aſcendite & explorate terram. qui præcepta complentes explorauerunt Hay.

NVNC *exponitur quemadmodum intellexerit Ioſue Deum Iſraelitis eſſe auerſum. Namque poſt primam expeditionem per ſolam Dei virtutem abſque vlla humana opera abſolutam, poſt comparatam Ioſue felicitatis famam & exiſtimationem, confractóſque hoſtium animos, & compertam à populo tam multis exemplis, diuinæ prouidentiæ erga ſe præſentiã & ſingularem tutelam, non opus erat deinceps ad ſingulas vrbes capiendas miraculis aſſiduè renouandis, ſed tam ducem quàm populum ſuas partes diligenter & ſtrenuè agere oportebat, certos diuini præſidij & auxilij ipſis nunquam Iſraelem verè referentibus defuturi, vtpote ſæpiſſimè huius rei admonitis, & vario periculo atque exemplo frequenter edoctis. Igitur poſt Ierichunta vrbem iam captam, incenſam & perpetuo excidio ſacratam, proxima erat Hay ſiue* GHAI, *vrbs in editiore colle ſita, atque à Ierichunte proſpecta, quam Iſraelitæ eſſent expugnaturi: erat enim inter Ierichunta & Bethel non longè à Bethauen, cuius ſitus & confinia diligentius hoc loco deſcribuntur, vt cognoſcatur ratio quamobrem ea prima vrbs petita ſit; quia videlicet proxima erat, & duobus vicinis oppidis, Bethel & Bethauen, firmior, munitior, atque frequentior, qua capta facile erat duas alias capi: deinde etiam vt intelligatur, non fuiſſe ſuperatas Iſraelitas acceſſu vicinarum ciuitatum, quæ tam exiguæ erant, vt non illas opem Hay ferre, ſed ab illa ſperare conſentaneum eſſet. Eſt etiam alia ratio, diſtinctio nimirum inter hanc vrbem & eiuſdem nominis alteram in Ammonitarum regione, cuius apud Ieremiam facta eſt mentio. Atque de hac Geographiæ ratione, abundè ſatis in ſacro Apparatu ſcribebamus. Igitur deliberato iam & conſtituto conſilio expugnandi vrbem hanc, exploratores à Ioſue præmittuntur, qui & viam cernant, & locum conſiderent; & quot viris capi poſſe exiſtiment, diligenter computent. Mittuntur verò viri huic* Lib. Canaan, & lib. Caleb

mune-

muneri obeundo ſatis apti & idonei; ideò viri appellantur, qui non negligenter officium feciſſe ſuum feruntur, ſed præcepta complentes explorauerunt Hay. *Cùm exploraſſe dicantur, probantur nihil prætermiſiſſe quod eorum ſpectaret munus: atque hoc pulchrè exprimit Hebraicum verbum, cuius rationem ſuperius* Sup.cap.2. *explicabamus.*

Et reuerſi dixerunt ei: Non aſcendat omnis populus, ſed duo vel tria millia virorum pergant & deleant ciuitatem: quare omnis populus fruſtra vocabitur contra hoſtes pauciſſimos.

Illos *à ſolo Ioſue miſſos (quam rationem exploratorum mittendorum tutiſsimam et probatiſsimam antea oſtendebamus) & Ducis nomen ſingulariter in mittendo appellatum, & reſponſum nunc ad eundem relatum declarant. Illi itaque re perſpecta communi omnium iudicio & ſententia quanquam plures eſſent, vrbem expugnatu minimè difficilem, imò facilè paucis armatorum millibus, nimirum duobus, vel ad ſummam tribus, delendam, nedum capiendam affirmarunt. Totum autem reliquum exercitum numeroſum & frequentem interim quieſcere, & in plano loco alijs rem confecturis aſſiſtere, ſapienti conſilio belli, commodiſsimum eſſe cenſuerunt: comparatione facta neceſsitatis & vſus atque laboris ex loco & numero, maiorem in aſcendendo laborem, quàm in capienda vrbe ſubitum iri, quòd locus editus eſſet: ceterùm vbi perueniretur, exiguus & parum frequens eſſe comperiretur. Eſt autem in diſtribuendis, ad resq́; agendas commodis & idoneis copijs non parum bellicæ diſciplinæ, ſicut ſcriptum eſt: Quis Rex iturus committere bellum aduerſus alium* Luc.14. *regem non ſedens prius cogitat, ſi poſsit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad ſe?*

Aſcenderunt ergo tria millia pugnatorum: qui ſtatim terga vertentes percuſſi ſunt à viris vrbis Hay.

Cvm *duo millia ſatis eſſe putarentur, miſſa ſunt tria millia pugnatorum virorum, qui ſatis ſuperq́; eſſe cenſebantur, atque omnes incolumes & integri eò peruenere vſque ad portas vrbis: id quod verbum* aſcenderunt *indicat: ſed quamprimùm illi animo confracti diuinam erga ſe illam prouidentiam ſingularem ceſſare ſenſerunt: nam nulla inita pugna, viſo tãtùm hoſte fugerunt*: ſtatim terga ver-

 tentes

tentes; *conſpectis oppidanis, vt Hebræa, Chaldæa, Græcaq; lectio declarat. Iam verò hoc loco intelligimus, Iſraelitas illos non fuiſſe punitos miraculo aliquo ſingulari, ſed deſtitutos illa peculiari tutela Dei, quam ſuperius ſæpe commemorabamus, relictóſque communi rerum & bellorum euentui. Namque homo homini, niſi à Deo ſingulariter iuuetur, parum præſtare ſolet, cùm vterque & animo, & membris & viribus conſtet, neque maximis, neque adeò diſparibus; vt ſæpe videamus hunc qui modò victor ſuperiórque erat, nunc victum & inferiorem reddi: & contrà. Neque verò quòd hic armis aut bellico apparatu inſtructior, ideò meliorem partem habiturus eſſe putetur: legimus enim, audiuimus, atque ipſi non vno exemplo vidimus, opibus, armis, pecunijs, & locorum diſcrimine præſtantes, atque adeò bello exercitatos à nudis, inopibus, inermibus, minori numero, bellandiq; imperitis, loco pulſos,*
Pſal.146. *expoliatos & exhauſtos. Quia non in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibijs viri beneplacitum erit ei. Igitur cùm res ita viderimus procedere, vt qui nunc vincebant, nunc fugiant; & rurſus illi ab his pellantur: ad voluntatem & conſilium*
Pſal.74. *Dei ratio eſt reuocanda, qui hunc humiliat, hunc exaltat; Quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc; Veruntamen fex eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Verumenimuerò quòd præter hanc ancipitē bellorum aleam aliquis perpetua felicitate vtatur, atque adeò eos gerendis in rebus omnibus euentus habeat, qui humanam excellant ſortem, omniáque difficilia, quamuis copijs atque opibus præſtantia, tamen contemnat & vincat; ſingulari Dei prouidentiæ & gratiæ eſt adſcribendum, ſic*
Pſal.146. *ut Pſaltes canit; Beneplacitum eſt Domino ſuper metuentes eum, &*
Pſal.27. *in eis qui ſperāt ſuper miſericordia eius. &, Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſaluationum Chriſti ſui eſt. Atque hanc ſuæ virtutis ſingularis efficientiam Iſraelitis ſubduxit, eâmque reliquit facultatem, quæ communis cum ceteris hominibus erat, non qui illos perdere, ſed qui non vt antea iuuare nunc vellet, imò offenſus relinqueret, minúſque iuuaret quàm alios homines, qui non adeò edocti eſſent voluntatis, conſilij & iudicij Dei, atque illi erant: Seruus enim qui neſcit voluntatem domini ſui & non facit, vapulabit; qui verò ſcit voluntatē domini ſui & non facit, vapulabit multis. Itaque hoc*

hoc modo interpretamur verſum illum, Iratus eſt Dominus contra filios Iſrael: id eſt, id illis ſubduxit ſingulare præſidium ſuum, quo non vt hominibus tantùm, ſed vt filij Iſrael muniti & firmati erant, ſicut ipſe Deus inferius declarauit: Non ero vltrà vobiſcum, quemadmodum videlicet vobiſcum publicè & communiter, vt cum Iſrael eſſe ſoleo. Quantum verò præſtet homo ſingulari Dei ſubſidio conſeruatus ſibi ipſi, eodē ſubſidio negato, manifeſto exemplo videmus trium milliū qui communi exploratorum ſententia ad delendam Hay ſatis ſuperque eſſe iudicabantur, & hac opinione & ſpe eò vſque alacres conſcenderant, idem tamen hoſtibus tantùm conſpectis non vllo numero auctis, ſed ipſis viris Hay terga timidè turpitérque verterunt. At verò oppidani quorū metus antea declaratus fuerat maximus, vbi hos ordinibus perturbatis fugere conſpexerunt, cùm ſuperiores loco eſſent, belli euentum alium ſperantes quàm putarant, & occaſionem vtraque manu tenentes, montis decliuitatē quam ipſi melius nouerant & tenebant ſecuti, non ſine cæde fugarunt.

Percuſſi ſunt à viris Hay, & corruerunt ex eis triginta & ſex homines.

H æ c *ſumma narratio eſt euentus illius pugnæ, quæ ſtatim explicatur adiuncta expoſitione.*

Perſecutiq; ſunt eos aduerſarij de porta vſque ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes.

A d *portam vſque peruenerant Iſraelitæ, quibus oppidani ſeſe tantum conſpiciendos præbuerant: namq. eò vſque cùm & ſuperiores loco fuiſſent, & vrbem à tergo habere poſſent, in quam ſeſe ſi premi ſentirent, poſſent recipere; tamē nihil negotij aut impedimenti aſcēdentib. dederant. At verò cùm primo tantùm conſpectu fugere viderent, ab ipſa porta quā iam Iſraelitæ tenebant, ad locū vſq. depreſſum & conuallem qua mons interrumpebatur, inſecuti ſunt; atq. inordinati per prona fugientes ceciderūt, ita vt triginta & ſex ex Iſraelitis deſiderarentur occiſi ab oppidanis, non quòd illi præter ceteros anathematis ſacrilegio tenerentur, ſed vt in bello fit, in quo alij pereunt, alij euadunt. Qui autem pereunt; quanquam ob ſua ipſorum priuata peccata eo modo aliquando puniantur, non tamen ſemper id exploratum eſt, eos omnes qui in prælio ceciderint, illam pœnam ex certa idquè poſtulante culpa infligi, cùm indicari poſſint non-*

nulli

nulli ab huiuſmodi iudicio fortaßis excipiendi, vt Ionathan Saulis filius, qui cùm perpetuò in ſcripturis laudetur, tamen in prælio vnà cum fratribus alijs fuit interemptus, niſi culpa in illo fuerit patri regi Iſraelis bella gerenti adeſſe. Quod ſi nihilominus hos triginta ſex in fuga à ciuibus Hay occiſos peccatorum ſuorum pœnas illa morte luiſſe velimus, non protinus ceteri qui euaſère omnes innocentes ſunt pronuntiandi, & peccato immunes fuiſſe putandi. Neque illi ſex & triginta, qui Hay aſcenderant, præter omnes alios peccatores habendi, ſicut neque illi decem & octo ſuper quos cecidit turris Siloe, & occidit eos, peccatores erant vltra ceteros omnes qui erant in Ieruſalem; ſed ex multis morte dignis ſatis fuit eos cecidiſſe, qui Deum Iſraeli aduerſum indicare poſſent, & ceteros omnes niſi culpam expiandi & iram diuinam deprecandi cura ſollicitaret, eodem crimine inuolutos ſimili euentui obnoxios arguere. loci autem nomen SEBARIM, *confractos ſignificat: factum verò eſſe videtur tum ex ſitu ipſo quo mons frangebatur, & valle ſiue ſalebra intercipiebatur; tum verò maximè commemoratione euētus illius quo inſignis illa Iſraelis proſperitas, occiſis triginta ſex viris, & ceteris fugatis & pauefactis, confracta fuit. Neque enim aduerſarum rerum minus quàm ſecundarum monumenta excitanda & conſeruanda curabant ſancti illi viri quibus non gloriam mundi ſibi arrogare, ſed & ſibi & ſuis in poſterum conſulere, & vtriuſq; generis euentus Deo auctori tribuere cura erat; neque facta illi, aut factorum exitus, aut peruerſa conſilia exquiſitis orationibus interpretari, coloribus diſsimulare, aut excuſare, ſed nuda omnia & plana ſimpliciter exponere, confiteri, teſtari & ſcribere ſtudium erat illud rectè iudicantibus, quamcunq. in partem res caderent, veritatem omni alij animorum affectioni anteponendā, cuius memoria perpetuò vtilis, mēdacij verò, fictionis, ſimulationis ac diſsimulationis, ſemper indecens inutiliſq; et pijs boniſq; viris indigna eſſet. Vbi Latinè legimus* pēr prona, *Hebraicè verbū eſt quod & decliue et pronū et timiditatem etiā ſignificat, cuius vſurpatione vtrumq. auctor indicauit, illos per prona fugientes, curſus impotentia, & pariter timiditate præcipites ſeſe inſectantibus ad cædem faciendam maiores opportunitates præbuiſſe.*

Pertimuitq; cor populi, & ad inſtar aquę liquefactum eſt.

DESTITVTVM *corpus reipublicæ illius ea prouidētia, qua totū animabatur*

batur & muniebatur, veluti in animali accidere ſolet corpore, cuius cùm membrum vnum læditur, grauiterq́; afficitur, dolor ceteris cõmunicatus partibus, ad cor vſque penetrat, atque ad cerebrum pertingit. ſed in eo diſcrimen eſt, quòd cerebrum ſi ſui compos eſt, remedium cogitat & quærit: cor verò dolore accepto plerumque languere ſolet. Ita etiam totius Iſraelis membro vno non exiguo læſo, & grauiter affecto, hoc eſt, tribus virorum millibus, timore, terrore, atq. pauore, dolore etiam correptis, & fugatis, atque ex parte occiſis, reliquus populus omnis pauore non diſsimili perculſus eſt; adeò vt corde trepidare languereq́; cœperit, atque hoc affectu fortiſsimi etiam quiq; laborarint. Ideò enim ait lectio cor populi pertimuiſſe, & ad inſtar aquæ fuiſſe liquefactum. exiſtimarunt enim ſe apud Ierichunta miraculo præſtantes euaſiſſe, cùm hoſtes aliàs nacti fuiſſent fortiſsimos, qui ſi dimicarent, potiores ferrẽt partes, niſi Deus illis adfuiſſet, remq́; ipſe confeciſſet ſolus: nunc vero cùm nullum editum fuerit miraculum, quales viros habeat regio, periculo in exigua vrbe facto, ſenſiſſe, neque minoribus animis & viribus ceteros futuros, quos innumerabiles eſſe norant, maximè verò eſſe animandos illa fama fuſarum copiarum Iſraelis & partis impunè cæſæ, quam maiorem fuiſſe rumor inter hoſtes ſparſus publicabit, ad animum addendum, atque futurarum victoriarũ fouendam ſpem: ita quanquam pœnæ iudiciũ Achan ſacrilegum ſolum ſpectabat, qui in tota illa republica corruptiſsimum ſeſe membrum exhibuit, tamen conſcientiæ tremor & pauor ex veræ cauſæ inſcitia, atque ex acceptæ cladis dolore omnes corripuit. Vnuſquiſque enim ſibi timebat, quia nemo adeò purus erat quin homo adhuc eſſet, & nemo iurare apertè poterat nullam in ſe culpam eſſe aut in ſuis quamobrem Iſrael omnis corriperetur; iudicium Dei omnes iuſtum eſſe credebant, ſed perſæpe arcanum & occultum ſciebant; eſſe etiam exactiſsimum & acerrimum, quòd illa notet & animaduertat peccata, quæ vel ex errore vel ex praua conſuetudine, vel nulla vel exigua hominibus videntur. Itaque omne cor languebat, omnis conſcientia metuebat: verùm in tanta rerum trepidatione ac turba, cuiuſmodi nam conſilium ſit capiendum, pulcherrimo exemplo docuit Ioſue, qui rem ex diuino iudicio profectam interpretatus, non pugnam auctis copijs inſtaurare, non in commune cum alijs viris belli vſu ſtrenuis conſulere, non quicquam prius agere decreuit, quàm

Dei ſibi infenſi irã pœnitẽtia, prece, deprecatione & ardẽti oratione placare, & rationẽ qua id fieri poſſet ab ipſo Deo ſtudioſiſſimè poſcere.

Ioſue verò ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini vſq. ad veſperum, tam ipſe quàm omnes ſenes Iſrael, miſeruntque puluerem ſuper capita ſua.

Ex *publicæ calamitatis ſenſu & dolore, atque etiam ex manifeſta diuinæ maieſtatis offenſione, & ex multis alys cauſis quondam veſtimenta ſcindi conſueuiſſe, in ſacro Apparatu diſſerebamus. Atqui non indignum ſe ſuiq. muneris maieſtate & auctoritate Ioſue duxit, ex publicis Iſraelis incommodis tantum dolorem non ſolùm accipere, ſed habitu, geſtu atque voce demonſtrare, quanquam ea quæ hactenus illis illata erat, non ita magna fuiſſet calamitas, neque aliàs imbellis ÿs quæ à principibus & iudicibus geſta ſunt, propter paucorum hominum necem, tanta ſubita eſſe dicitur triſtitia, niſi illi, qui deſiderarentur, magni aliàs & inſignes, reipublicæq. vtiles viri eſſent. Sed multa in præſenti exemplo fuerunt, quorum cogitatio ſummum illum & ſapientiſſimum ducem in hanc mentem atque in hunc ſenſum impulit: Primùm Dei ira, quam non niſi ob culpam & noxam populi incenſam intelligebat: deinde populi pietas, cui exitium parari videbat, niſi aliqua ratione conſuleretur: præterea ille diuini nominis honor, cuius præcipuè ſtudio, omnes viri pÿ ſanctiq. tenentur: demum hoſtium lætitia & inſultatio aduerſus Iſraelis nomen & famam; hoſtium, inquam, tam veterum, vt Aegyptiorum & Amalecitarum, & ceterorum, quàm præſentium, atque promiſſorum diuinorum Iſraelitis factorum quæ paſſim vulgata erant, ſiniſtra ac falſa interpretatio ex euentu ipſo ſuſcipienda: vulgi enim ingenium huiuſmodi plerumque eſt, vt tragœdÿs maximè gaudeat, & quæ magna feliciaq. ſunt, inuidia magis quàm probatione admiretur; eadem verò vbi labefactari & corruere viderit, inſultationibus, detrectationibus, probris & cachinnis proſequatur, atq. hoc apud omnes ferè, maximè verò apud inimicos & hoſtes, vſu venire ſolet: vnde & illa in moribus hominum obſeruata veriſſimè eſt à viris vſu rerum peritis animaduerſa vulgi temeraria ſententia, Exitus acta probat. & illa, Diſcit enim citius meminitq. libentius illud, Quod quis deridet, quàm quod probat & veneratur. Demum illam calamitatem acceptam magni cuiuſpiam mali initium eſſe intelligens Ioſue, atq. illud ſingu-*

Lib. Ier.

Horat lib. 2. epiſt. 1.

ſingulare diuinæ prouidentiæ præſidium ſubductum cognoſcens, non potuit non animo atque ſenſu vehementer commoueri, cùm præſertim populum iam valde pauidum videret, & ex pauore fidem imminuturum aut amiſſurum metueret; cuiuſmodi exempla ſæpius in ſolitudine conſpexerat. Neque verò huiuſmodi ſenſus atque habitus principum populo cogniti & ſpectati parum adferre ſolent ponderis & momenti, ad impellendas ſingulorum mentes in eandem cogitationem, peccatiq́ admiſſi diſquiſitionem & agnitionem, & perſæpe deteſtationem obeundam: demum etiam culpæ expiationem procurandam, & deprecandam pœnam, diuinamq́ iram cõmunibus votis & ſupplicationibus placandam, & concitandam inuidiam in eos qui mali inferendi cauſam dederint: Quam quidem ob rem & publicis & priuatis rebus omnibus peſſimè conſulunt, qui in publicis calamitatibus, in acceptis cladibus, in ſeditionum initÿs, denique in turbatæ reipublicæ proſperitate, principes immoto animo, vultu geſtuq́ lapideo, ac planè ſenſu carentes præbere ſe docent, quòd ad grauitatem, auctoritatemq́ eam rem apprimè facere, & ad diuinitatem quandam oſtentandam conferre dicant: qua ſententia nullam ſtultiorem eſſe Moſes tabulis quas Deus fecerat & conſcripſerat ruptis, Dauid veſtibus ſæpe ſciſſis, ſæpe lugubri habitu conſpectus, Ezechias & alÿ optimi principes oſtenderunt, atque Chriſtus ipſe Dei filius qui videns ciuitatem fleuit ſuper eam. Neque verò vlla diuinitatis ſpecies eſſe poteſt in principe viro, in quo duris reipublicæ temporibus nullus humanitatis ſenſus appareat.

Molliſſima corda
Humano generi dare ſe natura fatetur; Iuuen. Saty. 15.
Quæ lachrymas dedit hæc noſtri pars optima ſenſus.
Quis enim bonus aut face dignus
Arcana qualem Cereris vult eſſe Sacerdos
Vlla aliena ſibi credat mala, ſeparat hæc nos
A grege mutorum, atque ideò venerabile ſoli
Sortiti ingenium, diuinorumque capaces
Atque exercendis, capiendiſque artibus apti
Senſum à cæleſti demiſſum traximus arce,
Cuius egent prona, & terram ſpectantia; mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus vt nos
Affectus petere auxilium ac præſtare iuberet.

Quin & Deus ipſe quem imitari principes iubentur, pro ratione ſcelerum, culparum, incommodorum & miſeriarũ vel mundi totius, vel populi ſibi delecti modo iraſci, interdum clamare & conqueri, orbémque concutere, ſæpe etiam miſereri dicitur. Atqui non diuini principis populiq́ miniſtri, ſed proterui hominis eſt, in turbatis rerum publicarum temporibus iram diuinam non agnoſcere, & ſibi atque populo metuere, deprecandamq́ procurare, exemploq́ ſuo tum populum impellere, tum ceteros reipublicæ miniſtros & ſummos viros in idem ſtudium pertrahere, ſicut Ioſue cui cum omnibus ſenatoribus populi primum conſilium fuit, ſacroſanctum locum petere, ibidemq́ coram arca, quæ Dei ſolium referebat, veſtimentis ſciſſis, cinereq́ capitibus lugentium ritu inſperſis humi procumbere, in eoq́ miſerando habitu ieiunis perdurare, quoad veniæ ac miſericordiæ Dei lux aliqua affulgeret, ceteris voto, & mente, atque communi ſtudio iuuantibus, ipſi ſummo populi duci atque prophetæ; ipſi, inquam, quem minima ſceleris pars contingebat, ipſi cui diuina aderat gratia & tutela, tamen vt populi afflicti capiti deprecatio concepta & perorata fuit ſapientiæ, affectus & humanitatis atque pietatis pleniſſima.

Et dixit Ioſue; Heu Domine Deus.

CALAMITATIS *illius atque maximè iræ diuinæ deprecationem continet oratio hæc, in eo genere quod iudiciale artifices vocant, atque in generis illius ſtatu deprecatiuo, de quo nos ad ſacrarum orationum explicationem abundè in Rhetoricis noſtris, quæ carmine iuuenes ludebamus, diſſeruimus. Eſt autem in hoc ſtatu magnum diſcrimen perſonæ apud quam oratur: quippe aliud eſt apud iudicem priuatum agere, qui præter ea quæ legibus præſcripta ſunt in manifeſtis cauſis concedere aut decernere poteſt nihil; aliud verò coram iudice eodemq́ principe, qui veniam culpæ & impunitatem exoratus dare poteſt, maximè cùm ipſe vel vnicè vel præcipuè fuerit offenſus. Huiuſmodi rationem oratio hæc obtinet facta à Ioſue ante Deum, ad quem & criminis cuiuſcunque illud eſſet (publicum autem, hoc eſt, ab Iſraele admiſſum eſſe oportebat, cuius vltio Iſraelem omnem attingeret) & offenſio pertinebat, & condonandæ pœnæ auctoritas referebatur. Et quoniam totius orationis finis erat miſericordiam mouere Dei, nullo commodiori exordio vti expediuit, quàm breuiſſimo vnius vocis tantùm, affectus dolorisq́ acerbiſſimi indicis, quem dolorẽ cogi-*

tatio excitaſſet rerum earum, quæ tota oratione diſſerũtur. Heu. *Hebraica lingua vox* A H A, *quam Latinus interpres in* heu *vertit, repentinum gemitum, eundemq; acerbum refert, vſurpaturq; frequenter in luctu & querela poſt cogitatam & æſtimatam rei quæ dolorem attulerit grauitatem. Itaque in lugubri argumentatione concluſionis vim obtinet. Vt apud Ieremiam: Et dixi, Heu, heu, heu, Domine, decepiſti populum iſtum & Ieruſalem, dicens, Pax erit vobis, & ecce peruenit gladius vſque ad animam. & apud externos ſcriptores, Heu, heu, fugaces, Poſthume, Poſthume, labuntur anni, &c. Itaque ipſa prima exordij vocula, & affectum dicentis, & cogitationem maturam atque argumentationem ſubeſſe indicat, eiuſq; partes ex perſona dicentis adferri ſignificat, hoc eſt, dolorem, & deprecationem cum argumentatione: ſed in huiuſmodi cauſis vnde commodiſsimè poſsint argumenta peti, altera exordij oſtendit pars, qua eius apud quem agitur mens & benignitas ad conciliandum petuntur, & iam pulſari incipiunt. Namque deprecator ex parte ſua nihil oſtendit aut protulit, præter dolorem, gemitum & querelam, quibus audientem tangeret. Cetera vero argumenta quibus orationis ratio omnis contexi poſſet, à perſona, natura, iudicio, & mente eius quem mouere & exorare ſtudebat produxit, duobus nominibus appellatis & veluti fontibus petitis, ex quibus dicendi copia paretur.* Domine Deus: *Duo nomina Hebraicè appellantur; alterum* A D O N A I, *quod dominationem, poteſtatem, poſſeſsionem, iúſque ſeruitutis ſpectat, huius relatiuum eſt Seruus. Alterum verò illud myſterijs plenum, tetragrammaton Græcis dictum, quod ad miſericordiæ rationes referri ſæpiſsimè oſtendimus. Vtrumque autem ſapientiſsimè eſt hoc loco à Ioſue appellatum; prius quidem, quo Deus non tam quid eſſent quídue mererentur Iſraelitæ, quàm quid ipſe ſibi apud eos adſcribere voluiſſet, reſpiceret, nempe dominationem & poſſeſsionem ſingularem & peculiarem familiæ poteſtatem, qua ſuam præſtantiam & in ſeruos ſuos curam egregiè præter ceteras orbis gentium nationes oſtenderet & probaret. quod quidem diuinum conſilium & propoſitum non propter eos qui electi eſſent, ſed propter eligentis ipſius gloriã, dignitatẽ & auctoritatem, vt foueatur, cõſeruetur, & promoueatur, poſcere atq. orare ſancti ſolent. Vt, Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

Ierem. 4.

Horat. Car. 2. Od. 14.

Pſalm. 115.

Itaque cùm Deum Ioſue Dominum *appellat, & orat vt dominium ſuum, ius auctoritatemq́; tueatur, populumq́; illum rem peculiarem & familiam ſuam eſſe meminerit, eamq́; conſeruare ſibi velit., cùm huiuſmodi cura Domini partes ſpectet, maximè verò Domini benigniſſimi, & miſericordiſſimi, & qui in illo populo præter cæteras gẽtes hoc nomine ſeſe cognoſcendum, colendum & prædicandum oſtendere probareq́; voluerit, ſicut ſcriptum eſt: Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, & in Deo omnipotente, & nomen meum* ADONAI *nõ indicaui eis. Pepigiq́; fœdus cum eis vt darem eis terram Canaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ. Ego audiui gemitum filiorum Iſrael quo Aegyptij oppreſſerunt eos, & recordatus ſum pacti mei; ideò dic filijs Iſrael: Ego Dominus educam vos de ergaſtulo Aegyptiorum, & eruam de ſeruitute, ac redimam in brachio excelſo & iudicijs magnis, & aſſumam vos mihi in populum, & ero veſter Deus; & ſcietis quòd ego ſum Dominus Deus veſter, qui eduxerim vos de ergaſtulo Aegyptiorum, & induxerim in terram ſuper quam leuaui manum meam vt darẽ eam Abraham, Iſaac, & Iacob, daboq́; illam poſſidendam vobis, ego Dominus. Hoc nomen* ADONAI *& Domini tam frequenter in promiſſo illo repetitum, illud etiam propoſitum de Iſraelitis peculiariter in populũ aſſumendis, vtrumque inquam ſignificat, & ratum firmumq́; probari poſtulat Ioſue duobus his nominibus productis & appellatis,* Domine Deus: *hoc eſt, Patrone, rex, poſſeſſorq́; noſter clemẽtiſſime & miſericordiſſime, hoc tantum te nunc oro, vt vtrumque hoc tuum nomen tibi aſſeras, quorum dignitatis, amplitudinis, atque exiſtimationis ſtudio magis adeò quàm priuatæ noſtræ rei tenemur nunc, & premimur. Iam verò his fundamentis iactis, oratio reliqua ſuperſtruitur, remotis & depulſis omnibus ijs rebus, quæ huic Dei propoſito & conſilio, atque vtrique nomini, minus conuenire, conſentaneæq́; eſſe viderentur.*

Exod. 3.

Quid voluiſti traducere populum iſtum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi & perderes?

DE *vniuerſa ratione argumentandi & orandi qua ſancti viri in ſcripturis vtuntur, plura aliàs & exactius Deo nobis propitio dicemus; nunc huius deprecationis loca & argumenta indicare ſatis fore ducimus. Eſt autem primus argumentationis locus à ſingularis prouidentiæ*

dentiæ ceſſatione, quæ planè aduerſari videtur celebritati & appellationi poſterioris illius ſanctiſſimi nominis IEHVEH. *Cùm, inquit, conſilium tuum fuerit, cum primis hoc diuinæ virtutis atque ſingularis prouidentiæ tuæ erga Iſraelem exemplum, huius etiam regionis gentibus oſtendere, idq́; maximo vno edito miraculo confirmare cœperis, id propoſitum à te iam omitti oſtendis, quæ res & nominis tui ſanctitati & admirationi apud aduerſarios obeſſe, & tuã in nos miſericordiam auertere videtur, & nobis quos benignè ſpontéq; tibi optaueras maximè nocet. Quod verò tuum hoc propoſitum fuerit, nempe magnæ erga non prouidentiæ oſtendendæ, manifeſtè condocet illuſtriſſimum illud miraculũ in noſtra Iordanis traiectione à te factum; neque enim tu vel minimam rerum omnium temerè aut præter conſilium & propoſitum facis. Quod cùm ita ſit, conſequitur manifeſtè magna facta geſtaq́; tua magnitudinis tuæ demonſtrandæ cauſa fieri: Ergo tranſitum illum quem nobis pateſeciſti & ſubſtrauiſti, voluntatis in nos tuæ probandæ cauſa paraſti: quod ſi non hoc propoſueras & adornabas, quid voluiſti traducere populum iſtum Iordanem fluuium illa inſigni admiranda & perpetuò celebranda traductione? Hic primus locus eſt ab aſſeueratione prouidẽtiæ oſtendendæ. Secũdus verò locus à repugnantibus per interrogationem, quæ in ſacris argumentationibus negationis obtinet vim;* vt traderes nos in manus Amorrhæi & perderes? *Cùm miraculum illud non fruſtra edideris, alteram ex duabus oportuit eſſe cauſam; vel vt nos ornares, promoueres & amplificares, quod propoſitum tuum fuiſſe affirmo; vel vt Amorrhæis nos perdendos traderes: hoc verò poſterius minimè conuenit; quippe traductio illa beneficio magno in nos collato adſcribenda eſt, non odio: nam quos poteras in aquis mergere ac perdere ſi odiſſes, vt Aegyptios iampridem perdidiſti: cùm ſaluos incolumesq́; traduxeris, nos elegiſſe potius ac dilexiſſe probaris, vt Iſraelitas eodem in maris tranſitu quo Aegyptij perierunt. Ex quo colligitur manifeſtè illud beneficium fuiſſe nobis factũ noſtri iuuandi, non Amorrhæos in noſtram perniciem excitandi & promouendi cauſa: nunc verò illos in nos conuerti, & inſurgere, & valere ſinis; ergo inſtitutum gloriæ tuæ interturbare aut deſtinere videris, quod à tuis illis nominibus alienum eſt, & à promiſſis etiam longè abeſt. Præterea verum hoc ex eo confirmatur, te videlicet non nos, per Amorrhæos, ſed contrà Amorrhæos*

rhæos

rhæos per nos perditum iri voluiſſe: Quod ſi illud alterum velles, illos potius Iordane aperto ad nos in deſerta loca vel ſaltem in confinia fluminis, quàm nos ex deſerto in illorum regionem traduxiſſes. Illud namque minori illorum fuiſſet incommodo, nihil enim ex rebus ſuis amiſiſſent, quas iam multas amittere cœperũt. Omnia argumẽta hæc eò tendunt, vt propoſitum ſingularis prouidentiæ probandæ Iſraelitarum cauſa firmatum oſtendat Ioſue, idq; promoueri, & eadem qua cœptum eſt ratione Dei gloriam apud gentes amplificari oret; quod tertia etiam amplificatione adiuncta confirmat.

Vtinam vt cœpimus manſiſſemus trans Iordanem.

HOC *etiam eò pertinet vt declaret & affirmet deprecator hic, tranſitum illum Iordanis, atque ingreſſum in Amorrhæorum regionem, diuina omnino voluntate deliberatum decretumq; fuiſſe, non ſingulari ipſorum voluntate, vel temeraria & populari appetitione, aut importuna efflagitatione: Nam præterquam quòd tranſitus miraculum hoc apertè declarabat, certiſſimũ erat & compertiſſimum, non exiguæ ipſorum parti, nempe Reubenitis, Gaditis & dimidiæ tribui Manaſſe, quibus idem promiſſum factum fuiſſet futuræ hæreditatis intra regionem Canaan, tamen optatas & fuiſſe vltra Iordanem ſedes, & conceſſas, in quibus tum illi ipſi libenter manſiſſent, niſi ſtipulationis repetitione & diuino mandato adſtringerentur. Et ceteræ tribus tam longæ iam peregrinationis & vagationis tædio in eadem regione quamquam anguſtiore vel in alijs vltra Iordanem cum fratribus ſuis manſiſſent, ſi Deo ita viſum probatumq; eſſet, maximè cùm toto tempore quo vltra Iordanem fuère in regionibus illis commorati, nihil vſpiam aduerſi & ſiniſtri tulerint, paſſiue fuerint, vt nunc iam traiecti ſentiunt & patiuntur: Neque quicquam admiſiſſe illic videantur quamobrem eiuſmodi incommoda malaq; acciperent: Deinde quòd nunquam negatus aut impeditus illis eſſet ille locus manendi vltra Iordanem, maximè poſt deletos veteres incolas, neque Amorrhæi id curaturi aut vlturi videbantur quod ad ſe non pertineret, ij inquam, qui citra Iordanem habitabant. Igitur cùm illic neque locus illis deeſſet, neque manendi voluntas, neque etiam aliquid vel vel mali admiſſum, vel incommodi acceptum eſſet, quod ad illos attinet, commodius illic hærere fuiſſet, qui nunquam de tranſitu Iordanis ſua ſponte aliquid poſtularunt. quod ſi citra Iordanẽ in Dei iram caſuri*

caſuri erant, & in eam calamitatem deuenturi in qua nunc erant: vtinã, inquit, manſiſſemus trans Iordanẽ! caruiſſemus hac occaſione et diuinæ offenſionis, & noſtræ miſeriæ incurrendæ. Colligitur hinc in argumẽtatione, illos, Deo volente, iubente atq. deducente, tranſiſſe. Quod ſi locus in cauſa fuerit vt illi in eã conditionẽ fuerint traducti, eã rem corrigere partiũ eſſe Dei, quo auctore tranſmiſſo Iordane in illã regionẽ deuenerint. Id autẽ corrigi poſſe clemẽtia, miſericordia, et declaratione cauſæ, atq emẽdatione errati, vel ſceleris expiatione, vt nihilominus propoſitũ Dei conſtet & progrediatur, qui ſuã in ipſos prouidentiam in regione illa oſtendere volens ex loco vbi libenter quieſcerent, ſi ſinerentur, ad eum, in quo erant, tãto miraculi molimine, tamq; per omnem regionem celebri fuère traducti. Solent huiuſmodi vota, cauſæ atque exceptiones & conditiones in lamentis dolentium & mæſtorum querelis audiri. ſic Moſes, viſa afflictione, & miſeria quæ poſt ſuam primam legationem populo aucta fuerat, reuerſus ad Dominum ait: Domine cur afflixiſti populũ iſtum, quare Exod. 5.
miſiſti me? ex eo enim quo ingreſſus ſum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum, & non liberaſti eos. Sic ex noſtris poëtis quidam cùm matris obitum lugubri threno proſequitur, eumq; aſtrorum efficientiæ adſcribit, aiebat,

Si læſura homines ſtellarum ſigna fuere, Ian. Panno. Thren. de morte matris.
Debuerat ſimplex ætheris eſſe color.

Sic itaque Ioſue hoc loco, ſi miſeria hæc nos hac in regione manebat, vtinam vt cœpimus mãſiſſemus trans Iordanem: quòd traiecerimus tui conſilij & beneficij fuit, quod ad laudem tuam promoueri in nobis poſtulamus.

Mi Domine Deus, quid dicam, videns Iſraelem hoſtibus ſuis terga vertentem!

ALIVM *etiam locum Ioſue ad deprecationem ſuam petit ab indignitate & pugnantia ex perſona Iſraelis, cuius tamen argumẽti vis & pondus ad Deum ipſum auctorem referendum ſit; atque eodem argumento locus ab effectis tractatur. Namque videri poterat nimius hic Ioſue dolor, nimiaq; turbatio & mæſtitia accepta; nimirum ex deſiderio triginta & ſex occiſorum hominum in tribus millibus, atq. plus mali in hoc eſſe quàm videatur, oſtẽdit Ioſue. primùm, quòd vel vnum ex tanto numero perire occiſum ab hoſtibus cum maieſtate illa*

b auctoa-

auctoritate & præſtãtia Dei nõ cõueniebat, qui ſe totius illius populi Dominum & appellauerit & præbuerit hactenus; cuius ſeruos & familiares non deceret ab inimicis ipſius Domini imminui & occidi; deinde non eſſe mirandum tam grauiter ab ipſo hæc fieri, quamuis videntur leuia, cùm tantum habuerint momenti ad turbandum totum exercitũ, cuius cura ipſe maxima tenebatur. Nam ſi maximè ille paucorum caſus ferendus eſſet, non poterat non vehementer permoueri & clamare impotenter, quiſquis videret Iſraelem totum, hoc eſt tria millia qui nomine Iſraelis illuc aſcenderãt, & ſatis ſuperq́; eſſe conſebantur ad delendam vrbem, adeò vt ſi alij omnes aſcenderent nihil efficerent præterquam ſeipſos laſſare, & tamen viderit Ioſue Iſraelem terga vertentẽ; hoc autem nõ poſſe negari, quia iam factum conſtat, & viſum ſpectatumq́; fuit: Iam verò indigniſsimũ & diuinæ electioni pugnans eſſe, Iſraelem terga vertere cuipiã homini vel genti. Nã qui ex Dei conſilio, iudicio & iuſſu appellatus fuerat Iſrael, atque appellationis ratione dictũ fuerat: Quoniam ſi cum Deo potens fuiſti, & cum hominibus, hoc eſt, nedum cum hominibus, eris potentiſsimus: hunc verò nunc terga dantem vidiſſe, quid dicendum? qui neque quondam fratri, neque ſocero, neque Deo ipſi ſecum luctãti, vel angelo terga verterit; in quibus exemplis tamen ratio aliqua honeſta eſſet: nunc verò omni illa fortitudine quæ à Deo ipſo facta erat, mutata, terga vertit hoſtibus ſuis, quibus hoc periculo facto & ſuperato animus augebitur gloriandi & iactandi virtutem ſuam; Iſraelem contemnendi occaſio etiam creatur, & irridendi nomen Iſraelis materia datur, ſæuiendi deinceps in illos maior offertur commoditas, ita rurſus ipſi Iſraeli, tum ex metu, tum ex violatæ gloriæ & felicitatis ignominia, tum etiam ex nouitate inſolitæ fugæ, animus demittitur, pudorq́; additur, fides atque ſpes turbatur, & opinio innaſcitur ſe eſſe à Deo deſertos, & nihil amplius experiundum cenſebitur, namque Iſraelitis ipſis hæc incommoda ex hoc periculo naſcuntur; & hoſtibus non ſolùm his proximis Amorrhæis, ſed ceteris omnibus longius habitantibus perſuaſum erit, nos quos hactenus tutatus fuiſti, nunc contrà à te deſertos ex illa fortitudine, quam maximam in nobis ex nomine tuo timebant, in magnam timiditatem redactos facillimè poſſe perdi, idq́; quamprimùm maximis coactis copijs expedire curabunt & efficere.

Gen. (margin)

Audient

Audient Chananæi & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circundabunt nos, atque delebunt nomen noſtrum de terra.

A V D I E N T: *namque fama volabit, & differet per omnem terram nuntium illum, Magnum Iſraelitarum exercitum à paucis Hay ciuibus fuiſſe fuſum, fugatum & cæſum: Augebit fama noſtrum numerum; eorum verò qui nos fuderint imminuet; vt ſit: atque hoc audito tantum, neque diligentius examinata re intelligent, nos à te deſertos, ipſiq́ occaſionem hanc capiendam cenſebunt antequam nos à te iterum in ſingularem tutelam ſuſcipiamur.* pariter conglobati circundabunt, nos atque delebunt nomen noſtrum de terra. *iámque nullus Iſrael in terra ſupererit, quem tamen tu, & tibi delegeras & perpetuò manere volueras, eumq́ eſſe decreueras per quem virtus, ſapientia, miſericordiaq́ tua ſingulariter in terra cognoſceretur: deleto autem de terra Iſraelis nomine, delebitur etiam illa quæ ad te pertinet nominis pars, vt ad ipſum nomen eſt relata; nimirum ſi nuſquam eſt Iſrael in terris, nuſquam vir potens cum Deo, neque etiam illud ſingulare exemplum virtutis Dei facientis homines potentes cum Deo: & cùm in hoc nomine magnum myſterium lateat illius tui conſilij arcani iam inde à principio maioribus noſtris indicati, quis nobis omnino extinctis & perditis futurus eſt euentus & exitus illius conſilij, quod tamen in hoc populo perficere atque publicè tandem edere decreueras?*

Et quid facies magno nomini tuo?

O R A T I O *omnis hæc argumentis conſtat ab honeſto ductis, quod nunquam eſſe poteſt niſi cum vera & ſolida vtilitate coniunctum. Vtilitas autem cùm de Deo loquimur, largè definienda eſt. Nam cùm Deus bonorum nullorum externorum egeat, vtpote ſibi optimus & ſufficientiſsimus, tamē poſt orbem creatum mundumq́ conſtitutum ſummam gloriam ſibi iure ſuo vendicat & exhiberi poſtulat, & alteri præter ſe non concedit. Quamquam verò illius gloriæ æmulator & hoſtis impudentiſsimus atque callidiſsimus Satan rationem veri Dei vel cognoſcendi vel legitimè colendi turbare in mundo ſtuduerit, & apud plurimas turbauerit gentes; tamen ſemper ſuam ſibi Deus reliquit, excepit & reſeruauit eccleſiam publicam in terris, eam tamen aliquando infrequentem, & aliquando verò refertam*

populo, in qua & ipſius nomen & numen verè cognoſceretur, ſiue per reuelationem, ſiue per familiarem traditionem, ſiue per ſcriptam doctrinam, ſiue per ſancti Spiritus efficientiam; atque etiam idem numen cognitum legitimè coleretur. Longum verò fuerit recenſere & explicare quēadmodum hoc ab ipſis mundi ac temporis initijs aduſq. Iſraelitarum ex Aegypto eductionem contextum & continuatū fuerit. Satis tamen clarè conſtat, Iſraelitas ad hanc rem fuiſſe vocatos, qui verum Dei numen atque nomen edocti cognoſcerent & tenerēt, qui legitimo cultu obſeruarent, qui conſilium illud admirabile de publica hominum ſalute arcanis rationibus communicatum donec explicaretur conſeruarent; quamquam quemadmodum explicandum eſſet non adeò apertè ſcirent, aut diſtinctè cognoſcerent, ſed tamē fide atque ſpe & ijs modis quibus creditum acceperant obſeruarent. Demum qui harum rerum omnium & aliarum quæ ad has referuntur ſacra myſteria diſciplinamq. ipſi inter ſe retinerent, & alijs gentibus doctrina, exemplo atque efficientia cùm opus foret, communicarent.

Iſa. S.S.E. Poſui te in lucem gentium, vt ſit ſalus mea vſq. ad extremum

Deut. 4. „ terræ. & alio in loco: Scitis quòd docuerim vos præcepta atque iuſtitias; ſicut mandauit mihi Dominus Deus meus, ſic facietis in terra „ quam poſſeſſuri eſtis, & obſeruabitis & implebitis opere. Hæc eſt enim „ veſtra ſapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſi „ præcepta hæc dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna, „ nec eſt alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes ſibi ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris, &c. Atq. cùm nos in ſacris libris illius magni Dei nominis mentionem factam legimus; quamprimùm mente & cogitatione in illud ſacroſanctum myſterium intuemur, quod ſæpe venerati celebrauimus, celebraturiq. ſumus, in arcanum inquam conſilium humanæ ſalutis iam inde à principio mundi promiſſæ, per vates ſubinde prædictæ, & tandem per Ieſum Chriſtum Dei filium in Iudæa atq. adeò ipſis Hieroſolymis effectæ, indeq. omni terrarum orbi communicatæ & communicandæ. Quippe hanc rationem omnem illud magnum Dei nomen Iſraelitis olim indicatum & creditum in ſe continet. Quod nomen vt ampliſſimè ſanctificetur, communibus, publicis & priuatis omnium diſcipulorum ſuorum votis optandum poſcendumq. Ieſus Chriſtus docebat. Igitur cùm in huius nominis honore, celebratione & ſanctificatione

magna

magna humani generis vtilitas conſiſtat, & Dei magna gloria in cælo in terris decantanda conſequatur; optimo iure ſollicitus eſt Ioſue, atque hanc rem præcipuè ſibi curæ eſſe oſtendit, ne nominis illius gloria, quam apud homines cōſtare & vigere oportet, vlla Dei ipſius indignatione interturbetur, maximè cùm ea omnia quæ in Iſraele ornando poſita fuerant hactenus, & miracula & beneficia, ad hanc magni nominis demum ſanctificationem pertinebant & referebantur. itaque hoc argumento propoſiti Dei de ſanctificatione nominis ſui tanquam firmiſsimo & efficaciſsimo poſtremo vtitur Ioſue ad pulſandam diuinam miſericordiam iramq́; expugnandam; quod & ex animi ſententia obtinuit. Eſt itaque nobis huius orationis explicatio illi perſimilis, quam in Habacuc commentarijs conſcripſimus, & huius poſtremæ interrogationis expoſitio: Quid facies nomini illi tuo Hab. 3. *magno cæteris gentibus non indicato, & minus etiam culto, quod & apud nos te indice cognoſcitur & colitur, & ad futuri tēporis etiam atque poſteritatis notitiam conſeruatur, apud quem populū coli hoc nomine voles, Iſraele perdito, qui eodem nomine apud Iſraelem coli volueras, decreueras, & conſtitueras? Quamquam verò noſtra res eademq́; maxima agitur, nihilominus ſi periclitemur, tuæ tamen gloriæ, ſanctificationisq́; nominis tui ratio maxima habenda eſt. Atque hoc de humana ſalute atque amplificatione ad auctoris ſui gloriam referenda propoſitum, quod nominis illius magni rationibus arcanis celatur, tanti momenti eſt, vt ſi purè, ſanctè atque ſincera fide appelletur, appellantem nunquam irritis dimittat votis, vt vel continuò patuit:*
" *Nam prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate: vo-*
" *luntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet vt*
" *ſaluos faciat eos.*

Dixitq; Dominus ad Ioſue, Surge, cur iaces pronus in terra?

DVRIORI *in cauſa ſancti viri Deū oraturi difficiles aliquādo, nonnunquā miſerabiles corporis habitus, geſtus & ſitus tenere ſolēt, atque conſtanter firmiterq́; ferre, quamquam laborioſiſsimos, vel ſua ipſorum dignitati minus aptos, quoad exorent atque poſtulata impetrent. Quam rationem qui plenius cognoſcere volet, ex noſtro Apparatu ſacro petet. Perſuaſum namq. pijs viris eſt, miſericordē Deum non paſſurum homines, quorum ſaluti ipſe conſulit, diutius vexari, potius poſtulata illis orantibus conceſſurum. Solēt enim homines, qui*

tamen ab humanitatis ſenſu alieni non ſunt, vehementer moueri vbi vel amicum vel grauem aliquem & bonum virum, vel honeſtam mulierem, vel miſerum denique hominem quempiam coram ſe vel genibus flexis, vel humi procumbentem & efflagitantem viderint, feſtinare, & oratione præſenti leuare, interdum etiam ipſi admota manu attollere, demum duranti & perſeueranti petita annuere potius quàm illam miſerandi indigniq́; geſtus ſpeciem ferre. Ioſue tantus vir Deo gratus præſente populo totus humi ſtratus iacebat. Pronum autem deſcribimus facie humi iacentem, qui habitus ſupplicum erat miſerabilis & difficilis latu etiam exiguo tempore; tamen ille perſeuerauerat vſque ad veſperam ieiunus, illo in habitu & geſtu, animóque in Deum intento tacuerat, dolorémque ſecum pertulerat & concoxerat, fidéque firma ac mente cogitãte precatus fuerat, tandémque in eam quam audiuimus deprecationem lingua quoque interprete proruperat. Atque hunc famuli ſui laborioſum & mæſtum habitum non diutius paſſus eſt Deus, ſed opportuno tempore, hoc eſt illo in deprecatione ſua ad locum eum deueniente, qui diuinam miſericordiam eximiè tangit & probat, hoc eſt ad mentionem propoſitæ ſalutis hominum per Chriſtum efficiendæ, reſpondit, Surge, cur iaces pronus in terra? *Orationem & deprecationem ſuauem gratámque ſibi fuiſſe indicauit Deus, cùm præſenti reſponſo exciperet; habitum verò illum laborioſum & mæſtiſſimum multum efficientiæ ad ſe permouendum reſponſúmque accelerandum habuiſſe oſtendit, hac interrogatione* cur iaces, &c. *huiuſmodi quippe ſententiæ oratio hæc eſt: Surge, non patiar te diutius ita iacere. Ex quo apertè confirmatur illud quod paulò antè diſſerebamus de indicio ſenſus principum, & demonſtratione affectus animi ex durioris rei cognitione: namque huiuſmodi habitus in hominibus pijs ex fide quoque proficiſcuntur. Neque verò iſtud reſponſum Dei incertum, obſcurum aut inutile fuit, ſed planè ſalutare;*
Pſalm.84 *cuiuſmodi omnia illius reſponſa ſunt. ſicut ſcriptum eſt: Audiam*
» *quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem*
» *ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor.*
» *Veruntamen prope timentes eum ſalutare ipſius. id quod exemplo hoc apertè confirmatur. Namque languenti Iſraelis corpori, ſalutarem ſeſe medicum præbuit Deus, morbíque cauſa atque initijs*

& gra-

& grauitate indicatis, quo nam pacto medicinam facere expediret, ipſe perdocuit.

Peccauit Iſrael, & præuaricatus eſt pactum meum, tuleruntq; de anathemate, & furati ſunt atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua.

H O C *diuino reſponſo docemur, nullam publicè inferri populis calamitatem, quæ non ſit iuſto Dei iudicio ob graue peccatum immiſſa. Cùm Ioſue in oratione nomen illud graue & amplum Iſraelis appellaſſet, ídque nunc iacere & languere quereretur; Mi Domine Deus, quid dicam, videns Iſraelem hoſtibus tuis terga vertentem? quòd tanto nomine per Deum impoſito indignum videretur: reſpondet Deus, languere quidem Iſrael, meritò autem languere, laborare, & ceteris hominibus atque adeò hoſtibus inferiore conditione eſſe, neque poſſe aduerſum illos, quia deſciuerit ab eo, à quo illi Iſraelis nomen & robur oriebatur, hoc eſt à Deo: namque nominis impoſiti lex & conditio fuerat, Si cum Deo potens fuiſti, & hominibus præualebis. Nunc autem cùm ille hærere Deo deſierit: non mirandum, ſi ab hominibus labefactetur ille Iſrael, cuius dignitatem tu tanti facis, quam ipſe (vtpote præ ceteris hominibus ornatus, auctus & amplificatus,) diligentius, purius, & ſanctius tueri conſeruareq; debuerat, ſed tamen turpius, grauius & impotentius polluit & contaminauit, non vno tantùm crimine, ſed pluribus & fœdiſsimis ſeſe implicans. Quippe Iſrael ſemen ſanctum, cui ego prædixeram; Sancti eritis mihi, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter: tamen peccauit, & peccatum eorum qui mihi ſanctificati fuerint, grauius mihi eſſe vindicandum præmonueram: Sanctificabor in ijs qui appropinquant mihi, & in conſpectu populi glorificabor. Atque ſi graue eſt peccaſſe Iſraelem in ijs qui illi vt Iſraeli ſingulariter erant obſeruanda, deliquiſſe grauius multo eſt.* & præuaricatus eſt pactum meum. *Sanctitudinis & obſeruantiæ pactum ipſi à me commendatum præuaricatus eſt. Conſtitutum namque fuerat fœdere inter nos ferito, vt ille & ſuam & meam ſanctitatem obſeruaret, hoc ille ſe ſeruaturum receperat: Inter ſanctitudinis verò genera, vnum fuerat locorum mihi ſacratorum obſeruandum, quam ipſe Iſrael cultu dignam cognouerat, ſicut ſcriptum eſt:*

Leui. 10.

Terri-

Exod. 24. *Terribilis eſt locus iſte, &c. Populus verò Iſraeliticus omnia quæ à me ſibi mandata fuerāt, obſeruaturum ſe profeſſus eſt: Omnia verba Domini quæ locutus eſt faciemus: nunc verò cùm ego illi ſanctum eſſe hunc locum indicarim, & expreſſè cauerim mihi ſacrandum, & deuouendum, quod obſeruandum aliàs erat, quamquam ego ſingulariter non cauiſſem; tamen etiam nominatim exceptum tentarunt, & contaminarunt* pactum meum. *exponendum eſt vtroque modo, hoc eſt, in genere, anteà & nunc etiam ſingulariter cōſtitutum & ſanctum. Ioſue enim ex Dei conſilio & mādato omni loci atque rerum vſu illis interdixerat: idquod Latinè breuibus verbis,* pactū meum, *ſignificatum eſt; Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè eſt explicatum, Quod ego præceperam illi. Iam verò his tribus membris graueſcit valde atque augetur facinus; quòd peccauerit Iſrael, quòd pactum violarit, quod monitus & prohibitus tamen crimen admiſerit: Id verò ex genere ſuo longè eſt grauius & turpius, nam ſacrilegium apertum fecit:* De anathemate. *Quod cùm ſciret eſſe anathema, & anathematis ratione ipſa cognoſcatur, res anathemate damnatas igni deſtinari cremariq́; dignas eſſe, vel ſeponendas quæ cremari non poßint, tamen ille non ita putauit, ſed ſibi ſeruandas duxit: qua in re manifeſtè fraudauit veritatem rationemq́; rerum: hoc eſt quod adiungitur;* & furati ſunt atque mentiti. *Si enim illi furati eſſent, & clam direptas res igni priuatè cremaſſent, tamen ſacrilegij rei erant, & anathematis rationem peruerterant, quod publicè damnatum publicè cremari debuit, nedum cùm anathematis rationem fraudantes mentiti fuerint, ea quæ cremanda erant reſeruanda eſſe potius ducentes, atque anathematis res, in quemlibet etiam publicum vſum, vel etiam in nullum ſeruari nefas fuerat: quanto ergo magis nefarium ſibi ipſis in ſuos vſus capere? Deinde non tantùm hoc contemnere, ſed vnà cum alijs prophanis rebus miſcere & confundere, ita vt nō veriti fuerint ſuas res anathematis contactu deuotas etiam facere, vel id non ita fore exiſtimarint. Magna ergo pacti fœderis negligentia, magna etiā impudentia, audere res præſente Deo (cui ſacræ deuotaq́; erant) pro ſuis vſurpare, neque ſeorſum inter aliena vaſa, vel inter nulla ſeparatim potius abſcōdere, imò inter vaſa ſua, adeò vt deprehenſa res deliberatā audaciā arguat. Duo autem verba,* mentiti ſunt, & abſconderunt, *non vnam, ſed duplicem ſacrilegij materiam fuiſſe indicat:*

namque

namque mentiri, id eſt, contra veritatem definitionemq́, rerum agere, aliquid ſublatum fuiſſe ſignificat; quod cùm cremandum eſſet, non tamen fuerit crematum: huiuſmodi in genus materiæ quadrat verbum mentiti ſunt. *In aliud verò genus eorum quæ in ſacrũ ærarium ſeruari & deferri debuerant, quadrat illud alterum* & abſcõderunt: *id quod deferre debebant & reponendam erat in vſus ſacros, inter vaſa ſua in vſus prophanos abſconderunt. Atque huiuſmodi ſceleris euentum & effectum Iſraelis illius cum Deo & hominibus potentis infirmitudinem fuiſſe oſtendit Deus.*

Nec poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eosq́ue fugiet.

IMBECILLITATIS *timiditatisq́. huius cauſam non naturalem, ſed ex ipſa rerum conſentanea ratione factum indicat Deus. Nam vt non naturale erat Iſraeli à nemine vinci, ſed à Deo hoc habebat, ſic ſubducto hoc Dei præſidio eueniet, vt non poßit ſtare contra hoſtes ſuos in bello; ita vt neque ipſe pugnam aggredi poßit, neque ab ipſis oblatum prœlium ſuſtinere, imò eos fugiet. Quòd verò præſidio diuino deſtituantur, in cauſa eſt ſanctitatis defectus, quia Deus Iſraelem à ſanctitate alienum non agnoſcit, neque vt Iſraelem tuetur, nedum prophanatum & pollutum; quæ conditio communis etiam & prophana ceterorum hominum qui huiuſmodi ſcelere contaminati non ſunt, eſt longè deterior. Igitur hoc infirmitatis extremæ malum non eſt illis ſecundum naturæ humanæ curſum.* ſed quia pollutus eſt anathemate. *non ſolùm pollutus eſt, ſed ſacrilegio pollutus eſt: ſacrilegio autem duplici, rei cremandæ, atque etiam reponendæ, hinc illud Dei ſingulare præſidium eſt ſubductum.* Neq. ero vltrà vobiſcum. *pluraliter dictum eſt* vobiſcũ, *ad ſignificandum omnis Iſraelis corpus, & illud etiam beneficium indicandum ſingularis prouidentiæ Dei. Atque hic non negat Deus, aut ſubducturum ſe ait gratiam eam qua pijßimum quemque ex illo populo fouebat priuatè, vt Ioſue & Phinees ſacerdotem & alios, ſed illam Iſraeli omni adhibitam communiter, quam ſæpe commemorauimus, ſingularem prouidentiam, ideóque ait, Non ero vobiſcum. Verùm non ita prorſus negat ſe futurum cum illis, vt quamuis iratus tamen miſericordiæ non recordetur, & ad reconciliandum ſibi Iſraelem ianuam apertam relinquat.*

Donec conteratis eum qui huius ſceleris reus eſt.

DONEC *Iſrael anathemate pollutus ea ſeſe parte purget atque expiet, qua pollutus erat; atque ita reſtituta corpori ſanitate & puritate eo nomine quo totus Iſrael vnum corpus eſt, Deum ſibi placatum propitiumq́ reddat. Atque Deus ipſe cui maxima populi ſui cura eſt, oſtenſo iam Iſraelis morbo, & medicinam adhibere parat, & maturari curationem vult. Quoniam verò in curandis morbis* Hippoc Apho.1. *non ſolùm medicum præſtare ſe opportuna facientem, ſed ægrotum ipſum & aſtantes & ea quæ extra ſunt, omnia hæc proſpicit & diligenter curari iubet Deus.*

Surge, ſanctifica populum, & dic eis: Sanctificamini in craſtinum: hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael, Anathema eſt in medio tui Iſrael, non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus eſt ſcelere.

SVRGE: *Rem diligenter procurare iubetur ille qui Dei populiq́ miniſter publicus erat, idemq́ prophetæ fungebatur munere. Sanctificare autem populum, idem eſt quod Conuocare & ab omni alio opere ſemotum ad ea quæ iubebitur agenda publicè conuenire; ita tamen vt nullus, neque ſeruus, neque hoſpes, neque infans, neque femina vlla miſceatur, eo tempore quo ſanctificari iubentur, ſed tantùm ij cogantur, qui vniuerſalis concilij nomine & numero cenſeri poſſunt. Atque conciliorum cogendorum lex & conſuetudo à Deo inſtituta antiquiſſima eſt apud fideles, & in omnibus temporibus frequens fuit, quibus vt in commune conſuleretur, publicæ cauſæ oblatæ grauitas magnitudóq. poſtulabat. Duplex autem Concilij forma erat: plena altera, altera verò frequens: plena, in quam omnis Iſraeliticus populus conueniebat: frequens verò, in quam tribuum capita & familiarum proceres ſummo ſacerdote præeunte conuocabantur. Intererant etiam prophetæ, ſi quos eadem tempeſtate eſſe contingeret. Sed de hoc argumento aliàs nobis pleniùs & apertiùs Deo aſpirante eſt agendum. Nunc ſatis erit ſignificare hoc vniuerſalis concilij per Ioſuam Deo auctore indicti exemplum. Cur verò in craſtinum ſanctificari voluerit, cùm præſentes omnes eadem die eſſent, & vt quàm maturrimè id fieret, inſtans poſtularet calamitas, complures reddi poſſunt rationes: tum quòd ad tantam rem maius temporis exigere-*

tur ſpacium, quàm quod hora illa dare poſſet, vtpote iam intempeſtiua ipſo noctis crepuſculo; tum quòd ad diſtinctionem & conſtitutionem tribuum & ordinum lux opportuna eſſet, contrà verò importunæ tenebræ, maximè verò quòd neminem oportebat concilio non intereſſe ex ÿs qui ad eam conuocationem cenſerentur idonei; id quod cognoſci noctu non facilè poterat. atque is cuius conſcientiam audita cauſa pupugerat, libenter elabi, occultaríque lateréque ſtuderet, noctu ſi res ageretur, id quod interdiu facere non poſſet, vel ſi faceret, tamen hoc ipſo ſeſe prodidiſſet. Demum quòd res illa omnis magni ponderis grauíſque eſſet & pluribus actionibus pertractanda, quibus noctis tempus minimè aptum eſſet, vtpote quod non hominibus ad agendũ, ſed feris ad quærendas ſibi prædas eſſet cõceſſum. Pſalm.
Ortus eſt Sol, & congregabuntur, & in cubilibus ſuis collocabuntur. "
Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſ- "
peram. Quod verò ad miſeriæ qua laborabatur depulſionem attinebat, ſatis erat illis remedÿ à Deo promiſsi & parati curariq́ iuſsi certa ſpes quæ fideles nunquam confundit. Igitur in craſtinum ſanctificari iubentur, atque denuntiati conſilÿ cauſam cognoſcere indice Deo, eodemq́ aſſeuerante. hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael. *Cùm à ſacris vatibus orationis formulam audimus,* Hæc dicit Dominus, *rem cauſamq́ grauem ſubeſſe intelligendũ eſt. Et non ſolùm argumentũ ipſum cognoſcere, ſed verba quoq. omnia diligenter obſeruare oportere, eſt credendum. Eſt autẽ oratio prima indicandi modo pronuntiata, quæ affirmationis vim habet. Maximè autem aſſeueratur illa præfatione,* hæc enim dicit: *Quippe Deus nihil vanum dicit, cùm impoſsibile ſit illum mentiri. ſed animaduertendum etiam eſt, qua auctoritate quóue nomine id pronuntietur, quod dicitur* Dominus Deus Iſrael. *His nominibus appellatis ſignificatur veritas, conſtantia; miſericordia & ſingularis prouidentia eius qui dicit, hoc eſt Domini: cuius nomen illud ſacroſanctum ſua lingua hic appellatur. Deinde Dei iudicis & gubernatoris ſummi hominum omnium, ſed qui peculiari pacto & modo ſeſe Iſraelitarum populo principem, gubernatorem & iudicem præbuerit, atque cauſam hanc ad omnem Iſraelem quem citat pertinere declarat. Itaque ille communis & ſingularis Iſraelis princeps ac tutor Iſraelem ad partes vocat & compellat; qua in re & ſuam curam, iuſtitiam atque*

benignitatem erga Iſraelem commendat, & apertè docet ſe non eſſe iniquum qui iram publicè neque priuatè inferat, ſed prouocatum, laceſſitum & offenſum id agere quod ſuam aduerſum Iſraelem & ſeueritatem & miſericordiam deceat, atque ita cauſam indicet, quamobrem ipſi Iſraeli auerſum ſe præbuerit.

Anathema in medio tui eſt Iſrael.

CRIMEN *grauiſsimũ Iſraeli obijcitur, quo cognito ipſe ſe meritò à Deo deſtitutum fateatur neceſſe eſt, vtpote officij pactiq; proditorem. Namque anathema in medio ſui habere & ſeruare, manifeſtum nefas erat atque Iſraëlis ſancti potentisq; apud Deum nomine indigniſsimum: opportunè verò hoc illis denuntiatum fuit nocte illa pridie quàm concilium cogeretur, idq; diuinæ prouidentiæ fuit; tum vt intelligeretur magna fuiſſe illius calamitatis cauſa, & nihil publicè mali aut incommodi inferri niſi à Deo iuſto iudice & publica offenſione prouocato; tum vt eos qui illius publicæ culpæ propria facti conſcientia non accuſaret, minor priuatæ, maior verò publicæ rei teneret cura & ſolicitudo periculi communiter depellendi, atque cupiditas cognoſcendi eum, cuius auſu & noxa tantum malum Iſraeli fuiſſet illatum. Demum vt is idem qui ſacrilegij illius ſibi conſcius erat, cùm intelligeret ſe à Deo deprehenſum, pœnitentiæ commodum ſatis haberet ſpatium quo ſe Deo ſupplicem præberet, & admiſsi flagitij culpam ſponte confiteretur coram ijs, qui eius rei legitimi miniſtri erãt, videlicet ſacerdotibus & Propheta Ioſue, & populi plagam atque calamitatem, quam ipſe attulerat, manifeſtatione ſui auertendam curaret, maximè cùm ſciret indicata à Deo cauſa latere ſe non poſſe. Itaque vtriſque tam noxijs quàm innocentibus vtilis erat illa cauſæ declaratio, ſi vtrique illius vſum capere ſcirẽt. Idem igitur qui morbum Iſraeli declarat, grauitatem vimq; morbi exponit, & quonam pacto curari expediat, ſubiungit.*

Non poteris ſtare coram hoſtibus, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus eſt ſcelere.

NON *poteris ſtare.*] *Antitheton eſt illius præſtantiæ Iſraeliticæ. Namque Iſrael, qui nec hominibus vnquam ceſſit, nec ab angelo in luctatione ſuperatus eſt, nõ poterit ſtare; hoc eſt recto habitu conſiſtere coram hoſtibus, à quibus clementiæ nihil expectandum; non tamen perpetuum & proprium hoc malum fore ait ille qui non vult mortem*

pecca-

peccatoris, quiq́ Iſraelis ſalutem & curat & efficit, ſicut ſcriptũ eſt: "
Perditio tua ex te Iſrael; ſalus autem ex me. ſed remedium adhiberi "
& modum illi labori poſſe affirmat & indicat. donec deleatur ex te qui hoc contaminatus eſt ſcelere. *Hoc eſt anathema ipſum, cuius communicatione Iſrael omnis erat contaminatus. Namque Anathematis raptor pro anathemate habebatur; vt paulò pòſt docebimur.*

Accedetisq. manè ſinguli per tribus veſtras, & quamcumque tribum ſors inuenerit, accedet per cognationes ſuas, & cognatio per domos, domusq́ue per viros.

DE *ſortium ducendarum generibus, iure & euentu, plura nobis dicenda erant, quæ commentationis breuitas prætermittere ſuadet. Tantum hoc hîc adnotandum eſt, in criminalibus cauſis nõ eſſe ſorte vtendum, niſi ex diuino iuſſu, ſicut hîc à Ioſue eſt obſeruatum, qui in crimine incerti auctoris, non ſua ſponte, ſed à Deo iuſſus ſortis iudicium inyt, certus & perſuaſus in ys quæ decreta à Deo fuerint, nihil fraudis, erroris nihil poſſe ſubeſſe. Quòd verò manè iubentur accedere, ad diligentiam & ſtudium pertinet: ea enim quæ nobis curæ ſunt, tempeſtiuè inchoamus: ex qua ratione illa ſunt, Quoniam ad te* Pſalm. 5.
orabo Domine, mane exaudies vocem meam, manè adſtabo tibi, & vi- "
debo, &c. Iam verò illa ſortis ducendæ repetitio & ſeries hoc loco "
decreta & poſtea obſeruata, diuinæ prouidentiæ argumentum erat apertiſſimum ab ipſo initio ad exitum vſque adeò conſtanter productum. Sors autem ducenda erat ſacerdote ſummo præſente, atque illud ſacrum geſtamen inſpiciente; quod VRIM *&* THVMIM *dicitur: de quo nos in Apparatu ſacro agebamus. Ea enim quæ ex illo relata ſunt, certiſſima omnia fuere.* & quamcunq. tribum ſors inuenerit. *Sortis huius auctoritas non caſui, non fraudi, non hominum voluntati aut calliditati, ſed Deo tribuenda eſt, vt hîc tribuitur; vt ex Hebraica, Chaldaica & Græca lectione conſtat. pollicetur namque Dominus ſuum in ea re iudicium oſtenſum iri.* per cognationes, cognatio per domos, domus per viros. *Tribuũ diuiſio duodecim partes continebat: deinde ſingularũ tribuum partitio ad certas familias referebatur eorũ qui à ſingulis patriarchis progeniti fuerãt. familiæ ipſæ in domos diducebantur; ſic facilè ſingulorum ratio in*

frequentiſſimo illo populo haberi poterat, redactis in indicem nominibus per eos qui vel tribuum proceres vel familiarum duces habebantur. Atque hanc generis & familiarum rationem, præterquam quòd in illo populo haberi conſtituerat Deus, ad promiſſorum ſuorum certum euentum, in omni republica commodiſſimam eſſe antiqui cenſuerunt, cum ad multa alia, tum verò ad morum & diſciplinæ conſeruationem, atque ad mutuæ charitatis exercitationem. Nam quæ ex huiuſcemodi diſtinctionibus naſcuntur ſimultates & cõtentiones, eæ præter naturam ſunt à Satan in mundum inductæ, & coniunctionem ſocietatemq́ hominum inter ſe corrumpunt, & diſſipant, tantum abeſt vt tueantur.

Et quicunque ille in hoc facinore fuerit deprehenſus, comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua: quoniam præuaricatus eſt pactum Domini, & fecit nefas in Iſrael.

V N I V S *ſcelerati iuſtiſſima legibus iam diu ſancita pœna omnem contaminati populi contagionem expiari clementiſſimus voluit Deus; ſic tamen, vt omnium deteſtatione facinus damnaretur; atque ita cæteri Iſraelitæ omnes, & immunes ſeſe ab hoc crimine oſtenderent, & illo exemplo ſibi in poſterum publicè priuateq́ cauerẽt. Erat autem contaminata domus omnis eius qui nefas admiſerat, eodemq́ iudicio damnata cum anathemate. Atque lex de hoc genere rerum cauendo lata ſic habet: Neque inferes quippiam ex idolo in domũ tuam,* Deut. 7.
" *ne fias anathema. ſicut & illud eſt quod nos legimus, ex idolo; Hebraicum verbum vtpote amplius & latius execrãdum & abominandum ſignificat, atque idem cũ anathemate eſt.* Quoniam præuaricatus eſt pactum Domini. *Duplex culpa vtraque grauiſſima; altera pacti Domini violatio, quam tametſi nulla publica populi calamitas conſecuta fuiſſet, morte tamen oportuerat lui ex anathematis lege. Altera verò nefas in Iſrael factum, hoc eſt clades illa allata aduerſus nomen, firmitudinem, et fortitudinẽ Iſraelis, ex quo triginta ſex viri etiam citra pugnam ceciderant; ita vt illa Iſraelis ſanctitas huius ſacrilegi ſcelere contaminata fuerit, atq. rerum publicarum perturbatores, & labefactatores impietatis & proditionis iudicijs obnoxij ſint. Nomen pro quo Latinè legimus Nefas, Hebraicè eſt* N E B A L A H, *atque à verbo* N A B A L *deducitur, quod Labefactari, ruere, cadere, et peſſundare, alijsq́ huiuſmodi ſignificationũ Latinis verbis reſpõdet. Atqui*

vera

vero ſimillimum eſt, Iſraelitas illius noctis bonam partem in precibus, ieiunio alijsq; pijs actionibus poſuiſſe, expectaſſeq; auidè poſteram lucem, qua Deus detecto ſceleris auctore, & vlto fœderis iure, ſeſe clementem illis redditurum ſpem fecerat.

Surgens itaq. Ioſue manè, applicuit Iſrael per tribus ſuas, & inuēta eſt tribus Iuda, quæ cùm iuxta familias ſuas eſſet oblata inuenta eſt familia Zare: illá quoq. per domos offerens, reperit Zabdi, cuius domū in ſingulos diuidens viros, inuenit Achan filium Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda.

OPTIMI *ducis cura atq. ſollicitudo de populi ſalute in Ioſue conſpicitur exemplo, qui primus omnium indicatur manè conſurrexiſſe, conuocatumq; concilium atq; ſuis ordinibus diſtributum ſortibus ductis examinaſſe; quarum ſortiū continuata ſeries tanta proceſſit conſtantia vt facilè auctoritatem diuinā probaret. Primum enim ducta per duodecim tribus ſorte, hoc eſt nominibus tribuum ſingularū in vrnam coniectis, educta, ſiue vt Hebraicè,* deprehēſa fuit Iudę tribus. *Iudæ autem duæ familiæ primæ relictæ fuerant ex Thamar ſuſceptis liberis Phares & Zareh, quē aliàs Zaram à Latinis & Græcis nominari ſcimus. Deinde per familiæ domos & capita ad Achan vſq; deuētum, qui ex primaria atq. celeberrima tribu quāuis prognatus eſſet, tamē facinus in familiæ opprobriū & populi totius perniciē ſuſcipere non eſt veritus. ex quo manifeſtum fit virtutis veræ rationem nō natura & genere, ſed doctrina, ſtudio atq. moribus cōſtare. Deinde illud docemur, eū qui patriæ malum intulerit, quacunq; ex gente familiáue is fuerit, proditorem eſſe cenſendū, & nulla parentum ratione habita eſſe ex populo abſcindendum: Cuiuſmodi pœnam ſæpe leges imponūt. Et abſcindetur vir ille de populo ſuo. Neq. verò ab antiquis ignominia reliquæ familiæ inurebatur, niſi fortaſſis facinoroſi hominis ſcelus defendenti, quod rariſſimi exempli fuit, vti loco videbimus ſuo.*

Et ait Ioſue ad Achan, Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael.

NON *vna tantùm reddi poteſt ratio, quamobrem deprehenſum Achan ad confeſſionē induxerit Ioſue. Primùm enim Dei ſingularem prouidentiam & iuſtiſſimum iudicium, facti expoſitione & præſentibus hominibus & poſteritatis memoriæ probari oportuit, ideoq; Ioſue gloriam Deo dari poſtulat: Deinde ne huius viri, cuius vita hæc*

mortalis

mortalis damnata erat, ob contumaciam & impœnitentiam, animus etiam æternis deſtinaretur pœnis, diligenter hoc Ioſue ſatagebat & curabat, vt ne ille deſperaret, néue ſe omnino à Deo repellendũ exiſtimaret, neque ab Iſraelitarũ communione, quod ad ſpiritualẽ etiam rationem attinet, excluſum putaret, ideoq́; pijs, blandis & charitatẽ indicantibus verbis cõpellatur, fili mi. qua oratione optimi, clementiſſimi, & de ſalute publica valde ſolliciti, nõ tamẽ à charitate, clemẽtia, miſericordia etiã in ſingularem ſacrilegũ alieni ducis imaginem intueri eſt, qui id maximè vellet, ne quis corruptũ in populo exemplum ederet. Quod ſi aliquod forſan indignũ extiterit, factũ oderit, hominem tamen non oderit; imò quo grauius damnatũ ſciat, eo clementius, blandius & humanius alloquatur, caueatq́; cũ pœnæ metu & ſenſu dolorẽ miſero opprobrijs durioribusq́; verbis exacerbare, et agnitã legis æquitatẽ contumeliæ iniquitate acerbam odioſamq́; reddere. Namq. hoc pacto is qui dãnatur, & culpã ſuã attẽtius cogitat, & iure ſe dãnatũ agnoſcit, et odij nihil aduerſum iudices aut miniſtros cõcipit, ac totũ ſe ad diuinã miſericordiã animi ſalutis cauſa implorandã cõuertit. Demũ quamquã ſors diuinitus ducta tot rebus antea præeuntibus ſatis fuerat ad hoc ſingulare indiciũ edendũ, neq́; aliàs Iſraelitarũ legibus propria hominis confeſſio capitale ſuppliciũ adferre poſſet, vbi teſtes deeſſent legitimi: tamen huiuſmodi confeſſione opus fuit vnà cum ſacrilegij deprehenſione ad eorum infringendas defenſiones qui vel propter gratiam, neceſſitudinémue hominis, vel propter leuem iudicandi temeritatem cauſari & excipere poſſent, ſortium non vſque adeò certum eſſe iudicium: quandoquidem euenire poſſet, vt ſi Ioſue inter duos planè innocentes ſortem iaciẽdam curaret, alter tamen ex illis comprehenderetur, ídque potuiſſe Achano accidere. Igitur ad ſortis indicium ipſius deprehenſi manifeſtatione adiuncta, omnem dubitandi, cauſandi & obloquendi anſam populo præſcindendam cenſuit Ioſue, & miſeri hominis ſaluti æternæ procurandæ, hoc etiam pacto ſua ex parte conſulendũ duxit. Duo autem poſtulat; alterum, vt pietatem ea parte quæ Deum reſpicit inſtauret: alterum, vt Iſraelitarũ, hoc eſt eccleſiæ ſuæ à ſe conturbatæ rationibus ſatisfaciat. Atque ita vtrique offenſæ parti debitum exhibeat officium. Da gloriam Domino Deo Iſrael. *Vnica oratione triplex officium faciendum ſignificatur, & ſuadetur, erga Deum primùm, deinde erga*

totam

totam rempublicam, atque etiam erga ſeipſum. Gloriæ vocabulum quod Latinè legimus, hoc loco Hebraico reſpondet KABOD: *quod non ſolùm verbis Colere & venerari, ſed rebus officijsq. proſequi ſignificat, vt fuſius explicabimus cùm de Dei veneratione & gloria atque parentum honore eo modo diſſeremus, quo in Tridentino Concilio diſſerebamus, cùm de clandeſtino ageretur coniugio. Igitur non tantùm verbis teſtari iubet, atque aſſeuerare ea quæ ablata ab ipſo fuerant, Dei eſſe: ſed etiam res ipſas reddere quamprimùm, neque ſinere vt anathema quod Deo ſacrum deuotumq. erat, in cuiuſquam poteſtatem vſumq. deueniret. ideò vſus eſt Interpres noſter verbo Da, quod ad res & ad orationem Latinè quoque vſurpatur: vt*

Da propriam Thymbræe domum, da mœnia feſſis. & Aeneid. 3.
Sed tamen iſte Deus quis ſit da Tityre nobis. Eclog. 1.

Voluítque Interpres hoc verbo Hebraico SIM *pondus reddere, quod & verbis & rebus accommodetur. Eſtq. ſententia & oratione, & re ipſa. Id quod Dei apud te eſt reſtitue quamprimùm, & expone ante illum: atque hoc tribus nominibus conſideratis et conſeruatis,* Domino Deo Iſrael. *Quorum primum miſericordiam cum prouidentia ſingulari coniunctam indicat, quas Deus erga Iſraelem probauit; quo nomine appellato ipſe etiam ſalutem ſuam, hoc eſt veniam à Deo, & cupere, & poſcere & ſperare monetur, vt cogitet ſe ex Iſrael eſſe, atque apud illum agere, qui ſe miſericordem & fautorem Iſraeli præbuerit, iuſtumq. eſſe exiſtimet illi ſuum anathema reddere, qui tot beneficijs & Iſraelem communiter & priuatè ipſum Achan obligauerit. Cogitet igitur & illi ſuum eſſe reddendum anathema, vt clementi & miſericordi, qui non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur. Cogitet etiam eundem Dominum miſericordem erga Iſraelem Deum etiam eſſe Iſraelis, hoc eſt Principem, Iudicem & Gubernatorem ſapientiſſimum, & iuſtiſſimum, paritérq. potentiſſimum, cui iiſdem etiam nominibus anathema ſepoſitum reddere debeat: indignum enim, & nefarium eſt, vt priuatus & profanus homo iis abutatur rebus quæ Princeps, Rex, idémque Gubernator, atque adeò Deus ſibi ſacrarit & ſegregarit. Atque hoc modo agnoſcat illius ſapientiam qua facinus cognitum deprehenſumq. eſt: agnoſcat ſeueritatem, quæ in omnem Iſraelem ipſius vnius ob noxam & audaciam animaduertere cœperit: agnoſcat voluntatem qui*

reddi ſibi ſuum anathema voluerit, & poſtularit, eo conſilio vt Iſraeli demum parcat & medeatur, eo membro ſublato cuius vitio tota contaminabatur ſocietas, atque adeò Iſraeli omni, cuius pars ipſe eſt, officio à ſe faciendo conſultum eſſe velit. Neque ſecum perdere ceteros pergat, neque à ceteris diuulſum exiſtimet, ſed Deo tradat vt Iſraelis iudici atque gubernatori, ab eodémque poſcat vt in ſe id ſtatuat, quod ex gubernationis, & iudicij ratione iuſtum fuerit; ita tamen, vt iudicem ſe & Dominum pariter, hoc eſt miſericordem, ipſi exhibeat. ſic breuiter exponimus orationem illam Da gloriam Domino Deo Iſrael. *Vt re ipſa exhibita & cogitatione atque oratione ſatis detur ſatíſque præſtetur, idq́, reſtituatur Deo quod Dei eſt. Deinde etiam monetur*, & confitere. *Confitendi verbum hoc loco, & manifeſtationem proprij debiti ac delicti, & laudem atque celebrationem diuinæ virtutis, ſapiētiæ et miſericordiæ ſignificat: vt ipſe cogitatione & oratione in Deum conuerſus, agnoſcat ſuam ipſius culpam, & ſceleratam mentem qua auſus fuerit tantum Dominum Deum Iſraelis offendere, eáque rapuerit in ſuos vſus, quæ quia Deo ſacrata erant, & publicè etiam ſancta appellata, ipſe ne tangere quidem iure ſuo aliquo potuerit. itáque* confitere *refertur ad ea nomina quæ præceſſerunt; ſicut Hebraica, Græca & Chaldaica lectio indicat.* Da ei confeſſionem. *ei, vt Domino, & vt Deo Iſrael. Atque hac dicendi figura*, da ei confeſſionem, *cui Latinum, confitere, hoc loco reſpondet, non ſolùm confeſſionem cum laude ſignificauit Ioſue, ſed ex rebus proprijs etiam Achan expiationis cauſa reddere obligatum Achan pronuntiauit. Nam quæ de damno illato, vel commodo ſubducto expiando leges latæ ſunt, hæ voces* ADAH, THODAH, *frequenter vſurpant, pro quibus Interpres noſter Agere pœnitentiam pro peccato vel gratiarum actionem interpretatur pro locorum ratione atque vſu: atque quicunque huiuſmodi damni ſe obligatum ſentit, offerre de rebus ſuis vel ouem, vel capram, vel turtures, vel columba-*
Leuit. 5. & 6. *rum pullos vel aliud iubetur, vt ſuis obſeruatur locis. atque ita Ghacan, vtpote rei ſacræ raptor, & raptum reddere, & ſuis etiam rebus deuotis peccatum cōfiteri, & Dei iuſtitiā agnoſcere iubetur. Iam verò præter cōfeſſionē illā quæ Deo debebatur, alterā exigit Ioſue expoſitionem facti ſibi ſeorſum faciendam, quam expedientiſſimam cenſet ad*

ſet ad rei cognitionem, & ad comparationem euentus, cum diuino reſponſo. Deinde etiam ad exemplum deinceps illius rei in populo ſtatuendum, vt cùm cognoſcatur apertè cauſa quamobrem Deus ita in omnem populum animaduertere cœperit, & ſibi vnuſquiſque & publico incommodo caueat. Poſtulat verò ſibi tantum ſeorſum indicari, vt minori pudore affectus homo, quàm ſi publicè proderet, rem omnem apertius & ſimplicius declaret: deinde quòd intelligat huiuſmodi reorum confeſſiones nō eſſe publicè extorquendas. quæ ſi vulgo audiantur, varios rumores & ſermones excitant pro ſingulorum, vel affectu erga reum, vel erga Principem, atque etiam pro ingeniorum varietate, leuitate, ac temeritate. demum nequid agi ab aliquo ex audientibus poſſit, vel ex odio, vel ex ſtudio eius qui confitetur, quod rei ſimplicitatem & veritatem turbet aut obſcuret. Fit etiam plerunque, vt qui nulli alij mortalium ſua facta indicaret, principi tamen duci, iudicíque legitimo aperiat, quòd eam publicis muneribus & Magiſtratibus auctoritatem impertitus fuerit Deus, quam conſcientiæ non proditæ neque cōtumaces agnoſcant & venerentur, maximè cùm is qui publico fungitur magiſtratu, ſeſe æquum, humanum veræq́ patriæ patrē præbet, Ioſue exemplo, qui nefarium hominem, & grauiſſimo adſtrictum ſcelere, atq. Iſraeliticæ ſanctitudinis contaminatorem, famæ & opinionis proditorem, fortitudinis euerſorem, tamen humanè & amanter allocutus appellarit, fili mi, atque ea hortatus monuerit quæ moneri tum populi totius tum ipſiuſmet ſalutis intereſſet, & oratione conſolationis atque hortationis plena acceperit: id quod Hebraicè ſcientibus apertius etiam oſtendunt voces NA *&* VAV, *non ſemel repetitæ. Iam verò quàm ſtudioſè pudori ruboriq́ illius conſulit? qui dicit,* indica mihi. *item quàm prudenter & iuſtè, nudam apertamq́ narrationem poſtulat* quid feceris. *namque criminis grauitas & magnitudo iam à Deo fuerat indicata; nunc verò ipſius rei ſimplex narratio & expoſitio exigitur, non aucta, ne quid ille amplius quàm fecerit, neu ſe excuſet, alium accuſet, néue quid prætermittat, vel diſſimulet, vel colore aliquo velet, deniquè factum ſibi nudè indicet. Atque non ſolùm verbis & oratione, ſed reipſa ſibi poſtulat indicari factum; hoc eſt detecto anathemate, vt detectio ipſa expoſitionis probet veritatem, & puritatem profuturam ſibi ad miſericordiam impetrandam, ad Iſraelitarum ſententias*

componendas, ad iuſtitiam Dei oſtendendam, & ad alia omnia quæ illo in loco conſtituto homini expedire exiſtimantur, atque adeò ad verum Iſraelitam, in quo dolus non ſit, agēdum: hoc eſt quod addebat Ioſue, ne abſcondas. *Tam de re quàm de oratione hoc verbum Abſcondere hic interpretamur: ne quicquam oratione addat aut excipiendum cogitet, ſed & verbis ipſi omnia enumeret, & vnde repeti poßint res, locum indicet ſibi non minus quàm patri: quippe patrem ſe non ſolùm patriæ publicè, ſed ſuū priuatè cenſeri oportuerit, tum ex munere ipſo quod ſuſtineat, tum ex appellatione illa* fili mi. *Atq. Principum & Magiſtratuum ſtudium, cura & oratio huiuſmodi ad verum inueniendum atque ad iudicium componendum quàm ſit efficax, apertè declarat deprehenſi hominis huius rectè conſideratum exemplum.*

Reſponditq; Achan Ioſue, & dixit ei, Verè ego peccaui Domino Deo Iſrael.

AMPLIVS *etiam quàm poſtularat Ioſue illa ſuaui & clementi interrogatione & exhortatione obtinuit. Namque is quidem monuerat Achanum gloriam Deo dare & confiteri, quod ipſe ſecum facere poterat. Petierat etiam vt ſibi factum narraret, & rem ipſam indicaret. Obtinet autem primùm gloriæ Dei manifeſtationem, non ſolùm intra ſe, ſed ipſi Ioſue factam. Nam illi reſponſum atque dictum legimus: Verè ego Achan vnus ex Iſraelitis peccaui, etſi peccatum meum hominibus omnino celare ſtudui, & illis ex ipſorum rebus abſtuli; nihilominus tamen Domino quem offendere nefas piaculúmque fuerat, vtpote miſericordi & proſpectori maximo, eidémque Deo principi & gubernatori Iſrael peccaui, cuius prouidentiam & ſapientiam fallere non potueram, cuius maieſtatem venerari & colere, cuius ſanctitatem obſeruare debueram; ei ego Iſraelita peccaui in perniciem & opprobrium totius Iſrael. Atque hanc confeßionem ſceleris tum aduerſus maieſtatem Dei, tum etiam aduerſus Iſraelis ſanctitatem admißi ipſe idem Achan nondum etiam denuo rogatus confirmat: quam confirmationem in omni crimine iudiciali eſſe atque neceſſaria cenſetur. eſt verò confirmatio,* & ſic & ſic feci. *Vno facto ſe duplicis offenſæ reum eſſe ait; alterius aduerſus Deum, &* ſic. *alterius verò aduerſus publicam Iſraelis rem, &* ſic: *ſignificat etiam iiſdem vocibus ſe omnibus*

nibus criminibus à Deo indicatis alligatum teneri. fuerant autem crimina, Peccauit, Præuaricatus eſt pactum, Tulerunt de anathemate, & furati ſunt atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa: quæ omnia ſic habere Achan confirmat, atque facti expoſitionem manifeſtat.

Vidi enim inter ſpolia pallium coccineum valde bonum & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumq; foſſa humo operui.

SACRILEGII *pondus grauitatemq́, animi impulſus vt cetera etiam ſcelera auget. Nam quicquid per errorem admittitur, alijs nominibus longè leuioribus iudicari ſolet, quàm id quod deliberato conſilio certóque ſtudio ſuſcipitur. Primum itaque Achan confitetur certam & planè ſibi cognitam Dei rem fuiſſe ablatam, dum ait,* vidi: *non caſu vel temere, ſed attentè. id quod vocabulum Hebraicum indicat: ad eandemq́, rem illud magis facit, quòd inter ſpolia ſibi viſa dicat, cùm ſciret omnibus vrbis illius ſpolijs omni Iſraeli fuiſſe interdictum, ipſe verò viſa ſibi hæc non ſeorſum, vt ambigere poſſet, an ad ſpolia attinerent, ſed inter ſpolia ipſa vidit: hæc ad animi deliberationem & attentionem faciunt, illa verò rem ipſam explicant.* pallium coccineum valde bonum. *Veſtimentorum quorum in ſacris libris antiquíſque linguis mentio fit, varia forma; materia ferè triplex eſt, ad ſummum quadruplex; eorum inquam quæ textoris arte conſtabant. De quibus nos aliquando quæ obſeruauimus, ad publicam vtilitatem exponemus. Atque veſtis huius, tum materies, tum forma, quæ Hebraicè dicitur* ADERETH, *noti apud Iſraelitas veſtimenti genus fuit, quo principes vtebantur viri: quod ad materiam attinet, ex Sinear regione tanquam pretioſiſſimum commendatur; ita enim veſtes à regionibus in quibus vel conficiuntur vel inficiuntur, laudem mereri cognouimus. ſic Tyrias, Tarentinas, & Bethicas lanas legimus. Sinear verò Chaldææ regionis pars eſt. hanc laudem coloris notatione rectè expoſuit Interpres noſter* coccineum valde bonum, *Chaldæus explanator* אִיצְטְלִי כְּרְכִי: *Græca verò lectio* ποικίλην *variam, vario colore intextam.*

 ducen-

ducentos ſiclos argenti. *Quorum pondus centũ vnciæ ſiue octingentæ drachmæ abſoluunt. eſt enim Sicli pondus drachmarum quatuor, vt in ſacro Apparatu oſtendebamus.* regulamq; auream, *laminam auream, id eſt aurum, in linguæ formam, vel fuſum, vel extenſum, vt regulæ nonnullæ ſunt acutiore extremo, ponderis aureorum noſtratum ducentorum. Siquidem ſinguli aurei ſicli quaternos ducatos ſiue ſcutatos aureos ponderant; itaque tota ſacrilegij materia vix quadringentorum aureorum excedebat pretium, & tamen tantam Deo offenſionem, tantam publicis rebus calamitatem attulit: quippe grauiſſimum eſt & pernicioſiſſimum Dei violare iuſſa, & ſancta etiam vel leuia temerare, & vſurpare impijſſimum. Quàm verò deliberato, quàm conſtanti animo facinus ab Achan ſit peractum, ipſa rerum ablatarum notatio indicat, nimirum cognitio loci, in quo pallium confectum fuerit, & numeri ſiclorum argentei atque ponderis laminæ aureæ; quæ ita vt ab ipſo indicantur ſignata & notata intrepidum hominem arguunt, qui ſublatum ex ſacris atque deuotis ſpolijs pallium contemplari diligenter & agnoſcere, numerare argentum aurumq; expẽdere potuerit: & cùm Domini eſſe ſcierit, tamen concupiſcens abſtulit, & domum allatum intra medium tabernaculi abſcondit, certus nimirum nunquã reddere, ſed in ſuos vſus retinere, neque vno loco abſcondita ſibi ait, ſed duobus, atque hoc pacto maiorẽ deliberationem in ſcelereq; peragendo conſtantiam prodit* argentumq; foſſa humo operui, *altero loco ab eo in quo abſcõditum fuerat pallium: ideò duobus verbis vtitur, & duplici oratione.*

Mobilis & varia eſt fermè natura malorum,
Cùm ſcelus admittunt ſupereſt conſtantia. Quid fas
Atque nefas tandem incipiunt ſentire peractis
Criminibus.

Atq. hactenus confeßio Ioſue facta eſt à criminoſo illo, ſed tamen iam ſuum ſcelus agnoſcente, cuius confeßionis non ea apud Iſraelitas eſſet vis vt hominem morte damnaret, quam nemini publice inferri lex permittit, niſi duobus vel tribus teſtibus productis, atque diligentiſſimè examinatis. fuit tamen illa confeßio opportuniſſima ad factum indicandum, vel manifeſtandum potius & diuinum iudicium apertiſſimè probandum. namque ille illo die ſingulari Dei iudicij ſententia periturus erat, quæ antea iam erat pronuntiata quàm facinus

dete-

detegeretur: Non poteris ſtare coram hoſtibus, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus eſt ſcelere. Supr.

Miſit ergo Ioſue miniſtros qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abſcondita in eodem loco & argentum ſimul.

NON *vnum, ſed plures à Ioſue miſſos, narrat hiſtoria, quòd ad teſtimonij pondus atque fidem, deinde ad quærendi diligentiam & contentionem, plures vno atque etiam duobus mitti expedierat; vni enim faciliùs per familiares obſiſti, imponi, perſuaderi potuiſſet, quàm pluribus. Illos autem cucurriſſe legimus: idq; Ioſue iubente factum intelligimus, ne Achani propinqui tanti opprobrij vel auertendi, vel minuendi cauſa præcurrentes ſpolia auferrent, atque inter anathemata occultè referenda curarent, aut aliquid agerent, ne illud exemplum in publicum proderetur. illi itaque adhibita diligentia omnia, vt ab Achano indicata erant, eodem quo ille dixerat loco reperiunt, & argentum ſimul, hoc eſt integrum numerum ducentorum ſiclorum altero in loco ſimul defoſſorum.*

Auferentéſq; de tentorio tulerunt ad Ioſue, & ad omnes filios Iſrael, proiecerúntq; ante Dominum.

AD *criminis comprobationem pertinent omnia hæc, quòd res eæ, quæ ab Achano ſublatæ defoſſæ conditæq; primùm, deinde etiam proditæ fuere, in tentorio repertæ ſint à pluribus miniſtris, atque teſtimonio producto eas nō aliundè quàm ex tabernaculo ab ipſis ſublatas; teſtimonio inquam omnium eorum qui vnà conuenerant, vnáq; repertas abſtulerant, delatæ ſint ad Ioſue, & ad populum, cui iam indicatum erat crimen, cuiq; communis cauſa erat, quod ad execrationem & expiationem attinet. Neque verò opus fuit eas ſingulis ex populo oſtendi; ſatis enim fuerat ad Ioſue deferri qui tunc in conſilio erat totius populi, & cauſam quamobrem Achan depræhenſus eſſet cognouerat. Namque ſingulos ex illis voluiſſe atque ſtuduiſſe furtum conſpicere, minimè eſt dubitandum. ideò dicit* ad omnes filios Iſrael. *quæ & cùm deferrentur publicè conſpiciebantur, & poſtquam proiectæ fuerunt.* ante Dominum: *ante tabernaculum teſtimonij, vt & res notiſsima omnibus eſſet, & confeſsionis vice atque manifeſtationis haberetur, quòd ea Domino redderentur quæ ipſe ſibi ſacrilegio ablata poſtularat. Hactenus crimen, confeſsio & comprobatio,*

tio, ſententia etiã à Deo pronũtiata: iam verò deinceps pœnæ deſcribuntur homini ad ſceleris expiationẽ ſubitæ Deo iudice populoq́; omni miniſtro, procurante verò Ioſue.

Tollens itaq; Ioſue Achan filium Zare, argentum & pallium & auream regulam, filios quoque & filias eius, boues, & aſinos, & oues, ipſum tabernaculum, & cunctam ſupellectilem (& omnis Iſrael cum eo) duxerunt eos ad vallem Achor, vbi dixit Ioſue: Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac.

IOSVE *tanquam populi ſummus Dux & diuini iudicij procurator, tollere Achanũ ad ſupplicium dicitur, non quòd ipſe ſolus, et illũ et familiã, & res alias tulerit, ſed quòd vt publicus miniſter primus auctor fuit vt tollerentur: id quod populi totius calculis & opera etiam fuit promotum; quippe expiatio non Ioſue tantùm ſpectabat, ſed omnem populum contage & communione anathematis, hoc eſt hominis anathemate damnati contaminatum: ideò additum eſt*, & omnis Iſrael cum eo. *Appellatur verò Achan filius Zare hoc loco ijs de cauſis, quas ſuperius attingebamus: deinde vt illum nõ vt publicum aliquem virum, non vt dignitate inſignem, ſed vt priuatum ſingularémque hominem atque reuera criminis illius auctorem ſupplicium ſubijſſe intelligamus, neque tamen ideò à ſpe filiorum Iſraelis alienatum, quod ad ſpiritualem ſalutem attinet, vtpote illo etiam tempore filium Zare, hoc eſt vnum ex Iudæ poſteris dictum, atque ita in præconio pronuntiatum: qua pronuntiatione facti culpa ipſi adſcribebatur, quæ tamen ad ceteros Iſraelitas permanarit, vtpote à filio Zare admiſſa vno ex numero & cenſu tribuum Iſraelis. His etiam illud accedit, quòd cùm rei huius monumentum ad poſteritatis exemplum celebrari oportuerit, hominis nomen, familiam & tribum diſtinctè commemorari expedierat, ne confunderetur memoria nominis eiuſdem, quod alteri aliiſue viris eſſe potuit, vt multi dicti ſunt Iudæ, ſed ſemper proditoris illius cognomen ab Euangeliſtis additur Iſcariotes, à patria Iſcara, vt quidam volunt, & vt alij potius à tribu Iſachar contractum. Itaque cùm de Achan mẽtio fieret, nota etiam adiungebatur, filij Zare, qui pœnas luit vnus ad expiandum tum proprium ſcelus eo modo quo expiare legibus debuit, tunc etiam contagium anathematis, quod omni populo ob ipſius hominis noxam adhæſerat*

ſerat. Communis autem omnium deteſtatio, & expiationis procuratio ſignificatur illa expoſitione, & omnis Iſrael cum eo. *Apparet autem homini illo tempore non fuiſſe vxorem, ſed filios & filias tantum; hos verò vt ſacrilegij conſcios productos etiam intelligimus: Ceteras verò res omnes cum tabernaculo, vt poſſeſſas ab homine anathematis damnato, ex ſanctificationis lege quam iam citauimus, exuſtas fuiſſe. Præter filios autem illius ceteros omnes tam ex ipſius familia quàm alios in hominis ſupplicium conſenſiſſe, et conueniſſe, vtpote, quibus publicum periculum priuato cuiuis anteponendum cenſeretur.* Et duxerunt eos ad vallem Achor. *nomen hoc nondum illi loco erat inditum, ſed in rei geſtæ monumentum perpetuum fuit poſtea impoſitū, quod hic nō per anticipationem appellatur, ſed recto hiſtoriæ more, quæ poſt factum illud conſcripta fuit, quo tempore nomen illud notum celebreq́; erat, cuius etymon atque ſignificatio ſubiuncta expoſitione indicatur.* Vbi dixit Ioſue, Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac. *Ob vnius Achan ſacrilegium omnis illa Iſraelitarum ciuitas in illam miſeriam inciderat quam Turbandi verbo indicta lex prædixerat, & ſignificauerat: Ne omnia* Supr. *caſtra Iſrael ſub peccato ſint atque turbētur. Atque Hebraicum verbum* GHACHAR *eſt quod octies atque decies in ſacris libris legitur vſurpaturq́; ſemper in huiuſmodi exēplis, quæ ad rerum rationumq́; permixtionem & ruinam referuntur, cui nullum Latinum aptius reſpondet quam Turbare; cuius elegās vſus eſt cùm inferiora ſummis paria fiunt, vt illud: Vndique totis Vſque adeò turbatur agris. vt* Virg. Eclo. 1. *iam ſuperius adnotabamus. Atque ſapienter hoc verbum à Ioſue fuit hac in ſententia vſurpatum, ad ſignificandum iudicium illud non nouum eſſe, non à ſe nunc dari, ſed ex prædictæ legis præiudicio deductum, ita vt iuſtiſſimum probetur à Deo turbari eum, qui omnem Iſraelem ſuo ſcelere contaminatum turbarit, atque in exitij diſcrimen adduxerit. Deinde etiam quòd primis eiuſdem verbi duobus elementis illius ſupplicis nomen commemorabatur. Namque* GHACHAN *quod homini nomen erat, &* GHACHAR, *præterquam vna poſtrema litera, nihil differunt. Facile autem erat alterius nominis commemoratione facta, alterius etiam recordari. Quod verò Ioſue addit* in die hac: *ad certum modum atque terminum eſt referendum, tum turbationis Iſraelitarum, quæ vnà cum illius ſupplicis exitio finire-*

tur, tum etiam pœnæ ab ipſo luendæ quam vltra mortem illam corporis & rerum ſuarum abolitionem non vltrà dilatari aut prorogari propheta optat & orat; ita vt ſatis pœnarum illo ſupplicio eſſe poſtulet, idq́; agat nomine illo Dei miſericordis appellato, cuius ſignificatio æternam animorum ſalutem præcipuè ſpectat. Itaque eiuſmodi exceptione in die hac deinceps maximæ miſericordiæ beneficium illi depoſcit, vt placato per illam pœnam Deo, hominis animum ceterorum piorum Iſraelitarum contingat ſors.

Lapidauitq́; eum omnis Iſrael, & cuncta quæ illius erant igne conſumpta ſunt.

LAPIDATIONES *apud Iſraelitas ex lege atque more publicè fiebant, eorum miniſterio qui ſceleris teſtes fuerant, cuius deteſtationem ſaxorum iactatio ſignificabat; ita vt qui lapides iacerent, eadem actione profiterentur ſe illo crimine immunes & eſſe & perpetuò velle fore. atque ad hanc rationem alludens Chriſtus, ijs qui* Ioan. *adulteram feminam accuſabant, reſpondit: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapides mittat. Itaque non tantùm damnati pœna, ſed iudicij tum cõmunis tum ſingularis, quod in ſuũ exemplum vnuſquiſque ſtatueret, illa lapidatione continebatur. Hîc verò in Achani ſupplicio non opus erat teſtibus, cùm res Dei teſtimonio indicata & prodita, atque ipſius ſupplicis confeßione & rerum ablatarum manifeſtis argumentis conuicta eſſet. opus autem fuit deteſtatione publica & priuata omnis Iſraelis, qui ob ſacrilegij illius culpam in diſcrimen tantum fuerat coniectus, vt ſinguli profiterentur ſe ab illo facto & ſcelere animo & actione alienos & fuiſſe, & eſſe in poſterum velle. Atque ſupplicium illud ita videtur fuiſſe ſumptum, vt ſolus Achan, vtpote ſceleris auctor, ſaxis fuerit à populo in deteſtationem petitus: Deinde filij & filiæ, cum omni alia familiari re, igne fuerint ſimul exuſta, ex anathematis lege: atque illorum cineribus poſtremum ſaxorum aceruus ingens in perpetuum tum facti tum pœnæ monumẽtum atque exemplum fuit cumulatus. hæc nobis ita diſtinguenda eſſe indicat ipſa narratio;* Lapidauit eum, & cuncta quæ illius erant igne conſumpta ſunt. *Atque hæc de pœnis ſumptis: de monumento autem conſtituto, illa:*

Congre-

Congregauerúntque ſuper eum aceruum magnum lapidum qui permanet vſque in præſentem diem.

Non Ioſue aut miniſtros aliquos illius iuſſu, ſed omnes Iſraelitas qui & facinus deteſtati fuerant, & ſupplicio intererant, comportatis ſaxis cumulum ſuſtuliſſe, intelligimus: oportebat enim vt vnuſquiſque in ſuum & poſteritatis ſuæ exemplũ illius monumenti partem ſtatueret: ideò ſcriptũ eſt, Cõgregauerunt ſuper eum. refertur oratio ad Achã tanquã ad rei totius caput: magnũ autem oportuit eſſe aceruum qui tã multis conſtaret ſaxis. quamquã enim ſinguli vnum tantum conijcerent, tamen altè tolli neceſſe erat, nedum cùm ſtudioſe curatum eſt, vt maximus eſſet aceruus, quem neque ventorũ et procellarum vis diſsipare, neq. plantarum innatarum denſitas obtegere, neq. cuiuſquã priuati hominis opera diruere poſſent poſteris temporibus etiam longè aſpecturis totius rei factæ memoriã conſeruaturum. Atq. locus ille deinceps euitandus ſacerq́; eſt habitus: id quod vel aceruus ipſe, vel lapides ex aceruo deiecti indicabant. vſq. in præſentem diem. *Referendnm eſt ad tempus quo hiſtoria ſcripta eſt, quo tempore monumentũ illud manebat, & rei ratio atque commemoratio celebris notiſsimaq́; erat: hoc enim ſignificat huiuſmodi oratio, Qui permanet vſque in præſentem diem.*

Et auerſus eſt furor Domini ab eis, vocatumq́; eſt nomen loci illius Vallis Achor, vſque hodie.

Divinæ clementiæ amplitudo hoc verſu ſignificatur, quæ vnius ſcelerati, ſacrilegi, inquam, illius placata ſupplicio eſt; ita vt neque facinus nefariè conceptum atque conſtanter ſuſceptum impunitum maneret, neque diuinum de Iſraele ornando atque amplificando propoſitum quominus procederet, vlteriusq́; pergeret, impediretur. Oportuit autem ſacrilegum illum, cum ob facinus conſultò ſtudioſéque admiſſum plecti, tum etiam exempli in illa religioſa Republica ipſis initijs ſtatuendi cauſa. Neque verò in manifeſtis atque conſultò admiſsis criminibus pœnitentia eius, qui conuictus eſſet, conſtitutam pœnam declinabat: S. S. E. Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur. Alia autem ratio erat eorum qui vel errore vel animi infirmitudine impetúue ſubito peccabant. Demum nomen loco factum & appellatum ad perpetuum exemplum perduraſſe hiſto-

Iſa. Hoſ. *ria indicat. Cuius etiam mentionem factam apud poſteriores Prophetas legimus.*

CAPVT OCTAVVM.

DIxit autem Dominus ad Ioſue: Ne timeas, neque formides, tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & conſurgens aſcende in oppidum Hay.

MISERICORDIA *atque benignitas Dei oſtenditur, qui non in perpetuum iraſcitur, neque in æternum comminatur, ſed correctione admiſſi ſceleris placatus ipſe vltrò bonus faciliſq; ducem ſuum alloquitur, animat, hortatur, & promiſſo auxilio confirmat, atq. victoriæ propoſita ſpe extollit, quemadmodum rem gerere expediat auctor ipſe docet. Allocutionem hanc Ioſue factã propheticam interpretamur, illi vni in animum ſuggeſtã, vt vatibus diuinitus ſuggeri cognouimus. Timorem verò animo, formidinemq; actione ipſa pellere iubetur. Nam timor priùs animum occupat, & non ſenſus ſolùm, ſed membra etiam ad agendum perturbat: atque ita rectè vertit Interpres noſter. huius verbi vim appoſitè indicauit Aquinas ille:*

Iuue. Sat. 14. Labitur hic quidam nimia formidine curſum
Præcipitans, capiturque &c.

Solent autem homines in ijs locis timere, in quibus fuerint iam periculum experti; ita vt ijs relictis alia potius tentanda quàm eadem repetenda ducant. Hunc timorẽ ex loci cogitatione fortaſſe oriturũ diſſuadet atq. pellit monitu ſuo Deus, ne timeas, *vel viros Hay, vel loci difficultatem, vel periculi antea ſubiti exemplum; neque quod ad rem expediendã attinet formides, incertúſue ſis, quemadmodum geri opus ſit. Atque Deus ipſe quo omnem dubitandi & deliberandi moram Ioſue tolleret, rationem præſcribit omnem, quam vtpote à ſapientiſſimo conſilio profectam certiſſimam eſſe vati oportuit. Monet igitur primùm vt ipſe dux omnem exercitum agat, quo maior populo addatur animus, & firmior propoſiti obtinendi conſtet ſpes: Deinde, vt omnes pugnatorum copias vnà deducat. Nam ſicut omnem Iſraelem vnius Achani noxa & culpa Deo infenſum eſſe antea conſtiterat, ita nũc oportuit omnem Deo miſericordi & clementi reconciliatum, & ſuſceptum indicari. Id autem non ita apertè, vel ipſis Iſraelitis, vel alijs gen-*

gentibus indicaretur, ſi pars illorum aſcenderet, pars in caſtris hæreret. putari enim fortaſſe poterat eos qui aſcenderunt, gratos haberi; eos verò qui manſerant, non ita exploratum eſſe, an gratos cenſeri liceret. Cùm verò omnes vnà conuenerint, atque res ex animi ſententia ſucceſſerit, manifeſtum fiebat omni Iſraeli, & placatum Deum, & ſalutem allatam. Atque hoc ad populi ipſius conſolationem referebatur; idémque rurſus ad ciues Hay decipiendos commodiſſimum erat. Scriptum eſt enim: Gubernaculis tractanda ſunt bella. Nam cùm perſuaſum eſſet oppidanis Iſraelitas Dei ſui prouidentia ſingulari iam eſſe destitutos, facileq́ ſuperatum atque perditum iri; nunc maximè hoc confirmabatur tanti exercitus ſpectaculo, qui propter loci difficultatem minus aptus ad vrbem expugnandam credebatur: Quippe quo loco duo vel tria millia ad ſummum rem expedire ſatis ſuperque putantur, ceteram multitudinem inutilem ſibiipſi atque aliis impedimento fore cenſendum eſſet. Itaque iis quibus Dei conſilium non erat indicatum, copiæ illæ ſuperuacanaæ, non tam fortitudinem quàm timorem arguebant. Neque enim vbi tam pauci ſatis eſſent, tam multi laborarent, niſi viribus ſuis diffiderent quas hominum copia compenſandas ducerent. Atque huiuſmodi rationes putari ab hoſtibus potuerunt; vt putatas etiam fuiſſe euentus ipſe declarauit. Hactenus Iſraelis reſtituendi & hoſtis eludendi rationem edoctus eſt Ioſue: cui certi auxilij eſt adiunctum promiſſum. Ecce tradidi in manum tuam Regem eius, & populum vrbemque & terram. *Expugnationis ſeriem & modum vnà cum auxilio promiſſo prædicit Deus. Neque enim vt Iericho miraculo, ſed inſidiis & bello capienda erat vrbs: cuius Rex vtpote propugnatorum Dux primùm, deinde populus vincendus erat, demúmque vrbs obtinenda. Significatur vero fortiſſimus Rex, quem primum omnium ſuperari expediat, vt eo capto faciliùs populus ille aliàs ferox belloque exercitatiſſimus ſuperetur. Erat autem Rex ille, à quo triginta ſex illi Iſraelitæ fuerant occiſi: neceſſe verò erat, tum Regem tum populum victorem bello ſtrenuos fuiſſe. Cùm itaque Regem, illúmque populum prælio committendo in manum Ioſue datum à ſe Deus ait, vt quem viginti ſex Reges non vicerint, vnus Ioſue Dei beneficio vincat, & capiat; non tantùm verò Regem, ſed populum om-*

Prou. 20.

nem, ſed vrbem, & totum agrum. Atque ager obtineri non poterat, non obtenta vrbe, quæ propter ſitus naturam difficilis captu erat: vrbs verò inuadi non facilè poterat dum propugnatorum animis armisq́; defenderetur. Quippe res hæc bellicis rationibus & artibus gerenda erat, neque miraculo, vt Iericho accipienda, niſi quantũ & animus eſſet Iſraelitis reſtitutus, & diuinæ prouidentiæ tutela promiſſa. Ceterùm oppidanorum animi non minores nunc quàm antea erant futuri, Deo id permittente, ad exemplum argumentúmque manifeſtum ſuæ erga Iſraelitas prouidentiæ, qui cùm manum cum fortiſſimis conſererent, citra vllum tamẽ detrimentum ſuperiores euaderent. Idq́; indicabat Deus, omnia illorum ſumma ſignificãs, regem, populum, vrbem & terram, & tamen in manum iam tradita aſſerens. Quod verò ait, & populum, longè plures eſſe ſignificat quàm ab exploratoribus fuerat æſtimatum. Namque illi ex loci breuitate propugnatorum numerum cenſuerant: hoc enim illorum ſignificabat oratio, Duo vel tria millia virorum pergant & deleant ciuitatem. Supr. cap. 7. *Itaque ciuitatem oculis mentéque commenſi cùm breuem cernerent, paucos hoſtes continere putarunt: ideoq́; ſubdidere; Quare omnis populus fruſtra vexabitur contra hoſtes pauciſſimos? Atque in vrbibus, atque locis editis, & in monte ſitis breui ſpacio & multæ domus, & homines multi contineri poſſunt; idq́; inprimis cogitandum atque exiſtimandum eſt ijs, quibus explorandi cura fuerit demandata. Quamobrem omnia Deus indicauit, & Regem fortem & populum multum ſtrenuumq́; eſſe, & vrbem munitam, & locum ſiue terram difficilem: atque hæc omnia hoc quo indicata ſunt ordine ſuperanda eſſe. Vrbem verò alto loco ſitam fuiſſe plura arguunt; primum, quòd ad eam inuadendam perpetua verbi Aſcendere vſurpatio eſt: deinde, quòd illius nomen cum Iericho ſemper coniungitur: poſtremum, quòd à Ioſue tumulum ſempiternum, vt ſuo loco videbimus, factam legimus.*

Facieſq; vrbi Hay & regi eius, ſicut feciſtis Iericho & regi illius. Prædã verò & omnia animantia diripietis vobis. Pone inſidias vrbi poſt eam.

QVAMQVAM *non miraculo vt Iericho, ſed bellicis artibus capiendam decreuerit Deus vrbem Hay, tamen illius Regem homicidam & ciues etiam occidi iubet, vrbemq́; ipſam incendi. atque hoc modo*

modo Iſraelitarum, qui fugerant & qui cæſi fuerant, opprobrium illud vlciſci & ſui in gentes illas iudicij exemplum ſtatui. Cùm verò iuſſerit Regi & ciuibus idem quod Iericho & Regi illius fieri, non voluit anathemate damnari vrbem & locum, ſed ſupplicium ſumi de ſceleratis illis hoſtibus tantũ: Ideoq́ prædam exceptam omnem Iſraelitis conceſſit. Omnia animantia: *ex Hebraico nomine* BEHEMAH *ea tantùm intelligimus, quæ in vſus hominum præcipuè aluntur, vt armenta & pecora omnia, camelos & aſinos, non autem feras. hæc non templi & ſacrorum vſibus dicari, ſed ipſis in vſum cedere Deus voluit. Vrbem verò inſidijs capi iubet, quòd id artis bellicæ genus cùm prudenter initur, minus periculi & incommodi expugnatorib. offerat, in ijs locis quæ natura ſua vel opere difficilia ſuperatu & captu ſunt (cuiuſmodi Hay erat) minus moræ & laboris minus capiendis exigat: ſunt verò collocandæ inſidiæ vbi minus cognoſci minuſq́ obſeruari poßint. ideò ait Deus,* poſt eam. *Nam cùm tota belli atque exercitus acies ex ea parte aſcendere videretur qua Iſraelitarum caſtra erant; oppidani inſidiarum ignari, mente, animo atque viribus omnibus in eandem ipſam erant incubituri.*

Surrexítque Ioſue & omnis exercitus bellatorum cum eo, vt aſcenderent in Hay: & electa triginta millia virorum fortium miſit nocte.

V ERBVM, *Surrexit, hoc loco animi deliberationem & ſtudium atque conatum ſignificat, operamq́ diligenter adhibitam ad gerẽdam rem atque inſidiarum rationem ſtruendarum nos lectio docet, cuius efficacitas in arcano conſiſtit præcipuè; arcanum verò ſeruatur cùm ijs tantummodo conſilium ſecretò committitur, per quos inſidiæ comparantur. hanc rationem ſapienter à Ioſue obſeruatã oratio indicat:* Surrexit Ioſue & omnis exercitus bellatorum cum eo, vt aſcenderet in Hay. *Quippe hæc vox publica communiſq́ fuit auctore Ioſue. Omnem exercitum ſimul cum ipſo rectà aſcenſurum in vrbem, ad eámque rem omnes parari iubebantur. Verùm dum hoc conſilium atque decretum publicè in omnium ore ſermoneq́ celebratur, triginta millia ſtrenuorum virorum clam noctu ceteris inſcijs miſit.* virorum fortium. *Fortitudinis nomine virtutem omnem gerendæ rei opportunam intelligimus, cuiuſmodi ſunt dexteritas & prudentia. Hebraica verba Hiſpanicè ſic verti poſſunt* barraganes de esfuerço,

quæ

quæ Græci interpretes δυνατοὺς ἐν ἰσχύει vertêre. Hos autem à ſe delectos nocte allocutus officij faciendi rationem docuit.

Præcepitque eis dicens: Ponite inſidias poſt ciuitatem, nec longiùs recedatis, & eritis omnes parati.

TRIA *iubentur viri illi & obſeruare & præſtare. Primum omnium locum diſpicere, quo latêre commodiùs poſſint: hoc eſt quod audiunt,* ponite inſidias poſt ciuitatem. *Hebraicè ſic oratio habet, Videte, vos inſidiantes vrbi à poſt vrbem. Regio illis conſtituta eſt, in qua inſidiæ ſtruerentur, verùm quo loco potiſſimùm eſſent collocandi, id illis conſiderandum commendatur; duobus tamen adiunctis monitis; altero, ne longiùs recedant, ſed quam proximè conſiſtant; vt & breuiùs minoriq́; labore inuadere vrbem poſſint, & antè occupare quàm ab hoſtibus etiam rem ſentientibus impediantur: altero autem, vt animo omnes atque ſtudio præſenti paratiq́; ſint; id agentes & cogitantes, quod vnumquemque facere oporteat, perindè atque ſi commune officium ſingulis eſſet impoſitum. Namque in huiuſmodi expeditionibus cogitationem & curam præcedere, promptitudinem verò atque celeritatem in agendo occaſionéque accipienda adhiberi, res ipſa exigit. Eadem etiam res poſtulat, vt quemadmodum gerenda expediendaq́; res decernatur, aperto Ducis conſilio ijs qui inſidias ſtructuri ſunt, declaretur: nequa poſtea in agendo confuſio exorta rei ſucceſſum interturbet. hanc adeo rationem omnem ſapientiſſimè tenet, atque exequitur Ioſue.*

Ego autem & reliqua multitudo quæ mecum eſt, accedemus ex aduerſo contra vrbem: cumque exierint contra nos; ſicut antè fecimus, fugiemus & terga vertemus; donec perſequentes ab vrbe longiùs protrahantur. Putabunt enim nos fugere ſicut priùs. nobis ergo fugientibus, & illis perſequentibus, conſurgetis de inſidijs, & vaſtabitis ciuitatem, tradetque eam Dominus Deus veſter in manus veſtras. Cumq; ceperitis, ſuccendite eam, & ſic omnia facietis vt iuſſi eſtis.

E A *omnia, quæ ſibi agenda erant, ijs viris indicat Ioſue, quos ad parandas inſidias mittebat, quæ tamen ijs qui ſecum manebant eodem tempore celabat. Namque alteram partem quæ ducem præſentem habe-*

habebat, nihil opus fuerat quid agere expediret antè doceri, quàm ad ipſam opportunitatem eſſet peruentum, vtpote ducis conſilium per ſingula momenta cognituram; alteram verò non oportebat laborare inſcitia conſiliorum actionumq́; ducis, ſed apertè edoctam eſſe, vt quid, quóue tempore, quomodo & quatenus ipſa etiam agere conueniret, certum numeratumq́; eſſet. Aperitur itaque illis totius rei vtrinque gerendæ ratio, modus, tempus, atq. fides conſtituitur. Primùm enim illi prompti & parati eſſe iubentur, idq́; opportuno proximoq́; loco; deinde docentur, quid obſeruaturi quídue acturi ſint & quando. Namq. decretum erat Ioſue oppidanos fallere ſimulatione fugæ facilè illis credendæ ex prioris inuaſionis exemplo. Itaque fugam illam ne inſidiatores ipſi veram rati metuerent & trepidarent, certam quidem, verùm ſimulatam fore certiores fiunt. Ne igitur antè aliquid tentarēt, quàm fugientes ſocios ſentirent; neque enim illi prius erant fugituri quàm hoſtes ex vrbe prodiiſſe cognoſcerent; tamdiu verò erant fugituri quoad oppidanos omnes ex vrbe protraherent; Opportunum autem tempus occupandæ vrbis fore, cùm & ſocios fugientes & oppidanos inſequentes viderent. Tunc verò illi conſurgentes, hoc eſt conſtanti animo atque ſtudio rem aggreſſi, vrbem inuadēt, occupabuntq́; forti animo, certaq́; fide victoriæ nullo negocio, labore, aut dolore obtinendæ. Quippe non vt antea repellendi ſunt, vel vim aliquam propugnantium experturi, imò capturi potius vrbem à Domino Deo ſuo tradendam in manus eorum, qui, cùm intra vrbem ſint, vt omnia loca tenet & gubernat, ipſe traditurus eſt venientibus & ingreſſis. Demum quid illis faciendum eſſet capta vrbe, eueſtigio ſubiungitur.

Cumq́ue ceperitis, ſuccendite eam, & ſic omnia facietis vt iuſſi.

Ea *tantùm iis quos ad inſidias mittebat expoſuit Ioſue, quæ ad ipſorum officii certam expeditionem cognoſci opus fuerat; quid ab vtriſque agendum eſſet quoad vrbs caperetur, & incenderetur, quid verò captam incenſamq́; vrbem conſecuturum eſſet, non expoſuit. Namque illud præterquam quòd ad inſidiatorum partes non pertinebat, ſed ad Ioſue ipſum, eosq́; qui cum illo eſſent, ipſa etiã temporis opportunitas erat indicatura: capta namque & incenſa vrbe oppidanos inferiores loco atque inter duas Iſraelitici exercitus partes conſtitutos facile erat fundere & perdere; maximè verò cùm cetera quæ*

antea geſta eſſent, recta atque certa ſerie omnia proceßiſſent & ſucceßiſſent ex Dei conſilio atque iuſſu, cuius imperium ijs, quibus ſuſcipitur, efficaciſsimum perpetuò eſt: ideò ſubiunctum eſt à Ioſue, Sic omnia facietis vt iuſſi. *Suum verò iuſſum ex Dei verbo & monitu profectum ipſe ſua lingua Hebraicè teſtatur. Itaque particulam,* ſic, *in noſtra Verſione vim habet expoſitionis mandati conſtantis Dei, vt ijs qui Hebraicè & Chaldaicè ſciunt, locum hunc legentibus apertè patebit. Ita, inquit, conſtitutum eſt à Deo, ideoq́; facietis vt iuſsi, diligenter obſeruata iuſſorum meorum e ſerie & ratione omni: nō enim conſilium, ſed officium diligens hac in re eſt à vobis expectandum. Conſilium namque Dei id eſt quod à me edocti eſtis. Atque hac commendatione iuſsi mandatiq́; ſui ſignificanter illos admonuit Ioſue exempli Achan vitandi cum primis & fugiendi.*

Dimiſitq́. eos, & perrexerunt ad locum inſidiarū, ſederuntq́; inter Bethel & Hay ad occidētalem plagam vrbis Hay. Ioſue autem nocte illa in medio manſit populi.

DELECTOS *illos triginta mille viros Ioſue ducis iuſſa promptè ac diligenter faceßiſſe indicat hiſtoria. Eoſdem etiam quamuis iam monitos & edoctos officium ſuum, non tamē antea perrexiſſe, quàm Ioſue dimitteret. Id verò noctu fuit, qua hora mitti opportunum viſum fuit. Miſſos verò ſtudiosè impoſitas ſibi partes & ſuſceptas egiſſe loco inſidiarum diſpecto & occupato, quem e veſtigio hiſtoria indicat, inter Bethel & Hay ad occidentalem plagam vrbis Hay. Qui locus commodiſsimus viſus, tum ex ſitu, tum etiam ex natura. Nam cùm omnis Iſraeliticus exercitus vrbem ab ortu aſcenſurus & petiturus eſſet, atque ea ex parte oppidanos inuaſurus, prouocaturus & extracturus, inſidias ab occaſu collocari cōueniebat ſecretiore loco, & vnde minimè ſibi tunc metuendum oppidani putarent, vtpote qui nullos hoſtes eò vſque tranſire vidiſſent, & orientem verſus omnes intenti eſſent, vnde aſcendentium Iſraelitarum agmina conſpicerent. Quod ſi eueniret vt ſummo manè triginta illa millia ab oppidanis Hay aliqua ratione viderentur; tamen cùm inſidias non ſibi metuerent, exiſtimare poterant illos qui vltra Hay proceßiſſent, Bethel fortaßis expugnandam petere. Commodum verò fuiſſe illum locum ad latendum ipſa rei narratio ſignificat, quæ non ita diſtinctè deſcriberetur, niſi factum probaret; quem & euētus etiam confirmauit*

nit. Quòd verò legimus ſederunt,*habitum & morem eorum indicat qui in inſidijs collocantur: hi enim præterquam quòd opportunum & commodum, tum ad latendum, tum ad rem gerendam diſpiciunt & occupant locum, interim etiam, dum ſeſe occaſio offert agendi, quieſcere ſileréque ſolent, & ſedere atque interdum cubare, nequo vel motu vel rumore prodantur: nec non vt ex quiete atque ſilentio attentiores promptioréſque ad rem gerendam conſurgant. Atque hæc ab illis ita vt videmus obſeruata ſunt. Ioſue verò vt optimus ſtrenuiſſimúſque dux illis dimiſſis & inſtructis inter medium exercitũ pernoctauit, inſidias à ſe miſſas diſſimulabundus, & populum ad vrbis expugnationem poſtridie ineundam hortabundus, atque Dei iuſſum illud obſeruans,* tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & conſurgens aſcende in oppidum Hay. *Itaque notum fuit Iſraelitis omnibus, ducem illa nocte non priuatè in ſuo tentorio cubare, ſed in medijs caſtris verſari, & de expugnatione poſtridie ineunda agere.*

Surgenſque diluculo, recenſuit ſocios, & aſcendit cum ſenioribus in fronte exercitus vallatus auxilio pugnatorum.

VIGILANTIA *diligentiaq́ ducis optimi cõmendatur & mirabilis etiã ſedulitas, qui tota nocte in medio populi, cùm fuerit, diluculo tamen ſurrexerit & ſocios ipſe recenſuerit non numerum tantùm, ſed acies, phalangas copiasq́ omnes obſeruans, & inſtruens, atque animos armáque illorum notans. Quippe omnia hæc verbum* PAKAD *ſignificat, pro quo Interpres noſter ſæpiſſimè reddit Viſitare. Neque ſatis duxit prudentiſſimus Dux illam recenſendi curam alijs principibus viris committere, ſed ipſe ſtudioſè ſuſcepit, ipſe manus & officium fecit, atque impoſitis & commendatis opportunè partibus, quas ſinguli obſeruare & præſtare deberent, ipſe primus omnium nec trepidus, nec defatigatus montem in quo vrbs erat ſita, conſcendere cœpit, vnà* cum ſenioribus; *ita vt à reliquo exercitu inferiorem locum tenente vel ponè ſubſecuto conſpiceretur primus omnium adire periculum magna fide atque ex fide exorta animi conſtantia. Præſtãtiſſimi ducis exemplum populus iam abundè animatus, diligenter ſecutus narratur proximo verſu.*

f 2 Cum

Cumque veniſſent, & aſcendiſſent ex aduerſo ciuitatis, ſteterunt ad ſeptentrionalem vrbis plagam, inter quam & eos vallis erat media.

SVMMO *manè hos ſurrexiſſe, atque ducem ſuum ſecutos intrepidè aſcendiſſe, indicat lectio hæc: qua etiam locus deſcribitur, tum ad decipiendos oppidanos, tum ad conficiendam rem optatus: primùm illi ab ortu aſcenderunt, namque ad ortu Hay fuerant caſtrametati. Hoc ſignificat Verſio noſtra* cùm veniſſent, & aſcēdiſſent ex aduerſo ciuitatis. *Deinde cùm non longè ab vrbe eſſent, ad ſeptentrionem declinarunt, quòd ea parte mons aliquantulum interruptus vallem quandam præberet conficiendæ, vt poſtea videbimus, rei opportunam: illum itaque collem qui ſeptentrionem ſpectabat, Iſraelitarum exercitus cum duce ſuo occupauit.*

Quinque autem millia viros elegerat, & poſuerat in inſidiis inter Bethauen & Hay ex occidentali parte eiuſdem ciuitatis.

BETHEL, *& Bethauen duo loca fuere adeò ſibi inuicem propinqua, vt alterius nomen pro altero vſurpetur. Aliquando etiam à prophetis Bethel κατὰ ἀντίφρασιν Bethauen appellatur, alia tamen ratione. Hoc loco Hebraica lectio, Chaldaicaq́; verſio Bethel habēt; Græca verò exemplaria Bethan legunt, forſan quòd ita pronuntiarint nomen illud Græci aliqui, vt pro Habbacuq, alij ex Græcis Hambacuk, alij Habacum ſcribūt. ex noſtris Latinis vulgatæ editionis codicibus, nonnulli Bethauen, alij Bethel proferūt. quicquid in noſtra Verſione legatur, eiuſdem cum Hebraica ſententiæ eſt, vt ex locorū ſitu liquet. Hos autem quinq. mille viros, primos omniū qui vrbē adorirentur, quiq́; prouocatis & eductis oppidanis fugam ſimularent, Ioſue delegit, & præmiſit. Nam cùm ſummo manè ſurrexiſſent omnes, antequam ab oppidanis præſentirentur, quinque illi mille ad vrbem propius acceſſerunt, atque eam partem tenuerunt, quæ occidentem ſeptentrionem verſus ſpectabat: itaque trifariam exercitus fuit diuiſus: inſidiæ illæ primùm miſſæ occidentalem plagam occupauere: prouocatores hi conſpiciendos ſe præbuerunt ea parte, quæ ab occaſu tendit in Aquilonem: ceteræ copiæ omnes montem obtinuerunt ab ortu, inter quem & Hay vallis erat, quam ad oppidanos opprimendos Ioſue opportuniſſimam iudicauit. Hanc diſtinctam exercitus partitionem*

qui

qui rectè tenuerit, ſubiunctæ deſcriptionis plenam, vt arbitramur, ſententiam capiet.

Omnis verò reliquus exercitus ad Aquilonem aciem dirigebat, ita vt nouiſſimi multitudinis occidentalem plagam vrbis attingerent.

TRIGINTA *illa millia à Ioſue populo reliquo inſcio miſſa fuerant; quinque millia à Ioſue populoq́ conſcio ſummo manè fuerant præmiſſa, quæ locum explorarent & inuaderent, quemadmodum tria millia illa quæ primùm omnium miſſa, fuſaq́ fuerant; vt horum perdendorum ſpe illecti oppidani prodirent, atque fugam ſimulantium veſtigia inſectati à copijs ijs repellerentur, & vexarentur quæ in monte ex aduerſo conſtiterant ab ortu Aquilonem verſus. Quoniam verò locorum exploratio & cognitio magnam commoditatem ad res gerendas præbet, ſapientiſſimè illud adnotatum eſt, quod mox ſubiungitur.*

Abiit ergo Ioſue nocte illa, & ſtetit in vallis medio.

NIHIL *cum ſuperiori [Ioſue autem nocte illa in medio manſit populi,] hæc lectio pugnat. Siquidem Ioſue prima noctis vigilia eos delegit & miſit quos in inſidijs collocari voluit. Eadem etiam vigilia diligenter vallem illam petijt, & explorauit, atque conſpexit. Deinde antequam ſomnum populus caperet, reuerſus pernoctauit in medio populi, quem exhortatus rationem docuit quam poſtridie ſummo manè obſeruari vellet; nempe vt quinque millia hoſtem adeuntes prouocarent; ceteri ſuum locum tenerent quoad ſigno à ſe dato in hoſtes eſſet irruendum. Atque ita conſilio per Ioſue conſtituto, rationibúſque commendatis, quid contrà hoſtis egerit, docemur.*

Quod cùm vidiſſet rex Hay, feſtinauit manè, & egreſſus eſt cum omni exercitu ciuitatis, direxitq́. aciem contra deſertum, ignorans quòd poſt tergum laterent inſidiæ.

REGEM *Hay & bellicoſum & vigilantem hoc loco intelligimus, qui proprijs oculis Iſraelitarum copias & locum proſpexerit, exercitum ſuum opportunè coactum produxerit; ita vt illa nocte non videatur negligens aut ſecurus cubuiſſe, verùm attentè obſeruaſſe quid Iſraelitæ agerent, qua parte aſcenderēt, cognitaq́ re ſummo manè ſuas copias inſtruxerit, neque tamen continuò deduxerit, ſed expectata hora quæ ſibi ſecunda atque auſpicatiſſima credebatur, irruerit, atque*

inter ſe ſunt, atque hoc pacto hoſtem fefellerunt, qui quamuis copÿs impar eſſet, ex opinione tamen formidinis & fugæ animum ſibi addidit, & inſequi auidius cœpit; id ſperans, quod in bello plerumque euenire ſolet, vt qui inſequitur quamuis multos, tamen paucos exiſtimet præ victoriæ ſtudio & alacritate; qui verò fugit, ſingulos ſe inſequentes & fortiſsimos & plures eſſe putet. ex quo fit vt altera parte fuſa alterius partis vel extremi quiq; & aliàs imbelles & ignaui, vbi nullum vel exiguum periculum vident, ipſi etiam ſe ſocÿ victoribus adiungant & prædæ, atque gloriæ ſpem ſibi pariter faciant & ſequantur. Quod exemplum hoc in loco apertè expreſſum videmus, Ioſue cum maxima exercitus parte ſeſe conſpiciendum propinquumq; vrbi præbet; præmittit ex latere quinque millia, qui propius accedentes oppidanorum copias prouocent: oppidanis prodire incipientibus, Iſraelitæ omnes tam ÿ qui cum Ioſue erant quàm quinque illa millia formidinem fugamq; ſimulant.

At illi vociferantes, pariter & ſe mutuò cohortantes, perſecuti ſunt eos: cumque receſſiſſent à ciuitate, & ne vnus quidem in vrbe Hay & Bethel remanſiſſet qui non perſequeretur Iſrael, ſicut eruperant aperta oppida relinquentes.

SECVNDARVM *vſu vel opinione rerum magis quàm aduerſarum decipi ſæpe homines, non vno ſacrarum & prophanarum etiam hiſtoriarum exemplo compertum eſt. Namque ſecuritas negligentiam frequenter parit; vt contrà labor & difficultas curam, ſtudium & diligentiam vrget. Hîc aperta nobis imago proponitur vulgaris iudicÿ & conſilÿ, quod facilè decipitur, peruertitur & perditur. Non multis antè diebus non modò imbelle vulgus Chananæorum, ſed fortiſsimi quique, atque adeò reges ipſi magno in metu erant, & animo, vt ita dicam, fractiſsimo; opinione, & cogitatione tum numeroſiſsimi exercitus Iſraelitarum, tum verò maximè ſingularis diuinæ prouidentiæ ipſos fouentis, & promouentis: Nunc verò propter vnum exemplum paucorum antea fuſorum, & nonnullorum occiſorum, atque alterum denuò fugientium omnium ſimul, tamen nec magni illius quo nuper laborauerant metus recordati, nec ſe ſuáſque exiguas copias, atque hoſtium maximum exercitum cogitantes, neque bellicarum artium & frau-*

& fraudum rationem habentes, victoriam omnem ita ſibi iam partam perſuadent, vt præter cædem & prædam nihil ſibi negocij eſſe exiſtiment: ideoq́ ingenti frequentiá tumultu, perinde atque ſi vinctos omnes hoſtes haberent, nihil aliud cogitantes vel communiter conferentes; namque omnem conferendi copiam & importunitatem ille communis & inſanus clamor auferebat, omnes pariter tam ignaui quàm fortes vrbem apertam relinquentes erumpunt, atq. ſuo clamore Bethelæ vrbis etiam ciues vicinos admodũ, eadem cædis & ſpoliorum ſpe impulſos, alliciunt. Quippe Bethelitæ ciues Hayenſiũ clamore primùm excitati, deinde Iſraelitarum ſibi viſa fuga, animati, omnes, nullo ſeruato ordine, ex ſua etiam vrbe prodierũt: erat autem omnium vna communisq́ vox, vt ex Hebraica lectione intelligimus, inſectari ſiue proſequi Iſrael; qua mente & voce impulſi, ita ceterarum omnium rerum & rationum fuêre immemores, vt neque primi, neque poſtremi ſuas vrbes cuſtodiendas putarint, neque etiam portas claudendas curauerint.

Dixit Dominus ad Ioſue, Leua clypeum qui in manu tua eſt contra vrbem Hay, quoniam tibi tradam eam.

HARVM *victoriarum omnium conſilium auctoritatemq́ non ad ducis felicitatem, non ad horarum atque temporum efficientias, verùm ad Deum ipſum referre, nos apertè docet lectio hæc; cùm indicat, Ioſue à Domino monitũ, ſignum certum ijs qui in inſidijs erant collocati, dediſſe, quo tempore vrbem inuadere & capere fuit opportuniſſimum. Namque bellicæ artis ratio poſtulat, vt intelligamus certos obſeruatores inter Iſraelitarũ exercitum, & eos, qui in inſidiis latebant, fuiſſe conſtitutos, qui quid apud Iſraelitas, quid apud oppidanos ageretur, certis indicerent ſignis. Per huiuſmodi itaque viros, id quod Ioſue dare ſignum iubetur, ijs qui vrbi inſidiabantur, monſtratum expoſitumq́ fuit. Clypeum autem leuare iubetur Ioſue, vt noſtra Græcaq́ lectio habet: ſublatus autem fuit clypeus ille haſta ipſa ducis, vt procul obſeruantibus aſpiceretur; ſic namque Hebraica, Chaldaicaq́ verba exponunt. Hebraicè legimus,* extẽde INCHIDON qui in manu tua. *Atque* CHIDON, *genus miſſilis teli erat, quod à ducibus manu geſtabatur, cuius generis illa videtur fuiſſe, quam Romani ſuo Romulo tribuunt, Curin vocitatam, ex qua ipſum Quirinum dictum volunt. Oportuit autem hoc ſignum non ab alio quàm ab imperatore*

dari,

dari, cuius certa auctoritas apud omnes erat; cuiuſq; voluntas ac ius ex conſtituta cum inſidijs ratione ſingulariter accipi cognoſcique poterat. Ideò ipſe leuare iubetur clypeum quem in manu ſua geſtabat; illa autem ſublatio, victoriæ ſignum erat, ducis manu, atque auctoritate datum, quam victoriam à Deo effectam Dux ipſe exequi iuberet, qui actione illa Dei miniſtrum agebat, vt prætorum lictores & miniſtri, vel haſtis, vel virgis, vel faſcibus, vel ſecuribus ſublatis, vel gladijs ſtrictis, interim dum de damnatis ſupplicium ſumitur.

Cumq; eleuaſſet clypeum Ioſue ex aduerſo ciuitatis, inſidiæ quæ latebant, ſurrexerunt confeſtim; & pergentes ad ciuitatem ſuccenderunt eam.

OFFICIVM *diligenter atque celeriter ab ijs qui collocati in inſidijs fuerant, factum eſt, quibus quies maiores vires addidit: eſt enim bellicæ diſciplinæ illa obſeruatio, vt qui rem aliquam celerrimè ſint confecturi, vel quieſcant ante rem gerendam, vel non nimium exerceantur & laſſentur; ideoq; huiuſmodi vel quanto tempore antequam incipiant præſtò paratiq; eſſe iubentur, & inſtructi atq; intenti; vel ſi non tantum otij res tempuſq; concedunt, tamen ad locum in quo conficienda eſt res, lento greſſu deducuntur, idq; noctu plerumque fit, ne ab hoſtibus præuideantur, néue diurno feriantur & vexentur æſtu. Hoc ſignificat nobis lectio hæc,* Inſidiæ quæ latebant ſurrexerunt confeſtim. *Fuit verò tanta celeritas, vt antequã quicquam ab oppidanis eſſet præſentitum, & vrbem illi tenuerint, & multis partibus incenderint. Namque Hebraicè, Græcè & Chaldaicè magna celeritate incendium cœptum eſſe ſignificatur. Quod verò Hebraicè, Græcè & Chaldaicè dicitur vrbs incenſa in igne, indicat non ſolùm ſtruibus lignorum, lino & aliæ materiæ quæ facilè incendi ardereq; poteſt, ſed domibus, ſed muris ipſis, turribuſq; ignem fuiſſe illatum.*

Viri autem ciuitatis qui perſequebantur Ioſue, reſpicientes & videntes fumum vrbis ad cælum vſque conſcendere, non potuerunt vltrà huc illucq; diffugere; præſertim cùm hi qui ſimulauerant fugam, & tendebant ad ſolitudinem contra perſequentes, fortiſſimè reſtitiſſent.

PRÆCIPITATIONE *inſectationis dementati ciues Hay, non*

antè in vrbem ſuam oculos conuertere, quàm fumus altiſsimè ſublatus vrbem penitus ardentem argueret: indicat autem lectio, diei illius aurã adeò lenem fuiſſe, vt nullus vehemens ventus, nulla pluuia, nulla nubium denſitas vel humiditas Iſraelitis offecerit, quo minus res pro animi ſententia conficeretur. namque incendijs omnia hæc obſtare ſolent, etiam ventus vehemens, qui quanquam flammas excitet, tamen aliquando extinguit: quòd ſi non extinguat, in aduerſam partem protrudit, atque eam tuetur, vnde ipſe flat, fumumq́ in oppoſita loca impellit, in quibus nihil per homines vel extinguere, vel incendere auentes agi poteſt. At verò ſerenitas, & aura lenitas opportunitatem commoditatemq́ præbet igni, in quemlibet locum inferendo fumo nihil impediente, qui non venti vi in aliquam partem inclinatur & propellitur, ſed ipſa caloris efficientia in altum tollitur. Itaque ex effectu ipſo naturam tempeſtatemq́ illius diei cognoſcere & intelligere licet, Deumq́ Iſraelitis illam opportunitatẽ eo die creaſſe, eundemq́ ciues Hay omnibus modis vexaſſe. viri ciuitatis, *nempe Hay, vt Hebræa, Chaldæa & Græca lectio explicat,* non potuerunt vltrà huc illucq́; diffugere. *Singula verba ſuam ſententiam diſtinctam indicant.* non potuerunt: *illos animo viribúſque defectos ſignificat: id quod verbum* diffugere *exponit. Nã qui toti ad inſectandum Iſraelem intenti erant, iam nunc de fuga omnino cogitant; tam exiguo temporis ſpacio, tanta animi conſilijq́ mutatio fuit. Quòd verò additur,* huc illucq́;, *non ſolùm animum & vires, verùm & locum illis omnino atque tempus præcluſum oſtendit: à tergo, vrbem incenſam; à ſiniſtra, alteram inſidiarum partem habentes; à fronte verò & à dextera, Iſraelitas alios qui ab ortu ad meridiem diſtenſi fugam ſimulabant. Vt verò circuitionib. & ambagibus hoſtis interturbaretur & falleretur, locus non ſinebat, quippe vallis erat inter duos montes incluſa, quæ ab illis tũc occupabatur; nempe ea quam diligenter ſuperius diſcriptam legimus: ideoq́ Hebraicè ſcriptum eſt,* non fuêre in illis manus ad fugiendum huc illucq́;. *Manuum verò nomine Vires ſignificari in ſacro Apparatu docebamus, & locum etiã atque ſpacium: vt, Hoc mare magnum & ſpacioſum manibus. neque verò locorum tantùm atque temporis anguſtijs concluſi illi fuerunt, ſed præter reſiſtẽtium Iſraelitarum copias, ſolem habuêre aduerſum. Siquidem illi ortum verſus Iſrae-*

Lib. Ioſeph.
Pſalm.

Iſraelitas ſectabantur; conuerſis verò in ſe Iſraelitis commodiſſimus à tergo ſol erat, ipſis verò incõmodiſſimus oculos perſtringebat.

Vidensq́ue Ioſue & omnis Iſrael quòd capta eſſet ciuitas, & fumus ignis aſcenderet; reuerſus percuſſit viros Hay.

EXERCITVM *tripartitum fuiſſe meminimus; triginta millia, primas inſidias tetendiſſe: quinque verò millia, propius ad vrbem acceſſiſſe oppidanos prouocatum; ceteras copias omnes ex aduerſo colle ſeſe videndas præbuiſſe: prodeuntibus oppidanis, illos quinque mille primùm, deinde Ioſue cum alijs omnibus fugam ſimulaſſe; poſtea verò oppidanis iam conſiſtentibus atque trepidantibus, eos qui propinquiores erant, reſtitiſſe; hos illa quinque millia fuiſſe intelligimus, qui oppidanorum trepidationem & formidinem ſentire certius potuerunt, de quibus in proximo ſuperiore verſu dictum eſt; in hoc verò de ceteris copijs omnibus agitur, qui cùm diuinum beneficium apertè viderent, captam videlicet vrbem, idq́ incendij fumus manifeſtè argueret, eodem tempore conuerſi, impetum in oppidanos Hay fecerunt, antequã aliqua elabi ſinerent. Plurimum enim intereſt oblata Deo opportunitate vti ſcire, quam omnes tunc Iſraelitæ diligenter ſecuti ſunt.*

Siquidem & illi qui ceperant, & ſuccenderant ciuitatem, egreſſi ex vrbe contra ſuos, medios hoſtium ferire cœperũt. Cùm ergo ex vtraque parte aduerſarij cæderentur, ita vt nullus de tanta multitudine ſaluaretur.

MAGNAM *ciuibus Hay vndique allatam cladem deſcribit hiſtoria, tum loci natura & ſitu, tum Iſraelitarum exercitu oppreſſis, ita vt nullus euadere potuerit mortem, vel deditione, & ſalutis miſericordiæq́ poſtulatione, vel etiam fuga. Namque duo Hebraica nomina,* SARID *&* PALIT, *vtramque euaſionis rationem ſignificant, quam verbum Latinum* ſaluaretur *complectitur.*

Regem quoque Hay apprehenderunt viuentem, & obtulerunt Ioſue.

QVAMQVAM *in prœlijs aliquando accidat, vt Reges capiãtur, id tamen adeò rarum eſt, vt cùm contigerit, illuſtrem & plenam alterius partis victoriam probet. Siquidem & Reges maiori conſilij & opum vi, vbi ſuos exercitus fuſos vident, ſeſe recipere, & fu-*

ga ſibi conſulere commodius poſſunt, & ſolent: qui ſi aliquando ab hoſtibus cognoſcuntur, ſuam ſuorumq́. ſtipatorum virtutem experiri antè conſueuere, quàm ſeſe ſanos incolumeſq́. dedant: magis enim decorum ſibi ducunt vbi oppreßi fuerint, vel cum comitum & familiarium ſuorum phalange regis obtento nomine perire, vel ſi id nō liceat, ſaltem pugnantes ſtrenueq́. agentes & ſaucios capi. Adeò verò diſpar hoc in prælio Iſraelitarum & Hayenſium virtus & conditio fuit, vt Rex ab Iſraelitis & cognoſci & notari, & nullo accepto vulnere capi potuerit, qui tamen aliàs & fortis & bello ſtrenuus fuerat. Verbum HHAI *Hebraicum, viuentem atque ſanum ſignificat, atque ita illius diei victoriam integram & plenam Iſraelitis conſtitiſſe docemur; adeò vt re in agro confecta, ad vrbem delendam nullo impedimento reditum fuerit.*

Igitur omnibus interfectis qui Iſraelem ad deſerta tendentem fuerant perſecuti, & in eodem loco gladio corruentibus, reuerſi filij Iſrael percuſſerunt ciuitatem. Erant autem qui in eodem die conciderāt, à viro vſque ad mulierem duodecim millia hominum, omnes vrbis Hay.

E x *hac ſumma intelligimus, plures propugnatores habuiſſe vrbem illam, quàm ab exploratoribus fuerat exiſtimatum. Namque ex duodecim millibus hominum, ſi non dimidiam partem, ſaltem tertiam, viros fuiſſe oportet: de infantibus verò nulla nunc mentio fit. Quoniam verò illa omnia Dei nutu & monitu gerebantur, id per prophetam Iſraelitis eſt indicatum & ſignificatum, vt ſubiuncto oſtenditur verſu:*

Ioſue verò non contraxit manum quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hay.

NAMQVE, *vt exponebamus, iuſtitiæ diuinæ miniſtrum & interpretem Ioſue agebat, ideoq́. quoad diuina illa vltio abſolueretur, ſignū ab Imperatore ſublatum conſtabat, id quod proſpicientes Iſraelitæ, cædi operam dabant.*

Iumenta autem & prædam ciuitatis diuiſerunt ſibi filij Iſrael, ſicut præceperat Dominus Ioſue.

I n *Ciues & Regem omnémque populum Hay, idem exemplum quod*

quod in Iericho fuerat editum, ſtatuit Deus, qui tamen prædam omnem Iſraelitis addixerat: vtramque rem à Ioſue diligenter acceptam, atque à populo obſeruatam, lectio hæc ſignificat; oſtenditq́. optimè ijs cedere omnia, qui diuinæ voluntati ſtudioſè obſequuntur.

Qui ſuccendit vrbem, & fecit eam tumulum ſempiternum.

VLTIONIS *triginta & ſex Iſraelitarum apud Hay occiſorum exemplum et monumentum ceteris ciuitatibus omnibus Deus illam vrbem incenſam, & perpetua ruina damnatam eſſe voluit: vrbē aliàs nec magnam, neque ad habitationem Iſraelitarum adeò neceſſariam, quibus innumeræ aliæ capiendæ & habitandæ ſupererant. Quid autem tumuli ſempiterni nomina propriè ſignificarent, non planè aſſequebamur, donec ſuperiori anno* CIↃ IↃLXXV, *cùm ſacri iubilei cauſa Romam ſecundò ex Belgio veniſſemus, montem illum viſimus quem vulgus Teſtaceum vocat: namq. ille apertiſſimū nobis exemplum præbuit, quo locum hunc Ioſue planè intelligeremus. Atque noſtram de Teſtaceo apud Romam monte ſententiam, hoc in commentario exponere opportunum profectò videtur. Eſt nunc Romæ Petrus Ciacconus Toletanus, vir integerrimus & pietate ſolida, iudicio etiam acerrimo, eruditione autem omnibus quibus notus fuerit admiranda, antiquarum verò rerum & lectionum peritia incomparabili: hunc cùm à iuuentute in ſtudijs adiutorem diligentiſſimum & ſæpe præceptorem habuerim; in Romanis ruinis & locis viſendis & cognoſcendis ducem certiſſimum, & hoc quem notaui anno, & ante quatuor annos cùm iterùm Romam primò petijſſem, habui; à quo nunc teſtaceum illum montem inter cetera antiquæ vrbis monumenta viſere & aſcendere monitus fui: quem cùm aſcendiſſem, admiratus intellexi planè ab illis antiquis Romanis conſultò fuiſſe congeſtum in perpetuum monumentum & teſtimonium Romanæ quondam magnitudinis & amplitudinis. Conſtat enim omnis illa maxima & incredibilis ijs quibus viſa non fuerit moles, exiguis hydriarum, vrnarum, & cantharorum fragmentis, nulla prætereà alia materia, neq. tenuibus patellarum teſtis; nullus quippe huiuſmodi quamuis pluribus locis ſolū ſcalperemus, et ſcrobes varias ab ijs qui curioſè effodiſſent facta viſeremus, reperiebamus. Sunt autem teſtæ illæ omnes puræ, atque ex ipſa figulorum fornace illuc delatæ*

exiguæ magnitudinis, quæ manifeſtè indicant, nihil aliud fuiſſe olim quàm locum in quem vaſa ea quæ poſtquam ſuum opus figuli coxerant fracta & nulli vſui habilia deprehenderent, reyciebant; ea verò comminuta, publico vti videtur edicto, in illum locum comportabantur; ex quibus tantæ magnitudinis mons fuit tandem congeſtus, qui quanta Roma fuerit; vtpote cuius reiectorum vaſorum (quæ minima pars eſſe ſolet) fragmenta, ad tantam excreuerint molem: atque monumentum hoc perpetuum æternúmq; fore neceſſe erat: (ſi quid in humanis rebus æternum eſſe poſſet,) vtpote quòd ea materia conſtabat, quam nec incendia, nec ſæculorum & diuturni temporis vitia atque vices corrumpere poſſent; ex teſtis inquam fornace coctis, in quibus id ſemel effecit ignis, quod nulla naturæ mutare valuerit vis, neque innatæ etiam plantæ aut arbores diſsipare aut occulere. Quippe in ipſis marmoribus & alijs lapidum generibus arbores & plantas innaſci, & creſcere videmus: in teſtacea verò materia nihil naſci aut ali poteſt. Omnia porro maximorum monumentorum opera & ædificia ruinis, vel ſponte facto vitio, vel hoſtium impetu & manu edendis, vel propter rerum & ſtudiorum atque vſuum mutationes, dirutionibus tandem obnoxia ſunt, cuius rei innumera paſsim cum aliàs plurimis in locis, tum Romæ viſuntur exempla: ex ruinarum verò atque dirutionum ſaxis, lateribus, aliáque materia, noua opera publicè et priuatè conficiuntur, & tandem monumenta abolentur. His etiam accedit inuidia & contentio, vel hoſtilium infeſtarúmque nationum atque gentium, vel eiuſdem etiam gentis poſterorum, qui alijs religionum & ſententiarum, vel commodorum etiam ſtudijs capti, quæ à progenitoribus vel hoſtibus inſtituta erectáq; fuerant, demoliri, perdere & abolere conantur. Hinc enim & Romana opera à Barbaris diruta, & quæ iam inutilia erant, vt Theatra, Thermæ, & Caſtra quamquam non funditus euerſa, tamen ſingulis etiam lapidibus læſis, fractis & contaminatis corrupta conſpiciuntur; hinc antiqua vanorum Deorum ſigna marmorea, ænea, atque aurea, cum ceteris ſtatuis confracta, diſsipata, & maximam partem in calcem redacta ſunt. At verò teſtaceum montem, integrum totumq; ad noſtra tempora conſeruatum, viſere eſt; vtpote cuius materia nulli omninò vſui apta, in ædificia, nouaq; opera vſurpari non poterat, neque ab ini-

ab inimicis gentibus, vel aliò transferri, vel diſsipari: nam quocunq; transferretur, id quod abſque magnis operarum ac temporis impenſis fieri non poterat, tamen tumulum ſempiternum efficeret; ſi verò diſsiparetur, idem etiam eueniret, vt maiore occupato loco, atque in ſterilitatem redacto, perpetuum præberet monumentum immenſitatis operarum figulinarum, ex quibus tam multa teſtarũ fuerit reiecta copia. Quòd verò montis illius nulla apud auctores reperiatur mentio, qui vel minima quæque publica opera literis conſignata monumentis mandarunt, id etiam ad rei æternitatem pertinere arbitramur: Quippe multarum rerum inuidia nulla eſſet, niſi gloria & celebritatis æmulatione excitaretur. Voluiſſe itaque nobis videntur primi illi Pop. Rom. patres, qui teſtarum eo loci congerendarũ auctores fuere, neque præſentibus neque poſteris indicari cauſam quamobrem id iuberetur, vt ea ignorata, contentionis anſam omnem Romanæ famæ æmulis præcideret: atque ita opus illud rude, incomptum, ac veluti negligentia magna factum, cetera omnia quæ ſumma induſtria atque diligentia & arrogante famæ profeſsione abſoluta fuère, duratione & magnitudinis ſpecie, atque etiam Romani nominis prædicatione ſuperaret. Hanc noſtram de teſtaceo monte ſententiam cùm Petrus Ciacconus & ego vnà conferremus, & ipſa molis contemplatione comprobaremus, hoc apud Ioſue loco qui ſubitò mihi in mentẽ venit confirmamus. Quippe Imperator ille quanquam Ierichunta vrbem incendiſſet, vaſtaſſet, & diruiſſet, ex cuius ruinis tumulum excreſcere neceſſe erat, non tamen ſempiternum tumulum feciſſe aut conſtituiſſe is dicitur, ſed ne vrbs reſtitueretur diris precibus & prædictionibus cauiſſe. Euenit verò, vt ex eadem integra lapidum atque laterum materia, poſt aliquot ſæcula, à viro illo ambitioſè rurſus ædificaretur. At verò Hay vrbem, quam iudicij diuini monumentum perpetuum eſſe Ioſue voluerat, non ſolùm incendendam funditusq; euertendam curauit, ſed ſaxis, lapidibus, lateribus, & ligneis trabibus, ac portis penitus exuſtis & comminutis locum omnem ædificationi ineptum reddidit, & aſportandæ vllius materiæ copiam ſubſtulit, atque hoc pacto tumulum ſempiternum reliquit, materia videlicet omni primùm diſsipata & comminuta, deinde in montem teſtaceo ſimilem congeſta, cuius carbones & ci-

et cineres Dei aduerſus impios ſeueritatē viſentibus prædicarēt. His etiam rationib. illud accedit, quòd carbones atq. cineres, maximè autem lapidum, quamuis terra defoßi cōditiq́; fuerint, perpetuò durant, exuſto per ignē & expulſo humore omni, quo aliàs corrumpi aliquando poſſent, quamobrem mos apud antiquos erat, agrorum & prædiorum limitibus ſtatuendis defoſſos carbones ſubijcere, qui quamuis diruto, quamuis ſemoto & aſportato lapide, quæſiti tamen & effoßi, quo loco terminus defixus fuerat, certißimè indicarēt. Atq. ſi Troiā à Græcis exciſam & dirutam fuiſſe credendum eſt, quod non pœnitendi auctores ideò negant, quòd nullū Troianarum ruinarum veſtigium extare dicant, quamobrem neque Troiam vllam fuiſſe fatentur: exiſtimare poßim illam à Græcis longißimæ obſidionis tædio affectis incenſam primùm, deinde verò penitus euerſam & comminutam, atque lapidum & cinerum reliquijs longè lateq́; diſperſis fuiſſe dißipatam, tantumq́; ſuperfuiſſe campos vbi Troia fuit. Atq. hæc de tumulo ſempiterno annotatu digna viſa ſunt, cuius Hebræū nomē THAL GHOLAM, *Hiſpanica lingua,* Mōton de ſiempre, *aptè verti poteſt, Belgica verò* altoos dijck. *Hoc perpetui excidij vrbis exēplum, iudicium etiam in Regem ipſum exercitum, eſt conſecutum perinde atque fuerat diuinitus decretum in principem homicidam, cuius conſilium ſecuti ciues Iſraeli exitium cupierant, & quatenus conari potuère, parauerant.*

Regem eius ſuſpendit in patibulo vſque ad veſperam & ſolis occaſum, præcepitque Ioſue, & depoſuerunt cadauer eius de cruce, proiecerantq́; in ipſo introitu ciuitatis congeſto ſuper eo magno aceruo lapidum, qui permanet vſq. in præſentem diem.

R E G E M *ſingulari ſupplicio afficiendum decernit Ioſue, vt illum Regem fuiſſe & Iſraelitis & gentibus alijs conſtaret, vtpote publicè conſpectum pendere in aliorum Regum, qui aduerſus Deum inſanire tenderent, exemplum. Veſperi verò deponendum* Deut. 21. *curauit ex præſcripta à Deo lege. Quando peccauerit homo quod* » *morte plectendum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in* » *patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno; ſed in eadem die* » *ſepelietur; quia maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno, & ne-*

quaquam

nequaquam contaminabis terram tuam quam Dominus Deus dederit tibi in poſſeſsionem. Atque hanc expiationis terræ rationem illud ſpectat, quod apud Ezechielem legimus: Et vocabitur vallis Ezec.39.
" multitudinis Gog, & ſepelient eos domus Iſrael, vt mundent ter-
" ram ſeptem menſibus. Sepeliet autem eum omnis populus terræ, &
" erit nominata dies in qua glorificatus ſum. Quòd verò Regis illius
" cadauer proiectum fuiſſe legimus, nullo ſepulturæ honore affectum, ſed defoſſa humo temerè proiectum nudum, veluti ſuſpenſum eſſe contigit, interpretamur: quod ignominiæ magis quàm honori adſcribendum eſt, cuius ad perpetuum monumentum, vt olim Regibus ſepulchra, & Pyramides, atque mauſolea ad gloriam & poſteritatis memoriam erigebantur; ita huic ad opprobrium, lapidum aceruus, non temerè, ſed ſtudiosè, congeſtus eſt compoſitis ſaxis; ita vt certo conſilio conſtructus agnoſci poſſet, & regem ſub ipſo iacentem indicaret; idq́; in ipſo introitu ciuitatis, qua parte antea vrbs adibatur, quáque poſtea ruinam viſentibus commodior conſtabat acceſſus. Aceruum verò illum ad ſua vſque tempora extitiſſe & conſpectum fuiſſe, hiſtoriæ huius ſcriptor teſtatur. Nobilium hominum ſepulchra & monumenta in publicis vijs non longè ab oppidis olim ponebantur. Idem hoc loco à Ioſue curatum eſt, diuini iudicij in Regem illum editi commemorandi cauſa. Nomen GAL *Hebraicum, quod Latinus in Aceruum vertit, ad eam quam expoſuimus rationem eſt explicandum; id quod etiam Hebræum verbum* IACHIMV *confirmat, quod Erigere, ſtatuere & figere ſignificat. Oportuit verò lapides magnos eſſe, atque ad eam rem ex ruina ſepoſitos, ex quibus magna conſpicuáque ſtrues componeretur, & ad poſteritatis memoriam duratura conſtabiliretur. Atque his rebus omnibus peractis ac conſpectis, plura & varia, ſalutémque ſuam ſpectantia, Iſrael edoctus fuit. Primum omnium, Dei promiſſorum conſtantiam & veritatem, cuius ſingulari prouidentia effectum eſſet, vt Regio illa tot præeuntibus & coniunctis miraculis obtineretur: Deinde, vt Iericho ſola atque vnica Dei virtute citra vllam humanam operam caperetur, & anathemate damnaretur: Præterea, vt Hay vrbs cum ciuibus atque Rege ſuo, qui bello aduerſum Iſraelitas experiri*

conati fuerant, funditus perirent, atque interim illud ſeueriſsimum in Achan ſtatueretur exemplum, ob fœderis religionem & ſanctitatem violatam. Itaque vtriuſque partis teſtimonia atque documenta manifeſtiſsima conſpecta ſunt miſericordiæ & benignitatis in eos qui diuinis promiſsis crederent iuſsiſq. obedirent: rurſus verò di-
Heb. 2. *uini iudicij ſeueritatis in eos qui contrà agerent: S. S. E. Qui per an-*
» *gelos dictus eſt ſermo factus eſt firmus, & omnis præuaricatio &*
» *inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem. His itaque rebus omnibus conſtabat, iam apertiſsimè Dei prouidentiam, tum in omni cælorum atque terrarum orbe efficaciſsimè, tum apud Iſraelitas, in omnem partèm ſingulariter valere.*

Tunc ædificauit Ioſue altare Domino Deo Iſrael in monte Hebal.

RERVM *à nobis ſuperius commemoratarum obſeruationi atque æſtimationi locorum etiam notatio acceſsit, quæ pietatis rationem curandam, & conſolidandam confirmauit. Siquidem Iericho diruta atque deuota, Deum totius terræ Dominum principem atque iudicem teſtata eſt. Hay expugnata, atque in Iſraelitarum vſus direpta, deinde in eorundem vltionem deſtructa & perdita, promiſsorum atque donorum Dei veritatem & conſtantiam probauit apertiſsimè. Demum locorum prænotatorum occupatio, vtriuſq. iam expoſitæ rei & officij commiſsi Iſraelitas admonuit, cuius curam diligenter ſuſcipiendam commendauit. Cùm enim Ioſue Hebal montem à Hay vrbe non longè ſitũ videret, tunc verò iuſsi à Deo per Moſem recordatus,* ædificauit altare Domino &c. *Hic verò locus ad eam rem certis*
Deut. *notis à Deo per Moſem fuerat iam antea in lege indicatus. S. S. E.*
» *Cùm verò introduxerit te Dominus Deus tuus in terram ad quam*
» *pergis habitandam, pones benedictionem ſuper montem Garizim,*
» *maledictionem ſuper montem Hebal, qui ſunt trans Iordanem,*
» *poſt viam quæ vergit ad Solis occubitum in terra Chananæi, qui ha-*
» *bitat in campeſtribus contra Galgalam, quæ eſt iuxta vallem ten-*
» *dentem & intrantem. Itaque rerum, locorum, atque temporum concordi illa conſtantia obſeruata, tunc ædificauit Ioſue altare Domino Deo Iſrael, in illo iam ipſis præfinito monte, cuius ædificationis cauſam paulò altiùs ex lege repetitam cognoſcere operæpretium*

fuerit

fuerit. Conſueuere, vt iam antea ſignificabamus, ij qui prouinciam regionémue aliquam, vel primi occuparunt, vel ab alijs obtentam armorum atque belli vi expugnarunt, conſtructis arcubus, Pyramidibus, vel turribus, vel aris, vel alijs operibus, rei geſtæ gloriam ad poſteritatis monumentum inciſis literis alióue ſignorum genere ſibi adſcribere, vt plerumque hominum ingenium famæ quàm virtutis auidius eſt. Quis enim (vt ille rogabat) virtutem amplectitur ipſam Præmia ſi tollas? Hanc gloriæ cupiditatem hominum pectora vehementer tentantem cùm probè cognoſceret Moſes, in eo quem inſtituebat populo lege lata coercuit: Quippe rerum omnium quæ erga ſe agerentur auctoritatem & laudem Deo tribuere adſcriberéque iuſſit, in quocunque exemplorum genere, ſingulari monitu in hoc etiam de monumentis ob regionem obtentam ponendis. Atque Moſis locus ſic habet: Cùm tranſieris Iordanem, in terram quam Dominus Deus dabit tibi, eriges ingentes lapides & calce leuigabis eos. Atque verſus hic non videtur nobis præceptum continere, ſed communis ac publicæ conſuetudinis prædictionem. Quamobrem totum hunc locum breuiter obitérque exponi expedierit. Scio, inquit Moſes, te occupata iam regione poſt Iordanem tranſmiſſum lapides magnos arte paratos erecturum eſſe, ceterarum gentium more, quibus huiuſmodi locorum occupationes ſibi arrogare adſcriberéquè ſolemne eſt: Atque quod ad erectionem attinet, non tantum ego tibi permitto, verùm etiam impono: id tamen non tuæ gloriæ cauſa fieri volo, ſed diuinæ erga te prouidentiæ, tutelæ, beneficentiæ, atq. legis, cuius fœdere hæc tibi cõtingunt, prædicandæ, & poſteris ſæculis cõmemorandæ ſtudio. ſic ſubiuncto verſu exponitur, Vt poſsis in eis ſcribere omnia verba legis huius Iordane tranſmiſſo &c. Quam legem hoc loco non vniuerſam quinque librorum ſcripturam interpretamur, ſed hanc eandem ipſam de qua ſermo fit, nempe expoſitionem præcepti huius, quo iubentur lapides quidem ſtatuere, ingreſſumq́ in regionem commemorare, ſed illum non ſibi adſcribere, verùm auctori ac promotori Domino miſericordi, atque Deo gubernatori ſingulari: Hæc namque ſubiunctæ expoſitionis ſententia eſt; Vt introëas terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Scribes, inquã, terræ ingreſſum diuino beneficio-

Iuuen. Sat.

Deut. 27.

tibi contigiſſe terram lacte & melle manantem, ſicut iurauit patribus tuis. Hæc itaque huius prædictionis atque præcepti ſumma eſt, quam deinde ſingularum rerum præſcriptione Legiſlator explicat. Nam cùm plures monumentorum formæ ac figuræ ex magnis lapidibus fieri poſſunt, vt arcus, porticus, pyramides, obeliſci, podij, columnæ, turres, portæ, & quæ multa generis huius à gentibus excogitata ſunt, quæ vel diuinæ naturæ, vel hominibus poni poſſunt, id tantùm genus elegit Moſes, quod Deo ſolummodo tribui, dicari & ſacrari, hominibus autem ſapienter adſcribi non poſſit. Aras namque nullus vnquam homini ſapienter conſecrauit, niſi planè inſanus & adulandi portentosè cupidus, cùm Imperatores aut Reges cælum ipſum ſtultitia, vt ille notabat, petere contenderent. Igitur ne vllam ſibi monumento ſtruendo gloriæ partem Iſraelitæ arrogarent, ſed omnem Deo debitam tribuerent, aliud operis genus omne præter altare reiecit Moſes: Quādo ergo tranſieritis Iordanē, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal, & leuigabitis eos calce: & ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus quos ferrum non tetigit, & de ſaxis informibus & impolitis, & offeres ſuper eo holocauſta Domino Deo tuo, & immolabis hoſtias pacificas: comedes ibi & epulaberis coram Domino Deo tuo, & ſcribes ſuper lapides omnia verba legis huius planè & dilucidè. Ita intelligimus voluiſſe Moſen huius ingreſſus occupationiſq; regionis & expugnationis vrbium prædictarum atque ceterarum omnium laudem Deo auctori vnico tribui, eidem non aliud monumentum quàm coram dicari ſacrificijs factis conſecratam, & pacificorum ſolemni profeſſione celebratā, addita deinde inſcriptione ad monumentum ornatum. Verba autem legis huius quam recitamus interpretamur, quæ poſt dedicationem illam DOMINO DEO ISRAEL, *planè ac dilucidè erant deſcribenda in hanc ſententiam:* QVIA IORDANE TRANSMISSO TERRAM LACTE ET MELLE MANANTEM IVXTA IVRAMENTVM PATRIBVS NOSTRIS FACTVM NOBIS DONAVIT ALTARE IN GHEBAL RVDI LAPIDE EX MOSIS FAMVLI DOMINI PRÆSCRIPTO EXTRVC. *Atque hæc ſubiunctæ lectionis ſignificatio eſt.*

Hor. lib. 1. Oda. 3.

Sicut

Sicut præceperat Moſes famulus Domini filijs Iſrael: Altare de lapidibus impolitis quos ferrum non tetigit: & obtulit ſuper eo holocauſtum Domino, immolauitq́; pacificas victimas.

V I C T I M A R V M *& pacificorum ſacra procuratio præterquam quod ad accepti beneficij profeſſionem refertur, lætitiam etiã ſpectat publicè celebrandam ob regionem iam obtentam; ita quod apud alias gentes præter hanc rationem fieri conſueuit, ad hanc tantum relatum voluerit lex. Quod verò dicitur* ſicut præceperat Moſes; *ad omnes rerum & inſcriptionis pertinet partes, nempe lapidum materiam & naturam, operis formam & leuigationem, ſacrificia, dedicationem, & cetera: atque adeò ad indicandum alios fuiſſe hos lapides ab illis, qui eadem die, qua Iordanis eſt tranſmiſſus, fuère collocati: Quippe de illis nihil à Moſe in libris Legum fuerat præſcriptum, ſed eodem tempore quo tranſibatur fuit conſtitutum.*

Et ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium legis Moſi, quod ille digeſſerat coram filijs Iſrael.

A L T A R E *illud ex lapidibus magnis extructum, vnico Deo dicandum & conſecrandum curauit Ioſue, monumentum perpetuum futurum beneficij Iſraelitis à* Deo *accepti, qui eodem quoque monumento communicabant, non ad ipſorum, ſed ad Dei laudem & gloriam, ipſorum verò obligationem & profeſſionem obſeruandæ legis, diuinorum illorum aliorumq́; beneficiorum conciliandorum atque conſeruandorum cauſa: Quippe hoc pacto illius regionis poſſeſſio atque vſus conſtabat, quamobrẽ vnà cum diuini beneficij commemoratione legis etiam exemplum deſcribi oportuit. Quòd verò Deuteronomiũ legis Moſi lapidibus inſcriptum legimus, quamquam ſunt qui totam Legem, ſunt etiam qui alias & legis partes deſcriptas putent, nos tamen verborum, quibus hæc dicuntur, obſeruata ſignificatione, eam partem interpretamur, quam Moſes ipſe deſcripſit tãquam præceptorum omnium repetitam ſummam. Namq. Hebraicè ita nobis locus hic ſignificat*: Et ſcripſit ibi ſuper lapides duplicatiouem ſiue repetitionem legis Moſi, quam ſcripſit ad facies filiorum Iſrael. *Chaldaicè ſic*: Et ſcripſit ibi ſuper lapides exemplum ſiue expoſitionem legis Moſis, quam ſcripſit ante filios

 Iſrael:

Iſrael. *Græcè verò*: Et ſcripſit Ioſue ſuper lapides Deuteronomion legem Moyſi, quam ſcripſit coram filijs Iſrael. *Atq; omnes hæ lectiones exemplum indicant legis, non totius, ſed repetitionis cuiuſdam à Moſe factæ, ab eodemq́; deſcriptæ, Iſraelitis omnibus præſentibus & audientibus. Ea autem in Deuteronomij libro reperitur, parſq́; eſt illius grauiſſimæ atque celeberrimæ concionis quam de omni hac ratione promiſſæ à Deo, atque in poſſeſſionem iam acceptæ regionis Moſes habuit, cum commemoratione & commendatione tum ceterorum promiſſorum, tum verò legis diuinæ, quam colentibus & obſeruantibus, illa omnia atque multa alia bona propria perpetuaq́; fore promittebantur; contrà verò negligentibus & contemnentibus graues pœnæ, calamitates atque miſeriæ prædicebãtur. Continetur verò repetitio illa ab illo loco, Vocauitq́; Moſes omnem Iſ-*
Deut. 5. *raelem, & dixit ad eum: Audi Iſraël ceremonias atque iudicia quæ*
„ *ego loquor in auribus veſtris: hodie diſcite ea & opere complete &c.*
„ *vſque ad illum, Hæc verba locutus eſt Dominus. Namque illa lectio legis à Deo pronuntiatæ, repetitionem habet à Moſe conuocato populo recitatam ac deſcriptam: ideò lectio hæc Moſis, Legis Deuteronomium, hoc eſt repetitio dicitur, quod ille digeſſerat, ſiue, vt Hebraicè, Chaldaicè & Græcè legimus, ſcripſerat coram filijs Iſrael. Quippe Legis præcepta in tabulis tradita non à Moſe, ſed à Deo ſcripta fuêre, filijs Iſrael minimè videntibus: Quæ verò Dei de medio igne loquentis voce pronuntiata ſunt, ea ſcripta dici non poſſunt: Illa verò primùm pronuntiata publicè decreta fuêre, quæ deinde in tabulas relata ſunt, atque ex tabulis in hiſtoriæ deſcriptionem à Moſe inducta, demum ab eo omni Iſraeli præſenti & audienti recitata & conſcripta. Totam verò concionem illam à quinto Deuteronomij capite ad medium vſque ſeptimi, ſi quem ad huius loci explicationem relegere non piguerit, operæ in legendo poſitæ minime profectò pœnitebit. Itaque omnia hæc eò referebantur, vt Deus beneficiorum omnium auctor vnicus crederetur et agnoſceretur, idem legis obſeruatione atq. ſanctitudine coleretur: ideóq́; dum à Moſe inſtituta ſunt, vnicum Domini nomen eſt appellatum, atque idem hic etiam repetitum.*

Et obtulit ſuper eo holocauſtum Domino.

IGITVR *opportunitatem hoc iam loco quamprimùm ſibi capiendam*

Ioſue

Ioſue duxit, vt regionis poſſeßionem ineuntes, atque adeò tenere incipientes, Iſraelitæ officij faciendi & conſeruandi admonerentur, propoſitis hinc promißis, atq. inde rurſus pœnis & minis prædictis, vt à Moſe fuerat inſtitutũ; quam opportunitatẽ recens puniti Achã exemplũ augebat: conſecrata itaq. atque dicata iam ara legiſq; inſcripta ſumma, ceteraetiam curata ſunt quæ fuerant à Moſe decreta.

Omnis autem populus, & omnes maiores natu, ducesq; ac iudices ſtabant ex vtraq. parte arcæ, in conſpectu ſacerdotum qui portabant arcam fœderis Domini; vt aduena, ita & indigena. Media pars eorum iuxta montem Garizim, & media iuxta montem Hebal, ſicut præceperat Moſes famulus Domini. Et primùm quidem benedixit populo Iſrael.

FVIT *hæc veluti quædam fœderis inſtauratio, benedictione atque ſanctificatione præeunte; deinde lege omni recitata; atque poſtremùm diuinæ gratiæ muneribus propoſitis, obſeruantiam diuinæ rurſus minis & diris imprecationibus prædictis, ob contemptionem & negligentiam colendæ legis. Oportebat verò hoc loco atque tempore huiuſmodi actiones curari & celebrari, cùm Iſraelitæ in promißionem inducerentur, vbi iam & rempublicam ſuam conſtitui omnino, & Deum ſibi vt ſummum gubernatorem ſingulariter prouidentẽ agnoſcebant. Nam ſi iter agentes, & nondum ad promiſſa productos diuinam legem accipere & colere decuit, perductos iam & inductos maximè id agere oportuit. Igitur arca Domini inter duos montes conſtituta, ſacerdotumq; humeris impoſita, omne Iſraelis totius concilium ſuis ordinibus inde conſtiterunt, ita vt nullus qui illius ciuitatis communione contineri vellet, tam ex aduenis & aſcitis adſcriptiſq; in ſocietatem, quàm ex ipſis qui ex Iſraelis genere propagati eſſent, & legi audiendæ & ceteris benedictionum atque imprecationum ſiue prædictionum aduerſarum actionibus non intereſſet, omneſq; ſua præſentia repetitum fœdus confirmarẽt. Præcantatam igitur ſolemnem illam benedictionem per ſacerdotem & leuitam, quos munus hoc ſpectabat: Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te, oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui: Conuertat Dominus vultũ ſuum à te, & det tibi pacem: illa deinde ſunt conſecuta quæ mox adduntur.* Num. 6.

Poſt

Poſt hæc legit omnia verba benedictionis, & maledictionis, & cuncta quæ fuerant ſcripta in Legis volumine.

BENEDICENDI *actio Leuitarum fuit, vt annotauimus: hac verò Ioſue, qui Moſis primi Legiſlatoris loco ſucceſſerat, atq. Prophetæ munus fuerat auctore Deo ſortitus. Quòd verò legimus*, & cuncta quæ ſcripta fuerãt in legis volumine: *expoſitionis, non additionis habent ſignificationẽ. Legit, inquit, benedictiones & maledictiones; non priuata interpretatione, vel additione, vel adnotatione adiuncta. nec alio orationis genere eſt vſus, ſed planè ac diligenter omnia recitauit quæ in libro Legis ſcripta erant; qua in re non ſuum proprium aut ſingulare conſilium, ſed Moſis iuſſum omnino eſt ſecutus, nulla temporum, locorum vel perſonarum ratione habita.*

Nihil ex his quæ Moſes iuſſerat reliquit intactum, ſed vniuerſa replicauit coram vniuerſa multitudine Iſrael mulieribus ac paruulis, & aduenis qui inter eos morabantur.

OMNEM *illam lectionem hoc loco indicari exiſtimamus quæ à vigeſimi ſexti Deuteronomij capitis initio ad trigeſimi finem continentur. Id autem relectum fuit omni multitudini; hoc eſt, vniuerſæ eccleſiæ præſenti atque audienti, incluſis etiam Iſraelitarum paruulis & aduenis qui illi ſeſe adſcripſerant populo, diuiſa multitudine in duas partes, ſenis in vtraque tribubus, cùm locum infimum, hoc eſt, vallem inter duos montes intercedentem teneret arca: namq. hoc pacto pulcherrimum, commodiſſimum & refertiſſimum theatrum conſtabat. Atque actionis huius narratio omnis magnam habet expoſitionem ad Chriſti Ieſu virtutem, efficientiam & regni cælorum rationes pertinentem, à quibus neque paruuli neque aduenæ excluduntur: Latet enim magnum ſub hac imagine myſterium, quod Noui Teſtamenti contemplatoribus explicandum reliquimus.*

Deut. 26. 27. 28. 29. 30.

CAPVT.

CAPVT NONVM.

QVibus auditis cuncti Reges trans Iordanem qui verſabantur in montanis & in cāpeſtribus, in maritimis ac littore Magni maris; hi quoque qui habitant iuxta Libanum, Hethæus & Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, & Heuæus, & Iebuſæus, congregati ſunt pariter vt pugnarent contra Ioſue & Iſrael, vno animo, eademq́; ſententia.

HVMANORVM *conſiliorum duo illuſtria exempla hac lectione deſcribuntur, quæ difficillimis temporibus plerumque edi conſpicimus: Alterum in Regibus & Principibus; alterum in populo vulgóque ſpectatur. Duplex namque bello grauiſſimo inſtante declinandi aut ſaltem minuendi periculi ratio iniri ſolet: aut enim vis vi repellitur, aut arte etiam & deditione, vel pacto & fœdere compeſcitur. Propugnationem & vim Reges plerumque deligunt, vtpote quibus deditiones ignominioſæ ducantur & damnoſæ, maieſtatémque minuere exiſtimentur. At verò populus, qui præter damna atque detrimenta cædes & calamitates quæ bello adferri ſolent nihil cogitat, pacta atque deditiones frequenter optare ſolet, vtpote quem ignominiæ minimum attingat cura. Regibus enim ſi ex animi ſententia victoriæ ſuccedant, gloriæ atque opum amplificatio, eáque populorum ſumptibus comparata, conſtat: ſin verò calamitas adferatur, amiſſo regno nihil omnino reſtat commodi, alio principe in regionem inducto. Populus autem ſi victor euadat, præter damna & cædes nihil ab hoſtibus vtile reportat; ſi verò vincatur, funditus perit. ideoq́; ſub quouis domino iugum citra periculum ferre, quàm ſub vno aliquo certè perire mauult; niſi talem forſitan nactus fuerit principem, quem propter virtutem & innocentiam, ceteraſq́; optimi Gubernatoris dotes & patris loco habeat, & omnibus commodis & incommodis præponendum exiſtimet. Quam quidem ob rem, curandum omníque ſtudio agendum eſt, vt optimis Principibus cum bono populo quàm maximè conueniat. Igitur Regum in primis conſilia & mores atque actiones appoſitiſſima imagine nobis hi-*

ſtoria ſacra exprimit, quibus cùm pace atque tranquillitate ſecundiſq; rebus vti licet, nulla ferè ſocietas, nulla concordia, raráque adeò fides & amicitia intercedit, neque etiam periculi & incommodi vnius ſenſus alium tangit, niſi cùm proprij periculi metus vrget. At verò in communi malo atque diſcrimine, magna animorum conſenſio & liberaliſsima opum communicatio initur. Quamquã enim Cananæi omnes, tam Reges quàm populi, Iſraelitarum aduentum timuerant, vt ex Rahhab oratione intelleximus; nunquam tamen in commune aut conuenerant, aut conſuluerant, exiſtimantes fortaſſe hoſtes, qualibet regionis portione occupata, contentos fore, & quieturos; interdum vel aliò etiam migraturos & tranſituros; & huiuſmodi multa, quæ homines non adeò proximè preſsi agitare animo ſolent. Nunc verò cùm reges omnes qui vltra Iordanem ab occaſu habitant, certiores facti fuerint, Iſraelitas extructi altaris lapidibus aduentus ſui auctoritatem, & cauſas atque leges inſcripſiſſe; deinde certis concionibus & profeſsionibus ſuam ciuitatem ſuamq; rempublicam, atque adeò ſua communia conſilia confirmaſſe, idq; non tantùm à Ioſue & principibus procuratum et priuatè factum, ſed ab omni Iſraele fuiſſe celebratum; adeò vt communem cauſam & rationem ſinguli tanquam propriam ſuſceperint profeſsiq; fuerint: intellexêre planè illos animo atque conſilio omnia loca occupandi ingreſſos, eoq; ſtudio & reges occidiſſe, & communem aram ſtruxiſſe, in eaq; ſeſe omnes ad rem ſtrenuè gerendam propoſitúmque vrgendum voto publico obligaſſe, neque incepto, quod monumentis ante omnia erectis confirmatum fuerit; eſſe deſtituros: ideò rem tempúſque exigere, vt tantæ tamq; concordi & pertinaci hominum multitudini, ſummum eorum quibus periculum creabatur, concordia & opum atque virium communicatione obſiſteretur, id ipſis tum vtiliſsimum cunctis, tum etiam expedientiſsimum fore hoc pacto; quippe non ſolum copiæ copijs opponebantur, verùm opes longè præſtantiores, vtpote multiplices ſimplicibus opibus obijciebantur: Nam ſi humanis & conſuetis artibus ac viribus agenda res eſſet in regione vario locorum ſitu, varioq; cœli ſolique ingenio prædita, vni genti, vniq; mori et vitæ conſuetudini per annos quadraginta vſitatæ, longè excellere oportuerat exercitus multiplices hominum, qui partim montanis, & aſperis, par-

ris, partim planis & campeſtribus, partim maritimis, partim etiam littoralibus locis verſati aſſuetiq́ eſſent. Hi enim tum propter conſuetudinem & peritiam, tum propter communem conſenſionem ſeſe mutuo pro temporum & rerum opportunitate iuuare, docere & promouere, atque adeò Iſraelitis præbere ſuperiores poterāt; dum in aſperis locis illi melius præcurrere, accurrere, illi in campeſtribus obſiſtere, aciesq́ inſtruere melius noſſent, illi arenoſa & in maritima loca æſtui & caloribus vere, hieme verò imbribus & voraginibus atque luto obnoxia certius peruadere; alij, ſi res exigeret, nauigiorum copia opportuna quæque mari conuehere poſſent. Neque multi Reges varijs rebus & copijs inſtructi aduerſus vnicam gentem et conſilium & fœdus ineunt, & quamuis aliàs diducti diſſidentesq́ fuerint, vt reges eſſe ſolent, nunc in communem cauſam magna animorum & ſtudiorum conſenſione conueniunt: id quod Gentilium nominum appellationes arguunt: Hethæus, Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, Euæus, & Iebuzæus. *Nam tametſi in ſingulis his gentibus multi reges enumerarētur, omnes tamen inter ſe cognati, propinqui atque neceſſarij habebantur, vtpote qui vnius patris Chanaan poſteri eſſent, cuius diuiſam hæreditatem tueri, mutuiſq́ auxilijs conſeruare defendereq́ deberent. Quod verò hic explicatur,* hi quoque qui habitabant iuxta Libanum, *ad ſignificationem dictum eorum, qui in maritimis & littore magni maris erant, nimirum Sidoniorum, qui primi Chami filij fuerunt, & Hemathæorū, ceterorumq́ qui ex Chamo oriundi, ſecundùm Libanum habitabant, quos Antilibanenſes Græci dicebāt, vt ex Græca huius loci lectione conſtat. Cùm verò nos Reges audiſſe legimus, neq. quid audierint explicatū reperimus, auditu intelligimus quæ proximè fuerint narrata, nempe quæ de Ierichunte & Ghay dirutis, de ara ſtructa lapidibus inſcriptis, deq́ omni illa celebritate indicabamus. Atque hoc conſilium & pactum à regibus ipſis tantum initum legimus, populis ad eam rem minimè conuocatis aut appellatis. Quippe de Regia dignitate, amplitudine & ſalute defendenda illis agebatur, & quouis vel commodo vel incommodo populorū, quouis ſumptu dimicandum ſibi eſſe cenſebatur, coniunctaq́ potentia populos, vel perſuadendos, vel etiam nolentes cogendos: ita vt ſi cuiuſquam populus laborem, vel ſumptum, vel belli moleſtias declinare tentaret, ceterorum Regum armis & poten-*

tia vrgeretur & vexaretur : facilè autem perſuaderi potuit populis vt bellum capeſſeretur; cùm tanta Regum omnium concordia oſtenſa eſſet, et cõprobata. Congregati ſunt pariter, vt pugnarent contra Ioſue & Iſrael, vno animo, eademq; ſententia. *Conſpirationis illius tum cauſa, tum forma hoc verſu explicatur. Cauſa fuit, bellum aduerſus Ioſue tanquam ducem, Imperatoremq́; Iſraelitarum, & aduerſus Iſraëlitas tanquam vnam concordémque ciuitatem, qui vtrique & Iſrael & Ioſue hoſtes declarati ſunt; eo pacto, vt quanquam contingeret vel Ioſue mori, vel occidi, vel aliàs de medio tolli, non tamen intermitteretur, aut finiretur bellum, quoad Iſrael omnis, vel funditus periret, vel de regione cederet, quippe quem ad occupandam prouinciam perdendasq́; gentes, & diripiendas vrbes conſpiraſſe etiam manifeſtum eſſet. Forma verò huius conſpirationis fuit, vt ab omnibus pariter coniunctis eodem tempore bellum iniretur, & ſuſtineretur, copijs & opibus communicatis; idq́; maiorem victoriæ ſpem faciebat, neque quiſquam ex regibus egregium quicquam præter ceteros vel nominis, vel laudis, vel commodi ſibi arrogari vellet; ſed perinde ac ſi omnes vnus eſſent, ita communem vnicamq́; rem, hoc eſt, ſui ipſorum defenſionem, & vltionem curarent, agerentq́;. Hanc ſignificationem nobis indicat vocabulum* pariter, *ex Hebraica* IAHHDAV *verſum, quod ſimpliciter id ſignificat quod apud Latinos, vnà. Iam verò quod vlterius legimus,* vno animo eademq; ſententia: *præterquam quòd conſpirationem, & conſenſum ſignificat, illud etiam addit, decretum videlicet conſtitutumq́; apud illos fuiſſe, vt quicquid à quolibet ipſorum peteretur, ceteri omnes præſtarent & exequerentur, atque in eam partem omnes incumberent, quam Iſraelitæ inuaderent: namque hæc oratio ſic eſt nobis coniungenda,* vt pugnarent contra Ioſue & contra Iſraël vno animo eademq; ſententia: *vt omnium animus atque ſententiæ & copiæ conuerterentur, quò Ioſue & Iſrael tendere viderentur. Hebraica oratio habet,* ore vno: *ea ſignificatione, quam indicabamus; nempe, vt quò vnus quiſpiam ex ipſis ad pugnam vocaret, qui videlicet ab Iſraelitis premeretur, ceteri omnes nulla excuſatione vel cunctatione, nulla mora interiecta occurrerẽt, ſuaſq́; vires impenderent, neque quiſquam cum hoſte vllis conditionibus paciſceretur, præter ceterorũ dictum & comprobationem, ita vt ad pugnandum vnius tantum dictum &*

ctum & vocatio ſatis eſſet: ad inducias, pacta, & cetera cum hoſtibus componenda non ſatis eſſet vnum os, vniusq́. dictum. Præterea quicquid inter ipſos antea contentionum, ſimultatum, litiũ & controuerſiarum fuiſſet, id omne interea taceretur & conſopiretur, dũ inſtitutum aduerſus Iſraelem & Ioſuen bellum conficeretur. Hunc quippe omnium communem vnicumq́. ſermonẽ fore decretum conſtitutumq́. erat. Atq. hæc de Regum inter ſe conſenſus & conſpirationis cauſis, forma, modo, legibus & conditionibus, breuiter quidem, verùm ſignificatiſsimè ſunt expoſita.

At hi qui habitant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Ioſue Iericho & Hay, callidè cogitátes tulerunt ſibi cibaria, ſaccos veteres aſinis imponétes, & vtres vinarios ſciſſos atq. conſutos, calciamentaq́; perantiqua quæ ad indiciũ vetuſtatis pittacijs conſuta erant, induti veteribus veſtimẽtis; panes quoque quos portabant ob viaticum, duri erant, & in fruſta comminuti.

CONSPIRATIONEM *ſuperiùs deſcriptam à regibus initam, nõ conſultis aut aduocatis populis, ſed cõmunicato inter ipſos cõſilio pactiſq́. celebratis, iam ex lectionis ſentẽtia ac ſeriò oſtendebamus; reges verò ad eam rem permotos cognita celebritate illa Iſraelitarũ, quæ animũ & ſtudium occupandi obtinendiq́. regionẽ arguebat, de ſtabiliẽda ſibi atq. defendenda dignitate & regnorum poſſeſsione egiſſe bello aduerſus Iſraelitas, & Ioſuen ſuſcipiendo & ſuſtinendo, nulla de pace aut fœdere, vel deditione omnino mentione facta. Iã verò huiuſmodi regum commune propoſitum, à quo citra proditionis vel deſertionis notam, & dedecus atq. iniuriæ ceteris vlciſcendæ culpam nullus illorum declinare poterat, quantam populis calamitatem minaretur, facile exiſtimatu eſt, quandoquidem nullam magnã arduamq́. rem aggredi ſubireue Reges valent, niſi populorum ſuorũ rebus expoſitis & corporibus obiectis, atq. omnibus commodis poſthabitis & in diſcrimen adductis. Ideoq́. reges hi dũ ſibi ipſis primùm conſulerent, quemadmodũ ſuis ipſorũ populis conſuleretur, aut nihil aut poſtremũ omniũ cogitandũ putauère. Quamobrem cõſpirationem illã, populis minimè vocatis aut rogatis, inière: fuitq́. conſiliũ hoc ex ea prudẽtiæ ſiue calliditatis ratione, quæ ad dignitatẽ tuendam pertinere exiſtimatur. Noſtri ſæculi principes viri hoc genus Conſiliũ Status vocant. Atque*

ceteri populi omnes rem hanc vel non diligenter animaduertiſſe, vel non curaſſe, vel Iſraelitarum odio ac principum ſuorum ſtudio probaſſe videntur. Atqui poſtremam hanc rationem fuiſſe quamobrem nihil contra Regum ſuorum decretum egerint, ſuo loco oſtendemus. Verùmenimuerò vna ex Heuæorum ditione Gabaonitarum ciuitas & priuatum populíſque incommodiſsimum regum conſilium improbauit, & ſuæ ſaluti conſulendum duxit, atque id etiam clam ſuo et aliјs regibus agendum conficiendumq́; conſtituit. Siquidē Reges quid ſua ipſorum, non quid populorum intereſſet, cogitauerunt; hi quid ſua referret ſeriò curauère, ideoq́; conſilij ab ipſis capiendi ratio non eadem quæ regibus putata fuerat, indicatur. Regibus enim de regni maieſtate & poſſeſsione conſeruanda ſollicitis, illa aræ erectio, lapidum inſcriptio cum ceteris celebritatis illius actionibus curam auxit: Gabaonitis verò illa vnica fama Ierichuntinorum & Hayenſium, excidij metum iniecit grauiſsimum. Hoc eſt quod lectio ipſa indicat, audientes cuncta quæ fecerat Ioſue Iericho & Hay: *quas vrbes ciuibus cunctis occiſis incenderat & diruerat. Non dicit, quæ fecerat regibus illarum vrbiū: ſed, ipſis vrbibus & ciuitatibus; quippe alteram quæ clauſis & obſeratis portis obſidionem perferre propoſuerat, nihilq́; de pace vel deditione egerat, diruit, incendit & perpetua vaſtitate damnauit; alteram verò, quæ dimicare & propugnare voluerat, cæſis ad internecionem vſque omnium, tam viris quàm feminis incenſam atque comminutam, tumulum ſempiternum conſtituit, idq́; Ioſue vt ſummus Imperator fecit faciendumq́; curauit, non expectata populi ſententia, ſed ſua propoſita & confirmata. Namque aliàs vel de ſpolijs Ierichuntinis, vel de vrbe conſeruanda populus aliud fortaſsis ageret, niſi quemadmodum agere deberet, fuiſſet à Ioſue monitus & iuſſus, quibus etiam rebus accedebat fama domus & familiæ Rahhab exceptæ, ereptæ atque diligenter conſeruatæ, Ioſue id ſtudioſè curante & imperante propter officium ab ipſa factum, & iuramentum ab Iſraelitarum exploratoribus interpoſitum. Quæ omnia ad Ioſue, tanquam ad præcipuum auctorem, à Gabaonitis commemorantibus referebantur; quibus viſum fuit, ſibi etiam, qua ratione aſtutiſsimè id fieri poſſet, proſpiciendum eſſe.* Callidè cogitantes: *Chaldaicè,* Et fecerunt etiam illi

BEHHVCHMA in ſapientia: *Græcè*, Et fecerunt & ipſi μετὰ πανουργίας: *Hebraicè verò*, Et fecerunt etiam ipſi in GHARMAH: *Atque huius vocis* GHARMAH *elegantem ſignificationem, in ſacris diſtinctionibus Deo annuente exponemus. Illud ad hunc locum ſatis fuerit annotari, eius vſum in ſermonibus ijs eſſe qui meditatam (ſiue in bonum ſiue in malum) rationem cum vultus geſtusq́ diſsimulatione & verborum etiam opportuno delectu ſignificant. atqui hoc modo intelligendum eſſe vocabulum Latinum* callidè, *& Chaldaicum* ſapientia, *& Græcum* πανουργία, *hoc loco res ipſa indicat: Atque taciturnitas & arcani cuſtodia ad hanc rationem exiguntur, à qua Latinorum verbum Diſsimulare minimè alienum eſt. Refertur autem hoc loco verbum* callidè, *non tantùm ad eam rationem quam re conficienda Gabaonitæ inſtituere, ſed prius etiam & præcipuè ad conſilij inter ipſos ineundi cogitationem ac deliberationem æmulatione conſilij à regibus capti & confirmati. Nam cùm Reges de ſua ipſorum dignitate defendenda ſecretò egiſſent, Gabaonitæ etiam de ſua ſalute & incolumitate diſsimulanter tractarunt. Atque hoc eſt quod voces illæ* Et etiam, *in Hebraica, Chaldaica, & Græca lingua repetitæ, ſignificant, quarum vim Latinus Interpres noſter in illa coniunctione* At *expreſsit.* At hi qui habitabant in Gabaon &c. *Reges, inquit, illud fecerant: At verò Gabaonitæ callidè cogitantes & non ferentes cùm Regum tum maximè ipſorum rem. Hebraicè eſt,* Et fecerunt etiam ipſi in calliditate ſiue diſſimulatione: *Perinde atque Reges in calliditate atque diſsimulatione de ſuis rebus decreuerant, & conſtituerant, etiam habitatores Gabaon fecêre: ſed horum aliud fuit conſilium, non qui Iſraelitas irritarent, non qui perdere vellent, ſed qui ſibi in amicitiam & ſocietatem allicere & conciliare cuperent; atque hoc pacto, ſaluti rebuſq́ ſuis conſulere ſtuderent. Voluerunt itaque à Rege ſuo deficere, quē cum ceteris aduerſus Iſraelitas obſtinatum intellexerant, & præficere ſibi, vt in Hebræorū prouerbio eſt* BENTOBEL, *vulgus dicere apud nos aſſolet,* Viua chi vince. *Iam verò deliberato & conſtituto conſilio, ratio nobis veſtiganda eſt. Quamobrem tanta ſimulatione & arte ſeſe remotiſsimos Gabaonitæ finxerint, atque eo modo Ioſuæ & principibus imponentes perſuaſerint. Atqui oportuit Gabaonitas*

nitas non negligentes viros rerumq́ ſuarum cogitatione minimè ſegnes ex longo iam tempore quo de Iſraelitis inter ipſos ceteráſque vicinas gentes agebatur, atque ex diligenti inquiſitione & obſeruatione ingenij, morum, legum & inſtitutorum illius populi iam proximi, & ex fama rumoribusq́ ſparſis, nec non & exemplis recentibus intellexiſſe, ab illis illud præceptum, ſaltem prima illa tempe-
Exod.23. *ſtate fore diligenter obſeruandum. Tradam in manus veſtras habi-*
» *tatores terræ, & eijciam eos de conſpectu veſtro: non inibis cum eis*
» *fœdus, neque cum dijs eorum. Audijſſe etiam populorum deditionem illis factam permitti Lege, ſub condione tamen tributi, in qua includebatur vanorum Deorum, qui à Gentibus colerentur, exturbatio & pulſio; vt aliâs docebimus. Qua de re ſcriptum erat:*
Deut.20. *Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm*
» *pacem: ſi receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in*
» *ea eſt ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo: ſin autem fœdus inire*
» *noluerit, & cœperit contra te bellum, expugnabis eam. Cúmque tra-*
» *diderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod*
» *in ea generis maſculini eſt, in ore gladij &c. Itaque iuxta traditam Iſraelitis diſciplinam, duplex pactionis & conuentionis genus eſt:*
l..non dubito ff. de capt.& poſt lim.reuer.l. fi.C. quæ res expo.nõ de. *Alterum, BERITH dictum, liberum ex æquo eſt; cuiuſmodi earum eſſe ſolet, qui vitæ officiorúmque communitatem ſocietatemq́ faciunt, dexteras amicitiæ mutuo dant, vt æquis legibus vtrinque viuatur, ſuáque ſingulis dignitas, auctoritas immunitáſque conſeruetur. Atque hoc quidem ſocietatis & pactionis genus cum vllis Cananæorum gentibus inire omnino fuerat Iſraelitis prohibitum, quippe quòd ſalua religionis puritate & obſeruantia fieri non poſſet; neceſſe enim erat & corruptos gentium mores & ſuperſtitionem admitti & permitti, vel ſaltem tolerari; id quod non ſemel*
Exod.23. *fuerat nefas declaratum. Huc itaq. illa lex ſpectat: Non inibis cum eis fœdus. Alterum verò genus verbo SALEM et SALOM ſignificatur, quod bello & pugnæ opponitur, cùm ij qui bello petuntur, vel antequam ſuas experiantur vires, vel iam experti, ſeſe hoſtibus dedunt, vitæ tantùm & defenſionis conditionibus propoſitis, ceteris verò rebus victoris partis arbitrio relictis. Huius formæ pacificationes Iſraelitis conceſſæ fuerunt, illa altera quam referebamus lege.*

Igitur

Igitur Gabaonitæ poſteriorem conditionem quam minimè ſibi negandam putarant, vt miſeram ſibi ac demum volentibus ad minimum manſuram primùm omittentes, meliorem illam ſocietatis ineundæ appetunt, affectant, & conſilio arteq́; omni quærunt, vt non ſolùm ſibi vitaq́; conſulant, ſed vt res proprias omnes, cùm priuatas, tum publicas, atque adeò deorum ſuorum cultum tueantur, ideoq́; non ex proximis illis & vicinis gentibus, non ex omni Cananæorum genere aut regione ſe eſſe declarant, ſed ex remotiſſimis locis atq. ignotis Iſraeli populis venire ſe fingunt ac mentiuntur, illo apparatu & habitu hominum peregrinorum, atq. longis & aſperis viarum interuallis & magnis itinerū difficultatibus diſiunctorum. Inprimis verò aſinos egerunt, quod iumenti genus & tenui viliq́; pabulo contentum eſt, & ad longiſſimæ viæ laborem ferēdum præter cetera commodiſſimum. Quamquam enim à mulis, equis & camelis celeritate ſuperetur, longè tamen minus & rarius quàm illi laſſatur, minusq́; curæ exigit, & vbicunq; ſeſſor actorq́; meridiari aut pernoctare voluerit, ibidem etiam non ligatus manet. his impoſitæ fuerunt non clitellæ, ſed ſacci, quò minus oneris plusq́; expeditionis eſſet, verùm antiqui atque detriti partimq́; comminuti: commeatus præterea ſimplex, tamen longum iter agentibus neceſſarius additus eſt, panis & vini. Namque omni alio victu aliquando in longis itineribus deficiēte, panis & vini copia ſufficit, quorum alter cor hominis confirmat, alterum verò lætificat, & viarum tædia moleſtiasq́; minuit. Vtres itaq. Pſalm. 103. *ad vinum ferendum parati, ſciſſi, colligati atque conſuti oſtentabantur; cetera omnia, tum veſtimenta, tum calciamenta, ſimilem longè viæ vſum detrita atque lacerata arguebant. Quippe indumenta, calciamenta, & reliquæ ſarcinulæ nulla exercitatione magis atteruntur & conſumuntur, quàm itinere faciendo, propter pulueris, aëris, imbriumq́; viciſſitudines, propter purgandi negligētiam, & murorum, ſoli, arbuſtorum, ſediliumq́; confricationes & colliſiones. Illud autem diligenter hiſtoria indicat, totum ab illis viris allatū & productum panem, aridum, ſiccum, & multis foraminibus pertuſum fuiſſe; adeò vt Chaldæus Interpres ſimilē fuiſſe exponat leuibus illis folijs ex farinæ pulte confectis, quas Obleas vulgo dicimus, aſperiori figura, & ariditate ad ægrotantium vſum non ſatis probāda; hæret quippe ventriculo huiuſmodi materia, vel ſi madeſcit, nimio lentore concoctu*

difficilis redditur. Huius verò conſilij illam cauſam fuiſſe exiſtimamus, quòd Gabaonitæ & ſuum longum iter fingere, & omnem aduerſam huic inſtituto coniecturam & ſuſpicionem vitare ſtuduerunt, idq; in primis præferre curarunt, ſe ſuam tantùm rem acturos domo profectos, negocium ſuum omnibus hominibus celare inſtituiſſe, ne aliqua vel mora vel importunitate vel temeritate cuiuſquam perturbari accideret, ideoq; hoc diligẽter egiſſe, vt quàm minimum quamq; rariſſimè poſſent, aliorum, præcipuè verò Cananæorũ, oppida adirent, ne quibus itineris ſui cauſam aperire cogerentur; deinde ne communicarent cum ijs, quos Iſraelitis hoſtes declaratos noſſent: Quamobrem neceſſarium commeatui panem remotis ex locis accipere curæ ipſis fuiſſe, neque aliarum gentium cibis vti voluiſſe, vtpote qui non ſibi indulgendi, ſed ciuitatis ſuæ res agendi cauſa viæ itinerisq; laborem ſuſceperant. Quoniam verò panis recentior, iis qui edendi vſu periti ſunt, facilè qua regione, quóue loco confectus fuerit, primo quoq. morſu deprehendi poteſt, vt ille indicabat:

Horat. lib. 1. Satyr. 5.

Manſuri oppidulo, quod verſu dicere non eſt:
Signis perfacile eſt. venit viliſſima rerum
Hîc aqua: ſed panis longè pulcherrimus, vltro
Callidus vt ſoleat humeris portare viator:
Nam Canuſi lapidoſus.

Atque hoc pacto ſi panis illorum ex medulla tritici (qualis à Moſe deſcribitur) Cananæo, quo ipſi iam veſcebantur Iſraelitæ, ſimilis deprehenderetur, ipſorum Gabaonitarum ſimulationem aliqua ſuſpicione fortaſſe detegeret: ideò illi hoc diligenter curarunt, vt nullum panem qui vel ſpecie vel guſtu cognoſci poſſet, ſecum adferrent, ſed

Vix fractum ſolidæ iam mucida fruſta farinæ
Quæ genuinum agitent non admittentia morſum.

Hæc ratio viſa eſt, quamobrem ſpecies atq. natura panis à Gabaonitis allati tam diligenter deſcripta ſit. Hebraicè ſic ex verbo, & omnis panis viatici ſiccus fuit, puncti, ſiue macula, ſiue foramina. *Namque omnia hæc ſignificat vocabulũ* NIKVDIM. *Porrò illud obſeruatũ eſt, vtres ab illo fuiſſe perlatos, nullã tamen vini delati in vtribus mentionem fieri, ita vt nullum videatur allatum. Namque longo itinere cùm frequentius bibatur quàm comedatur, vinum citius quàm panis conſumitur; neque etiam tam diu in vtribus durat, quin vel acidum vel elutum euanidumq; reddatur. Quod ſi ſanum integroq; ſapore perfera-*

perferatur, ex qua regione ſit, magis etiam quàm panis delibatum prodit. Prudenter itaque Gabaonitæ panem quem ſiccare ante profectionem potuerunt, ſiccum & corruptum detulerunt. Vinum verò nullum, quod neque in vrbe ſua vitiare ita poterant, vt itineris vim imitarentur, neq. recens citra ſuſpicionem perferri poſſe intellexerant. Atq. hactenus forma & conſtantia deſcripta eſt: iam verò deinceps huic ſimulationi oratio apprimè conueniens exponitur.

Perrexeruntque ad Ioſue, qui tunc morabatur in caſtris Galgalæ, & dixerunt ei atque omni Iſraeli: De terra longinqua venimus, pacem vobiſcum facere cupientes.

IN *omni publica & priuata actione cum primis notari debet locus ac tempus: Quod enim ſit, & loco ſit, & certo etiam tempore; quorum annotatio ad rei geſtæ veritatem docendam plurimum valet. Quo tempore itaque Ioſue cum omni Iſraelitarum exercitu in Galgalis erat, eodem tempore Gabaonitæ in eundem ſe contulerunt locum, nulla trepidatione oſtenſa, ſed magna prætenſa fiducia, quamuis tot armatorum millia viderent, vtpote qui ſignificarent ſibi nihil eſſe quod metuerent hominibus peregrinis & nihil incommodi Iſraeli adferentibus, ſed potiùs honeſtam atque vtilem rem propoſituris & oblaturis, hoc eſt ſeipſos in amicitiam & ſocietatem. Quoniam verò publicum hoc non priuatum commodum eſſe volebant, quamquam Ioſue adirent tanquam imperatorem, tamen quia auctoritatem rei quam poſcebant, omnem Iſraelitarum ciuitatem ſpectare arbitrabantur, ſuam legationem duci, nobilioribus atque omni populo expoſitam voluerunt, vt ſi pro votis atque animi ſententia impetrarent, firmiorem & præſtantiorem ſuam cauſam obtinerent & reportarent, & magis etiam ſuam rationem probarent, quam omnibus ex æquo propoſuiſſent, minúſque præterea ex hac ſimplicitatis ſpecie ſuſpicionis, minus dubitationis creari poſſet, quàm ſi primùm rationem apud certos ſecretò inirent: itaq. ſi contingeret vt omnibus ſimul perſuaderetur, nihil quod ipſis deſideraretur reliqui futurum; ſin verò vulgus in contraria ſtudia diſcinderetur, quoſnam vitare, quibus hærere, quos adire, ambire, & quemadmodum in ſuas partes inducere expediret, animis opinionibúſque omnium cognitis non difficulter eſſe diſpiciendum. Ideóque refert hiſtoria primam actionem apud Ioſue & omnes ſimul Iſraelitas fuiſſe. Continet autem oratio* C.abbate de re iu.in.6.

ipſa honeſtatis atque vtilitatis rationes cum depulſione ſuſpicionis incommodi. Principio enim proponitur officium ab ipſis factum, quod cùm non deberi ſignificaretur, beneficij loco haberi oportuit: quòd gens remota, à qua nihil incommodi metuere Iſraelitæ poſſunt, imò potius non parum commodi ſperare, vltrò amicitiæ & ſocietatis ineundæ cauſa longi itineris laborem & moleſtiam libenter ſuſceperit, tantumq́; Iſraelitis detulerit, vt ipſa ſua ſponte venerit, atq. ea offerat omnia, quæ inter ſocios communia eſſe ſolent, maximè cùm illi ipſis non indigeant, ſuam regionem obtinentes quietam, & ab illa tempeſtate in qua Cananæi verſantur remotã: Iſraelitæ verò quamquam multis Dei beneficijs ornati auctiq́; fuerint, nondum tamẽ prouinciam illam quieti teneant, nec labores omnes exantlarint, quàm opportunitatem expectare ij qui veniunt, potuiſſent, niſi magno ipſorum ſtudio tenerentur, vt quàm maturrimè illis ſeſe in amicitiam dedere, & in auxilium, ſi opus fuerit, polliceri properauerint: Se non eſſe ex gentibus ijs, quæ hoſtium numero habitæ arma aduerſa mouerent, ſed auxiliares opitulatoresq́; potius eſſe velle, ideò firmiores & conſtantiores futuros, quòd primos omnium ſeſe amicos declararint, & ceteros tum remotos tum proximos, quorum inuidiam ſibi hac re paratum iri facile creditu erat, contemnendos duxerint. itaque tanto tamq́; deliberato, ſignis & argumentis omnibus comprobato ſtudio ad fœdus ſecum feriendum Iſraelitas non modò allici, verùm obligari et cogi oportere. atq. hæc huius propoſitionis ſentẽtia eſt, quæ ab vtili, honeſto & facili ducitur. Nam quid honeſtius, quàm eum, cui nihil debeatur, vltro ſeſe offerentem ad amicitiam ſibi coniungere? quid etiam huiuſmodi coniunctione vtilius, præcipuè cùm nihil ab illo detrimenti, aut incommodi adferri poßit tam longè dißito, commodi verò non parum ſperari poßit, & nominis & auctoritatis, imò & reuerentiæ apud alias nationes ad quas huius vltrò ambiti fœderis fama permanarit. Iam verò quominus id conficeretur, nulla difficultas in lege erat, quæ cum externis & remotis gentibus fœdus ferire dextrasq́; coniungere non prohibebat, ſed tãtum cum Cananæis, quorum regionem poſſeſſuri inducebantur: ideoq́; officium à ſe factum ipſa propoſitione & expoſitione ſuſcepti & peracti itineris longißimi, Gabaonitæ commendare & probare viſi ſunt; ex qua re conſequebatur, ſuã petitionẽ non ſolùm perſuaderi, ſed ſponte ab Iſraelitis ſuſcipi

cipi

*cipi oportere. Atque hæc eſt orationis concluſio,& illorum verborum ſententia,*pacem vobiſcum facere cupientes: *quorum illa ſimplex ex Hebraico interpretatio eſt,*& nunc ferite nobis fœdus: *Chaldæus verò in hunc modum eadem verba reddidit,* & nunc pangite nobiſcum fœdus: *Græcus verò ſic, Et nunc fœderate ſiue diſponite nobis fœdus. itaque ſuas ab ipſis partes præſtitas affirmãt qui amicitiæ ineundæ cauſa deliberato conſilio tam longum iter ſuſceperint, reliquas eſſe Iſraelitis præſtandas huiuſmodi ſtudium fœderis feriendi officio rependendo. Pacis nomẽ in noſtra Verſione Fœderis ſignificatione excipiendum eſt, vtpote ex Hebraico* BERITH *tranſlatum, vt cetera omnes verſiones comprobant. Iam verò quid inter Fœdus Pacificasq́ pactiones interſit breuiter expoſuimus. Hactenus prioris actionis forma & ratio explicata eſt: nunc verò cuiuſmodi iudicia Iſraelitarum fuerint, attendamus.*

Reſponderuntque filij Iſrael ad eos, atque dixerunt: Ne fortè in terra quæ nobis ſorte debetur, habitetis, & non poſſimus fœdus inire vobiſcum.

INTERDVM *vulgus rectum videt, eſt vbi peccat, inquit ille. Ioſue duci atque principibus viris honeſta petitio & meritò excipienda, ad gloriamq́ gentis atque virtutis ſuæ expedienda viſa eſt, vt exitu ipſo demonſtrabitur. Verùm populus, qui non tantum honeſtatis ſpecie quantum vtilitatis vel detrimenti opinione mouetur, an expediret, cogitare cœpit. Neque accidere poteſt quin in tanta hominum & ingeniorum frequentia, vnuſquiſpiam & alter non præuideãt & animaduertant quæ non cenſeas. Plura huiuſmodi exempla nos ipſi perſæpe in noſtris peregrinationibus obſeruauimus, cùm non ſolùm in celebri peritorum virorum conuentu, ſed in militari turba, gregarius quiſpiam miles ea admonuit quæ ceteris ingenio & cõſilio aliàs præſtantioribus in mentem non venerant, & quandoq́ eſt olitor valde opportuna locutus. Quãquam enim rariſſimè euenit, vt populus omnis ſponte ſua prudenter agat, accidere tamen non poteſt quin in magno populo prudens aliquis inueniatur. Quamobrem in bene conſtitutis ciuitatibus, cùm publica magniq́ momenti cauſa incidit, non ſolùm celebres magiſtratus, ſed ij etiam in conſilium adhibentur qui totius populi ſententias varias aſſequi & tenere poſſunt; cuius ordinis apud Belgas illi ſunt, quos patria lingua* Breeden raet, *hoc eſt Latũ cõſilium*

Horat. lib. 2. epiſt. 1.

Heſio.

ſilium vocant. Hi namque ex plebe in vicorum, tribuum atq. artium vulgarium (quas mechanicas dicunt) magiſtros delecti aliquando conſulti & rogati, ſiue ex ſua, ſiue ex eorum quibus præficiuntur ſententia, prudenter vtiliterq; perſæpe reſpõdere viſi ſunt. Cuius rei nos non vnum tantummodo teſtimonium laudare poſſemus vbi ratio exigeret, vtpote qui illorum deliberationibus aliquando interfuerimus. Huiuſmodi prudentiæ exemplũ nobis hoc loco hiſtoria indicat, nimirum Ioſue atq. principibus viris tacentibus, & fortaßis iam annuentibus, nonnullos ex populo extitiſſe qui fœdus ineundũ eſſe negarent, interim dum non conſtaret an ij qui petebant, ex illis gentibus eſſent quos diuina lex fœderis pactione exceperat: Ideò nõ dicitur Ioſue aut aliquis ex illuſtribus, nobilibusq; viris reſpondiſſe, ſed filij Iſrael, quæ cognominatio tam ijs qui ex media plebe erant, quàm nobilioribus quadrabat. Hebraicè hæc quæuis, quod ad orationis figuram attinet, obſcurius tamen ſignificanter admodum prolata ſunt: Et dixerunt vir Iſrael ad Heuæum, Forſan in medio mei tu ſedes, & quomodo feriam tibi fœdus?

NOMEN *Vir ſingulariter pronuntiatum diſtributiui obtinet vicem, vt apud Latinos Quiſpiam. Verbum verò* dixerunt *plurale indicat vnum quempiam primùm petitioni Heuæorum interceßiſſe, cuius deinde ſententiam cœteri ex populo fuerint ſecuti. Atque interceßionis ratio ipſa dubitatione declarata eſt; nimirum, nec fas, nec tutum eſſe cum ijs fœdus inire, qui in eadem ſecũ regione habitarent, propter pericula diuinis præceptis prædicta. Quòd ſi fœdus cum illis feriendũ eſſet, oportere primùm conſtare illos quàm remotißimè habitare, vel quamprimùm quã longißimè migrare; itaq. interceßio hæc honeſtatis & vtilitatis nitebatur argumẽtis & intercedentium commendabat prudentiam: non negabat quidem proximis pacis conuentionem legitimam, ſed fœdus ferire abnuebat; atq. hæc in vniuerſum populi ſentẽtia fuit, præter cuius auctoritatẽ & cõſenſum fœdus feriri nõ poterat, id quod Iſraelis nomen appellatum docet. At verò Gabaonitæ cùm hæc non ſucceſſerit, alia aggreßi ſunt via.*

At illi ad Ioſue, Serui, inquiunt, tui ſumus.

AMICITIÆ *& ſocietatis publicæ ſpe deiecti Gabaonitæ in principis viri tutelam ſeſe recipiunt, cuius virtute, fide, ac felicitate defenſum iri exiſtimant. itaq. Ioſue ſeorſum conueniunt, ſeſe illi commendant,*

mendant, committunt atq. omnino dedunt, ſignificant ſuũ conſilium fuiſſe primùm populi totius ſocietatẽ & amicitiam inire, vtpote illuſtris atque Deo charæ gentis, exiſtimaſſeq́. conditionem facilem & honeſtam à nemine repudiandam; nunc verò cùm varias hominum ſententias cognouerint, quas componere longum fuerit, ſe neque diutius expectare poſſe, nec re omnino infecta redire velle; optatum itaq. ſecundo loco eſſe, vt illuſtri Iſraelitarum duci addicantur, eumq́; ſibi principem ac dominum vltrò appellent & ſuſcipiant, quẽ prudẽtem, fortem atque clementem, & pium eſſe nouerint erga ipſos, vltro ac libenter ſeſe illi dedentes, patronum, tutorem, defenſorem, atque adeò dominum benignum & liberalem futurum ſperãt; ita autem fieri, vt quod Iſraelitæ oblatũ repudiarint, in Iſraelitarũ ducis vſum, ſplendorem ac dignitatem cedat: Huic rei Iſraelitis intercedere aut obſiſtere non poſſe, niſi & ducis gratiæ & æquitatis famæ amittendæ periculo; vtpote quos primùm vltrò rogatos oblatã amicitiã repudiaſſe conſtat: integrum verò ipſis fuiſſe, qui nulli deberẽtur, cui ſeſe dederent, optare ac ſuſcipere: nemini hoc pacto iniuriã fieri, ſibi nihilominus beneficium accedere amicitiæ & cõſuetudinis atq. neceſſitudinis initæ ſi non cum Iſraelitarũ ciuitate, at cum Iſraelitarũ imperatore ſummo, ſub cuius præſidio ac tutela latere tutò poterant, & nec Iſraelitis infenſos nec offenſos hoc pacto futuros, ſed ſub duce ac domino Ioſue, cùm res poſtularet, auxiliares ſeſe præbituros, ipſiusq́; ducis rẽ, dignitatem & auctoritatẽ promoturos, qui cùm (quo ad Iſraelitarum rationes attinet) vnus ex numero totius ciuitatis ſit, neq. quod imperatoris partes agat, præter laborẽ & exiſtimationẽ multis difficultatibus obnoxiã quicquã præterea egregij emolumenti ſit ſortiturus, tamẽ ſola virtutis, probitatis & benignitatis opinione populi cuiuſdã boni ſeſe vltrò offerentis ac dedentis, nullo diſpendio, nullo periculo, prælio nullo, neq. ſuorum detrimento aut ſumptu ius & poteſtatem atq. dominatum ſit adeptus, poſſideatq́; ſponte deditũ, quod laboribus, ſudoribus, curis & vigilijs quamplurimis in Iſraelitarum re promouenda poſitis minimè eſt obtenturus. Quippe ille tyrannidem in Iſraelitas nullam occupaturus erat, vir pius, fortis, ab ambitione & cupiditate alienus, Dei iudicio delectus, & religione atque ſtudio calens diuini honoris, vt publicæ ſuorum conciuium fratrumq́; vtilitatis, quibus nihil decedere poterat, ſi ipſe non ſolùm huius quæ

ſeſe

ſeſe ſponte nunc dedebat, ſed multarum aliarum gẽtium princeps dominusq́, eſſet, maximè verò huiuſmodi iuris exemplo obtentarũ; itaq. nihil inuidiæ Ioſuæ ipſi, nihil Iſraelitis incommodi ex hac deditionẽ creari, ſignificant ſe hoc pacto ſui voti cõpotes fieri qui Iſraelitarum amicitiam, familiaritatem & neceſſitudinẽ colere cupierint. Huiuſmodi honeſtatis, vtilitatis & officij rationes, & argumenta, illa breuis Gabaonitarum apud Ioſue facta deditio complectitur: Serui tui ſumus: *Hebraicè* Serui tui nos. *Verbum* GHABAD, *vnde* GHEBED, *pro quo Latinè reddimus Seruus; Colere, operari, exercere, & ſeruire ſignificat. Profitemur, inquiunt, ſeruitium, cultum, operam, ſtudium tam capitibus quàm rebus noſtris exponẽdis, nos tibi in tuam poteſtatem atque tutelam ſuſcipienti eſſe exhibituros: plenumq́, tibi noſtri ius vltro deferimus. Quod ſi hoc illis Ioſue reciperet, atq. confirmaret, Iſraelitis ceteris non occlamantibus; haud dubiè illi ſeſe ſuamq́, cauſam obtinuiſſe arbitrarentur. Siquidem pari iure Dominus ad ſeruum præcipuè vltrò deditum defendendum & conſeruandum, atque ſeruus ad colendum dominum adſtringitur: Quo iure Gabaonitæ & cum Ioſue agere, & aduerſus Iſraelitas tueri ſeſe poſſe putabant, atque ita non ſolùm vitam resq́, ſuas, tum priuatas, tum publicas, verùm etiam deorum ſuorum cultus conſeruare ſperabant. Quippe deditionis formula hæc erat,* Serui tui nos; *cuius interpretatio huiuſmodi eſſet: Nos qui liberi hactenus fuimus, ita vt conſtamus noſtris legibus, moribus, inſtitutis & rebus omnibus; liberè & ſponte tibi in ſeruitium & cultũ offerimus ac dedimus; nos, inquam, non alij, nec alteri, neque alio modo habentes, aliáue conditione, præter eam quam vltrò non coacti ſubimus tibi exhibendæ ſeruitutis, reliquo omni noſtro ſtatu conſeruato. Quis verò inficias eat, illos non ſperaſſe obſequijs, muneribus & officijs, alijsq́, ſeruitutis generibus tantum apud illum principem vel apud illius hæredes effecturos, vt ſuæ qualiſcunque religionis non modò toleratores, ſed etiam patronos defenſoresq́, haberent, num minus tunc poſſe exiſtimabantur munera & pecuniæ, atque alia ambitionis, libidinis & cupiditatis obſequia, quàm apud ſæculi huius ſummos viros valent, quibus non tantùm vltrò dediti, ſed etiã bello capti populi in ſuis ſuperſtitionibus, ſectis & erroribus conſeruantur ac defenduntur? Quòd ſi hoc Ioſue perſuaderi non poterat viro iuſto atque pientiſſimo, diuiniq́, honoris ſtudio-*

ſtudioſiſſimo, at illis in mentem venire potuit, & ſi non à Ioſue, à poſteris ſaltem illius expectandum putari. Nam ſi illi, vt ſimulabant, remoti à Cananæorum regione degerent, nihil difficultatis erat, quominus id obtinerent omnino quod ſperabant & cupiebant, vt iam oſtendebamus, atque vt poſterorũ Iudæorum exemplo conſtat, qui cum Romanis amicitiæ & ſocietatis fœdus inière, & ante hos Tyri regis Hiram, qui ſocietatis ac fidei dexterã Salomoni porrexit. Quod verò ex illis gentibus quas delẽdas Deus decreuerat, Gabaonitæ eſſent, vbi ſeſe Ioſuæ dedidiſſent, & ab illo in poteſtatis & priuati iuris fidem ac tutelam recepti fuiſſent, cauſæ actioniſq; ius ad ſeſe ſtatumq; ſuum tuendum prætendere poterant, itaque ab illis nihil non diligenter & callidè cogitatum tentatumq; fuit. At verò Ioſue quantum à cupiditate ambitioneq; alienus, tantum ad officium, beneficentiam & liberalitatem propenſus vir, non quid ſua intereſſet, ſed quemadmodum illorum poſtulationi ſalua pietatis dignitate, & diuinæ legis reuerentia conſuli poſſet, cogitandum agendumq; putauit.

Quibus Ioſue ait, Quinam eſtis vos, aut vnde veniſtis?

E*x populi dubitatione admonitus Ioſue, duo rogat: alterum, vnde venerint, vt cognoſcantur an ex ijs fuerint, quos lex excipiendos declarauerit; alterum verò, quínam eſſent, vt ſi conſtaret ex alijs gentibus eſſe ab ijs, quas lex exceperat, quamquam habitarent in media regione, tamen digni iudicarentur quorum petitionis habenda eſſet ratio. Deinde etiã ſi ex remotis locis veniſſent, ſciri oportuerat, quínam eſſent, hoc eſt, quod hominum ſingulare genus præter ceteras omnes orbis terrarum nationes, quarum nulla huiuſmodi erga Iſraelitas officium fecerit, vt fœdus poſtularet. Quid igitur magis illis fuerit cum Iſraelitarum populo commune quàm alijs, rogantur. Quínam eſtis vos, qui fœdus à nobis poſtulatis, vt veſtri ratio nobis habenda ſit? & vnde eſtis, vt quominus vobis gratificemur impediri minimè poſſimus? Itaque interrogatio locorum & perſonarum collationem examinationemq; exigit.*

Reſponderunt, De terra longinqua valde venerunt ſerui tui, in nomine Domini Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius, cuncta quæ fecit in Ægypto, & duobus regibus Amorrhæorum qui fuerũt trans Iordanem, Seon regi Heſebon, & Og regi Baſan, qui erat in Aſtaroth.

l VTRAM-

VTRAMQVE *interrogationis partem opportuno reſponſo excipiunt; ſed eam in qua plus dubitationis eſſe intelligunt, breuiſſimè abſoluunt, quippe mendacia quò paucioribus pronuntiantur verbis, eò minus anſarum ad deprehendendum præbent. Nihil itaque ſingulare de regione ſua indicant, ne certius aliquod argumentũ poſtulati, proferreq́; neſcientes, proderentur: Quippe vero ſimile erat, in tanto Iſraelitarum populo, indigenis atq. aduenis referto, non defuturos, qui cuiuſcunq. indicatæ regionis certa ſigna tenerent. Quamobrem eam partem communi reſponſo atque iam antea pronuntiato abſoluendam putarunt, idq́; quàm expeditiſſimè, & obſcurius etiã quàm antea. Nã quicunq. audierat illos de terra longinqua veniſſe, nihil ſibi expẽdendum arbitrabatur, cui longinquitatis verbum nullam ad cogitãdum, imò nec ad curandum quidem commoditatem præbebat: remotiſſima enim quæq; à nobis aliena plerumq; exiſtimantur, & percontandi licentiã adimunt, ne dum de ignotis percontamur, ridicula & inepta temerè effutiamus. ideò illi rogati vnde venerint, ad illã obſcurã & priorem narrationẽ* de terra longinqua, *addiderunt* valde, *vt interrogantem negligentiorẽ adhuc redderẽt. Adeò remota noſtra regio ab omnibus his eſt, vt ſi maximè à nobis nominetur & appelletur, tamen cognoſci à vobis non poſſit. Vocabulũ* REHHOKAH *longinquam & remotam, atq. à communi & obuio vſu alienam ſignificat. Vt verò animorũ conciliatione & ſimplicitate ſuſpicionẽ melius fugerent, & Ioſuæ mentẽ ab omni alia cogitatione ad benignitatẽ transferrẽt, addiderunt* ſerui tui, *vt familiaritatis nominibus propoſitis, non vnde eſſent, ſed quantũ ſibi deditieſſent, Ioſue putaret. Venimus, inquiũt, ex remotiſſima regione, ſed vnde ſimus, & nos & qui domi manſerunt, ſerui tui ſumus, idq́; profitemur, ita vt tibi magis gaudendũ ſit, quòd tam longè lateq́; diſſitã gentem in veſtri amorem incenderitis, quàm ſi huc proximè habitaremus. Argumentũ quippe hoc eſt tum noſtri in vos animi, tum ſplendoris veſtri, quòd nos tãto interuallo diſiuncti ac ſepoſiti tãti vos fecerimus, vt dignos exiſtimauerimus quos magno viarum & laborum diſpendio adiremus, ſalutaremus, amicos, patronos ac dominos appellaremus. Quòd verò rogas, quinam ſimus, hoc eſt, quid præter ceteros homines ſortiti aut nacti aut profeſſi vos quærere decreuerimus, illud certior fias nos Dei veſtri nomen ſtudioſè & diligenter cognitum venerari & colere, illiusq́; præcipuè colendi*

lendi & celebrandi cauſa vobis in ſocietatem coniungi expetiſſe, nec metu aut neceßitate impulſos hoc egiſſe, verùm pietatis ardenti ſtudio, quod ex veri cognitione in hominibus bono ingenio præditis fit; non enim natio noſtra adeò barbara ac rudis eſt, adeò terrenis rebus dedita, vt de Deo diuinaq́; natura non ſeriò agat & cogitet, & prouidentiæ argumenta atq. rationes conquiſitis exẽplis inquirat & cõparet: quibus rebus dum intẽti hactenus fuerimus, audiuimus famam potentiæ eius. *Curam, diligentiam & ſedulitatẽ ſummi Dei inquiſitione à ſe poſitam, hoc argumento oratores hi commendant, quòd delatam per terras diuinæ potentiæ, virtutis & efficientiæ famam non ſegniter aut leuè ipſi acceperint, ſed attentè audierint, atq. ex ea cognouerint, illum Iſraelitarum gubernatorem, & ſingularem protectorem ac promotorem Deum eſſe, primamq́; rerum cauſam, non vno tantùm in loco aut populo, ſed vbique terrarum potentißimum & efficacißimum, qui illius ſibi ſuſcepti populi liberandi, defendẽdi ac fouendi cauſa tam multa ſigna & admiranda prodigia terra mariq́; in Aegypto ediderit, nihil impedientibus Aegyptiorum artibus illis celeberrimis aut innumeris dijs. Atq. ſignificanter dixêre,* cuncta quæ fecit. *Namq. cunctorum obſeruatione & conſideratione indicant illũ omnibus locis & rebus præſtantißimum eſſe ſibi cognitũ, non tantùm pro vna gente aduerſus vnam ſingularem Aegyptiorum, ſed aduerſus varias vario ſoli cæliq́; ingenio, varijs artibus & viribus præditus, varijs etiam nominibus dicatus:* & duobus regibus Amorrhæorum. *Quorum nomina, loca, ditiones, potentiæ & ceteræ tum celebritatis, tum etiã amplitudinis circumſtantiæ ab ipſis cõmemorantur duplicẽ ob cauſam; nimirũ vt ſignificent tanto ardentiori ipſos erga Deum Iſraeliticamq́; gentẽ ſtudio fuiſſe incenſos, quãto maiorem in vero inquirendo & cognoſcendo ex tam exacta rerum, nominum, dignitatum, locorum, temporumq́; commemoratione diligentiam poſuiſſe conſtat. Atq. nomina illa Seon, et Og, et Heſebon, & Baſan nõ carent ſignificatione auſpiciorũ, felicitatis atq. ominis, vt illud etiam* Aſtaroth, *quod quamquã locũ ſignificet certũ, numinis etiã illis locis culti nomẽ eſt femininũ ſæpe in ſacris libris cõmemoratum, felicitatisq́; ſignificationẽ affinẽ habet. Quæ tamẽ omnia Iſraelitarum Dei virtute & efficientia ſuperata eſſe aiũt. Animaduerſione verò dignũ eſt, quãta calliditate quid dicendũ, quid ſilentio prætermittẽdũ eſſet,*

Gabaonitæ diſtinxerint, quid miraculorum Dei antiqua exempla (nempe eorum quæ ante quadraginta annos fuerant in Aegypto edita, & aliorum minus veterum tamen ante multos menſes factorum) in ſui ſtudij comprobationem attulere, quæ ſibi audita, obſeruata & collata, æternam & præſtantiſſimam auctoris virtutem oſtenderent; recentiora verò tranſmiſſi Iordanis, captæ Ierichuntis, expugnatæ Hay prorſus tacuêre, vt ſibi iter agentibus propter temporis breuitatem ignota, vel ſi maximè in ipſa via fuerint audita, non ea tamen fuiſſe in cauſa, quamobrem conſilium iterq; illud ſuſciperetur, cùm nondum edita eſſent dum illi domo profecti ſunt, ſed ea tantùm quæ longo iam tempore celebrabantur, in alijs regionibus facta, vt in Aegypto & vltra Iordanē; ita vt indicare velint, ſibi patria proficiſcentibus ignotum fuiſſe, Iordanem ab Iſraelitis eſſe tranſmiſſum, aut regionis Cananæorum partem aliquam occupatam. Quî enim ſciri hoc poterat, tam recens factum, in regione tam remota, à qua iam illos longè abeſſe oportuerat, cùm hæc facta fuerint? ideò autem ſe veniſſe in eum locum vbi illos eſſe certo indicio cognoſcere contigerit, in Galgala videlicet; cùm veniētes exiſtimarent adhuc illos vltra Iordanē verſari, & ipſi deliberato venerint animo Iordanem ortum verſus traijciēdi, et Iſraelitis vbicunq. eſſe contingeret occurrēdi; ideò et locorum trans Iordanem fecerunt mentionē, et cætera tacuerūt, quæ in Iordane ac citra Iordanem fuerant geſta: huic verò ipſorum propoſito & conſilio atque officio, maioris ponderis & auctoritatis expoſitione, fidem atque gratiam amplificaturi, illa etiam addiderunt:

Dixeruntque nobis ſeniores, & omnes habitatores terræ noſtræ, Tollite in manibus veſtris cibaria ob longiſſimā viam, & occurrite eis, & dicite, Serui veſtri ſumus: fœdus inite nobiſcum.

LEGATIONIS *ſuæ dignitatem compluribus argumentis amplificant & commendant, in primis verò publica eorū à quibus miſſi fuerint auctoritate. Significant enim ſe non ab vno quopiam ſingulari viro, vel à tribu aliqua gentis ſuæ, ſed ab omni ciuitate communicato, deliberato atque conſtituto conſilio miſſos: Obiter verò indicant, ſe non ſub rege aliquo, non ſub Tyranno, vel ſub ſingulari Principe viuere, ſed libera ciuitate atque republica vti bene conſtituta, in qua ſenatus atque populus ſuam vtraque pars auctoritatem magna concordia*

cordia tueantur, magnoq́; conſenſu foueant, adeò vt nihil honeſtius, nihil facilius vel eſſe poſsit Iſraelitis vel Ioſuæ ipſi, quàm amicitiam & fœdus cum ea inire, cuius ſenatus & populus omnis, omnes habitatores terræ noſtræ; *tanto conſenſu in diuini nominis cultum & Iſraelitarum amicitiam ambiendam conſpirauerint, conſpirationeq́; facta legationem delectis ex ipſorum numero viris communi ſumptu publica pecunia dandam cenſuerint, eamq́; planè nulla certa definitione loci, temporis, & expenſarum, nulla conditionum exceptione, ſed plena auctoritate pactionis ineundæ quouis nomine pro loci atque temporis ratione.* Et dixerunt nobis. *Verbum* AMAR, *certum, deliberatum, cogitatumq́; ſermonem ſignificat.* nobis, *eorum à quibus miſsi fuerint, ſe perſonam agere & ſuſtinere indicāt. Hebraicè, cùm aliter dici poſset, legimus* ELLENV, *quod auctoritatis & copiæ atque facultatis ad agendum datæ notationem habet.* ſeniores: *hominum varij ordinis & ingenij de grauiſsima re concordiam rariſsimiq́; exempli hæc perſonarum appellatio probat; primùm ciuitatem illam duabus partibus conſtare indicant, optimatibus & populo. Optimates nō gratia, non diuitijs, & opibus definiri, ſed prudentia, maturitate & experientia ſeniores ſenatum conſtituere: Populum reliquum alteram partem eſſe nemine ſiue diuite, ſiue paupere, ſiue nobili, ſiue ignobili excepto, ne qua querelarum, iniuriarum, vel diſcordiæ ſemina ſint.* & omnes habitatores terræ noſtræ. *Itaque peregrini tantùm ſuffragijs excluduntur, ceteri omnes habitatores communicant. verū obiter indicandum eſt Hebraicum verbum* IOSBIM, *& ſedentes & habitantes ſignificare; quod conſultò ab his oratoribus vſurpatū pacem, tranquillitatem & concordiam, atque etiam rerum copiā & omnem quietis rationem illis adſcribebat, omnemq́; difficultatem aut neceſsitatem remouebat; mirandum verò laudādumq́; maximè omnes illius regionis homines tam ſenatus quàm populum in ſumma pace & rerum copia degentes, vno eodemq́; conſilio & ſtudio teneri inquirendi & cognoſcendi quænam natio, & præſtantiſsimum Deum colat, & optima atque feliciſsima conditione vtatur, cuiusq́; amicitiā cupiat, & ſibi conciliandam quàm diligentiſsimè curet: omnes enim legationem decreuerāt, omnes in legationis ſumptus & expenſas conſenſerunt, atque ex publica pecunia abundè ſuppeditarunt, non auarè aut parcè, ſed ipſorum arbitrio. Namq. illa vna omnium vox fuit,* tollite

in manibus veſtris cibaria. *manus menſuram modumq́; ſtatuunt, neque id parcè, ſed benignè quantum ſatis ſuperq́; ſit.* ob longiſſimã viam. *neque enim vos defici, aut ea cauſa iter interrumpere, vel ab alijs in via rogare, aut alio modo ex inopia impediri volumus, neque certum locum ſtatuimus, neque tempus quouſque iter facere poßitis, ſed pergere atque durare iubemus, quocunque illos eſſe intellexeritis, etiam in media ſolitudine, neque expectare certum locum, quò peruenturos ſciatis.* ſed occurrite eis. *Hactenus eorum à quibus mißi legati fuerint auctoritas, animi, conſilia, facultas, ingenia, ſtudiaq́; indicata ſunt: his verò poteſtas legatis facta & ius promiſſum, legationiſq́; materia & argumentum ſubiungitur.* Et dicite, Serui veſtri ſumus, fœdus inite nobiſcum. *Ne quid dubitationis aut exceptionis impedimentum, ijs apud quos agendum erat, quominus res conficeretur, inferri poſſet, extrema conditio in primis proponitur ſeruitutis ab ijs, qui legationem mittebant, deliberatæ. Quod ad nos attinet, inquiunt, tanto erga vos animo, ſtudio & amore incenſi ſumus, vt quocunq. nomine vobis deuinciamur, tamen felices exiſtimemur; quippe nulla conditio ſeruitute inferior eſt, hanc nos aduerſum vos profitemur, & vltro offerimus, ita vt hanc ſi res poſtularit, non inuiti, ſed ſponte ſubeamus, anteq́; deliberatam & decretam inter nos appellemus, quàm vos conuenerimus, nedum omnẽ aliam hac beatiorem à vobis ſtatutam, recuſemus; itaque nos ita vt ſumus, hac reipub. & ciuitatis, qua viuimus, facie, veſtri ſerui ſponte vltroq́; nominamur, & ſumus. nihil igitur de nobis dubitãtes, Fœdus inite nobiſcũ. Grauiorem conditionem vltro offerentibus, leuiorem & ſplendidiorem non ſtatuere, inofficioſum inhumanumq́; eſſe exiſtimaretur: liberè atque tutò nobiſcum fœdus inire poteſtis, inquiunt, qui vos dominorum loco habemus, & ſuſcipimus. Atque cauſam omnem commendatam à laude ingenij, naturæ, cõditionis, liberalitatis, animi, ſtudij & promptitudinis, eorum à quibus mißi erant, à ſuoipſorũ officio etiam comprobant & confirmant, dignosq́; ſe eſſe oſtendunt, quorum maxima quoque habeatur ratio, vtpote optimæ reipublicæ ſedulos miniſtros, & ipſorum Iſraelitarum cum primis ſtudioſos.*

En panes, quando egreſſi ſumus de domibus noſtris, vt veniremus ad vos, calidos ſumpſimus, nunc ſicci facti ſunt, & vetuſtate nimia comminuti. Vtres vini nouos impleuimus,

nunc

nunc rupti ſunt & ſoluti. veſtes & calciamenta quibus induimur, quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita ſunt, & penè conſumpta.

OMNIA *hæc ab oratoribus non ad longiſſimæ viæ, ſed ad curæ, diligentiæ, ſedulitatis & operæ ipſorum argumentum, officijq́ commendationem producta oſtenſaq́ fuere, quòd legationem ſuſceptam quoad pro ſui ſuorumq́ animi ſententia & voto obirent & abſoluerent, nullis priuatis cõmodis, nullis delitijs, nullis voluptatibus indulgere, nullis laboribus aut difficultatibus vel incõmoditatibus parcere decreuerint, nihilq́ prætera agere aut curare conſtituerint, quàm vt Iſraelitas quocunque terrarũ eſſe contigerit, quærerent. quam animi conſtantiam & pertinaciã, vt nec tempeſtatum neq. viarum vis illa aut impetus interturbare aut repellere potuerit, tũ euentus ipſe oſtendat, tum illa prælatarum rerum ſigna omnia confirmẽt: Quòd qui panes calidos domo protulerint, vbi calidos habere, & recentes eſſe ſemper poſſent, nec alios ſibi edendos conſtituerint, quàm illos domo delatos, donec ad Iſraelitas peruenirent, & tamen tamdiu iter fecerint, & perdurauerint, donec aridiſſimos duriſſimosq́ iam redditos panes comedere coacti fuerint: neque verò diuinitus videri ſibi negatũ voti euentum, quibus quamuis longiſſimum factum ſit iter, tamen panes non antea conſumpti fuerint, quàm ad ipſos peruenire contingeret. Quippe hanc voti deſtinationis rationem illa expoſitio ſignificat,* Quãdo egreſſi ſumus de domibus noſtris vt veniremus ad vos, calidos ſumpſimus. *Vtres etiã quæ corio conſtant caprino, aut durioris naturæ & propter lentorem magis etiam ariditati & iniurijs viarum cedente, & nouos & vino plenos fuiſſe ſublatos, nunc verò exhauſto iam vino, veteres & ruptos conſpici, qui tamen vino quàm aqua conſeruari melius poſſunt. Ideò enim aiunt,* Vtres vini.. *Oportuit autem vinum ipſum aliquo iam elapſo tempore euaneſcere & corrumpi, atque illos etiam hac incommoditate fuiſſe affectos; itaque quantum ad cibum & potum vitæq́ alimenta, interna huiuſmodi incommoda ſibi perlata oſtendunt, quæ etiam exterioris cultus & habitus non mitior aut lenior conſecutus fuerit vſus, vt veſtium & calciamentorum ſpecies ipſa indicabat.* trita & penè conſumpta ob longitudinem longioris viæ. *Hebraicus idiotiſmus habet;* à magnitudine viæ valde; *cuius elegãs ſignificatio cognoſcitur ex etymologia nomi-*

σύμβολον apud omnes olim nationes fuit, & hodie ab orientalibus cunctis obſeruatur, & in inſulis etiam occidentalibus, quæ minus ab exteris nationibus ſunt frequentatæ, idem adhuc mos perdurat: namque hoc tantùm nobis per Hiberniam tranſeuntibus moleſtum erat, quòd in ſingulis domibus, quas vel ſalutandi, vel res alias agendi cauſa ingrediebamur, poſt datas dexteras magnum latumq́; panem, qui ſemper integer afferebatur, quamprimùm diuidere, guſtare, & delibatæ ceruiſiæ hauſtu proſequi cogeremur; vexabamur, inquam, non ipſo humanitatis & hoſpitalitatis officio, verùm aſsiduitate illa, ſingulis in domibus comedendi, maximè verò deguſtandæ ceruiſiæ, mihi tunc non bona valetudine vſo, & à vini atque ceruiſiæ potu abhorrenti. Hunc itaque morem Iſraelitarum principes admodum creduli obſeruantes, acceperunt de cibariys. Acceperunt argumentum earum rerum, quæ ab oratoribus fuerant narratæ, & commendantes ſuam erga illos illorumq́; ciuitatem animi propenſionem & voluntatem declarauerunt. Et quanquam veroſimile ſiat, Gabaonitas Iſraelitarum cibis melioribus atque commodioribus vſos refectosq́; fuiſſe, id quod non tam amicitiæ ſignum quàm communem neceſsitatem ſpectaret; non eſt ab hiſtoriæ ſcriptore narratum, ſed quòd viri principes, qui apud Ioſuan erant, de cibis illorum acceperint; namque hoc pacto non tantùm cum illis ipſis oratoribus, ſed etiam cum illorum ſenatoribus, & populo omni, quorum auctoritate & ſumptu cibi illi parati & traditi fuerant, quibus etiam vel ſimilibus ciuitas illa omnis reficiebatur, ſeſe communicare declararunt. Fuiſſe verò Principes Iſraelitarum eos, à quibus hoc factum fuerit, Hebraica, Chaldaica & Græca lectio, ac proximus etiã verſionis noſtræ verſus declarant, atq. in his rationibus actionibusq́; omnibus præcipuam partem, hoc eſt religioſam prudentiam fuiſſe requiſitam, ſacra lectio docet. & os Domini non interrogauerunt. *In omni conſilio atque actione illud prudenter diligentérque cauendum eſt, ne incerta pro certis habeamus, iiſq́; temerè aſſentiamur. Atque in hac deliberatione quædam certa, nonnulla etiam incerta erant: Certiſsimũ enim fuerat, fœdus cum Cananæorum populis inire, fas non eſſe; cum remotiſsimis verò nefas non eſſe, dummodo in fœdere nihil aduerſus veram religionem decerneretur. Deinde certum hoc erat, nominis Dei gloriam omni ſtudio quærendam, humanitatis officia iis qui ſeſe*

amicos verè exhiberent, præſtãda. Omnia hæc ex ſacrorum librorum diſciplina conſtabant; hoc verò incertum erat, an hi qui fœdus ambiebant, ex vicinis legeq́ acceptis gentibus eſſent; id quod cùm fuerat à populo dubitatum, ideóque diligentem inquiſitionem poſtulabat: Illud præterea in incertis erat, ſi maximè conſtaret hanc gentem ex exceptis eſſe, quemadmodũ excipi dimittíque oporteret, vtpote quam præter ceteras omnes & ſtudioſam atque officioſam, atque adeò ſingulariter prudentérque agentem, et non exſpectato obſidionis tempore fœdus poſtulantem, cui non ſatis officioſè conſultum eſſe videtur, ſi communis illa pacis ſtatueretur conditio, cùm tamen fœdus ſanciri non liceret. Huiuſmodi itaque iniectum ſcrupulum & dubitationem diuino petito reſpõſo tolli oportuit, quod in omni dubio exemplo tunc ſacris incolumibus omnibus, ſacerdote maximo viuente, VRIM, & THVMIM paratis præſto erat. Quod ſi hæc non extitiſſent, præſtaret tamen vel certis, apertis & expreſſis obſeruandæ omnino legis, pietatis, & vani cultus excludendi conditionibus agere, vel cauſam ipſam integram ad meliorem notitiã reſeruare, potius quàm
1.Mac.4. certa deciſione tranſigere; ita enim huiuſmodi exemplis Iſraelitarum horum edocta poſteritas aliquando agebat. » Et mundauerunt ſancta, » & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum, & cogitauit de altari holocauſti quod prophanatum erat, quid de eo faceret. » Et incidit illis conſilium bonum, vt deſtruerent illud, ne fortè illis eſſet in opprobrium, quia contaminauerunt illud gentes, & demoliti ſunt illud, & repoſuerunt lapides in Monte domus, in loco apto » quo uſq; veniret propheta, & reſpõderet de eis. Huiuſmodi bonum conſilium in principibus ijs, qui apud Ioſuan erant, deſideratum eſt. quibus, cùm os Domini interrogare liceret, & expediret, placuit potiùs humanam aliquam prudentiæ rationem ſequi, & viam inſiſtere, quæ media videbatur: vt neque fœdus abſolutè cum oratoribus feriretur, neque pacis illa infima tributaria pactio conficeretur: quippe hæc ieiuna nimis, & humillima pro gentis ratione exiſtimabatur; illa verò altera, quòd omnium rerum & commodorum communicationem contineret, vani cultus fouendi declinatione & cautione excipienda cenſebatur: Tertia igitur quædam excogitata eſt duobus capitibus conſtans, duobúſque ſimul nominibus appellanda. Hoc verò principibus viris prudens atque ſapiens conſilium viſum eſt, vtpote quorum

quorum ingenia à ſimplicitate ipſa rerum & rationum ad huiuſmodi commenta, quæ ipſorum ſermone media, noſtrique ſæculi Gallico vocabulo apoinctements *vocantur, declinare plerunque ſoleant.*

Fecitque Ioſue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt vt non occiderentur. Principes quoque multitudinis iurauerunt eis.

COMMVNICATIS *collatisq́; conſilijs, Ioſuæ atque principibus pactionem cum oratoribus illis inire placuit, nouo quodam inuento genere, quod neque planè liberum fœdus eſſet, neque ſimplicis etiam pacis legibus definiretur, ſed vtroque nomine ſimul appellata vtriuſque rationibus communicaret. Certam autem verborum conceptam fuiſſe formulam, quorum ſignificatione & obſeruatione ius vtrinq. conſtitueretur, hiſtoria nobis indicat. Primum enim Pacis nomē illud Hebraicum celeberrimum* SALOM *appellatum eſt, quod pacem, concordiam, ſecuritatem & tranquillitatem ſignificat: id, vt ne exiſtimaretur eorum qui victi deditíue fuerint, rationibus explicandum, auctoritate principis exornatum eſt; Deinde ſingulari verbo (Faciendi) adiunctum eſt. Namque illa altera Pacis ratio, quæ deditionem ſequebatur, totius Iſraelis nomine, conſenſu & ſententia atq. ſuffragio publico conſtabat: hæc verò, quæ ſingulari quadam ratione inſtituebatur, Ioſuæ vt ſummi ducis nomine et auctoritate, veluti priuilegio quodā conficiebatur, idq́; addito verbo (Faciēdi) quod præter hunc locum tribus tantùm alijs apud Hebraicos libros cum vocabulo* SALOM *coniunctum reperitur. In quibus omnibus ad Deum refertur vt auctorem ſummum, voluntariamq́; concordiam non coactam, ſed gratam ſignificat: vt apud Iob, Qui facit* SALOM *concordiam in* Iob.25.
ſublimibus tuis. Et apud Iſaiam, Domine dabis pacem nobis, Hebrai- Iſa.26.12.&
cè idem quod hoc loco verbum legimus: & apud eundem, Formans lu- 45.7. "
cem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Cum his "
igitur Ioſue vt ſummus dux pacem facit, non coactus, neque vt cum coactis, ſed vt princeps cum ſponte petentibus, & offerentibus: ſimilem autem pacis conditionem illis, quæ inter populos aliquos iniri ſolent, pactionibus concordiæ mutuiq́; auxilij, quod ad ſalutem vitamq́; tuendam, & ad bellum vtrinque vitandum, vel aliunde allatum propulſandum attinet; cuiuſmodi pacem inter Iabin regem Azor, & Iud.4.
domum Haber Cinæi, & inter Hyrā Tyrium & Salomonem fuiſſe, 3.Reg.5.

hiſtoriæ ſacræ tradunt. Itaque quod rem ipſam ſpectat, pactionis huius materia pax fuit; hoc eſt vitæ ſalutiſq́; conſeruandæ & propugnandæ conuentio. Quòd verò ad dignitatem attinet, fœderis celebritate, & ſolemni ritu confecta eſt pax, ita vt fœdus pacificum, vel pax fœderata appellari poſſet, nec ſimpliciter pax, nec ſimpliciter diceretur fœdus, quamobrem in fœderis mentione cauſa explicata fuit. vt non occiderentur: *Non ſolùm ab Iſraelitis, ſed à nullis alijs hoſtibus Iſraele incolume, & principibus illis ſaluis, quorum in pactione hac fuit coniuncta cum iureiurando conſenſio. Hanc eſſe huius cauſæ, vt non occiderentur, ſententiam Chaldæa lectio docet, & ipſa Hebræorũ verborũ vis explanat. Chaldaicè ſic ex verbo, Et ferijt illis pactum ad viuificationem ipſorum: Hebraicè verò, Ferijtq́; ijs fœdus ad viuificandum eos. Verbum* HHAIAH, *Viuere, & ſanum incolumemq́; eſſe, vel euadere ſignificat. Ideoq́; cõſtituta verbi formula Ad viuificandum, exponenda eſt, ad ſanos, ſaluos incolumesq́; ſeruandum ac defendendum. Ad cetera verò ipſorũ vel iura vel pacta, vel commoda vel iudicia conſeruanda, vel alia incommoda iniuriarumq́; genera propulſanda, non obligabatur hoc pacto Ioſue, niſi ipſorum fortaſſè cauſa ſalutis diſcrimen ſubiretur. At verò ab omni publico vitæ periculo quacunque ex re procreato illos defendendos, & pro fœderis ratione liberandos, Ioſue recipit, eandemq́; fidem Principes omnes Iſraelitæ iurati ſanctiſſimè ſibi obſeruandam ſuſcipiunt: qui tamen hoc clam inſcioq́; populo egerunt. Nam cùm illi ſeſe non in ſingularem fidem ac tutelam receptos à Ioſue viderent, ſed in medium quoddam genus pacis ac fœderis admiſſos, exiſtimauêre nõ ſatis tutos eſſe poſſe, ſi quid humanum Ioſuæ duci accideret, manereq́; obnoxios Iſraelitarum vel arbitrio, vel iudicio, quod minus ſibi ſecundum fuerant hactenus experti. Igitur Principes viros ſibi præfandos duxerunt, non omnes in vniuerſum, ſed eos qui in publicis actionibus totius concionis, ſiue cõuentus, vel concilij Iſraelitici perſonam, auctoritatem, facta ac dicta præſtarent.* multitudinis *nomen Latinum pro pluribus & varijs Hebraicis reddere ſolet Interpres noſter, quorum ex numero eſt* GHEDAH *hoc loco deſcriptum, quod ex etymologia, Multitudinem ſignificat, non temerè aut vulgariter coniunctam, ſed certo tempore propter certas cauſas publicasq́; rationes coactam, dictamq́; à verbo* IAGHAD, *cuius ſignificationes Latinè Conſtituere tempus,*

conue-

conuenire, celebrare, diem dicere, & alia huius notæ ſunt; ita vt non alienum videatur multitudinem celebritatis Latino ſiue alio minus Latino, hoc tamen tempore vulgò in iudicijs vſurpato, Cõſiſtorij verbo exponere, cui adiunctum nomen NESSIIM, *pro quo Latinè legimus Principes, quod ex etymo Portatores ſiue latores vel ſuſtinentes dicere poſſumus, indicat pactionem illam à Ioſue factam fuiſſe clam cum cõſiſtorialibus proceribus cõmunicatam, ab ipſisq́. (populo inſcio) iureiurando firmatam. Hoc quippe indicat oratio illa,* iurauerunt eis. *Proceres, inquit, vltra conſtitutam illã à Ioſue mediã pactionem, ſeorſum iurauerunt eis non tantùm non ſe Ioſue pactum violaturos, ſed vltrò etiam cùm res exigat, præſtituros. Atq. ita Gabaonitæ diſſimulatione, arte, eloquentia ambitam conuentionem, quamquam non adeò atque optauerant, plenam & ſplendidam, tamen certam commodamq́. ſatis, & iuriſiurandi ſanctitate firmatam, ac duplici auctoritate munitam, illuſtriq́. fœderis titulo commendatam domum retulere. Namque ſemel in hac narratione pacis nomen, fœderis verò bis appellatum eſt. Oſtendebamus verò non multo antea quid inter fœdus & pacem intereſſet, & quemadmodum pacis ratio alia inibatur cum ijs qui non infeſtati bello ad pactionis conditiones conuenirent, alia cum ijs qui bellum vel metuentes, vel iam experti deditionem facerent. Legitimumq́. fuiſſe ac ſolemne Iſraelitis pacem primùm offerre, ijs quos bello adorirentur, ſiue per nuntios, ſiue per literas id fieret, & cum ijs qui ſeſe dederent, tributi cõditionibus paciſci; ijs verò, qui oblatam pacem repudiarent, victis omnes maſculos occidere, feminas in ſeruitiorum vſum abducere; ſi tamen ex remotioribus hoſtibus eſſent. Namq. ex vicinis, hoc eſt Canaan poſteris bello ſuperatis, nulli neque ſexui, neque ætati parcebatur, ſicut lege lata exceptum erat:*
Sic facies cunctis ciuitatibus, quæ à te procul valde ſunt, & non ſunt Deut. 20.
de ijs vrbibus, quas in poſſeſſionem accepturus es. De ijs autem ciuita- "
tibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere, ſed inter- "
ficies in ore gladij, Hethæum videlicet, & Amorrhæum. Atq. Ioſue "
pacem ſingulis gentibus, antequam bellum inferret, obtuliſſe, ex illa ſæpius repetita expoſitione liquet: Et fecit Ioſue ſicut præceperat ei "
Moſes famulus Domini, & ſicut præceperat Dominus Moſi ſeruo "
ſuo, ita præcepit Moſes Ioſue, & ille vniuerſa compleuit; non præ- "
terijt de vniuerſis mandatis ne vnum quidem verbum, quod iuſſerat "

Dominus Moſi. Atque Hebræi ſcriptores ij, qui antiquiorum cenſentur numero, tradunt triplex Ioſuæ mandatum gentibus illis fuiſſe denuntiatum: Quiſquis migrare optarit, migrato: quiſquis paciſci voluerit, paciſcitor; quiſquis verò bellum gerere maluerit, bellum expectato. Migraſſe verò aiunt Cananæos ſolũ, atque fertiliſſimã frumenti orbis partem Africam occupaſſe, relictamq́; regionem & ceteras ab Iſraelitis captas illorum cauſa fuiſſe Canaan Terram communi vocabulo dictas. Sed quod illi Cananæorum famæ adſcribunt, nos ad diuinorũ promiſſorum & beneficiorum euentum & laudẽ referimus.


Homeliariis in Ioſue.

Poſt dies autem tres initi fœderis, audierunt quòd in vicino habitarent.

C E R T A M, *nec dubijs rumoribus famam præbuiſſe ſignificat verbum* audierunt. *non enim vnuſquiſpiam accepit, ſed publicè ſparſum omnes acceperunt. Nam in fœdere ſanciundo nomen exprimi neceſſe fuit vtriuſque partis, & ita Gabaonitæ ſuam ciuitatem appellarunt, quam quatuor vrbium agro contineri expoſuerunt; Gabaon, Chephira, Beeroth & Kiriath-Iegarim, nulla mentione facta gentis ad quam pertinebant, Heuæa videlicet. Vero namq́; ſimile fuit, Iſraelitis quibus communia gentium nomina repetita inculcataq́; fuerant, illa quatuor vrbium non fuiſſe hactenus audita: non enim omnia illis oppida nota fuiſſe videntur, antequàm viri à Ioſue omnem regionem deſcribendi cauſa mitterentur. Itaque ab illis quatuor illa ſociarum vrbium nomina appellata ſunt, tanquam ciuitatis cuiuſdam totidem pagis conſtantis. Quod verò ad locum declarandum faciebat, illa expoſitione concluſum eſt,* de terra longinqua, *&c. Iam verò poſtquàm oratores domum re confecta reuerſi ſunt, fama per quatuor illas vrbes diuulgata fœderis pacifici conſtituti & iurati publicam lætitiam excitaſſe conſentaneum eſt, atque inde rumores ſparſos ad Iſraelitas vſque fuiſſe delatos; qui cùm ab obuio quopiam quærerent, quonam loco Gabaonitæ eſſent, & quàm proximi aut remoti degerent, duo audierunt quibus populus vehementer offenſus fuit: alterum omninò contrarium ijs, quæ ab illis erant prædicata & confirmata, videlicet, De terra longinqua venimus; audierunt verò illos in vicino habitare. Alterum verò legis acceptæ rationibus oppoſitum. Lex enim vetabat fœdus cum ijs feriri, qui conſuetudinis exemplo Iſraelem corrumpere poſſet: ideóque illi qui primùm fœderi*

ſan-

ſanciendo interceſſere, dixerant, Ne fortè in terra, quæ nobis ſorte debetur, habitetis. Quæ exceptio ſic Hebraicè habet: Fortè in interiore mei tu ſedes. Nunc verò quod cautum exceptumq́. populus voluerat, tamen ipſorum diſſimulatione conſtanti & principum credulitate & incuria admiſſum videt, quòd inter eos futuri eſſent. Hebraicè, Quòd in interiore ſui illi ſedentes. Duo igitur magnæ offenſionis argumenta hæc fuère: alterum deceptio & fraus; alterum verò legitimæ exceptionis inturbatio. nam ſi maximè illi in ſepoſito aliquo regionis angulo agerent, erat tamen graue facinus & vltione dignum voluiſſe populum Iſraeliticum vanis fictiſque actionibus ita decipere, atque adeò decepiſſe. Verùm hoc etiam quamuis grauiſſimum, tamen vtcunque ferendum eſſet, ſi contingeret illos ſeorſum habitare, vbi circumſcriptis limitibus coërceri, & à conſuetudine atque frequentatione Iſraelitarum ſeiungi facile eſſet. Nunc verò cùm in medijs regionis viſceribus ſiti deprehenderentur, peſſimè hac res Iſraelitas vtpote duplici nomine deluſos habebat. Vt verò melius intelligatur oratio illa, & inter eos futuri eſſent, nouem gentium ſitum in margine à nobis notatū, intueri & contemplari operæpretium fuerit, vel ad tabulas, quas in ſacro Apparatu deſcribebamus, recurrere. Hanc igitur duplicem offenſionem ſuámque auctoritatem, populus Iſraeliticus repentino impetu commotus publicè vindicandam duxit.



Moueruntque caſtra filij Iſrael, & venerunt in ciuitates eorum, quarum hæc vocabula ſunt, Gabaon, Caphira, & Beroth, & Cariathiarim.

POPVLARIS *tumultus exemplum viuum hic deſcribitur, & quemadmodum prudenter compeſci poſſit, indicatur. Populus cenſet fraude malóue dolo factū, fœdus minimè eſſe legitimū, ideoq́. reſcindendum: hoc indicio ductus, nulla alia conſultatione facta, caſtra mouet, obſtinato animo atq. cōſilio perdendi quatuor vrbes illas fœderis confecti cōſortes: nam quāquam alia etiam Heuæorum eſſent oppida, illa tamen quatuor cōmodorum & incommodorum ſocietatē inter ſe inijſſe videntur: tribus autē integris diebus populi impetū Principes viri non ſolùm ferunt, ſed etiā ſequūtur; quippe & ipſi vnà cū caſtris eodē tendunt, quoad in illarū vrbium agrum deuentū eſt. Non enim intelligimus in omnes illas pariter eodemq; tēpore fuiſſe peruentum,*

ſed

ſed in locum ex quo omnium illarum ſitus & natura cognoſci poſſet, ibidemq́; poſt dierum trium iter confeſſum, vt quando primùm bello adoriri commodiſsimum eſſet peruideretur. Neque ſignificatione caret numeri nominumq́; adnotatio, tum ad cogitandum non poſſe omnes vnà obſideri, tum ad diſpiciendũ quàm potiſsimũ peti expediret, atque etiam ad conſilij deliberationem, quemadmodum vnamquamq́; illarum inuadere minus incommodum eſſet. Videntur enim illis Cananæorum vrbibus varijs de cauſis nomina olim indita, in quib. primas partes obtinent loci ſitus, natura & ingenium, atque commoda & incommoda ex vicinis adiunctisq́; rebus notata. Hoc verò pacto Gabaon *Cananæum vocabulum, Latinè Culmen, Hiſpanicè cumbre dici poteſt. Chaphyrah, ſiue, vt illa lingua, Hachephirah cum ſingulari nota appellatur Leuncula, Hiſpanicè la leoncilla.* Beeroth, *putei, Pozos Hiſpanicè.* Cariath iegarim, *vrbs ſaltuum, Italicè, Ciuitaboſchi. Dum itaque in his locis conſiderandis populus eſſet, remiſſo aliquantulum impetu illo primo, quem trium itinerum ſpacio deferbuiſſe oportet, & multorum animis iam ad aliam cogitationem deductis, opportunum viſum fuit Principibus, auctoritate officioq́; ſuo vti; atque ita quamuis difficilem intelligerent, non tamen impoſsibilem Gabaonitarum defenſionem ſuſceperunt, & confecerunt, quam triduo anteà fortaſsis non abſque periculo ſuo tentaſſent.*

Et non percuſſerunt eos, eo quòd iuraſſent principes multitudinis in nomine Domini Dei Iſrael.

P O P V L I *calorem & furorem, Principum opera & auctoritate fretum fuiſſe, hiſtoria indicat, qui vt conarentur, & conficerent, duplici cauſa permoti ſunt: altera, quòd quanquam fœdus à Ioſue ſancitum ob doli mali exceptionem illegitimum videretur, tamen iuriſiurãdi à Principibus ſeorſum facti ſanctitatem violare, nefarium omnino cenſebatur, & tam populo quàm principibus ignominioſiſsimum erat: quandoquidem iuſiurandum ſanctiſsimis ac ſignificantiſſimis nominibus comprehenſum fuerat,* Domini, *cuius expoſitiones miſericordiæ ac veritatis conſtantiã ſpectant, Dei, Gubernatoris, Rectoris atque Iudicis tum nationum omnium, orbisq́; totius, tum Iſrael potentis cum Deo, cuius nomen à Iacob patre ſtudioſiſsimè cultum, reuerentiſsimeq́; fuit obſeruatũ. Quod ſi nunc fide publica præſtanda alij violarent, vindex, & infenſum experiri neceſſe foret.*

Neque

Neque verò hanc obſeruationem doli mali exceptione prætermitti poſſe affirmabant Principes: quippe doli mali non omnibus gentibus fore notam famam, at verò iuriſiurandi primùm facti, deinde violati ſiue neglecti manifeſtam fore credibile erat. Sed huiuſmodi infamia Iſraelis nomen quàm longiſſimè remotũ eſſe oportebat. Quod ſi Gabaonitarum fraus omnibus nationibus aperta exploratáque maximè eſſet, id quod illis perditis & vaſtatis minimè erat ſperandum, cùm tantùm Iſraelitæ accuſatores manerent; qui verò vel delictum defenderent, vel confiterentur, Gabaonitæ non ſupereſſent; tamen ex duobus nominibus illud arripere ac tenere oportuerat, quod Iſraelitis honeſtius, commodius, vtiliusq́; eſſet. Atqui omnibus partibus præſtiturum exemplum eſſe famæ, quæ tantam apud Iſraelitas iuriſiurandi fidem atque obſeruantiam eſſe prædicaret, vt etiam dolo malo exactum iuſiurandum vbi ſemel dari contigerit, tamen ſanctum, firmum conſeruandumq́; cenſeretur. Hoc enim pacto diuini nominis illius maieſtatem amplitudinemq́; omnibus gentibus oſtendi, pietatis ac fidei Iſraelitarum laudem propagari, humanitatis opinionem augeri, & reipublicæ illius dignitatem commendari, nobilitatem illuſtrari, & auctoritatem omnibus nominibus obſeruandam probari. Denique Gabaonitas maiori deinceps erga diuinum nomẽ obſeruantia futuros, vtpote cuius vnicæ reuerentiæ vitam ſalutémque ſuam duplici cauſa aliàs damnatam, acceptam porrò laturi eſſent. Itaque alterum præcipuumq́; defenſionis caput iuris ſanctitas & ſeruatio fuit: Alterum verò ſua principum ipſorum auctoritas atque dignitas, quam cùm aliarum gentium, tum Iſraelis ipſius cauſa nullo pacto minui ſinendam, nulla ratione negligendá, Principes cenſuerint; imò hoc exemplo quamlibet arduo ac difficili defendendam decreuerunt. Namque aliàs populus, vbi ſemel Principum auctoritatem vi frangere aut imminuere cœpiſſet, omnibus in rebus alijs deinceps contemneret & perrũperet, paſſimq́; tumultu & armis quicquid libuiſſet, tentaret, atque conficeret. Eſſe verò his initijs abſiſtendũ, quamquàm videretur durum efficere, vt populus, qui obſtinato animo triduum integrum facto itinere vrbes illas perdere conſtituiſſet, nũc iam in ipſo rei gerendæ loco et articulo conſtitutus, retineretur, compeſceretur, & incepto reuocaretur, req́; infecta rediret, alióue declinaret; Attamen duobus his nominibus, vtpote maximis vnà coniun-

ctis ſanctitudinis primum iuriſiurandi, quod publica auctoritate factum negligi nefas eſſet, atque dignitatis magiſtratuum & principum multitudinis, qui volentes Ioſue fœdus comprobarunt, & fidem publicam ei rei obſeruandæ aſtrinxerunt, ſatis ſuperq́; virium ponderisq́; ineſſe exiſtimarũt ad populum in officio continendũ. Quamquam enim in publico tumultu Principum auctoritatem vel eleuare, vel contemnere audaciſſimus, aut improbiſſimus quiſque ſoleat, nullus tamen ſacroſanctæ religionis maieſtatem vel verbo temerare, vel facto imminuere audet, niſi ſe etiam impijſſimum oſtendere velit. Ex quo fit, vt quicunque ſuam cum religionis cauſa (vt modò hi Principes fecerunt) coniungere communicareq́; poſſit, is ſi fictè & malo dolo agat, initio tamen hominum animos non leuiter cõmoueat, quamquam demum concidat; ſi verò bona fide id agat, victor tandem votiq́; compos euadat. Itaque Principes multitudinis ſiue concilij proceres, ne nomen ſuum eleuaretur auctoritasq́; imminueretur, diligenter prouidere, cui auctoritati Iſraelitæ derogare non poterant, ſed obſequi debebant; vtpote ipſius multitudinis vices & partes ſuſtinenti: Ideóque appellantur hoc loco principes multitudinis, quo nomine ſignificatur ipſos non priuatè, ſed vt totius concilij proceres & miniſtros rem illam publicè firmaſſe.

Murmurauerunt itaque omne vulgus contra principes Iſrael.

CVM *populus ſeſe Principum iureiurando obligatos primùm, deinde etiam auctoritate compreſſos ab incepto retardari ſentiret, in proceres ipſos quamprimùm tumultuari & oblatrare cœpit, non in Ioſue ob fœdus priuatè ſancitũ, quod illi doli mali exceptione reſcindi poſſe putauerant, ſed in Principes, qui vltrò iurauerant, & nunc iuriſiurandi ſanctitate ſuaq́; auctoritate vltionem impediebant; ideò ſignificanter ſcriptum,* contra principes. *Hebraicè additus articulus illos, eoſdem proceres notat in vniuerſum, nõ Ioſue, aut alium quempiam. Quod verò legimus* omne vulgus, *Hebraicè eſt* HAGHEDAH, *quod populum ſignificat, ea tamen ratione qua concilium appellari diximus, quod aliàs multitudinem Interpres noſter vertit. namque ea ratione ſeſe obligatos ſentiebant. obmurmurationis itaque ſiue incuſationis* HAGHEDAH *argumentũ erat, quòd proceres* HAGHEDAH *id agerent, quòd ipſi* HAGHEDAH *minimè expediret. Iam verò non eſſe iuris vt quiſpiam vices parteſq́; ſuas alicui imponeret ſui*

L. pen. §. 1. ff. mandati.

Pro Sext. Roſc. Am.

ſui ipſius deſtruendi cauſa, itaque auctoritatem procerum HAGHEDAH *aduerſus ipſam* HAGEDAH *conſtare non potuiſſe. Atque hoc pacto ex duobus defenſionis capitibus alterum euertere molita eſt* HAGHEDAH, *quod proceres ipſi pro loco ac tempore omittendum duxerunt, atque alterum de iureiurando accipiendum omníque ſtudio continendum & propagandum ſuſcepère.*

Qui reſponderunt eis, Iurauimus eis in nomine Domini Dei Iſrael, & idcirco non poſſumus eos contingere.

OSTENDVNT *ſe non vſque adeò de auctoritate ſua laborare, neque diſputare an ea poſſit ab ipſa* HAGHEDAH *reſcindi, quæ ſi maximè reſcinderetur, non tam in ipſorum dedecus, quàm in ipſius* HAGHEDAH *leuitatem recideret, cuius nomine fiebat quicquid per proceres ageretur. Verùm hoc prætermiſſo capite, alterum illud conſtare, quod iuriſiurandi maieſtatem ſpectabat, cuius arbitriũ non penes populum, non penes proceres, ſed penes Deum eſſet. Quod ſi maximè vellent ipſi ſuam auctoritatem populi voluntati aut cupiditati permittere, tamen Dei partes ipſi tentare, violare, aut minuere non poſſent. videret itaq;* HAGHEDAH *an ipſa hoc facere poſſet; ſe omnino illa in cauſa declarare, & confiteri factum, quo ad Dei nominis laudem & obſeruantiam ſuſceptum fuerit, id à ſe nulla ex parte reſcindi poſſe, neque non modò Gabaonitas occidere, ſed nec tangere etiam ſibi integrum eſſe. Iam verò ſi Iſraelitæ iuſiurandũ reſcindi velint, id conſilium Deo probatum non iri, dubium ipſis non eſſe, quibus proptereà Gabaonitæ vel tangendi minimè iudicentur, idq́ populo prædicendum obteſtandumq́ fateatur, cogitandumq́ relinquatur, an Iſraeli Dei ſui nomen violare, & in diſcrimen, aut in varia gentium iudicia leuitatisq́ ſuſpicionem adducere liceat. Interim autem ſeſe & religionis maieſtati cum primis, & ſuæ etiam ipſorum dignitati & auctoritati minimè defuturos eſſe profitentur.*

Sed & hoc faciemus eis: Reſeruentur quidem vt viuant, ne contra nos ira Domini concitetur, ſi peierauerimus.

PROPOSITI *iudicij ſui ſententiam ſibi integram infractamq́ manere declarant Proceres, eámq́ duplicis ponderis ratione; altero quidem, quòd id ſuæ ipſorum dignitatis & auctoritatis maximè interſit, etiã ſi iuriſiurandi ſanctitas nulla fuiſſet adiuncta, nedũ cùm adiuncta fuerit grauiſſima illa nominis Dei maieſtas, quam impunè*

violari non poſſe, minimè ipſi dubitent. Hæc illius orationis ſententia eſt. Sed & hoc faciemus eis. *Hoc, inquiunt, nos auctoritate noſtra illis faciemus & præſtabimus, quod etiam ſi hoſtes declarati fuiſſent, deditionem tamen ante pugnam facientibus negari non poſſet ex lege.* Reſeruentur quidem vt viuant: *nunc cùm illis nos vitã & incolumitatem polliciti fuerimus, communi & cõcordi omnium ſententia & nomine* HAGHEDAH. *Maximè cùm huic ſententiæ atque pactioni fuerit iuſiurandum interpoſitum, cuius violatio certiſſimam nobis calamitatẽ adferet. Hæc partitio diſtributioq́; rerum & ſententiarum, quam huic verſui explicando præferimus, ex Hebraica lectione apertè indicatur, quæ ex verbo ita habet:* Hoc faciemus eis, & viuificare eos, & non erit ſuper nos ira ob iuramentum, quod iurauimus illis. *Sic etiam Chaldaicè, & totidem ferè verbis Græcè legimus. Atque hæc vna procerum apud populum actio facit, qua ſeſe illi dignitatis ſiue defenſores atque diuini iuriſiurandi conſeruatores fore declararent, cauſæ etiam æquitate demõſtrata, quòd illi qui pacem precati eſſent, occidi legitimè non poſſent. Altera denuò inſtituta actio eſt, qua populus Gabaonitis parcere cõmento quodam cogatur.*

Sed ſic viuant, vt in vſus vniuerſæ multitudinis ligna cędant, aquasq́; comportent. quibus hæc loquentibus.

HACTENVS *prima actio iure inſtituta & confirmata eſt, qua populus impelli magis quàm induci poſſet ad Gabaonitarum cuſtodiendas animas; qui tamen vt ingenio importuno eſt, & vtilitate magis quàm honeſtate duci ſolet, perpetuam oblatrandi materiam haberet, ſi Gabaonitas ſola poteſtate Principũ præter ſuam ipſius mentem & voluntatem ſeruatos videret, ideoq́; conſilium alterum à proceribus ſuperiori additur, quo quemadmodum ea res in populi commodum cedere poſſet, proſpicitur. Eſt enim vtilitas popularis admodum res, & quocunque incumbit facilè permouet.*

Vendere cùm poſſis captiuum occidere noli;
Seruiet vtiliter, ſine paſcat durus aretque;
Nauiget ac mediis hiemet mercator in vndis,
Annonæ proſit, portet frumenta penusque.

Hanc rationem populo perſuaſuram eſſe optimè intelligentes proceres ſecundo loco inierunt, vt Gabaonitis non tantùm auctoritate ſua

ſed populi etiam voluntate conſtaret ſalus, atq́; vtroq; nomine certior conſeruatiorq́; eſſet, neque labefactari vllo pacto poſſet. Igitur excogitata conditio fuit, quam nec populus piè reſpuere, nec Gabaonitæ honeſtè recuſare poſſent, nec vtraque pars legitimè reijceret. Etenim ſi Gabaonitæ ante bellum deditionem facerent, legeq́; definitam pacem acciperent, idq́; nullo iureiurando interpoſito fieret, tributum pro ſuperiorum arbitrio pendere cogendi erant. Cùm verò nunc illi tot ſtudij ac prudentiæ argumentis & artibus meliorem quàm pacis conditionem, eamq́; iureiurando firmatam fuerint adepti, ad tributa aliorum deditorũ more ſoluenda cogi iure non poterant. Atqui à populo abſque tributi lege non libenter abſoluerentur. Medium igitur (vti Principibus ſolemne eſt) tributi genus excogitatur, quod pendentibus honeſtum, populo verò adeò vtile eſſet, vt recuſari; adeò conſtans, vt reſcindi neque publicè neque priuatè poſſet. Id autem fuit, miniſterium ſuppeditandi ligna & aquam ad vſum HAGHEDAH. *Cuiuſmodi miniſtratores Græco vocabulo Parochos Romani dixerunt, vt illo teſtimonio cognoſcitur:*

Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit, & Parochi quæ debent ligna ſalemque.

Sed hanc ſeruitutem ita temperatè imponendam cenſuerunt, vt non ſemper, aut ſingulis temerè Iſraelitis Gabaonitæ ligna cædere, aquãq́; ſuppeditare cogerentur, ſed in vſum vniuerſæ multitudinis *totius* HAGHEDAH. *Id autem ſic definiebatur, vt omni tempore, quo Iſraelitæ belli cauſa conuenirent, vel concilia celebrarent, ligna, & aqua in communem vſum ſuppeditarentur. Atque ita publicæ vtilitatis ratio inita eſt, quam vt ſacram & communem priuato nulli interturbare fas erat. Neque etiam Gabaonitis recuſare licebat, vtpote pro legis definitione, atque etiam pro doli mali, ab ipſis adhibiti, debita mulcta, neque grauem, neque humilem, aut miſeram, imò quodammodò ſplẽdidam & honeſtam. Quippe publici Iſraelitarum conuentus, tum belli, tum aliarum rerum cauſa ſine publico & cõmuni, atq́; etiam priuato ſingulorum ſumptu, & communicatis operis fieri non poterãt. Non igitur nimiũ exiſtimandũ erat, vt Gabaonitæ tanquam ſemifœderati ac ſocij, ſuam etiam non pecuniam, ſed operam in communem vſum conferrent. Quæcunque enim in publicis conuentibus, communis ſalutis cauſa ab Iſraelis agerẽtur, ad Gabaonitas etiam ip-*

ſos pertinebat. Neque verò operæ quæ imponebantur difficiles illis eſſe poterant, eiuſmodi exercitio & labori aſſuetis, vt ex vrbium, quas incolebant, nominibus intelligimus. Oportebat namque Gabaonitas, qui in edito loco habitabant, aquas in ſuum vſum, vel ex altiſſimis puteis, vel ex ciſternis haurire, vel ex fontibus, quæ in conuallibus erumpunt, baiulare. Idem opus etiam fuit habitatorum Beeroth, hoc eſt puteorũ. Eos autem qui Chiriath iegarim incolebant, ligna cædendi peritos eſſe, vicinarum ſyluarum copia indicat. Neque verò illis comportandi ligna, ſed cædendi ſeruitus imponebatur, ita vt illa in ſyluis gratis cæderent, & commodè ad aſportandum componerent: Inde verò multitudinis iumentis impoſita deferrentur, ita non cogerentur pro cuiuſque arbitrio plura cædere quàm opus eſſet. Porro conditione huiuſmodi Iſraelitarum ſecuritati conſulebatur, nequid nouarum rerum à Gabaonitis tentaretur: ipſorum enim referebat nullam occaſionem nullámue anſam Iſraelitis dare ad publicos conuentus celebrandos, quorum ille in conuentibus labor exigebatur. Quæ verò ad ſacrorum vſum conferebantur operæ, eæ honeſtæ illis, & non ita graues aut frequentes erant. Omnis enim Iſraeliticæ ciuitatis nomine & expenſis in ſacrorum ſumptus pecunia erogabatur, quamobrem non difficile durúmue erat, vt operæ etiam darentur ab ijs, qui diuini nominis auctoritate & reuerentia à vaſtatione & internecione fuerant liberati & erepti: cùm etiam gentes aliæ remotæ non rarò donaria & hoſtias ad illam Deo ſacram aram mitterent. Quod hic legimus, Quibus hæc loquentibus: *Principes ſeruitutis Gabaonitis imponendæ & confirmandæ curã, Principibus receptam, ſignificat; namq. hæc Hebraicè ita legimus,* ſicut locuti ſunt illi Principes: *Græcè,* ſicut dixerunt eis Principes. *& ita etiam Chaldaicè. Itaque* quibus hæc loquentibus, *rata fore Gabaonitiſq. ſuſcepta interpretamur, idq́ principũ auctoritate fore conſtituendũ intelligimus.*

Vocauitq; Gabaonitas Ioſue, & dixit eis, Cur nos decipere fraude voluiſtis, vt diceretis, Procul valdè habitamus à vobis, cùm in medio noſtri ſitis?

NIHIL *temerè vel tumultuaria opera in cuiuſuis hominis vel gentis cauſa damnanda agi, ſed legitimo iudicio omnia tractari oportere, docet hoc exemplo Ioſue, qui Gabaonitarum culpam quamquàm manifeſtam, réque comperta omni populo exploratam, tamen non niſi*

ipſis præſentibus coargutam, & confeßis atque ſuo reſponſo minuentibus, iudicij ſententia pronuntiata proſecutus eſt. Vocantur Gabaonitæ, doli mali arguuntur, verùm ſumma modeſtia & humanitate propoſito crimine in querelæ formam; Quòd cum gente ſimplice atq. pia, qualis Iſraelitarum populus erat, dolo atque fraude tam ſtudioſè egerint, cùm apertè & ſimpliciter agere oportuiſſet, certa ſpe impetrandi id quod à pietate atque honeſtate minimè foret alienum. Itaq. doli mali crimē ijs proponitur, cuius nulla probabilis cauſa eſſet. Nam cùm virtute atque ſimplicitate agi poſſe deſperatur, ſi dolo agitur, maximè in vitæ diſcrimine excuſari aliquo modo poſſit. Hebraicè eſt ad quid. Quamobrem, *inquit*, nos decipere fraude voluiſtis? *Fraudis atque deceptionis verbis mendacium quoque hoc loco includitur, vt optimè expoſuit Chaldæus interpres. Quid cauſæ vobis fuit, vt fraude atque dolo nobis imponeretis, hoc eſt crimen; cuius expoſitio adiungitur,* vt diceretis. *Hebraicum verbum certam & præmeditatam orationem arguit: non enim errore aut turbato animo, vel temere oblatis verbis vſi eſtis, ſed certis & compoſitis, quæ animi deliberati impulſum indicant.* Procul valde habitamus à vobis. *Namq. hoc fuit totius Gabaonitarū actionis pondus & momentum, vt ſuperius exponebamus; atque fraudis omnis fundamentum hac aſſeueratione iactum eſt: cetera namque & Ioſue & populo admitti potuerant: hoc verò conſiderandum erat, quemadmodū quatenuſq. liceret pacem cum propinquis facere. Criminis verò confirmatio mendacij redargutione fit,* cùm in medio noſtri ſitis. *Omnibus partibus mendacium redarguitur.* valde procul *opponitur omnino verbis,* in medio noſtri, *non ſolùm re, ſed etiam verborum figura. Quod ſi dixeritis ratione aliqua id exponi poſſe, quod procul alicui ſit, id quod alij vicinum eſt, id nullam exceptionem in hac cauſa admittit, cùm dixeritis procul à nobis vos eſſe; vel ſi fingere volueritis, magnum iter à vobis longis ſpacijs circumeundis ſuſceptum antequam ad nos deueniretur, vt colore aliquo affirmare poſſetis illud, de terra longinqua venimus. Tamen neque hoc quidem verum eſt,* cùm in medio noſtri ſitis, *quieti & valētes, nulloq. labore itineris affecti, vtpote quod tribus diebus confici poßit etiam à toto exercitu & populo, vt à nobis confectum eſt deprehendentibus vos in medio noſtri eſſe, qui non ſolùm loci occupatione, ſed incommoditatibus multis*

alijs

alijs obeſſe nobis poſitus. Itaque non ſolùm mendacio atque dolo, verumetiam incõmodo à vobis offendimur. Hebraicè ſic oratio ſonat: Et vos in medio noſtri ſedentes. *Sedendi verbum antiquam & quietam habitationem ſignificat: Non eſtis noui nũc hoc loco, ſed iam diu hîc conſediſtis, nec magnum itineris ad nos faciendi laborem cepiſtis. Hactenus crimen, criminis expoſitio & confirmatio: nunc deinceps ſententia pronuntiatur.*

Itaque ſub maledictione eritis, & non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cædens, aquaſque comportans in domum Dei mei.

SERVITVTIS *conditionem à proceribus excogitatam, alteram ab hac fuiſſe, ipſa lectionis obſeruatio adnotatioq́ docet. Namque illa altera non maledictionis, ſed procerum auctoritatis, atque perſuaſionis nomine pronuntiata eſt: Sic viuant vt in vſus &c. Hæc verò à Ioſue indicta præeunte maledicendi verbo, & obteſtatione ſacra ex more prædicta, & vario etiam definito vſu: Illi in vſus diuerſæ multitudinis. Ioſue verò in domum Dei illis operam perpetuò dãdam imperat. Proceres populi tributi ſeueritate fraudati, Ioſue doli aduerſus Iſraelis nomen ſacrũ facti rationem habuerunt: atque maledictionis ſententia myſterio non caret. Namque ſicut antiqui exempli fuit, vt qui inſigni aliquo obſequio atque officio erga Deum, vel erga parentes, vel erga Principes, aut patriam, aut aliàs eos, quos pietate proſequi oporteret, probati eſſent, ſingulari aliquo & illuſtri beneficio aucti illuſtresq́ euaderent; vt Abraham, quòd Deo crediderit & obedierit; Iacob, quòd Iſaac patri gratas epulas pararit, & veſtimentorum odore iucundum ſeſe præbuerit, fide fultus diuinorum promiſſorum; idemq́ quòd cum angelo luctam ſuſtinuerit, benedictionem fuerit cõſecutus vnà cum illuſtri Iſraelis nomine: ita contrà effectum eſt, vt qui pietatem aut officium inſigniter violauerint, inſigni aliqua & perpetua mulcta damnati fuerint. Vt Canaan, qui ob Cham patris noxã & ſceleratam improbitatẽ illud audiuit, Male-*
Gen. 9. *dictus Canaan, ſeruus ſeruorũ erit fratribus ſuis. Huiuſmodi itaque exemplo Gabaonitarum gens ex Canaan genere orta, ob tentatam & impetratam fraude Iſraeliticæ dignitatis auctoritatem et fidem certa quadam mulcta in perpetuum damnatur ſacro ſolemniq́ ritu, ita vt prouocari ab ea ſententia nõ poſſit, quæ religioſè pronunciata eſt.*

Atque

Atque vt in benedictionis ratione amplificatio auctioq́; cùm nominis, tum rerum continetur, ita etiam contrà inſignis aliqua dignitatis, honoris vel integritatis vel conditionis iactura ſub maledictione exponitur, vt illud, Seruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Hic igitur "
Ioſue Dei auctoritate, vt ſummus populi dux, qui primus deceptus fuerit, ipſius Dei nomine ſeruitutem illis imponit perpetuam, certis tamen loci atque temporis definitionibus. Non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cædens, aquasq́ue comportans in domum Dei mei. *Seruitij ratio & obligatio in illis verbis includitur* de ſtirpe veſtra. *Statuit namque Ioſue illis conditionem addicendi aliquos ex ipſis, qui calonum & lixarum operas tabernaculo atque templo impendant. Hebraicè ex verbo ſic legimus,* Et non excidetur ex vobis ſeruus, & cædentes ligna, *&c. Chaldaicè,* Et non deficiant ex vobis ſerui & colligentes ligna, *&c. ſic etiam Græcè:* Et non deſit ex vobis ſeruus, neque lignorum cæſor, &c. *Itaque ad hunc modum exponendum illud eſt,* de ſtirpe veſtra. *Quod verò ſingulariter explicat Ioſue,* in domum Dei mei, *eò pertinet, vt hanc conditionem à ſe ſingulariter impoſitam ſignificet, non conſultis alijs, verùm ex auctoritate Dei ſui ſuam ſententiam ratam firmamq́; habituri: neque verò aliàs ferenda illa definiri vult quàm in Domum Dei, quamdiu domus illa durauerit.*

Qui reſponderunt: Nuntiatum eſt nobis ſeruis tuis, quòd promiſiſſet Dominus Deus tuus Moyſi ſeruo ſuo, vt traderet vobis omnem terram, & diſperderet omnes habitatores eius.

CRIMEN *cùm nec à ſe depellere, neque defendere Gabaonitæ iure aliquo poſſent, tamẽ argumentis & cauſis ex naturæ atq. gentiũ iure petitis excuſari poſſe putarunt, adiunctis etiã pietatis coloribus non inefficacibus. Eſt autem primum argumentum in ipſa inſinuatione collocatum, cuius illa breuiter formula eſt: Gentium iure ſeruitia ineuntur ac defenduntur; ergo qui ſeruum agit agereq́; vult, & ſibi & domini rebus præcipuè conſulit; quamobrem ſalute ac defenſione dignus eſt. Altera argumentatio ſic conficitur: In manifeſto vitæ diſcrimine, & ſe ipſum quauis ratione tueri atque conſeruare cupere & curare, naturæ iuri conſentaneum maximè eſt: id verò quàm honeſtiſſimè & integerrimè fieri poſſet, cauere, prudentiæ eſt adſcribendum:*

bendum:conſequitur itaque,nos hoc ſtudio, atque negotio noſtro, nec ratione caruiſſe,nec ita nobis proſpexiſſe omnino, vt non vobis etiam honeſtè conſuluerimus;quippe nō ita vos fraudauimus,quin ſeruitute noſtra auxerimus,tametſi nobis minus ignominioſa, quod in veſtrum potius decus quàm dedecus cedit. Atque prius argumentum vocabulo illo includunt ſeruis tuis,*quo & ſe Ioſuæ inſinuant,& cauſam ſuam iure gentiū defendere ſtudent. Rogauerat verò Ioſue cur fraude egiſſent apud eos,hoc eſt qua de cauſa. Atque cauſam duplicem reddere tenebantur illi;alteram quæ finalis artificibus dicitur; alterā verò quæ impellens ſiue efficiens appellatur. Cauſam finalē indicant ex naturæ vi atque iure petitam, vt ſe ſuaq́; quàm minimo incōmodo tuerentur: Hoc eſt quod dicunt,Timuimus igitur valde, & prouidimus animabus noſtris veſtro terrore compulſi. Quæ oratio complexionis vim in argumētatione habet. Ea verò ex Anthypophora diſertiſſimè confirmatur. Namque obijci illis potuit, Quæ tanta res,quodnam exemplum vos in iſtum timorem impulit? cùm nos populus clemens humanusq́; ſumus, qui aliàs vobis deditionem facientibus parceremus. Hoc ſibi nequaquam in dubium veniſſe illi ſignificant, quod Iſraelitarum ipſorum partes ſpectaret; verùm auditum fuiſſe atque aſſeueratum,omnem regionem illam,à Deo per Moſem promiſſam illis, & præceptum iuſſumq́; adiunctū,vt diſperderet omnes habitatores eius: idq́; aſſeuerantiſſimè ſibi fuiſſe expoſitum dicunt . in hanc ſentētiam exponendum eſt verbum illud* nuntiatum eſt, *Hebraico idiotiſmo adſeuerante: legimus enim*, nuntiari nuntiatum eſt; *ita & Chaldaicè: & in eadem ſignificatione Græcè,* ὅτι ἀγγελίᾳ ἀνηγγέλη ἡμῖν.: Quòd nuntiatu renuntiatum eſt nobis. *Verbum* promiſiſſet *non ſolùm promiſſi,ſed iuſſi & præcepti ſignificatione eſt hoc loco explicandum, vt ex Hebraico* TSIVAH *liquet. Indicant igitur cauſam qua moti impulſiq́; fuerint ad conſilium illud capiendum, quòd ſuam ſalutem non tam ex Iſraelitarum voluntate,humanitate,clementia,& arbitrio,quàm ex religionis præcepto ac iuſſu pendere intellexiſſent. Viſum ergo ipſis conſultiſſimum, non humanitatis ſenſu, ſed religionis eiuſdem ſanctitate Iſraelitas obligandos curare,vt quos non poterāt ſaluo legis præcepto excipere,non etiam poſſent ſalua iuriſiurandi maieſtate, & auctoritate perdere. hoc eſt quod declarant :* & hoc conſilium iniuimus: *Hebraicè,* & fecimus verbum hoc. *Neque verò illis*

nuntij

nuntij accepti & aſſeuerati vanitas demonſtrari poterat; quippe qui reſponderent, legem non ſibi fuiſſe ſigillatim poſitam, ſed tamen illum nuntium frequentibus rumoribus percrebuiſſe: Deinde fuiſſe etiam confirmatam exemplis internecionis Ierichuntinorum & Hayenſium. Quod verò aiunt, & hoc cõſilium iniuimus, *ad omnem illam rationem pertinet ab ipſis inſtitutam, fœderis omnino ſanciendi, & liberandi non ſolùm ſe, ſed commoda omnia ſua atq. adeò religionem ipſam, ſi fieri poſſet; ſin minus, eam conditionem obtinendi, quæ nec adeò iniqua, nec adeò eſſet miſera, qualem nunc iam ſibi propoſitã intelligebant, & ſubire volebant duplicis rationis definitione vtramq. obſeruandam, hoc eſt æquitatis & vtilitatis.* Cic. pro Mil. fama ſum.

Nunc autem in manu tua ſumus; quod tibi bonum ac rectum videtur, fac nobis.

P O S T *excuſatum prudenti oratione factum, & crimen probabilibus argumentis eleuatum, ad conditionis pactum deſcendunt, ídque modeſtis verbis agunt, vt hac ratione Ioſuæ atque Iſraelitarum animos & ſtudia ſibi concilient & confirment. Profitentur ſe nihil recuſare velle, ſed omnino ſe ei viro ac duci permittere, qui nihil ſtatuet, quod ab æquitatis atque etiam à commoditatis ratione diſcedat. Aequum ſibi videri ſeruitutis conditionem ſubire propter iudicium illud fraudis ſiue calliditatis. Ad eam tamen æquitatem addendam eſſe vtilitatem, & clementia temperandam. Itaque* rectum, *ad iudicium;* bonum, *ad miſericordiam, clementiam & beneficiũ refertur: impoſitamq́. ſeruitutem iuſtam & clementem fatentur; nam quos iuſtè damnare Ioſue poterat, damnauit quidem rectè, ſed clemẽtiſſimè. Siquidem ex populi manibus & ira ereptos domibus ſuis incolumes reſtituit. Ideò illi ſuam rem omnes, non populo, ſed Ioſuæ in manus dedunt: cuius arbitrium & iudicium potius quàm populi ſubire volunt.* in manibus tuis, *non populi: Quod tibi bonum & rectum videtur, non populo ipſi ſeorſum, ſed tuæ ſentẽtiæ auctoritatiq́. tradimus.* fac nobis; *tu ipſe. Duo igitur poſtulant; iudicij æquam ſententiam, & miſericordiæ beneficium: Iudicium recti, beneficium boni vocabulo ſignificatur.*

Fecit ergo Ioſue vt dixerat, & liberauit eos de manu filiorum Iſrael, vt non occiderentur.

D V O *ab illis poſtulata ſunt, duo etiam à Ioſue fuère præſtita: In-*

primis indicium pronunciatum eſt, illos debere addici: Deinde *exceptio facta, illos oportere ſeruari, interpoſita propheta atq. ducis filiorum Iſrael auctoritate, & poteſtate, quam ſummam illi eſſe & Deus declarauerat, & populus ipſe agnouerat, & probauerat illa acclamatione, & præceptione: Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis ſermonibus quos præceperis ei, moriatur.* Fecit ergo Ioſue vt dixerat. *Iudicium fecit, & ſententiam, vt ſummus iudex pronuntiauit, illosq́. certo ſeruitutis generi addicendos cenſuit: hoc eſt quod dixerat. Hebraicè loco Latinæ orationis,* vt dixerat, *legimus* CHEN, *quod, Ita recteq́.,ſignificat, & iudicij æquitatem probat. Id petierant illi, Quod rectũ tibi videtur: illud etiã addiderant, Quod bonum: in quo beneficium & clemẽtia ſpectatur. Huc verò illud aliud membrum pertinet,* Et liberauit eos de manu filiorum Iſrael. *Vtpote qui imperator filijs Iſraelis declaratus receptusq́. erat, cuius conſilio & auctoritate, quibus bellum inferendum, quibus parcendum eſſet, pro loco ac tempore ſtatui oportuerat. Declarauit igitur is Gabaonitas non in hoſtium, ſed in deditorum numero habendos, certisq́. legibus parentes, nec nunc occidendos, nec in poſterum negligendos: eosq́. non ſolùm communi eorũ, qui ſeſe dediderint, iure conſeruandos, verùm eius qui primas poſthac in Iſraelitico populo obtinuerit, ſingulari tutela & patrocinio fouendos. hoc ſignificat oratio,* Et liberauit eos de manu filiorum Iſrael. *Namque deditos & in fidem receptos populos à ceteris hoſtibus liberare, Iſraelitarum officiũ fuerat, idq́. commune Gabaonitis etiam conſtabat: Verùm ſi quid offenſionis aduerſus Gabaonitas populo incideret, id Principis, iudicis ducisue ſummi auctoritate & opera erat auertendum. Atque huius quidem rei meminiſſe oportet eos, qui pœnas à Saulis filiis propter Gabaonitarum cædem datas legerint. itaq. ſuas populiq́. partes hac priori actione Ioſue peregit, qui Gabaonitas non immunes declarauit, tamen ſaluos incolumesq́. ſeruandos decreuit, eosq́. iam vitæ ſuæ ſecuros & metu omni alienos conditionem in poſitam accipere, firmare, ſubireq́. iuſsit, & ſeruandam publico auctoramento definire, atque ad poſteritatis memoriam conſcribere ſtatuit.*

Sup. 1.

Decreuitque illo die eos eſſe in miniſterio cuncti populi, & altaris Domini, & aquas comportantes vſque in præſens tempus, in loco quem Dominus elegiſſet.

Con-

CONTRACTÆ *obligationis Gabaonitarum exemplum certaq́ formula hoc loco deſcribitur; quam ſi Chriſtianorum conuenta atque pacta imitarentur, minus profectò incōmodorum, minus damnorum ac detrimenti populus, minus moleſtiarum iudices ac principes ferrent. Atque obligationum omnium ſummā conditionē continet aperta definitione exprimendam. Definitio materia conditionis & perſonarum atque temporis expoſitione declaratur. Deinde obligatio tota non ſolùm partiū conceſſione, verùm vſu ipſo & exercitatione, quam aliàs legitimam poſſeſſionem dicimus, confirmatur. Porrò ad huiuſmodi conuentionum fidem ſtabiliendam conuenientium ſiue contitinentium perſonarum præſentia vel auctoramentum, & certa temporis atque loci adnotatio adhibetur. Omnia hæc vno tantùm verſu diſtinctè, dilucidè, atque legitimè comprehenduntur. Namque locus & tempus, quo obligatio inita conſcriptaq́ fuit, illis verbis explicantur*, illo die. *quodſi in illo die, in eodem loco eſſe oportuit, in quo tam Gabaonitarum procuratores, quàm Ioſue cum Iſraelitis erat, hoc eſt in ipſo Gabaonitarum agro, idq́ ſexto, aut ad ſummum ſeptimo die poſt primam pactionem cum Gabaonitis factam. Perſonæ verò conuentionis indicantur appellato nomine Ioſue, de quo ſermo totus hic eſt; vt aperte etiam Hebræa, Græca, Chaldæaq́ lectione declaratur: itaque alteras in conuentione partes Ioſue, vt Iſraelitici populi ſummus dux agit: alteras verò Gabaonitæ, quorum nomina illo pronomine continentur. Genus verò conuentionis huius obligatio eſt, quam verbum* decreuit *indicat, ſiue vt Hebraicè eſt*, dedit. *Dare enim obligationem & iuris traditionem ſignificat. Obligationis materia miniſterij nomine explicatur. Non enim omnino traditi ſunt in poteſtatem Iſraelitarum, ſed in miniſterium, idq́ certum, & perſonarum, rerum, locorum atque temporum circumſtantijs definitum, nempe cædendi ligna, & hauriendi aquas, non ſingulis Iſraelitis & paſſim, ſed cuncto populo ſiue* H A G H E D A H, *quoties eam conuenire contigerit. Hæc altera ſeruitus eſt pars non perpetua neque aſſidua, ſed pro tēporum opportunitate: Altera verò perpetua & aſſidua, quam illa maledictione ſiue deuotione comprehenderat Ioſue.* Et altaris Domini. *Hæc non adeo operoſa atque altera illa erat, verùm perpetua & aſſidua*. in loco quem Deus elegiſſet. *Vno tantùm loco, quicunque is eſſet à Deo electus, non pluribus pariter; vt primùm fuit*

l. ſi rem dati d. verb. oblig. L. de li ff. de condi. ob cau.

in Gilgal, deinde in Silo, poſthæc in Nob, illinc apud Gabaon, demum in templo Hieroſolymis extructo. Itaq. quamdiu Dei domus vel mobilis, vel immota ſupereſſet, illis hæc opera erat impendenda. Quòd verò additur vſq. in præſens tempus *poſſeßionem vtriuſque ſeruitutis cœptam & continuatam, ad ſua vſq. tempora conſtitiſſe teſtatur. Atque his conuentionibus & rationibus res inter Gabaonitas & Iſraelitas conſtituta tranſactaq; fuit, quam nec gratam, nec iucundam humani generis hoſti Satanæ fuiſſe, conſentaneum eſt credere; quippe qui videret non exiguam hominum portionem, ex his, quos ſibi regnoq; ſuo omnino addictos poſſederat, populo Dei adhærentem, ad veræ lucis cognitionem paulatim deduci, atque hoc exemplo complures alios à ſui cultu abducendos timebat: hanc rem quemadmodum illi vlciſci & cauere ſtuduerit, quemadmodum Deus tutatus fuerit, ſubiuncta narratione cognoſcemus.*

L. cum de in rem verſa. ff. de vſur.

CAPVT DECIMVM.

QVæ cùm audiſſet Adoniſedec rex Hieruſalem, quòd ſcilicet cepiſſet Ioſue Hay & ſubuertiſſet eam; ſicut enim fecerat Hiericho, & regi eius, ſic fecit Hay, & regi illius; & quòd transfugiſſent Gabaonitæ ad Iſrael, & eſſent fœderati eorum.

IISDEM *artibus & viribus, ſtudijs & conatibus, quibus Satanas diuina conſilia turbare, vel impedire moliretur, Dei gloriam illuſtrari propoſitumq; promoueri hiſtoria indicat: iuxta id quod prædictum ipſi teſtatumq; fuerat,* „*Supra pectus tuum gradieris: idq; inſigni admirandoq; exemplo oſtendit: potentiæ videlicet atque ſapientiæ humanæ, exiguo ſeruorum Dei negotio, ſingularíq; prouidentia ſuperatæ & perditæ. Humanam verò potentiã & ſapientiam Principis huius ſæculi miniſtras, Deo aduerſarias inuiſasq; eſſe, non vno ſacrorum librorum loco docemur. Narrat igitur Hiſtoria exemplum pijs omnibus cognoſcendum, atque ad ſuam ipſorum ſalutem, ſpem, & in difficillimis temporibus conſolatione obſeruandum, & ob oculos ponendum: Nimirum conſilij capti, & belli ſuſcepti ab Iſraelitarum hoſtibus aduerſus Gabaonitas, ob pactionem quam iam legimus optatam, procuratam & initam. Atque cùm in ſuperioribus cogno-*

Iacob. 4. 1. Ioan. 2.

cognouimus conſpirationem Cananæorum omnium regum ore vno factam, ei, qui primus pro rerum accidentium atque periculorum ratione vocaret, ceteros addixiſſe. Nunc oſtenditur huius cõſilij & incepti caput fuiſſe Ieruſalem Regem cognomento Adoniſedek, cuius nominis adnotationem hoc loco minimè otioſam credimus: atque ex etymologia explicandam cenſemus. Sedec ſiue TSEDEK *iuſtitiam æquitatemq́; ſignificat; cui adiunctum nomen* ADON, *ac per compoſitionem* ADONI, *iuſtitiæ Dominum, ſiue Præpoſitum iuſtitiæ Latinè reddẽdum præbet: eidem ſi nomen* MELECH *ſiue* MELCHI *componendo adiungitur, Rex iuſtitiæ Latinis vertendum eſt. Atque in primo Moſis libro legimus, Abrahami tempore Salem regem Melchiſedec, hoc eſt iuſtitiæ Regem fuiſſe cognominatum, qui vnus & ſacerdos & rex fuit, atque Abrahamo ex hoſtium cæde reuertenti occurrens, victoriam Dei nomine gratulatus approbauit. Salem verò vrbem alio nomine Ieruſalem vocitatam in ſacro Apparatu docebamus. Atque cognomen iuſtitiæ huic vni Regi præter ceteros adſcriptum (cùm Reges omnes iuſtitiæ atque iudicij vindices eſſe deberent, eo ipſo quòd reges eſſent) aliquid ſingulare huic tribuendum indicat: nimirum præſtantem aliquam poteſtatem à ceteris illius regionis regibus, Canaan poſteris, huic vni conceſſam ad publicas maximiq́; momenti & regias cauſas cognoſcendas & iudicandas, controuerſias æquitate & iure ſedandas, cùm aliàs tam multi in eadem regione ſibi inuicem vicini reges contentionum atque certaminum aſſidua materia carere non poſſent. Placuiſſe itaq. videtur omnibus, aliquem ſibi ad maximas & regias, cùm populorum, tum regum cauſas præficere, ad eamq́; rem Ieroſolymitanum Regem fuiſſe delectum, ex Iebuſæo tertio Canaan filio oriundũ, illuſtris vrbis dominum, atque in media regione ſedentem, & huic etiam ſacerdotis ſummi dignitatem inter illos obtigiſſe; ſacerdotis inquam Deo forti ſupremo dicati, cuius auctoritatem ceteri & populi & reges reueriti obſeruarent, ad eum modum quo nunc Chriſtiani reges Romanum Pontificem, qui & idem rex eſt, reuerentur, cuiuſq́; decreta in oblatis religionis nomine cauſis obſeruant; atque vtinam idem omnibus regijs controuerſiis obſeruarẽt: longè namq. maiori pace ac trãquillitate Chriſtiana reſpublica vteretur. Itaq. iuſtitiæ cognomen huic vni Principi tributum, idq́; adiũctum Domini vel regis nomini eius iuſtitiæ poteſtatem omnino*

Gen.

Lib. Caleb.

nino

nino præſtantem & regiam in dominos atque reges, etiam valuiſſe nobis indicat: ita vt Melchizedec Regem iuſtitiæ, & iuſtitiam regis, ſiue regum; Adoniſedec, Dominum iuſtitiæ, & Iuſtitiam Dominorum interpretari poſſumus. Atque hunc omnium publicarum, ad gentis, generis, & regnorum conſeruationem pertinentium, cauſarum cognitionem & iudicium exercuiſſe exiſtimamus, ideoq́. huius rei quæ nunc narratur, caput fuiſſe inprimis appellatum. Nam cùm Gabaonitis Cananæi, Amorrhæi, & Palæſtini magis propinqui viciniq́. eſſent, & inter illos & Ieruſalem Amorrhæus habitaret, non vtique Rex Ieruſalem propter propinquitatem, verùm propter muneris ac dignitatis præſtantiã hoc loco primus appellatus, totiusq́. negotij caput iudicatus eſt: cognomento inſigni hoc ſignificante Domini iuſtitiæ, *ſiue iuſtitiæ Domini vel dominorum. His etiam accedit, quòd narratio ipſa cauſæ cuiuſdam legitimam expoſitionem & cognitionem refert. eſt enim cauſa aduerſus Gabaonitas inſtituta, nõ aduerſus vnum aliquem ſingularem, ſed aduerſus gentem omnem ſimul, non tantùm pro deſerto rege, ſed pro omnibus alijs fratribus & populis antiqua generis neceſſitudine coniunctis, Gabaonitarum defectione proditis. Cauſæ verò narratio & expoſitio tribus capitibus conſtat: declaratione cædis, & vaſtationis Hay & regis illius per Ioſuan factæ, ſimili exemplo illis, quæ in Ierichunte facta fuerant. Quæ exempla Ioſue hoſtem iam antè declaratum in maius odiũ tum Regum, tum populorum abducere debuerant, iuxta ius gẽtium ex prudentia natum; atque adeò ceteros omnes tam populos quàm Reges ad fratrum ſuorum vicem vlciſcendam commoueri & impelli oportuit.* Quòd cepiſſet Ioſue Hay, & ſubuertiſſet eam, & quòd ſicut fecerat Iericho & Regi eius, ſic feciſſet Hay & Regi eius. *Igitur cùm populi omnes intelligere deberent Ioſue omnia vaſtaturum, & eundem ſe præbiturum aduerſum ceteros, quem aduerſum duos illos populos & reges ſeſe præbuerat; cumq́. illi tam populi quàm Reges, & ſibi in commune proſpicere, & interemptorum populorum, & regum vltionem conſilijs viribusq́. coniunctis parare debuiſſent; tamen deprehenſi ſunt Gabaonitæ ab hoc neceſſitudinis officio degeneraſſe.* & quòd transfugiſſent Gabaonitę ad Iſrael. *Primum crimen, quod ſecundum cauſæ caput eſt, Gabaonitas transfugiſſe ad Iſrael, ſiue, vt Hebraicè eſt, pacem feciſſe. Crimen verò amplificatur ex conſide-*

ratione

ratione perſonarum & rerũ; quòd hoſtes declaratos & magnis fratrum ſuorũ cladibus infenſos, nõ modò non fugerẽt, quod minus turpe, ſaltem minus incommodum ceteris foret; ſed vltrò adierint, et pacis conditione ſibi conciliarint; cùm tamen pacis conditio illorum ſententia minus amplectenda videretur, quàm vel communis cum ceteris defenſio, vel glorioſa dimicatio & mors in prælio pro aris & focis conſeruandis oppetita. Iam igitur deficere à Rege, crimen erat; hoc augebatur defectione à ceteris populis facta: grauius etiam fiebat fratribus partim inultis, partim in periculo deſertis. grauiſſimum verò exiſtimabatur pacem iniiſſe cum hoſtibus, renuntiaſſeq́; religionis cultui, quæ prima pacis conditio erat. Neque enim fœdus impetrare potuerant, ſed tributarij & ſerui euaſerant: illud verò longè turpiſſimum iudicabatur. Quòd eſſent fœderati eorum: *Quòd non ſolùm hoſtes nõ impedituri, ſed adiuturi, ſed promoturi, ſed commoditatibus, opportunitatibusq́; multis proſequuturi eſſent. Magnæ enim commoditates iis, qui alienas regiones bello inuadunt, ex vicinæ alicuius gentis amicitia & ſocietate creantur, tum ad rem frumentariam, reliquumq́; commeatum comparandum, tum ad plurima alia ſubſidia petenda. Hæc ſententia huius Latinæ orationis eſt:* & eſſent fœderati eorum. *quam Hebraica, Chaldaica, & Græca lectio exponunt:* & eſſent in medio eorum. *non remoto aliquo loco, ſed in medio, vnde commeatus, frumentaria ſubſidia, aliaq́; multa commoda ſuppetere poterant: erat etiam locus in ipſis regionis viſceribus liber, & apertus Iſraelitis; ita vt quibus hactenus duæ extremæ vrbes Iericho & Hay, eæq́; dirutæ conſtabant, nũc iam deinceps quatuor præſtantiſſimæ, Gabaon, Chephira, Beeroth, & Kiriathi-egharim, in ipſis Canaan mediis agris paterent; ex quibus facilior multò in omnes partes inuadendi, excurrendi, & pugnandi copia Iſraelitis fiebat. Hic itaque ſenſus nobis illius orationis:* & eſſent fœderati eorum, *ſiue,* eſſent in medio eorũ. *Nam Gabaonitæ in medio aliarum gentium erant, & Iſraelitis Gabaonitarum regione ex arbitrio vti licebat. itaque ex ſitu ipſo Gabaonitæ magnam ad res gerendas Iſraelitis opportunitatem & facilitatem atque copiam contuliſſe dicuntur, & accuſantur. His etiam alia ratio acceſſit regibus omnibus metuenda, & cauenda, exempli videlicet ad alios populos permanaturi, niſi illud Gabaonitarũ facinus vindicaretur. Facilè enim* L. officium. §. 1. ff. de re milit.

aliæ ciuitates cogitare poſſent, coq́ faciliùs, quo præſtantiores eiuſmodi conſilij haberent duces quos ſequerentur. Id verò non ſolùm ad crimen à Gabaonitis ſingulariter admiſſum, ſed ad futurarum rerum prouidentiam, atque ad communis regum omnium & priuati ſingulorum periculi depulſionem pertinebat. Hoc adeò prudentiæ ſiue cautionis genus noſtræ ætatis viri, qui publicas res tractant, conſequentiam vocant; cuius ratio ſubiuncto deſcribitur verſu.

* Timuit valde. Vrbs enim magna erat Gabaon, & vna ciuitatum regalium, & omnes bellatores eius fortiſſimi.

NON *tantùm deſertionis, cuius vindicem ſe præſtare Adoniſedek ex munere officioq́ deberet, ſed iam etiã proprij periculi tam ſui, quàm aliorum exemplum agi, omni ratione cauendum & vitandum, ab illis fuiſſe conſideratum, hic verſus narrat. Timuiſſe illum & ceteros omnes, qui de hac re ad illum retulerant, atque hoc ad priorem culpæ conſideratione͂ acceſſiſſe, lectio ipſa indicat, quæ Hebraicè, Chaldaicè & Græcè ſic habet:* Et timuerunt. *Coniunctio,* Et, *acceſſionem ad ſuperiora indicat: verbum verò* timuerunt *pluraliter enuntiatum, Latinũ* Timuit, *diſtributiuè, vt dialectici loquuntur, exponendum docet. Timuit vnuſquiſque tam rex ipſe Ieruſalem, quàm quicunque rem illam intellexit ex regibus vicinis, aut regum procuratoribus. Metus verò ſumma cogitatio fuit, ne ceteri populi hoc exemplum ſequuti ſuos etiam reges deſererent, atque ad paciſcendum cum Iſraelitis transfugerent. hoc cum primis timuerant. Deinde quamquam hoc non eueniret, ne quiſquam ſuam erga reges fidem frangeret; tamen propter commeatus copiam Iſraelitis ad rem gerendã Gabaonitis incolumibus magnam felicitatem commoditatemq́ ſuppetere, atque adeò regibus omnibus certiorem citioremq́ multò parari ruinam, quàm ſi perfidi illi ac regis deſertores de medio tollerentur. Atque circumſtantiæ facti vt crimen exaggerabant, ita etiam exemplum ipſum faciliùs ad imitandum reddebant. Examinantur verò circumſtantiæ ex perſonarum atque rerum natura, primùm; deinde ex eorum comparatione inter ſe & cum alijs, ex quibus obſeruationibus officiorum & criminum rationes ſubduci ſolent. Primùm igitur indicatur vrbem Gabaon magnam fuiſſe non ſolùm loco & ſitu, ſed omnibus partibus, quibus vrbis cuiuſpiam amplitudo & magnitudo conſideratur; adeò vt vna ex regijs totius regionis vrbibus fuerit*

propte


propter omnes partes, quæ in regiam vrbem exiguntur. Locũ in primis ſortita editum natura, munitũ in medio regni, operibus auctum & firmatum: deinde illuſtris & ceteris obſeruanda, vtpotè quam rex teneret, quámque in duris temporibus ceteræ ciuitates defendendi cauſa peterent & munirent; itaque quòd magna, quòd regia eſſet, ſeſe defenderet, hoſtibus tranſitum & acceſſum impedire poſſet ac deberet; quòd regia appelletur, conſtantior & fidelior erga proprium regem eſſe manereq́ debuiſſet; nunc verò non ſolùm officium deſeruiſſet ſuum, & fidem prodidiſſet, ſed hoſtibus infenſiſsimis fratrum occiſoribus pacis cauſa rogatis, & vltrò quæſitis ad expugnandam & obtinendam regionem omnem vias muniiſſet, & locum aperuiſſet, quo nihil commodius ab illis optari potuerat: neque vires ſuas antè experiri voluiſſet, Hayenſium exemplo, qui cum rege ſuo honeſtè pro aris atque focis occubuere, non ſine magno hoſtiũ negotio: nam prima dimicatione Iſraelitarum copias fudère, partimq́ cecidère: nec verò aliter quàm inſidiis inſtructis & locorum iniquitate, bellatorumq́ longè diſpari numero oppreſsi cecidère, cùm præſertim Gabaon ipſa multis nominibus maior eſſet, quàm Hay, & illius caſu doctior cautiorq́ eſſe poſſet. Itaque comparatio Gabaoni cum Hay omnibus partibus eſt expendenda loci amplitudine, ſitus difficultate, proximarum vrbium commoditate & numero, vicinarum aliarum frequentia, demum regionis ipſius præſtantia: quippe Hay in ipſis ferè terræ terminis erat, non longè à Iordane, & à Ierichunte iam diruta, nullaq́ à fronte ſociorum aut fratrum auxilia habuerat, à tergo vnicã Bethelan, & tamen non ſine gloria dimicauit, & perire potius, quàm paciſci optauit; atque hoc melius illorum ſentẽtia fecit, quàm Gabaon, à qua tot loci, ſitus, operum & auxiliorum commoditatibus vincebatur. Vna verò reliqua erat vtriuſque vrbis virorũ collatio. Nam quamuis cetera omnia ſuppetant, vbi virorum dexteritas & robur deeſt, nihil demum præclari efficitur. Quamobrem nonnullæ nationes fuêre, quæ firmiſsimum præſidium in animis & manu collocantes, cetera omnia reſpuêre & abiecêre, nec muris nec vlla loci natura fidere voluêre. Huius ſententiæ hodie Hibernos in occiduis inſulis, & Bononienſes in Italia nouimus. Atque hac etiam parte Gabaonitarum ciuitatem valde præſtitiſſe, Adoniſedec examen teſtatur. Quippe Hayenſes quamquam ſuæ vrbis propugnationem fortiter cœpiſſe &

petÿſſe commemorentur, tamen ſtrenuitatis & virtutis præconium & laudem anteà obtinuiſſe, nullo loco dicuntur. At verò Gabaonitæ omnes bellatores eius, fortiſſimi. *Hæc diuiſim à nobis leguntur: omnes eius ciues bellatores, omnesq́ fortiſſimi. Latinus ſermo vocabulorun inopia Hebraici nominis ſubſtantiui ſignificationem huiuſmodi verbis explicat. Hebraicè ſic lectio habet,* & omnes viri eius GIBORIM. *Nomen* GIBOR *Hebræū ſubſtantiuæ formæ, nec Latina, neque Græca lingua pari pondere vertere poſſunt, niſi Hectoras vel Hercules quadam velut imitatione dicant. Nam ſi quis Heroas vertat, nec aptè nec plenè reddet. Quippe Gibor virum tantùm ſignificat, (non ſemideum) qui tamen robore, animo, ac dexteritate communia omnia ceterorum virorum exempla excellat. Hiſpanus antiquus ſermo huiuſmodi viros Barraganes appellabat. Igitur nulla exceptione defendi Gabaonitæ potuere, quo minus expectare, parari & vires ſuas experiri debere iudicarentur; tantum abeſt, vt nō damnentur ÿ, qui neglecta fratrum ratione occiſorum & reliquis deſertis, regisq́ auctoritate contempta, nimium citò non ſolùm transfugerint, ſed pacem cum hoſtibus fecerint, illisq́ magnā difficultatis partem ademerint cōmeatu præſtito: deinde primi hoc deſertionis & proditionis pernitioſum exemplum dederint alÿs populis, qui cùm tot tantisq́ partibus ac rebus inſtructi non ſint, maiore audacia, minoris probri opinione & ſpe factum illud & conſilium de regibus deſerendis imitari ſtudebunt. Hoc itaque Gabaonitarum facinus tot nominibus damnatum non ſolùm auctoritate ac ſententia, ſed opera etiā ſua publicè vehementer vindicandum cenſuit Adoniſedec, eamq́ rem in aliorum exemplum populorum quamprimùm expediendam curauit.*

Miſit ergo Adoniſedec Rex Ieruſalem ad Oham regem Hebron, & Pharam regem Ierimoth; ad Iaphia quoque regem Lachis, & ad Debir regem Eglon, dicens: Ad me aſcendite & ferte præſidium, vt expugnemus Gabaō, quare tranſfugerit ad Ioſue, & ad filios Iſrael.

MANDATVM *illa auctoritate profectum, qua Ieroſolymitanus rex in ceteros vtebatur, hoc eſt ea, quæ ad publicam regum & regnorum rem attineret, diſpiciendi, iudicandi & ſtatuendi, ipſa cognominis & dignitatis notatio indicat. Miſſum mandatum titulo Adoniſedec regis Ieruſalem, non dicitur petÿſſe aut rogaſſe, aut poſtulaſſe, ſed miſiſſe*

ſiſſe, dicens; *hoc eſt, in hãc ſententiam. Huiuſmodi quippe illius verbi*, dicens, *eſſe in loco ſignificatio ſolet. Ad illos autem miſit, qui ſibi & Gabaonitis proximi erant: ideoq́. ad rem gerendam opportuniſſimi habebantur, vt ex deſcriptione ſitus in margine adpicta liquet. Atque hoc bellum quod nõ aduerſus Iſraelitas, verùm contra Gabaonitas ijs de cauſis quas legimus apparabatur, huiuſmodi auctoritate regis Ieruſalem., vt iudicis, decernebatur. Neque eiuſdem rationis erat cum illo, quod ab omnibus ſimul regibus conſpirantibus eſt ſuſceptum ore vno contra Ioſue, & contra Iſrael. Iubet autem Reges hos ad ſe aſcendere in auxilium ſententiæ aduerſus Gabaonitas latæ, quam exequi quamprimùm expediebat: ideò ait*, ad me aſcendite: *Quòd Ieruſalem totius Cananææ regionis editiſſimum ſitum occupet. Petit verò præſidium, nõ vt ſingulariter offenſus, & oppreſſus, ſed vt publicæ cauſæ et cõmunis iniuriæ vindex, cuius vltores illos ſecum appellat.* vt expugnemus. *Vt expugnãdo puniamus. Hebraicè ſic ex verbo*, aſcẽdite ad me, & auxiliamini mihi, & feriemus Gabaõ. *Iudicium decretum, iamq́. exercendum indicat verbum* feriemus: *cuius cauſam e veſtigiò ſubiũgit, in illos videlicet animaduertendum publicè multorum Regum ope, vt citiùs animaduerſio expediatur ob exemplum deſertionis primùm, deinde etiam pactionis cum gemino hoſte publico Ioſue, & filijs Iſrael in contemptum conſpirationis atq. declarationis per Reges omnes factæ, qua decretum fuerat, vt nullus priuatè Regum etiam ipſorum pacem cum Ioſue, aut cum filijs Iſrael faceret, & vt illis quiuis ex ipſis regibus bellum inferre poſſet, adiuuantibus, opemq́. ferentibus ceteris vno ore. Neque verò Adoniſedec exercitus regios, ſed reges ipſos Ieroſolymam aſcendere conuenireq́. iubet, vt comunicato ibidem conſilio illa Gabaonis puniendæ expeditio maturetur, ratioq́. ineatur, qua id quàm citiſſimè confici poſſit. Id autem diligentiſſimè curatum fuiſſe, hiſtoria ſignificat.*



Congregati igitur, aſcenderunt quinque reges Amorrhæorum, rex Ieruſalem, rex Hebron, rex Ierimoth, rex Lachis, rex Eglon ſimul cum exercitibus ſuis, & caſtrametati ſunt circa Gabaon expugnantes eam.

QVAMQVAM *Ieruſalem ad Iebuſæos pertineret, omnes tamen hi quinque Amorrhæorum Reges dicuntur; vel quòd ceteris Adoniſedec*

niſedec ſingulari dignitate, vti adnotabamus, præcelleret; vel quòd maioris partis appellatione minores complecti ſacer ſermo ſoleat. Aliquando enim omnes totius regionis incolas, vno nomine Cananæos, aliquādo duobus Cananæos & Pherezæos, nonnunquam pluribus, raró omnibus ſimul nominibus indicat, duodecim gentium: qua de re Lib. Canaan. *nonnulla in ſacro Apparatu huiuſmodi rationibus explicandis vtilia adnotabamus. Exiſtimamus autem prima locorum occupatione, Canaā & Emor, alioſq́, quarum familiæ ampliores erant, regionem obtinuiſſe; deinde verò ceteris fratrib. partitos, nomen ſibi retinuiſſe, quod publicis aliquando exemplis ad beneficij monumentum commemoratur; ita eam animaduerſionem, quam D. Auguſtinus hoc loco faciendam duxit, expediri facilè poſſe putamus. Quæ verò hoc loco paucis verbis narratio complectitur, ea rerum ipſarum diſtinctione, & locorum adnotatione ſunt explicanda: nempe reges illos omnes Ieroſolymam cōueniſſe; inde verò conſtituta re profectos, exercitibuſq́ collectis et inſtructis Gabaonē petijſſe, expugnareq́ cœpiſſe; ita verbū illud* congregati igitur, *vnam orationem facimus integram, congregati Ieroſolymis.* Aſcenderunt. *Aliam ſententiam interpretamur; Aſcenderunt in Gabaon: nam cùm quinque dicantur aſcendiſſe, quatuorq́ Ieroſolymam vbi Adoniſedec erat, vocati fuerint, apparet aſcenſum omnium quinque ad Gabaon eſſe referendum, eoq́ conueniſſe omnes cum exercitibus ſuis integris & inſtructis. Singulos namque reges regios exercitus apparaſſe, pronomen, ſuis, indicat. Hæc autem ex Hebraico ſic legere poſſumus*, ipſi, & omnes exercitus eorum. *Ita vt reges ex Hieruſalem cum Adoniſedec, regijq́ exercitus cum ducibus ex illorum regnis comparati, quàm celerrimè apud Gabaon conuenerint. Neque verò magnum laborem in exercitibus conducendis tunc poni neceſſe fuit, cùm reges omnes poſt celeberrimam illam & communem conſpirationem ſuas copias comparandas & inſtruendas atque exercendas curaſſe conſentaneum ſit. Illud verò deliberatam regum illorum de Gabaonitis puniendis voluntatē, & ſententiā arguit, quòd ſimul atque in Gabaon deuētum eſt, nulla alia præeunte actione, vel querela, vel accuſatione, nulla reſpōſione, vel excuſatione expectata, illico caſtra locata ſunt, illico expugnatio cœpta. Hebraicè*, & pugnauerūt ſuper eā. *Quæ cōſtructionis forma ſacer ſermo vtitur, cùm de vrbiū muris et turrib. diruendis mentio fit. Atq.*

hæc

hæc tãta agendi celeritas, feruidum regum animum, exercituũ promptitudinem, & conſilij pertinaciam oſtendit. Quippe quàm celerrimè agendum videbatur aduerſum fortes quidem; verùm propter Iſraelitarum amicitiam imparatos et ſecuros; neq. ducendæ mora, quibus illi ſeſe intus inſtruere, & Iſraelitarũ auxilia expectare poſſent. Atque hoſtium celeritatem decreta ad Ioſue per Gabaonitas legatio declarat.

Habitatores autem Gabaon vrbis obſeſſæ, miſerunt ad Ioſue qui tunc morabatur in caſtris apud Galgalam, & dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio ſeruorum tuorum; aſcende citò, & libera nos, ferque præſidium. conuenerunt enim aduerſum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis.

Ex *hoc loco liquet, Iſraelitas poſt confirmatam cum Gabaonitis pacem, in Galgalam quamprimùm fuiſſe reuerſos, quo in loco caſtra ab illis fuerant anteà poſita. Eò igitur miſſa legatio fuit à Gabaonitarum proceribus & primatibus auxilij petendi cauſa, cum oratione ad Ioſue deſtinata, magniſq; iuris, æquitatis & neceſſitatis rationibus & ponderibus inſtructa. Cuius membra breuiter diducere, & oſtendere operæprecium fuerit.* habitatores Gabaon: *Non omnes, ſed primi atque præcipui penes quos publici conſilij ſumma erat. Hebraicè,* viri Gabaon. *namque huiuſmodi turbatis temporibus nec ſingulares vniuſcuiuſque nec communes vulgi ſententias colligere & admittere oportet, cùm alij ex metu, alij ex gratia, nonnulli ex temeritate & arrogantia; quidam fortaſſis, ex conditionis legumq; impoſitarum tædio, aliter atque aliter ſentirent, & obloquerentur. Conſultiſſimum igitur fuit, vt res hæc per eos ageretur ac decerneretur, qui prima atque potiſſima ciuitatis pars erant, quorumq; ſuam vrbem defendere ac propugnare præcipuè intererat, & quorum, ſi vrbs caperetur, periculum certius maiusq; futurum erat. Idcircò legatio non à feminis, non ab imperitis & vulgaribus, qui præſentium rerum tantùm ſenſu mouentur, ſed ab habitatoribus Gabaon viris, miſſa eſt auxilij petendi cauſa. In qua antiquarum orationum more finis, hoc eſt, petitionis ſumma initio proponitur, in illáque æquitatis ratio explicatur; deinde cetera argumenta adduntur, quibus poſtulatio muniri, & is apud quem agitur, ex ratione commotus, &*

incita-

incitatus impelli poßit. Sũt verò poſtulationis capita duo: alterũ, opem à Ioſue Gabaonitis ferri oportere; alterum verò, quàm celerrimè ferri expedire. Commendatur initio cauſa à perſonis, tum Gabaonitarum, tum Ioſue. Namq. legatio virorũ, hoc eſt præcipuorũ habitatorum nomine miſſa eſt, qui eo ipſo, quòd legationẽ mitterẽt, conſilij fideiq́; ſuæ conſtantiam probabant, vtpote cùm bellum expectare atq. ſuſtinere à ſuis, quàm ab Iſraelitarũ amicitia deſciſcere maluerint. Iam verò ſi quãprimùm deficere ab Iſraelitis ad ſuoſq́; redire vellẽt, mitiores eos experturos, vt fratres antiqua neceßitudine cõiunctos et cõſuetudine cognitos: ſin verò perſeuerare incœpta & inita pactione optauerint, crudeliſſimos hoſtes habituros, natiuo amore in inteſtinum odiũ conuerſo; vt in ciuilibus bellis ferè accidit: Atque ipſos deliberato conſilio confirmatoq́; animo non ſolùm Ioſue, atq. Iſraelitarũ animos, verùm ſeruos publicè ſeſe eſſe profiteri, eamq́; vnicam eſſe cauſam, quamobrem ab Amorrhæis tanto conatu & ſtudio impetantur, quòd ſeſe Ioſue in ſeruos dederint: Igitur eandem auxilij ipſis ferendi efficientiſſimam Ioſue cauſam eſſe oportere. Namque vti Amorrhæus Ioſue ſeruos perdere molitur, idq́; omni cura & opera atque diligentia agit; ita rurſus Ioſuæ ipſi ſuos ſeruos defendere, aſſerere & conſeruare expedit, maximè ſpontè deditos, & in propoſito perſiſtentes, quiq́; extremum vitæ diſcrimen ſubire potius, quàm ad ſuos redire optauerint, & qui de ſua non tam ſoliciti ſint ſalute & vita (quæ alio etiam pacto ſeruari poſſet) quàm de damno, detrimento, honoreq́; Iſraelitarum; qui ſi ſe negligant, aut eripere nequeant, præter eorum commodorum, quæ ex ipſis expectarentur, detrimenta ac damna in crudelitatis vel ignauiæ vel ſocordiæ opinionem veniant neceſſe eſt. Itaque iuſtitiæ, æquitatis, officij, honoris & exiſtimationis atque vtilitatis non vulgaris rationes continet orationis illa prima pars. Ne retrahas manus tuas ab auxilio ſeruorum tuorum. *Hebraicè ex verbo ſic habet*, ne remittas manus tuas à ſeruis tuis. *Quam figuram Latinus Interpres eleganti expoſitione tranſtulit. Eſt autem tranſlatio ſumpta ab eo, qui proprium aliquid & nõ contemnendũ habet, quod alius illi eripere ſtudet, facileq́; eripit, ſi negligentem oſcitantemq́; offendat; ſin verò attentum ſuaſq́; res curantem inueniat, nec facilè eripere, neq. vi adhibita extorquere poteſt, maximè cùm res ipſa, quæ manibus tenetur, ſua etiam pro parte renititur, & reluctatur; vt in animanti*

mantibus experiri ſolemus. Pingit itaque oratio, hinc Gabaonitas Ioſue manibus apprehenſos, vt ſeruos, qui tamen ſeruitutem illam vltrò appetierint & libenter ferant, omniq́ alij conditioni anteponant: illinc verò Amorrhæum ſeruos illos è Ioſuæ manibus eripere conatum, atque occidere ſtudentem, ob eam ſolùm rem, quòd ſi ſe Ioſuæ in ſeruitutem dediderint, & ſeruire apud illum quàm cum illis, vt cum fratribus, viuere & conſeruari, aut ſaltem cōmunis defenſionis cauſa mori maluerint. Iam verò ſeruos ipſos non tantùm Ioſue ad ſe retinendum hortatos, ſed renitentes, ſed repugnantes, ſed pro conſeruanda conditione dimicare, & diſcrimen periculumq́ ſubire ac ſuſtinere certos depingit. Quæritur iam quid iuris eſt? num decoro atque officio ſaluo à Ioſue illi deſeri poßint? minimè verò. Igitur non tam rogatur, quàm poſtulatur Ioſue: Ne retrahas manus, &c. ſeruorum tuorum: *Tua res agitur, tua dignitas, amplitudo, pietas & fides, fortitudo ac prudentia hoc vnico exemplo tentantur. Ea quæ iam explicata ſunt argumenta, ab honeſto atque vtili ducuntur, quibus facilitatis ratio ex perſonarum quoque collatione, ex locorum conſideratione, & ex agendi modo ac forma adiungitur. Oſtendunt ſe potiore atque munitiore loco eſſe quàm hoſtes, indeq́ accedente auxilio meliores partes obtenturos, tantumq́ hoc primum Ioſue agendum, vt aſcendat; cùm eò deuentum fuerit, ſe, qui loca nouerint, neque ſegnes neque ignauos futuros, vtpotè viros ſtrennuos, & fortißimos ſuum locum optimi ducis & fortißimi exercitus ope propugnantes.* aſcende. *Hebraicè, Græcè & Chaldaicè,* aſcende ad nos, *cum eleganti ſignificatione illius particulæ* ad, *quæ vno ſimplici Latino vocabulo reddi aptè non poßit. Vna, inquiunt, tibi cura operáq́ prima ſit ad nos aſcendendi; namque vbi aſcenderis, rem à te nobis non oſcitantibus conſpectum iri confidimus. Prius orationis caput de iure & officio hactenus pertinebat; nunc deinceps alterū poſterius petitur de agendi celeritate; quæ tamen in priori etiam ſignificanter continebatur. namque manuum retractio non ſolùm negligentiam in contendendo, ſed laxationem, & protractionem ſignificat, vt in ſacro Apparatu* Lib. Ieremi. *oſtendebamus. Verùm enimuerò, quia altera ſignificatio alteram impedire poterat, cumq́ Ioſue intelligeret officij ſui eſſe res proprias conſeruare, defendere ac tueri, tamen non tanta celeritate id agēdum, ſed maturandum exiſtimaret, & opportunum tempus quærendum,*

cognoſcendumq́ quemadmodum incipienda res eſſet, quibus qualibusq́ cum hoſtibus dimicandum, quo loco, quibus armis, quibus artibus vtendum: diſpiciendum etiam, vtrum ne certa exploratáq́ eſſet res, an à Gabaonitis proditio inſtitueretur, an ab hoſte inſtruerentur inſidiæ; nulli huiuſmodi cogitationum locum relinqui volunt Gabaonitæ, vel eo ipſo veraces credendi, quòd, præterquàm quòd nomẽ profiterentur ſuum, ſeq́ dimicatores, & non otioſos aut ſegnes polliciti eſſent, cùm dicerent aſcende ad nos. *Illa etiam petitionis ſimplicitas* aſcende, *orationi fidem adſtruebat. Neq. enim adeò inepti eſſent, vt niſi ſuam ſimplicitatem & fidem Ioſue perſuaſum eſſe crederent, illum tam ieiuno atque ſimplici ſermone aduocarent* aſcende; *nihil præter aſcenſum poſtulantes, non certas armatorum copias peterent, arma inſtructionesq́ indicarent, ceteraq́ adderent, quibus ficta ac ſimulata oratio, & ad fallendum comparata componi poſſet. Nunc cetera omnia Ioſuæ arbitrio relinquuntur, qui pro ſapientis ducis prudentia quemadmodum aſcendere expediat, cogitare ſtatuereq́ ipſe poteſt, ſiue velit integro, ſiue diuiſo exercitu, ſiue exploratoribus præmiſſis, ſiue inſidijs etiam collocatis, ſiue belli ſpeciem hoſtibus ad fallendum præferre, vel primo impetu pugnam capeſſere, quicquid agat, quocunque modo ſtatuat, certam illorum fidem veramq́ orationẽ comperiet, cognoſcetq́ illos opem ſibi ferri, & meritò, cupijſſe, & iure poſtulaſſe. de hac itaque re cùm nihil laborent, illam addunt, de qua valdè laborare vtrinque poterant, tum ipſi feruenti Amorrhæorum impetu opprimendi, tum Ioſue qui ſuam cunctationem niſi celerrimè accurriſſet, perpetuò vehementer doleret. Itaque illi ſuis partibus fidentes, Ioſue ad ſuas res agendas ſtudioſè acriterq́ ſollicitat.* citò & libera nos, ferque præſidium. *Vocabulum* citò, *non ſolùm ad tempus profectionis, ſed ad itineris feſtinationem referendum eſt. Namque Hebraicè verbo Feſtinandi, enuntiatur oratio: Feſtina, inquiunt, quàm citiſſimè & quàm celerrimè. Feſtinationis neceſſitas duabus rationibus oſtenditur; altera, quòd illi in extremo verſentur diſcrimine obſeſſi & oppugnati à quinque regibus iratis frequenti & expedito exercitu, atque ad rem gerendam promptiſſimo; ita vt vna vrbs tantarum copiarum impetum ſuſtinere diutiùs non poſſit, neque minus quàm exitium ab illis expectet: altera, quòd nullo melius pacto ipſis ſuccurri poſſe putetur, quàm feſtinando: quippe hoſtes rem celerrimè*

agentes non metuunt aliundè opem obſeſſis tam citò ferendam, quàm ſi ſubitò latam viderint; vel vt metuant & fugiant, vel vt vires diuidant neceſſe eſt, alteramq́; partem aduerſus oppidanos, alterã verò contra eos qui auxilio venerint impendant. Omnia hæc illis verbis ſignificantur, citò libera nos. *Quippe verbum* libera, *ſiue ſerua, ſiue ſalutem fer, vt Hebraica ſignificant, illos in extremo periculo conſtitutos indicat, nullamq́; niſi ex Ioſue præſidio ſperantes ſalutem: Eam verò ſibi certam fore opem ferentis Ioſue feſtinatione, cuius virtute & præſidio vtpote ducis Deo grati, & chari plurimùm fidant. Itaque ſalutem ab illo petunt, & certam ſibi hoc pacto promittunt: deinde faciliorẽ victoriã fore declarant Ioſue ipſis nõ otioſis, neq. ignauis, imò ſtrennuè acturis aduerſus hoſtes pro vita ſaluteq́; ſua, & pro Iſraelitarum gloria, quorum cauſa in has anguſtias fuerint redacti: hoc ſignificatur illo verbo,* ferq́ue præſidium. *Nolumus vt omnis à te ſuſcipiatur labor, ſed vt præſidium feratur. Hebraicè* auxiliare nobis, *nobis non ſegnibus futuris, neque nunc ignauis; namque in dimicatione & conflictu hoſtium interim dum tu feſtinans adfueris, impetum & obſidionem atque pugnam ſuſtinebimus. Atque hoc alterum caput ex neceſſario ac facili compoſitum, efficacibus verbis abſolutum eſt. Supereſt vna expoſitio periculi, cuius cauſa auxilium petitur. Ea verò rerum, quæ apud ipſos agerentur narratione abſoluitur, in qua rationes poſtulati continentur, quòd pluribus hoſtibus, ijſdemq́; potentibus atque concordibus, & bene inſtructis opprimantur, imò opprimi iam incœperint.* conuenerunt omnes reges Amorrhæorum. *Conueniendi verbum hoc loco, vt ex Hebraico* KABATS *adnotamus, concordiam, diſciplinam & inſtructionem bellicam indicat: deinde nomina, & numerus, & dignitas rẽ amplificant, omnes reges qui cũ irati aſcenderint, & conuenerint, re infecta, iraq́; multa redire turpe exiſtimabunt, maximè cùm alijs populis noſtram cauſam & cladem in exemplum ſtatuere decreuerint; cumq́; ſint Amorrhæi ijdemq́; fortiſſimi & ad rem gerendam promptiſſimi: quos neque vrbis noſtræ natura ac ſitus, neque murorum propugnacula retinere retardaréue poſſent, vtpote montanos viros, & in locis aſperis perpetuò verſatos, quod & vrbium ipſarum, vnde illi profecti fuerant, nominibus arguitur.* qui habitant in montanis: *quamobrem locorũ omnium aſperitatem contemnunt. Nam quamquàm alij ex Amorrhæorum genere*

conuenire poſſent, tamen hi ſunt aſciti, qui propter fortitudinem & exercitationem locatas in editis aſperisq́; montibus vrbes adire, adoriri, inuadere & capere faciliùs poſſent. Huiuſmodi viros Hiſpana lingua Gente arriſcada appellare ſolet. Hac narratione & deſcriptione hoſtium ex genere, numero, loco atque conſenſu & dignitate cauſas Gabaonitæ indicant, cur à Ioſue opem implorent, & quàm citiſsimam ferri poſtulant; quòd ipſi tantæ potentiæ & viribus pares non ſint, quòd illorum ingenium nullam patiatur moram; quòd Iſraelitarum cauſa in tantam ipſi inuidiam inciderint, vt à quinque fortiſſimis regibus cum totidem exercitibus infeſtentur, & oppugnentur; à quibus ſi expugnati capiantur, nihil niſi extremam internecionẽ expectare poſsint. Rurſus verò ſibi videri occaſionem hanc diuinitùs Ioſuæ oblatam ad magnam bellorum ſuſceptorum partẽ vno prælio conficiendam. Nam ſi omnes Amorrhæorum reges, qui habitant in montanis, vincantur, quod ipſi futurum nõ dubitandum, modo ille aſcendere feſtinet, omni Amorrhæorum regione expugnata & occupata, ad cetera omnia obtinenda magnum aditum eſſe apertum. Itaque eadem opera & ipſos periculo liberabit, & ad ſua omnia expedienda bella viam muniet opportuniſsimam; & nomen ſibi confirmabit ampliſsimum, quinque regibus, iiſdem fortiſsimis, vna expeditione ſuperatis & fuſis. Hoc autem ipſis minimè dubitari, dummodò ille quàm citiſsimè accurrat. Ita nihil omnino efficaciſsimi argumenti in hac breui Gabaonitarum oratione deſiderari poteſt: cuius etiã diſpoſitio aptiſsima, artificioſiſsimaq́; obſeruatur, atque omnes partes, vtilitas, honeſtas, facilitas, ratio ac modus indicantur.

Aſcenditq́; Ioſue de Galgalis, & omnis exercitus pugnatorum cum eo viri fortiſſimi.

OCCASIONEM *amicos liberandi & acerrimos hoſtes expugnandi ſibi oblatam non tantùm à Ioſue, ſed ab omni Iſraelitarum exercitu fuiſſe auidè captam, hic verſus indicat. Quanquam enim & locus difficilis edituſq́; eſſet, & hoſtes multi atque inſtructi, iidemq́; obſtinati dicerentur, tamen & Ioſue aſcendit, vt qui Dei gloriæ & publicæ Iſraelitarum vtilitati adeo ſtudebat, & omnis exercitus bellatorum nemine excepto: tantus illis omnibus ardor, tantus animus erat. Hebraica lectio emphaſim habet:* Ipſe & omnis populus prælij cum eo: *vt ipſe magno ſtudio, ita etiam omnis exercitus bellatorum.*

rum. Quod verò additur, viri fortiſſimi, *disiunctim legendum eſt; atque ex loco à contentione ſiue comparatione explicandum. Hebraicè enim & Chaldaicè coniunctionem habet interpoſitam*, & omnes GIBOREI virtutis. *Docebamus paulò antè Gibor nomen, Hiſpanicè verti poſſe Barragan. Eſt autem huiuſmodi ſententiæ expoſitio: Cùm Ioſue, imò cùm omnis exercitus bellatorum tanto animo aſcenderint, & omnes fortiſſimi virtutis, qui virtute ac dexteritate præſtabant, quanto animo quantoq́; ſtudio aſcendiſſe exiſtimandum eſt, quantaq́; alacritate & cupiditate oſtendendi ſuam vniuſcuiuſq; virtutem, oblata opportunitate confligendi cum quinque regibus, iiſdemq́; fortiſſimis, quorum exercitus viris etiã ſtrenuiſſimis inſtructos fuiſſe credere oportet. Hæc mentis & ſtudij atque alacritatis Ioſue, populi & fortiſſimorum ſignificatio eſt: rei verò geſtæ ſeries denuò explicatur.*

Dixitq; Dominus ad Ioſue, Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos. nullus enim ex eis tibi reſiſtere poterit.

NARRATIO *hæc reſponſum diuinum à Ioſue inprimis quæſitum indicat, vt ab optimo & piiſſimo Duce in omnem expeditionem fieri oportebat, maximè cùm proximo exemplo compertum fuerit quãtum turbarum & difficultatis ſit inter illos exortum ob diuinæ conſultationis defectum. Igitur per ſacerdotem ex more atque lege Deus de illa expeditione rogatur, cùm auditum fuerit quinque reges fortiſſimos vnam vrbem oppugnare propter pertinax aduerſus Iſraelem odium, cogitato conſilio ad omnes populos, vel odio vel metu contra Iſraelem confirmandos: Deinde illud quærebat Ioſue, num hoc bellum Gabaonitas defendendi cauſa Deus ſibi probatum populo oſtenderet; namque aliàs varias oportuerat eſſe ſententias propter diſſenſionem in conficienda cum illis pace nuper obortã. Hanc quæſtionem omnem Deus aperto & diſtincto reſponſo abſoluit, ducemq́; ſuũ hortatus ad rem alacriter gerendam incitat, declarans ſe illorum conſilio ad illos eoſdem perdendos, atque ad Iſraelitarum res permouendas vti. Quòd verò ait*, Ne timeas illos, *indicat aliàs fortes ac terribiles eſſe, & meritò fuiſſe Gabaonitis formidatos, atque verè deſcriptos, nulli homini, humano more bellum gerenti, non timendos: verùm ipſi Ioſue minimè eſſe metuendos, vtpote quos ille non victurus, & fuſurus, ſed diuinæ virtutis efficientia victos & fuſos accepturus, adeò vt antequàm manus conſerere incipiant, ad ſolum Ioſue*

& Iſraelitarum conſpectum perterriti ac turbati fundantur. Hoc eſt, quod exponit Deus, Nullus enim ex eis tibi reſiſtere poterit. *Hebraicè ſic,* Non ſtabit vir ex illis à facie tua. *Hoc reſponſo Ioſue intelligit diuina prouidentia factum, vt reges omnes illi fortißimi vnà conuenirent, vt ſimul victi & cæſi, facilem deinceps victoriam de alijs gentibus reportandã huiuſmodi beneficio Dei auctis & animatis Iſraelitis relinquerent. Intelligit etiam ad eam rem miraculo opus eſſe, idq́ à Deo promiſſum, vt certum & præſens non ſolùm expectat, ſed velut intuetur. Non enim fieri poterat, vt quinq. fortißimi & inſtructißimi reges ita facilè perderentur, & neq. vnus ex illorum exercitu corã ſe conſiſtere poſſet, niſi id ſingulari Dei efficientia præſtaretur; id verò ex illo Dei dicto accepit:* In manus tuas tradidi illos. *agnoſcitq́ diuinã virtutem decernentẽ, vt bella illa quàm citißimè conficiãtur. Hæc & ipſi & populo cognita et credita, animũ, vti dicebamus, & ſpẽ auxère, vſq. adeò, vt omnis exercitus bellatorũ & viri etiam fortißimi alacriter admodùm cùm illo aſcenderint.*

Irruit itaque Ioſue ſuper eos repentè tota nocte, aſcendens de Galgalis.

Q V A N T V M *animi, virium atque ſtudij ex diuino reſponſo fuerit Iſraelitis additum, verſus hic oſtendit; quippe quantum anteà ab exercitu irato etiam & cõcitato tribus diebus fuerat viæ factũ, nunc vnius noctis itinere confectum eſt, cum præcedentis diei parte qua profecti fuerant; ita vt cùm luceſceret illi improuisè Amorrhæos nec opinantes opprimerent: ita dicitur tota nocte aſcendiſſe Ioſue, ita vt prima luce aſcenſum abſoluerit.*

Et conturbauit eos Dominus à facie Iſrael, contriuitque plaga magna in Gabaon, ac perſecutus eſt eos per viam aſcenſus Bethoron, & percuſſit vſque Azeca & Maceda.

V I C T O R I A M *hanc non hominum operæ, ſed ſingulari Dei efficientiæ ſacra hiſtoria adſcribit; cùm animum & mentem hoſtium ſolo Iſraelis conſpectu perturbatum, atque ex perturbatione cladem ortam oſtendit. Deinde etiam errores & vagationes illorum in fuga depingit, atque omnibus in locis confractos, cæſos & occiſos oſtendit. In primis enim apud Gabaon perturbati plaga magna contriti ſunt, partim ab Iſraelitis, partim ſua ipſorum conturbatione gladijs aliorum in alijs conuerſis, alijs verò cadentibus, atque aliorum fugien-*

gientium tumultu oppreſsis. Verbum Hebraicum HAMAM *huiuſmodi ſpectaculum indicare, oculiſq; ſubÿcere videtur. Porrò cùm illi præ metus impotentia ac trepidatione fuga ſibi ſalutem conſulere vellent, Bethoron montem aſcendere cæperunt, vt ex loci ſitu ſuperiores, vel tutiores ſaltem efficerentur. Sed cùm inſecuto atque vrgente Ioſue, & pauore interius impellente, neque illic conſiſtere poſſent, montem in quo Bethoron ſita erat, deſcendere cæperunt, vt præter fugiendi ſpacium & opportunitatem nihil prætereà animo agitarent. Atque errorum diſtractiones & vagationes fugæ impotentiam apertè demonſtrant, quos conſultò hiſtoria indicauit. Namque à Gabaon deſcenſum, & in montem Bethoron aſcenſum eſt, qui ad Boream Gabaoni adſurgebat; inde verò in Azecham diſcurſum: adiacebat verò Azecha Gabaoni ad Auſtrum occaſum verſus; illinc rurſus in Macedam itum, quæ occidentalis Gabaoni erat, & Boream ſpectabat: hos fugæ mæandros, atque hanc Iſraelitarum inſectandi conſtantiam locorum nominibus appellatis indicare hiſtoria vult, oſtendereq; manifeſtè, nihil ÿs quos Deus exoſos habebat, neque in viribus & armis, neque in conſilÿs neque in fuga ſalutis eſſe; ſicut* Pſalm.
ſcriptum eſt: Fiant tanquam puluis ante faciem venti, & angelus Domini coarctans eos. Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, & angelus Domini perſequens eos. Igitur indicatam ſummatim fugam, narrationeq; eorum quæ inter fugiendum euenêre, hiſtoria explicat.

Cumq; fugerent filios Iſrael, & eſſent in deſcenſu Bethoron, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cælo vſque ad Azeca, & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filij Iſrael.

OMNIS *hæc expeditio miraculis magnis & illuſtribus conſtitit, quæ vel cæcos & ſurdos, vel impÿſſimos & ſtupidiſſimos homines ſingularem tum in hoſtibus puniendis, tum in Iſraelitis promouendis prouidentiam docere poſſent. Reſponſum Ioſuæ datum, celeritas itineris vna nocte confecti, hoſtium perturbatio, cædes apud Gabaonem Iſraelitis ſaluis & incolumibus facta, nónne conſtantem & manifeſtam Dei virtutem hæc omnia probabant? Verùm quia impÿ ac Dei contemptores homines quæcunque in humanis eueniunt, quantum ipſi poſſunt, ad alias potius efficacitates,*

quàm

quàm ad Dei prouidentiam referre ſtudent, ea illo tempore miracula ſuperiorib. addita fuère, quæ niſi ex manifeſta præſentis Dei virtute, & voluntate ex nulla alia cauſa quiſpiam communi ſenſu non planè carens interpretari poſſet. Quippe ea quæ in ſublimi fiunt, cuius generis, fulgura, tonitrua, fulmina, ventorum fragores, pugnæ & conflictus, tempeſtatum ac fluctuum impetus, etiam ij qui diuinæ naturæ auctoritati detrahere moliũtur, impijſſimi monſtroſiq́ ingenij homines; tamen cùm ſentiunt, non poſſunt non horrere, atque numinis præſtantiam & efficientiam vel inuiti fateri; ſicut ex illo loco

Exod. 4. *manifeſtè cognoſcitur: Iámque aduenerat vigilia matutina, & re-*
» *ſpiciens Dominus ſuper caſtra Aegyptiorum per columnam ignis &*
» *nubis, interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum, fere-*
» *banturq́ in profundum. Dixerũt ergo Aegyptij, Fugiamus Iſrael,*
» *Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* *Huc verò illa cuiuſdã qui iſtorum inſipientiam ſectatus fuerat, confeſſio pertinet:*

Hor. lib. 1. Carm.

Parcus deorum cultor, & infrequens,
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro; nunc retrorſum
Vela dare atque iterare curſus
Cogor relictos; namque dieſpiter
Igni coruſco, nubila diuidens,
Plerumque per purum tonanteis
Egit equos, volucremq́ne currum:
Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quo Styx, & inuiſi horrida Tænari
Sedes, Atlanteuſque finis
Concutitur. valet ima ſummis
Mutare: & inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens &c.

Pſal. 28. *Eodem verò illa à noſtro vate decantata ſpectant: Vox Domini in-*
» *tercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis deſertum, &*
» *commouebit Dominus deſertum Cades. Vox Domini percutientis*
» *cedros, & reuelabit condenſa, & in templo eius omnes dicent glo-*
» *riam: Dominus diluuium inhabitare faciet, & ſedebit Dominus*
Rex in æternum. Huiuſmodi argumentis prouidentiam ſuam illo die Deum aſſeruiſſe, ſacra docet hiſtoria. Narrátque ampliſſima miracula

cula in æthere, atque adeò in cælo edita, ex quibus vnum fuit ingentis duriſſimæq́; grandinis, hoc eſt, cæleſtium ſaxorum ac telorum copia in Amorrhæorum fugientium perniciem emiſſa, tanta magnitudine, vt armatos homines occiderit, eosq́; quàm plurimos, adeò vt plures multo grandinis vi quàm Iſraelitarum gladijs fuerint interempti, quamquàm alacriter, fortiter & ſtrenuè ſe in illa pugna Iſraelitæ geſſerint, & magnam apud Gabaonem ſtragem fecerint. Atque huius miraculi veritas et magnitudo multis partibus oſtenſa eſt; primùm ex natura ipſa rei, videlicet lapidũ, qui cùm non ex terræ, vt lapides ceteri, ſed ex aquæ materia eſſent, vtpote grandinis genus, vt hoc eodem declaratur verſu, in tantam tamen duritiem concreti ſunt, vt magnorum ſaxorum inſtar homines eoſdemq́; armatos ſtrauerint, & interfecerint: Deinde ex ictus certitudine; nam cùm gladius quòd cominus feriat, præter cetera arma omnia certiſſima percuſſionis cauſa ab omnibus ferè pugnantibus vſurpetur; tamen mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, tametſi fugientes neq; vllo conſiſtentes loco, quàm quos gladio percuſſerãt filij Iſrael: Præterea duratione. Siquidem rariſſimi exempli eſt, vt per vnam atque alteram horam grandinis procella duret, & quæ irruere ſecundùm naturam ſolet, certum aliquem tractum, qua venti directa vis impellit, infeſtare conſueuit. Verùm portentoſa hæc, & planè diuino iudicio immiſſa grando toto tempore perdurauit, quo Amorrhæi à deſcenſu Bethoron ad Azecha vſque fugientes peruenerunt; neq; verò in vllam terræ partem præter eam, qua illi fugerent, incubuit, neque alios percuſſit: neminem quippe Iſraelitarum illis petitum ſaxis credimus, neminem etiam ex alia gente; ita enim ſcriptura indicat, ſuper eos, *non ſuper alium quenquam; ita vt illorum ambages, vagationes & errores ipſa de cælo miſſa ſaxa conſequerentur. Quod verò legimus* de cælo, *ſingularis prouidentiæ ſignificationem habet, non quòd ex ſublatis à terra & in ſublimi paulatim concretis humoribus, vt aliàs, naturæ efficientia accidit; non etiam quaſi fortuitò & ventorum rabie, ſed irato ac vindice Deo, illamq́; grandinẽ in æthere ſubitò concretam in hoſtes immittente. Huiuſmodi annotationem ad prouidentiam Dei oſtendendam cælorum nomen in hiſce rationibus appellatum poſtulat, cuius etiam exempli ille locus eſt: Sulphur* “ *& ignem à Domino de cælo: vt ſuo exponemus tempore, ſi Deus con-* “

ceſſerit. Atque his miraculis aliud etiam antea aut poſteà conſpectum eodem die editum ſubiungitur.

Tunc locutus eſt Ioſue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon.

IOSVE *fidei præſtantiam & prudentiam hiſtoria nobis obſeruandam, admirandam, imitandamq́ oſtendit; qui cùm ex Dei reſponſo cognouiſſet illos quinq. Regum exercitus ſibi in manus traditum iri, nulloſq́ ex illis reſtituros, intellexit prudentiſſimus vir potius cælum ac terram & naturam omnem mutari poſſe, quàm vt Dei dictum mutaretur ijs quibus firma conſtantiq́ fide exciperetur. Hoc eſt quod lectio illa indicat,* Tunc in die qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael. *Qua die Ioſue accepto iam illo reſponſo, In manus tuas tradidi illos, et nullus ex eis tibi reſiſtere poterit; promiſſum hoc inceptum vidit, hoc eſt Amorrhæos à facie filiorum Iſrael conturbatos, ac magnam cædem in illis factam; deinde etiam multo plures grandine, quàm gladio interfectos, grandinémque ad Azecha vſque duraſſe, & tamen multos adhuc ſupereſſe, qui contenta fuga & protracto vlteriùs curſu euadere cogitarent; nihilominus promiſſi illius fide confirmatos.* In manus tuas tradidi illos. *præuidit fore, vt qui reliqui erant, Iſraelitarum manibus & armis conficerentur, vt impleretur promiſſum,* In manus tuas tradidi eos. *qui totius reſponſi finis erat: iam inde illud præſtitum viderat, Nullus tibi reſiſtere poterit, ſiue nullus ante faciem tuam ſtabit; nam conturbauerat eos Dominus à facie Iſrael, & magna edita ſtrage in plurimos, ceteros ad fugam coegerat, in ipſaq́ fuga magnam copiam occiderat: ſupererant verò alij qui Azecha prætermiſſa Macedā verſus fugiebant, hos in manus ſuas traditos credebat, & occidere ſperabat. Verumenimuerò & locorum natura, & temporis breuitas quominus id per Iſraelitas conficeretur, impedimento eſſe poterant, atq. per Iſraelitas rem confectum iri intellexerat: quippe hoc diuini promiſſi veritatem & conſtantiam, & Iſraelitarum ipſorum, quos Deus amplificare voluerat, auctoritatem ac dignitatem ſpectabat: vt ceteræ intelligerent gentes, Iſraelitas non ſolùm miraculis cælitùs editis adiutos & promotos, ſed viribus etiam atque robore auctos ad*

rem

rem manu armiſq́ gerendam. Atque ita in reliquis pugnis & prælijs formidarent: ſed cùm reliquũ tempus breue eſſet poſt longa illius fugæ ſpacium, iamq́ ſol ad occaſum tenderet, ſupereſſetq́ magnus tractus & commoda hoſtibus ad euadendum vallis Aialon, hoſpitibus vt ignota, ita incommoda; conſtantiſſimus fide Ioſue cum Deo primùm prece de illius diei expeditione abſoluenda egit; deinde cælum ipſum ad promiſſi dictiq́ Dei veritatem et conſtantiam obſeruãdam obſequioq́ proſequendam vocauit. Duplicem itaque allocutionem hoc verſu diſtinguimus: alteram, qua Deus exoratus eſt, vt dictum ſuum ſecundo euentu firmaret: hoc eſt, Tunc locutus eſt Ioſue Domino. *Alteram verò, qua luminaria ſtare iuſſa fuêre. Locutionis ſiue precis argumentum erat, illam diem eſſe, qua ipſe Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael tradidiſſet: vellet itaq. eadem die id omnino confici, vt Iſraelitæ traditum ſibi Amorrhæum cæderent. id cùm breui, quod ſupererat, diurnæ lucis tempore humanis viribus effici non poſſet, atque ex Dei promiſſo hominum manu efficiendum eſſet, ſupererat vnum, vt dies potiùs ille produceretur, quàm vt humana manus conficere deſineret: namque hoc pacto diuini dicti promiſſiq́ efficiẽtiæ & cõſtantiæ natura cælorum temporũ rationes omnes obſequi & obtemperare manifeſtè tam ab ijs qui pietatem colerent, quàm ab alijs Deo auerſis gentib. cognoſcebatur. Igitur poſt precẽ Deo factam ijſdem Iſraelitis præſentibus & audientibus, conuerſo in cælum vultu, ſoli ac lunæ, cæliſq́ imperare non dubitat Ioſue. Erat autem illo tempore lunæ ad ſolem aſpectus quartus ferè ad plenilunium tẽdens, ita vt luna occidentalior ſole eſſet, atque ab æquatore ad Cãcrum declinaret, ex quo fiebat vt à terra aſpicientibus ſuper Aialon vallem eſſe videretur: Sol verò Gabaoni editæ vrbi imminere oſtendebatur eo tempore, quo ad Azecha peruentum fuit. Erat verò Gabaon in ea regionis parte, quæ Beniamin: Aialon autẽ in ea, quæ Dan tribui ſorte obtigit; ita medius inter vtrumque planetam Iſraeliticus erat exercitus. Iubet itaque Ioſue ſolem eodem loco quieſcere, & ceſſare, quo tunc erat, hoc eſt ſuper Gabaon, & lunam in Aialon valle cõſiſtere, quoad Iſraelitæ hoſtibus interemptis victoria potirentur pleniſſima. Vult itaque vtrumque maius luminare in eo loco, quo tunc erat, conſiſtere, eamq́ inter ſe ſpacij rationem conſeruare, quam tunc obtinebant; ita vt præter aſtrorum quietem nihil in ceteris aſpectibus*

mutaretur: oportebat enim cetera tum ſidera, tum aſtra omnia horum maximorum rationem ſequi, præcipuè verò Solis, à quo lumen cetera accipiunt: ita conſiſtentib. his duobus præcipuis, cetera obtemperare omnia oportebat.

Steteruntque ſol & luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.

PROMISSVM *diuinum fide à Ioſue acceptum certiſſimo euentu fuiſſe firmatum, natura omni obſequente, rei geſtæ narratione docemur. nam cùm Deus dixiſſet omnem Amorrhæorum exercitum in Ioſuæ atque adeò Iſraelitarum manibus traditũ, quia id præſtari oportuit quod fuerat receptum, ne lucis defectu impediretur, ſol atque luna præſcriptis à Ioſue terminis conſtiterunt, nec citeriùs reuerſi nec vlteriùs progreſſi, ſed ſteterunt donec vlciſceretur; non tam ſpacium & terminum, quàm cauſam quamobrem, vox* donec, *hoc loco*
Pſalm. *ſignificat: vt illud, Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos*
„ *ſcabellum pedum tuorũ. Cauſa, inquit, cur Sol & Luna ſteterint, fuit, vt vlciſceretur ſe gens de hoſtib. ſuis, & quoad id conficeretur diurna luce opus fuit. Hæc igitur à planetis fuit ſuppeditata; tãta promiſſorum diuinorum vis & efficientia eſt. Quod verò dicitur* vlciſceretur ſe gens, *illud ſignificat, quòd promiſſum fuerat, Amorrhæos Iſraelitarum manu eſſe conficiendos: quæ res cùm tempus poſtularet, temporis autem curſus luminaria ſecum rapiat, vt vna continua pugna res expediretur lucem prætendi oportuit, cùm hominum tanta in conficiendo celeritas eſſe non poſſet; & tamen per gentem conficienda res erat. Nam ſi Dei virtute tantum fieret, vno momento exercitus omnis interimi potuit, vt in Senacheribis atque in rubri etiam maris exemplo eſt manifeſtum. Sed hîc oportebat gentem ipſam vlciſci de hoſtibus ſuis; ita vt vltionis huius exemplo terror aliis iniiceretur. Atque huius miraculi memoriam non ſolùm hac hiſtoria, ſed aliis etiam literarum monumentis conſecratam fuiſſe, Spiritus ſanctus docet: idemq́; illud teſtimonium refert.*

Nónne ſcriptum eſt hoc in libro Iuſtorum? Stetit itaque ſol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere ſpacio vnius diei.

HVIVS *miraculi teſtimonium iam diu celebratum, atque in acta ſcriptaq́; relatum tanquam inauditi atque omnem hominum æſtimationem excedentis exempli, ex noto ſæculis illis libro hiſtoriæ huius*

auctor

auctor petit ac producit. Cuiuſmodi rationem confirmandis miraculis ijs, quæ naturæ habitum valde excedere videntur, ſacri ſcriptores tenere ſolent. Sic Moſes rubri maris Aegyptiorumq́ue in illo cladem, & Arnon etiam fluuij repentinam & miraculoſam traiectionẽ, clariſſimis monumentis teſtata conſignataq́ue declarans, Bellorum Domini librum citat. Atque librum hunc, qui Latinè Iuſtorum inſcribitur, nonnulli ex Latinis, Græcis atque Hebræis expoſitoribus aliquem ex Moſis libris eſſe opinantur, adducti fortaſſis Chaldaici interpretis explicatione huiuſmodi, Nónne ſcriptum eſt ſuper librum Legis? Verùm cùm miraculum hoc expreſſè prædictum nuſquam apud Moſem inueniatur, ex quorundam locorum interpretatione contexere conantur. Nobis autem qui ſacrarum ſcripturarum expoſitionem ex lectionis vi atque pondere ſuſceptam profitemur, neque ingenio iudicioq́ue noſtro quicquam tribui volumus, hic locus & alter ille à Moſe citatus non ex ſacroſanctis voluminibus, ſed ex alijs probatiſſimæ ac receptiſſimæ auctoritatis hiſtorijs fuiſſe vidẽtur, ſiue illæ aliarum gentium, ſiue, quod magis probatur, Iſraelitis auctoribus conſtiterint. Quod ne dubitare poſſumus, maximo argumento ſunt teſtimonia ipſa hîc atque illic producta, quæ carmine concluduntur, atque adeò alio carminis genere ab eo, quo liber hic à propheta, & ille etiã à Moſe conſcriptus eſt. Namque libros omnes illos quinque Moſis, & hos etiam priorum Prophetarum appellatos libros, non ſoluta, ſed pedibus & verſibus adſtricta oratione compoſitos eſſe, ijs, qui ad ſanctæ linguæ ſtudium poëticæ cognitionem adiunxêre, manifeſtum eſt. Atque totum illud carmen, Stetitque ſol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere ſpacio vnius diei, *alijs numeris ab antecedente & ſubſequente oratione contextum eſſe, nobis conſtat. Vt & illos duos verſus apud Moſem: Sicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati ſunt, vt quieſcerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum. Itaque locum hunc ex alio à ſacris libris teſtimonij atque confeſſionis cauſa petitum exiſtimamus, idq́ue in maximi exempli narrationibus obſeruari cognouimus. Deſiderantur autem iam olim libri illi cum alijs multis, quorum in ſacris hiſtorijs mentio fit, propter temporum atque ſæculorum iniuriam; non cùm in ſanctorum voluminum numero non haberẽtur, tot mutationes & calamitates perpeſſis Iſraelitis conſeruari non potue-*

Num. 21.

runt, ideoq́; cum ceteris hiſtoriarum & diſciplinarum ſcriptis hæc etiam in manibus non ſunt, quæ tamẽ illis temporibus vulgatiſsima, atque decantatiſsima fuerant; adeò vt in ſacrarũ narrationum teſtimonium peterentur, idq́; non fidei faciendæ cauſa, ſed veritatem potiùs in illis libris narratam confirmandæ & explicandæ. Quippe ea, quæ huiuſmodi continebantur ſcriptis, quia poëtico orationis genere decantata erant, propter tropos & figuras minùs perſpicua habebantur: id quod hoc ipſo in hac narratione producto exemplo conſpicitur. Nam primò indicatur tempus, quo Sol conſtitit, idq́; circa meridiem fuiſſe ſignificatur, cæli parte notata in medio cæli, quod Latinis Meridies, ſiue Meridianus circulus dicitur. Quod verò ſubiungitur, & nõ feſtinauit occumbere ſpacio vnius diei; *obſcurius aliquanto eſt. non enim nobis illud ſignificat, ſolem eo loco vnius diei ſpacio hæſiſſe, hoc eſt horis quatuor & viginti naturalibus, vel duodecim, ſiue diurnis, ſiue artificialibus antiquis, quas planetarum aſtrologi vocant. Nam quamdiu conſtiterit, nihil certi in ſcripturis comperimus, quamquam ſexaginta & ſex horas conſtitiſſe Hebraicarum Homiliarum auctores acutis quibuſdam rationibus inducti ſcripſerint. Eſt autem orationis huius illa ſententia; Solem illo tempore donec vlciſceretur ſe gens de hoſtibus ſuis, ſuam aliàs conſtitutam diei rationem exactè conficere non laboraſſe. Conſtituta autem ratio duodecim diurnis horis conſtat, varijs quidem illis pro anni tempore, tamen non pluribus quàm duodecim, ſicut ſcriptum eſt: Nónne duodecim horæ ſunt diei? Verbum* feſtinauit *non ſolùm ad motum, ſed ad vim & contentionem hoc loco refertur ex Hebraico* ATS *conuerſum; quod illa lingua in ijs qui hærent impellendis vſurpat, atque etiam cùm quis in inſtituto curſu retentus contendit tamen, ac tandem ſolutus & liber cæptum iter eo quo præfixerat tempore peragere tendit; namque tunc feſtinare oportet, vt quantũ moræ hærendo contractum fuerit, velocitate deinde curſus reſarciatur. Nihil igitur huiuſmodi laborauit ſol, ſed retineri iuſſus eodem loco cõſtitit, hæſitq́; libens, totumq́; illius diei ſpacium præterire paſſus antequàm ipſe occumberet: itaque pugna omnis confecta fuit integra luce, non crepuſculi, ſed ſolis in medio cæli, hoc eſt ſupra horizontem conſiſtentis. ita effectum eſt, vt ſol diem illum fecerit, non tamen ſpacio ſibi anteactis & poſt agendis annis ac ſæculis obſeruato, de quo ſcriptũ eſt: Sol cognouit oc-*

Midras Ioſue.

Ioan. 11.

caſum

caſum ſuum: quem tametſi cognouit, illa tamen die prætermiſit. Vt verò de libri inſcriptione nonnihil dicamus, exiſtimamus illius libri argumentum de iuſto & æquo fuiſſe, in quo de Dei in homines beneficijs, atque de hominum erga Deum pietate & officijs ageretur. Siquidem Hebraicum nomen HAIASSAR, *rectum, æquum iuſtúmque ſignificat, atque ita Græca lectio pro verbo hoc* τȣ͂ εὐθοῦς *reddit.*

Non fuit anteà & poſteà tam longa dies obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael.

MIRACVLI *magnitudinem, & beneficij in Iſraelitas collati præſtantiam, ſingularisq́; prouidentiæ præclarum argumentum adnotatione & comparatione amplificat auctor. Nam quæcunq. rariſsima ſunt, communemq́; naturæ habitum atque vſum prætergrediuntur, certam quandã Dei auctoritatem atq. ſingularem voluntatem obſeruandam commendant. Docet autem hiſtoria hæc diuini promiſſi & propoſiti efficacitatem nullo modo impediri poſſe, quamquã omnis rerum natura & ratio mutanda ſit. Quippe natura Dei miniſtra eum quem tenet curſum, non coacta, ſed iuſſa perſequitur, & cùm aliter agere iubetur, pari facilitate faceſsit: S. S. E. Ordinatione tua perſeuerat dies; quoniã omnia ſeruiunt tibi.* Pſal. 118. *Tanta verò diuini promiſsi vis auctoritasq́; eſt, vt ſi eius præſtandi cauſa exemplum edi opus fuerit, nunquã aliàs editum, imò & nunquã edendum, in poſterum tamẽ vt id quod ſemel dictũ eſt fiat, eiuſmodi vnicũ exemplũ edatur: In aquis, in igne, in terris, in nubibus, in omni deniq. ſub cælo contenta natura miracula antea & poſtea facta fuerant, pro rerũ opportunitate illuſtria, quæ ſi nõ pari magnitudine, at eodem genere repetita aliquando fuêre, & repeti etiam in poſterũ poſſe putandum eſt. At verò vt ſolis motus, atq. ordinatione diuina perſeuerantis diei ratio hominũ cauſa mutaretur, nunquam anteà hoc modo viſum auditumq́; eſt, imò nunquam anteà fuit, neq. futurum in poſterũ ſperandum: ita vt quod ſemel ſic fieri Iſraelitarũ rebus expedierit, tametſi aliàs repetẽdum non fuerit, tamen factũ præſtitumq́; ſit: adeo magnũ eſt Deũ dixiſſe, adeò vtile Dei dicta efficaci fide excepiſſe. Nã ſi quiſpiã rex ſerui cuiuſdã ſemel tãtùm ad ſe diuerſuri, nec diu apud ſe hæſuri cauſa non ſolùm aulæa & ſupellectilem cunctam, ſed omnem regiæ domus ordinẽ, ſeriem, conſuetudinẽ & morẽ prӕter omne maiorum ſuorũ exemplum*

ſiſti

ſiſti, mutari, atque pro hoſpitis vſu variari iuberet, manifeſtum profectò ſingularis atque eximiæ voluntatis & gratiæ omnibus ſæculis argumentum præberet. Nõ ſecus Deus, qui ſe illius expeditionis Iſraelitis auctorem, promotorem, atque ſummum ducem declarauerat, cùm cetera omnia, quibus ad hoſtes in manu illis tradendos opus fuerat, præſtitiſſet; & illud etiam addidit, quod nec antea nec poſtea fuerit, vt ſolis lunæq́; curſum ſiſtere tam diu iuberet, quoad gens de ſuis hoſtibus vlciſceretur. Obediente Domino voci hominis. *Cui homini ad vltionem ſemel, vnaq́; opera conficiendam, diurnæ lucis protractione opus eſſe viſum fuit. Cauſam verò quamobrem hoc factum fuerit, indicat lectio*, pugnante Domino pro Iſrael. *Qua oratione id quod expoſuimus, ſignificatur, nempe ſuſcepiſſe Deum curam & operam tradendi hoſtes in manum Iſraelitarum, idq́; Ioſue declaraſſe ac declaratum egiſſe, omnibusq́; iam ſuperiùs annotatis modis præſtitiſſe: nunc verò cùm hoc etiam agendum ſupereſſe Ioſue intelligeretur, idq́; poſtularetur, pugnæ pro Iſraele ſuſceptæ, finiendæ cauſa, diem nullis vnquam exemplis comparãdam præſtitiſſe. Verbum*, pugnante, *ex Hebraica ſignificatione explicari poteſt, pugnam inſtruente pro Iſrael. Vtilitatem Iſraelis magis quàm vicem aut locum hic* pro *ſignificat: non quòd ipſe ſolus pugnaret, & Iſraelitæ nihil agerent, vt in Mari rubro: ſed quòd ipſe illis pugnam inſtrueret, & victoriam adornaret, facilemq́; redderet multis ex hoſtibus occiſis, & tẽporibus lociſq́; pugnæ atq. victoriæ cauſa aptatis. Quod verò Latinè legimus*, tam longa dies, *non ſolùm ad ſpacium, ſed ad qualitatẽ & præſtãtiam referendũ eſt, fuiſſe diem illam præter omne exemplum notabilem magnitudine, durationeq́; lucis primùm, deinde efficientia ipſa & virtute Dei ſpectatiſſima. Namque ceteris in naturis, quæ ſub cælo ſunt, ſiquid mutatur, id aliquo pacto alicuius alterius naturæ vi effici poteſt, tanquam inſtrumento diuinæ voluntatis, & prouidentiæ: vt quòd aquæ ſiccentur, ventus efficiat; quod ventus flet, aqua in cauſa eſſe poſſit; denique cælum ea, quæ ambitu continet ſuo, mutare variareq́; valeat: ſed cælum ipſum à nullo inferiore ſiſti mutaríue poteſt, niſi à Deo tantùm, cui omnia ſeruiunt. hoc verò magnam illa die mutationem tuliſſe, id quod à Deo factum eſſe quiſquis audierit fateatur neceſſe eſt. Nihil enim inferiora omnia in aſtra poſſe putantur: aſtra verò in inferiora valere, multi (plus*

etiam

etiam quàm par eſt) exiſtimant. igitur ſi aſtrorum vis, ratio & habitus mutata ſunt, Deo vnico auctore mutata fuiſſe oportet. Quid autem Deum ad hæc mutanda mouerit, nimirum viri ſancti precatio poſtulantis promiſsi fidem & veritatem illo ſingulari miraculo exhiberi; itaque tantum piæ fideq́; promiſſorum Dei innixæ preces hominum valent. obediente Deo voci hominis. *Fuit autem hominis vocis argumentum,* pugnante pro Iſrael, *cuius illa ſumma eſt: Quandoquidem tu hodie pugnam hanc Iſraelis cauſa ſuſceptam inſtruis, hoc etiam præſta, quod præſtari opus eſt, vt dies tã diu hæreat & conſiſtat, quoad res ab Iſraele confecta ſit, idq́; fiat antequam in vallem Aialon deueniatur, vtq́; ego præſente Iſraele ſolem & lunam conſiſtere iubeam, illiq́; tua virtute conſiſtant. Porrò adnotatu digniſsima ſignificatione non caret illud,* obediente Domino voci hominis. *Nam cùm Ioſue Deum primùm orauerit, deinde ſolem & lunam non orauerit, ſed iuſſerit, Ne mouearis, indicat oratio iuſſum hoc non fuiſſe à ſole aut à luna auditum, ſed à Deo, cui omnia viuũt & obtemperant; quique ſolem & lunam iuxta Ioſue dictum ſola voluntate retinuerit. Ex quo fit, vt vaniſsima arguatur eorum ſententia, qui numen aliquod aſtris tribuunt, quibus neque ſenſus quidem ineſt, ſed illa tantùm naturæ vis, quam ſingula à Deo cuius nutibus parent, accepêre. Verumenimuerò vt precationi, quæ diuini promiſsi fundamento fulcitur, diuinam virtutem & efficacitatem propter ſummam promiſsi auctoritatem & præſtantiam oſtenderet Ioſue, tanquam Deus ipſe iuberet, ſolem & lunam conſiſtere iuſsit, quod iuſſum, quòd promiſsi verbiq́; ſui virtute niteretur, Deus & audiuit & ratum eſſe voluit. Hunc totum verſum ad Latinæ lectionis elucidationem, ex Hebræis verbis, quibus Chaldaica & Græca valdè reſpondent, exprimere non piguit.* Non fuit ſicut dies ille, ad facies eius, & poſt eum, vt audiret Dominus in voce viri, quia Dominus bellum ſuſceperat Iſrael. *Bellandi verbum paſsiuè vſurpatur hoc loco Hebraicè. Sed diei magnitudo hîc adnotata ad temporis atque loci rationem referenda eſt. Nam cùm hæc res verno tempore gereretur, nimirum ſecundùm Aprilem noſtrum, vt ex præcedentibus colligi poteſt, illius longitudinis exemplũ aliud eodem menſe, eodẽ cæli climate, atque terræ ſitu nunquã eſt viſum. Quod ſi aliàs dies certo tempore longiores ſint, vt ijs qui vltra Tropicos degũt, id terræ*

ſ. ſitu,

ſitu cæliq́; aſpectu, non autem ſolis ceſſatione efficitur, vt ijs, quibus cæleſtis ſphæræ ratio conſtat, demonſtratur. Demum illud modò aſſerēdum nobis eſt, miraculum hoc in ipſa natura, in ipſis inquam, Sole, Luna, atque aſtris ceteris editum fuiſſe, id quod apertè nobis indicant verba, Ne mouearis, & ſteterunt: quod hîc obiter affirmandum, alio loco diſputandum reſeruamus, quorundam exploſuri ſentētiam, qui quod Peripateticæ diſciplinæ plus æquo ſeſe addixerint, vt miraculum hoc de cælo ſubmoueant, nimis anxiè laborant.

Reuerſusq́; eſt Ioſue cum omni Iſrael in caſtra Galgalæ.

VICTORIAM *iuxta Dei promiſſum à Ioſue Iſraelitisq́; reportatam hic verſus indicat, & diuinorum dictorum conſtantiam atq. fidei præſtantiam & vtilitatem prædicat. Quid verò maius eſſe poteſt, quàm vnius noctis itinere, atque vnius diei ad eam rem comparatæ pugna ſocijs in extremo vitæ diſcrimine ſalutem attuliſſe, hoſtium ferociſſimorum exercitus regios quinque fudiſſe & perdidiſſe? reges ipſos cepiſſe, & multis eadem die miraculis, Deiq́; beneficijs auctos fuiſſe, demumq́; ſaluos & incolumes victoriam in eum locum qui in illo tempore ad caſtra figenda delectus erat reportaſſe, & neq. dum iretur, neque dum rediretur, quicquā incommodi accepiſſe: neque cùm peruentum in caſtra eſſet, vllos ex ſuis fuiſſe deſideratos; neque quemquam ex illis defeſſum aut laſſum in via hæſiſſe, ſed omnes ſimul qui profecti fuerant, ſimul etiam redijſſe* cum omni Iſrael in caſtra Galgalæ. *I nunc & rerum apud alias gentes celebratarum exempla cum ijs quæ diuino auxilio à pijs hominibus geruntur, confer, etiam decantatiſſimum illud, Veni, vidi, vici: quanto vel ab hac vna Ioſue expeditione ſuperetur, contemplator metire; inuenies profecto nullos homines cum illis comparādos, qui per fidem vi-* Hebr 10.
,, *cerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, obturauerunt ora leonum, effu-*
,, *gauerunt aciem gladij, extinxerunt impetum ignis, fortes facti ſunt in bello. Atque hactenus totius rei geſtæ ſumma deſcripta eſt, quæ deinceps per partes explicatur.*

Fugerant enim quinque reges, & ſe abſconderant in ſpelunca vrbis Maceda.

MAXIMÆ *illius hoſtium turbationis ac trepidationis hinc, illinc verò maximæ Ioſue atque Iſraelitarum alacritatis & cōſtantiæ imago depingitur: atque diuina prouidentia vtroque modo prædicatur: Quòd quinque reges illi fortiſſimi, & ad Gabaonitas perdendos obſti-*

obſtinatiſſimi cùm fuſos fugientesq́. exercitus ſuos vidiſſent, omni regij decoris & nominis cogitatione relicta, vitæ tantùm ſuæ ſpem in fuga poſuerint, atque ſoli, omniq́. præſidio & comitatu deſtituti omnes ſimul vnum curſum tenuerint, eundemq́. longiſſimum ad Macedam vſque vrbem, quam tamen ingreſſi non fuerint, vtpote qui ſe illìc tutos fore minimè exiſtimarent: tum quòd quinque reges illo habitu & geſtu in magna vrbe latere non poſſent, neque abſque ciuitatis totius admiratione & cõmotione ingredi: tum quòd metuendũ erat, ne à ciuibus ipſis in Iſraelitarum gratiã occiderentur, aut proderentur; quamobrem conſultum viſum eſt, vt omnes in ſpeluncã ipſis notam atque ad latendum commodam ſeſe abderent, nulla regiæ dignitatis ratione habita, dummodo cædem poſſent euadere. At verò quod ab illis mortis effugiendæ cauſa decernebatur, vt nullo negotio quinque reges illi in manus Iſraelitis traderentur, certo & notiſſimo monumentumq́. perpetuũ rei futuro loco concluſi, aque vt ab Iſraelitis ipſo eodem tẽpore notaretur, ipſius Dei prouidẽtia effectũ eſt.

Nuntiatumq; eſt Ioſue, quòd inuenti eſſent quinque reges latentes in ſpelunca vrbis Maceda.

ILLORVM *metum, & eorum à quibus inuenti ſunt animi integritatem & conſtantiam ex eo cognoſcere licet, quòd illi inuenti nec inuentorem, ne ſe proderet, occidiſſent; nec inuentor, quominus omnes illos quinque agnoſceret, notaret, & numeraret, fuerat turbatus, aut aliquo modo territus. Quinque reges latentes in ſpelunca vrbis Maceda, rem diligẽter obſeruatam, certoq́. nuntio indicatam, hæc numeri, perſonarum & loci repetitio ſignificat: cuiuſmodi certos nũtios ad principes & ſummos magiſtratus afferri oportet; ne quid ab illis præter decorem atque vſum conſtituatur.*

Qui præcepit ſociis, & ait, Voluite ſaxa ingentia ad os ſpeluncæ, & ponite viros induſtrios, qui clauſos cuſtodiant.

OPTIMI *ducis prudentia ac dexteritas, conſilijs primùm pro tempore capiendis, deinde in rebus gerendis perſpicitur. Magnus aliàs nuntius, & qui intentum ad gloriam ducem quemlibet hærere cogeret, Ioſue allatus fuerat. Quinque reges pariter vno poſſe capi loco, quibus captis victoria certiſſima in manibus erat, & triumphi materia non omittenda offerebatur rariſſimo exemplo quinque regum, eadem opera producendorum, cuius ſpectandi cauſa fieri non poterat,*

ſ 2 *vt non*

vt non magna hominum turba concurreret, imò vt non vnuſquiſque in illis capiendis, producendis, ac deducendis primus, aut ſaltem ne poſtremus eſſe ſtuderet. quæ res cùm Ioſue dexterrimè & ſapientiſsimè putata fuſorum exercituum cædem retardare, aut interturbare poſſe videretur, conſultiſsimè conſtitutum eſt, vt nulla priuatæ gloriæ aut vtilitatis, ſed ſola diuinæ voluntatis ratione habita, victoria aduerſus hominum fugientium turbam vrgeretur; qui ſi euaderent, maius in poſterum Iſraelitis negotium faceſſerent; cùm præſertim quinque illi reges iam à Deo traditi, cuſtodiri interim ita poſſent, vt neq. ipſi effugerent, neque à ſuis eriperentur. Iubet itaque Ioſue magnis ſaxis oſtium præcludi, & idoneo virorum delectorumq́; præſidio cuſtodiri exterius, ne quiſpiam illos inde eruere poſſet. Ceteros verò oblatam diuinitùs victoriam ad extremum vſque perſequi iubet.

Vos autem nolite ſtare, ſed perſequimini hoſtes, & extremos quoſque fugientes cædite. Ne dimittatis eos vrbium ſuarum intrare præſidia, quos tradidit Dominus Deus in manus veſtras.

OBLATVM *à Deo inſignis & vtiliſsimæ victoriæ beneficium agnoſcendũ prædicat Ioſue, & Iſraelitis quàm ſtudioſiſsimè accipiendum commendat, vt omni alia humana cura depoſita, in vnam fidei cogitationem omnes incumbant, & hoſtes illos quamquam fugientes, tamen ſibi traditos credant, idq́; ab ipſorum iudice, gubernatore & principe Domino, cuius conſilium & voluntatem nulla cũctatione ſequi oporteat, perſeuerantiam vſque in finem exigi atque probari à Domino ſuarum rerum auctore & promotore, atque amplificatore. Expedire etiam cogitare eos qui fugiunt, ſibi hoſtes eſſe, qui quantum poſsint & effugere & ſeſe tueri conabuntur: Illis autem viuis & euaſis, Iſraelitas plus negotij habituros, quàm ſi eadem die qua Deus voluerit, res conficiatur; cùm quòd viuens hoſtis hoſti curam iniicit; tum verò quòd oblatam à Deo temporum & locorum opportunitatem negligere, inutiliſsimum, imò calamitoſiſsimum ſit, atque illo præcepto cautum, Non tentabis Dominum Deum tuum. Iam verò facilitatis ratio, præterquam quòd ex Dei promiſſo firmatur, ex tempore & loco atque hoſtium habitu apertè oſtenditur, quòd illi fugiant: faciliùs enim multo fugiens hoſtis, quàm dimicans pesſundatur, quòd non ita procul ſint, ſed contingi poſsint.* extremos

quoſque

quoſque fugientes cædite. *quòd antequam vrbes ſuas ingrediantur, cædi, diſsipari, perdiq́; poſsint. Quod ſi Iſraelitæ ponè ſequantur, vel illi ſeſe in vrbes recepturi non ſunt, vel non ſine Iſraelitis ingreſſuri; quæ res efficiet vt eadem opera & vrbes occupentur, & hoſtes cædantur: hoc eſt quod Ioſue illis pronominibus* eos, & ſuarum *ſignificat.* nec dimittatis eos, *ſine vobis*, vrbium ſuarum, *& nō iam veſtrarum*, intrare præſidia: *ſed ſi intrauerint, & vos etiam intretis, idq́; nulla dubitatione, aut cunctatione, ſed certa promiſsi & beneficij diuini fide.* quos tradidit Dominus Deus in manus veſtras. *Hebraicè hæc figuratè, ſed eleganter & ad viuum ſcripta huiuſmodi ferè verbis*: Et vos ne ſtetis, ſequimini poſt hoſtes veſtros, & caudabitis eos, ne detis illos ad ingrediendum vrbes ſuas, quia dedit eos Dominus Deus veſter in manus veſtras. *Huius prælij ſacri conſilia, initia & progreſſus vidimus: iam verò exitum ſpectemus; vt apertè cognoſcamus nullam huic ſimilem, neq; ſi res ipſas geſtas conſideremus, magnitudine parem huic diei fuiſſe, in qua Reges quinque capti & concluſi, copiæ ingentes fuſæ & occiſæ, vrbeſq́; multæ obtentæ ſunt. Prima huius tantæ expeditionis pars, hoc eſt de regibus captis, iam eſt expoſita; ſecunda verò ac tertia nunc exponitur, nempe de hoſtium atque vrbium expugnatione.*

Cæſis ergo aduerſarijs plaga magna, & vſque ad internecionem penè conſumptis, hi qui Iſrael euadere potuerunt; ingreſſi ſunt ciuitates munitas.

HANC *cædem plenam integramq́; fuiſſe omnium qui Gabaonitas expugnare cæperant, hoc eſt quinque exercituum Amorrhæorum, indicat deſcriptio ipſa*: plaga magna, & vſque ad internecionem penè conſumptis. *Adnotandum verò eſt Latinam vocem* penè, *non tam ad eos qui in prælio fuerant, quàm ad reliquos Amorrhæos, qui in vrbibus Bethoron, Azecha, & Maceda & ceteris vicinis manſerant, eſſe referendum; qui cùm ſuorum exercitibus fuſis ac cæſis perditum iri ſeſe vehementer metuerent, ad munitiſsimarum vrbium præſidia confugère, oppidis, vrbibus & locis omnibus, in quibus minus tuti fore videbantur, deſertis: hanc huius loci interpretationem, cùm Hebrææ lectionis forma, tum verbum Sarid nos docet. Hebræa in hunc modum Latinis vocibus vtcunque ſonant*: Et fuit cùm conſummaret Ioſue, & filij Iſrael cædere eos plaga magna

valde vſque finire eos, & Saridim effugerunt ex eis, & ingreſſi ſunt in vrbes munitionis. *Verbum,* et fuit, *rem non ſeorſum conſiderandam, ſed ad aliam rem geſtam referendam indicare, iam in hoc libro oſtendebamus: Et fuit poſt mortem Moſis &c. Obſeruatione, inquit, dignũ eſt, quid prætereà euenerit, cùm Iſraelitæ Amorrhæos illos ad internecionem vſq. cecidiſſent: id quod Interpres noſter eleganter vertit,* cæſis & vſque ad internecionem penè conſumptis: *namque abſoluti ablatiui huiuſmodi apud Latinos vis eſt. Indicantur itaq. duo: alterũ, illos, quos vt hoſtes aggreſſi fuerant Iſraelitæ, cæſos fuiſſe: alterum verò, eos qui Iſrael effugere potuerunt, relictis omnibus alÿs locis, ſarcinuliſq. collectis, ad præſidiarias vrbes confugiſſe. Duo autem verba Hebræa ſunt, pro quibus Latini vel Effugere, vel euadere citra diſcrimen, reddere ſolent, cùm tamen illa certis differant notationibus, & ſæpe ſimul vſurpentur; id quod niſi differrēt, non fieret: alterum eſt Palat, quod vt obſeruauimus, ad eos refertur qui ex ipſo prælÿ aut periculi alicuius diſcrimine & articulo, vel vi vel fuga liberantur: alterum verò Sarad, de ÿs dicitur, qui vel periculo non interfuerunt, vel ab hoſtibus neglecti, vel relicti euaſerunt. Et plerunq. Interpres noſter* SARIDIM *Reſiduum, vel reliquias interpretatur; & hoc loco verbum* SARAD, *& nomen plurale* SARIDIM *eos qui euadere potuerunt, vertit; ita vt exponi poſſit, reliquias Amorrhæorum illorum, quæ vel neglectæ ab Iſraelitis fuerant, vel in oppidis alÿſq. locis relictæ ad eas effugiſſe vrbes, quæ in illis regnis firmiſſimæ, atque natura & opere munitiſſimæ habebantur vt in ſingulis regionibus olim perfugia huiuſmodi conſtituere in vſu fuit. Atque huic quaſi militari verbo* SARAD, *Effugere ſiue perfugere Latinum reſpõdet: Hiſpanum verò Acogerſe: Italicum eleganter, Desfrattare. Apparet ergo tum ſitas in planis locis vrbes, tũ oppida locaq. alia minus munita ab illis effugientibus fuiſſe derelicta, ſiue illi ex ipſa cæde effugerint, ſiue quod ratio atque oratio potius oſtendunt, ex alÿs locis omnibus in munitas vrbes perfugerint; atque ita ea omnia quæ relicta fuère loca Iſraelitis nullo negotio attineri potuerunt.*

Reuerſusq; eſt omnis exercitus ad Ioſue in Maceda, vbi tunc erant caſtra, ſani & integro numero, nullusque contra filios Iſrael mutire auſus eſt.

PAVLO

Pavlò *antè oſtendebamus, expeditionis huius deſcriptionem ſummam aduſque decimumquintum verſum deductam, eamq́; deinceps membratim explicari: cuius partes illæ ſunt: Primùm ex Galgalis exercitus profectus Gabaonem peruenit, quo loco prælium cœptum eſt: inde fugientium terga per omnes fugæ meatus preſſa ſunt. Interèa reges quinque in ſpelunca comprehenſi & concluſi, cuſtoditiq́; fuêre apud Makedam, vbi Ioſue cum exercitus parte manſit, miſſis idoneis copijs, quæ fugientes Amorrhæos perſequerentur, & occiderent: idq́; effectum eſt. Atque eueſtigiò ij, qui effugere potuerunt, in vrbes munitas perfugère; ij verò, qui fugientes illos perſecuti ceciderant, ad Ioſue redierunt, qui cum bona exercitus parte apud Makedam hæſerat. hoc eſt, quod hic legimus,* vbi tunc erant caſtra: *omnis exercitus eorum, qui ad cædendos fugiẽtes miſſi fuerant. Hebraicè, Omnis ille populus,* ſani & integro numero. *Hebraicè verbi Peſalom ſignificationem Interpres noſter optimè reddidit. Quod verò additur* nullusq́ue contra filios Iſrael mutire auſus eſt, *non ſolùm ad eos refertur, qui victi cæſiq́; fuerãt, ſed ad omnes in vniuerſum quotquot eſſe poterant, quacunque tranſiretur itérue fieret, redeuntibus præcipuè, ſiue per medias, ſiue ſecũdùm vrbes ipſas, omnia illis ceſſere; adeò conſtans certumq́; promiſſum illud fuit*, nullus ex eis tibi reſiſtere poterit. *Hebraicè oratio hæc ita enuntiatur, vt neque publicè neque priuatè quicquam offenſæ, aut incommodi, vel voce, vel verbulo vno Iſraelitis allatum intelligamus: quamquam exercitu diuiſo in partes treis; vnam eorum, qui cum Ioſue in caſtris manſerunt; alteram, eorum, qui in concluſorum regum cuſtodia collocati; tertiam verò, eorũ qui fugientem hoſtem fuêre ſectati. nemo tamen neq. quieſcentibus, neque inſectantibus, neque redeuntibus vel obgãnire auſus eſt. Igitur poſt illius diei partam atque conſtitutã victoriam quid actum fuerit, ſubiungitur.*

Præcepitq́ue Ioſue dicens: Aperite os ſpeluncæ, & producite ad me quinque reges, qui in ea latitant.

Constans *Ioſuæ fides atque ſapientia hoc indicantur verſu; illa quidem, quòd adeò certam ſibi illius temporis victoriam diuinitus traditam optimus dux crediderit, vt nullum negocium aut impedimentum futurum exiſtimarit quominus ſpeluncæ oſtium, quod magnis lapidibus obturatum erat, aperiri commodè poſſet, & reges illos*

quinque

quinque nullo vindice ad ſe vſque adduci. Sapientia verò, quòd hoc in illos exemplum non antea edendum ſtatuerit, quàm omnis Iſrael victoria potitus conueniſſet, vt res & ſuis & alienis hoc pacto notior illuſtriorq́; eſſet, & nulla inuidiæ, contentionis aut querelæ occaſio cuiquam ex Iſraelitis daretur.

Feceruntq́; miniſtri vt ſibi fuerat imperatum; & adduxerunt ad eum quinque reges de ſpelunca, regem Hieruſalem, regem Hebron, regem Ierimoth, regem Lachis, regẽ Eglon.

EORVNDEM *regum, qui fortiſsimi, atque in conſpiratione pertinaciſsimi anteà deſcripti fuerant, numerus ac tituli nunc referuntur, & locus, in quo comprehenſi fuerint, indicatur, ad demonſtrationem tum victoriæ admirabilis, tum diuinæ prouidentiæ ac veritatis & conſtantiæ promiſsi illius, In manus tuas tradidi illos; quod ad præſentium & poſterorum exemplum prædicari oportuit. Quamobrem quatuor hic notantur, primum ita eodemq́; modo factum fuiſſe, vt à Ioſue fuerat imperatum; ſecundum, fuiſſe productos quinq. reges ex ſpelunca, ex qua nullus effugere potuiſſet, aut auxilio quopiam euaſiſſet: Tertium, ad Ioſue nemine impediente deductos fuiſſe, quod mirabile eſt, tot reges tantis modò comitum, militum & ſeruorum cateruis ſtipatos, tanta potentia ſuperbos, nunc tam citò mutata viuendi conditione ſolos comprehenſos è ſpelunca, in qua latebãt, productos deduci; manifeſto diuini iudicij, & conſilij argumento, cum quo nulla priuatæ felicitatis aut infelicitatis ratio cõuenire conſtaréque poſsit: nullius quippe illorum dies cum alio aut conſentiebat, aut ab vno ducebatur ſidere, atque locorum ipſorum & regnorum, vt varia nomina, ita etiam diuerſa ſitus, aſpectus, & horoſcoporum obſeruatio fuerat; & tamen illos omnes vna hora victos, vna fugatos, vna abditos, vna comprehenſos, vna productos atque deductos, vna demùm ſupplicio affectos fuiſſe conſtat. Illorũ verò tituli & propter eas quas indicauimus cauſas, & propter veritatis teſtimonium referuntur & appellantur. atque ipſis Ioſue & Iſraelitis audientibus appellata ſingulatim fuère, hac ſerie, Hic eſt rex Hieruſalem, hic rex Hebron, hic Ierimoth, &c. Idq́; non Iſraelitis tantummodò, ſed gentibus illius regionis omnibus notiſsimum.*

Cumque adducti eſſent ad eum, vocauit omnes viros Iſrael, & ait ad principes exercitus, qui ſecum erant: Ite & ponite

pedes

pedes ſuper colla regum iſtorum. qui cùm perrexiſſent, & ſubiectorum colla pedibus calcarẽt, rurſum ait ad eos: Nolite timere, nec paueatis; confortamini, & eſtote robuſti: ſic enim faciet Dominus cunctis hoſtibus veſtris aduerſũ quos dimicabitis.

VICTORIÆ *illius gloriam, non ſibi, ſed auctori Deo tribui voluit Ioſue; diligentiam verò & operam ijs adſcriptam communicare, quos in gerenda re ſocios habuerat, hoc eſt omni Iſraeli, cuius primores, hoc eſt tribuum & exercitus capita, ad ſe appellatos, Regum colla calcare iubet; magna gratulatione tanti beneficij à Deo accepti admirando exemplo. Nam quis vnquam quinque fortiſsimos Reges vna die ſimul victos, captos & iacentes coram ſe vidit? Iubet ergo illa actione Dei virtutem, prouidentiam, benignitatemq́ erga ſe & iudicium aduerſus impios, conſtantiæ ac veritatis in promiſsis vim agnoſcere, ſpem etiam concipere reportandæ de ceteris gentibus victoriæ; eiuſdem prouidentis Dei auctoritate & beneficio, cui vni rerum ſuarum ſummam omnem acceptam referri curant, non ſolùm euentus ipſos, ſed incepta, acta & cetera omnia: Atque hoc vnico præſidio nixos ex præteritarum rerum experimento & vſu promiſſa omnia in poſterum obtinenda credere. Inprimis animi dubitationem & metum omnem adimit,* nolite timere. *quod ad pericula attinet, nullum futurum affirmat periculum ipſis Dei credentibus promiſſo atque iuſſo obtemperantibus; nullam etiam tantam difficultatem fore ſignificat, quæ conſtantem animum præſtantibus non ſuperetur; ideoq́ addit,* ne paueatis. *Verbum prius animum, poſterius hoc corporis vires Hebraicè ſpectat: quibus duo alia opponuntur,* confortamini *animo, &* eſtote robuſti, *corpore et alacritate: Gallicè courage, & hardiment. Exhortatur itaque illos preſenti exemplo ad futurorum fidem conſtanter tenendam, argumentaq́ duobus ex locis producit, à maiori ſiue ex contentione, & à pari ſiue collatione. Prior argumentationis ratio eſt: Cùm quinque exercitus fuſos, quinque reges coram iacentes atq. pedibus veſtris calcatos ſpectaueritis, credendum ſperandumq́ eſt, alios omnes hoſtes, quorum fortitudinis opinio non eſt perinde celebris, vobis eodem modo ſuperandos, idq́ ipſe futurum affirmo: Poſterioris verò, ex parte efficiẽtiæ ac virtutis à qua beneficium illud expectandũ eſt. non enim dico à vobis hoc faciẽdum,*

hoc eſt hoſtes omnes eſſe ita vincendos & pedibus calcandos, ſed hoc dico eſſe ab eodem faciendum, qui hæc hactenus fecerit, hoc eſt à Domino, cui eadem virtus integra conſtat, eadem voluntas manet tradendi vobis omnes hoſtes, quos debellandos decreueritis. Itaque nulla res impedimẽto vobis eſſe poterit, niſi veſtræ aut fidei, aut diligentiæ defectus, neque terminus vllus præfigitur vobis, niſi ſola definitio eorum, quos hoſtes lege declaratos cognoſcitis. cunctis hoſtibus veſtris, aduerſum quos dimicabitis. *ita tantùm à vobis fides, voluntas & conatus exiguntur, quæ dubio procul diuina virtute ad optimum adducentur exitum.*

Percuſſitq; Ioſue, & interfecit eos, atque ſuſpendit ſuper quinque ſtipites, fueruntq; ſuſpenſi vſq. ad veſperum.

IN *his lectionibus omnibus duo exẽpla perpetuò obſeruanda ſunt: alterum diuinorum erga pios beneficiorum; alterum verò diuinorum erga impios iudiciorum; quorum ſpectato teſtimonio prouidẽtiæ ſummæ ac perpetuæ notitia conſtat. Atque Regum horum ac populorum cauſæ iam in ſacris Moſis libris damnatæ, illa etiam acceſſit, obſtinatio cõſpirationis aduerſum Ioſue & Iſraelitas conflatæ, et illa quoque proxima expeditio ad Gabaonitas in Dei offenſionem & Iſraelitarũ inuidiam perdendos. quamobrem Ioſue quinque Reges illos hoſtes impios atque homicidas occidendos, & lignis ſingulis ex more & lege ſuſpendendos iudicauit, atque tota die in publicum exemplum pendere iuſſit.*

Cumque occumberet ſol, præcepit ſocijs vt deponerent eos de patibulo, qui depoſitos proiecerunt in ſpeluncam in qua latuerant, & poſuerunt ſuper os eius ſaxa ingentia, quæ permanent vſque in præſens.

DEPOSITIONES *cadauerum ex cruce, quamobrẽ lex conſtituerit, iam ſuperiùs oſtendebamus. Decreuit autem Ioſue huius narratæ iã rei monumẽtum eandem illam ſpeluncam conſtituere, in quam reges ſeſe euadendi ac latendi cauſa abdiderant; ita vt loci ipſius natura conſtans & hominum induſtria adiuta id quod geſtum eſſet perpetuò teſtaretur, terroremq́; gentibus inyceret, quas à propoſito pugnæ aduerſus Iſraelitas ſuſcipiendæ reuocaret.*

Eodem

Eodem die Macedam quoque cepit Ioſue, & percuſſit in ore gladij, regemq́; illius interfecit, & omnes habitatores eius. Non dimiſit in ea ſaltem paruas reliquias, fecitq́; Regi Maceda, ſicut fecerat regi Iericho.

FACILITATEM *in multis rebus exiguo tempore paruoq́; negotio conficiendis multiplici exemplo hiſtoria indicat, quantumq́; optimis inceptis momenti inſit, apertè docet. Quippe eadem die qua Reges occiſi atque ſuſpenſi ſunt, Makeda ab Iſraelitis expugnata eſt, oppidanis neque pacem poſtulantibus, neque valentibus propugnare, qui omnes iuxta legis decretum occiſi interemptiq́; ſunt; inter eos autem rex quoque non captus ſed interfectus eſt, cuius cadauer vbi repertũ eſt, eodem quo Iericbuntis rex modo fuit ſuſpenſum. Fuerat enim & rex ipſe in ipſa Ierichuntis inuaſione peremptus; non vt Rex Hay, quem viuum capi Ioſue iuſſit.*

Tranſiuit autem cum omni Iſrael de Maceda in Lebna, & pugnabat contra eam.

QVAMQVAM *Makeda capta, incolis occiſis omnibus, diuitiarum, vtpote regia vrbs plena maneret, prouidendum videri poſſet, ne ab alijs diſſiparetur, tamẽ nihil antiquius Ioſue habuit; quàm curare vt promiſſa à Deo victoria magno ſtudio perpetuaq́; opera cõpararetur. ideoq́; cum omni Iſrael nullis in Makedæ expugnatione deſideratis, nullis ibidem ad cuſtodiam relictis, nullis etiam in præda occupatis, imò omnibus Ducis iuſſui parentibus, tranſiuit in Lebnam proximam vrbem regiam, cuius ciues vrbem ſuam propugnare conſtituerunt, quamobrem Ioſue pugnam capeſſiuit: hoc Hebraica oratio indicat*, & pugnam ſuſcepit cum Lebna. *Vox* cum, *ciues propugnare cœpiſſe ſignificat.*

Quam tradidit Dominus cum rege ſuo in manus Iſrael. Percuſſeruntq́; vrbem in ore gladij, & omnes habitatores eius: non dimiſerunt in ea vllas reliquias, feceruntq́; regi Lebna, ſicut fecerant regi Iericho.

IAM *paulo antè, quænam reliquiæ dicerentur, indicabamus, nempe eos qui vel pugnæ non interfuerant, vel victori contempti & viui relicti ſunt.*

De Lebna tranſiuit in Lachis cum omni Iſrael, & exercitu per gyrum diſpoſito oppugnabat eam.


LEBNENSES *obſidionem non expectaſſe, ſed praueniſſe videtur, egreſſiq́; ex vrbe dimicare cum Iſraelitis cœpiſſe, qui victi, & cæſi ſunt, nullo ex Iſraelitis deſiderato; vt ex eo cognoſcitur, quod legimus* cum omni Iſrael. *At verò Lachis, quòd murorum præſidio fideret, obſidionem expectauit, quam tamen breuiſſimam tulit; nam ſecundo die expugnata captaq́; fuit.*

Tradiditq́; Dominus Lachis in manus filiorum Iſrael, & cepit eam die altero, atque percuſſit in ore gladij omnem animam quæ fuerat in ea, ſicut fecerat Lebna.

NEC *armorum vi, aut propugnatorum virtute, neque murorum propugnaculis Dei voluntatem & efficientiam vllo modo impediri, aut retardari poſſe, oſtendit oratio;* tradiditq́; Dominus in manus, *hoc eſt, facillimam Iſraelitis expugnationẽ reddidit, nempe vno die obſidio cœpta, poſtero verò vrbs capta eſt:* & cepit eã *Iſrael, qui operam adhibuit ad capiendum. namque hîc nullum aliud miraculum ſpectatum eſt præter facilitatem, conficiendiq́; celeritatem admirandam, qua id præſtabatur, quod nuper Ioſue interprete diuinitus promiſſum fuerat, Sic faciet Dominus cunctis hoſtibus veſtris, aduerſum quos dimicabitis. Neque verò vnica tantùm ac ſimplici cura & opera, ſed diuiſa ac duplici bellum hoc peractum eſt.*

Eo tempore aſcendit Hiram rex Gazar, vt auxiliaretur Lachis, quem percuſſit Ioſue cum omni populo eius vſque ad internecionem.

Diuina prouidentia effectum eſt, vt alij ex hoſtibus petiti, alij verò vltrò petentes & bello adorti eodem tempore cæderentur; ita vt Iſraeli nihil certius optabiliúſue eſſet, quàm exercendi belli occaſionem quouis modo nanciſci, vtpote cui ipſum ab hoſtibus oblatum prælium promiſſam victoriam ſuppeditaret ex illo promiſſo, Sic faciet Dominus, &c. huiuſmodi ratione conſiderata & bene ſubducta, Dauid olim canere ſolebat: Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Eſt autẽ ex bellicæ prudentiæ præceptis vnũ, proſpicere ne hoſtilis exercitus aliquis poſt tergũ relinquatur; quippe periculoſiſſimũ exiſtimatur & imprudentiſſimũ, non peruidere & conſtituere, quamadmodum, vbi tempus poſtulauerit, ſeſe recepturus miles, qua pedes referat, liberum habere poſsit exitum; adeò vt ad exitum, quàm ad aditum inuenien-



ueniendum maior adhiberi ſoleat cura. Verumenimuerò ijs, quos diuina prouidentia ſingulari beneficio iuuandos, promouendosq́; ſuſcepit, perinde eſt, qua parte hoſtis, quámue frequens immineat; imò quo frequentior incubuerit, hoc maiorem ac breuiorem adferre victoriam creditur. Ioſue à Gabaone inchoatum bellum per varia loca & regna producebat, occaſum verſus perpetuò tendens, perueneratque ad Lachis vſque Gazer regia à tergo relicta, quæ & vna ex Heuæorum vrbibus erat, inter quam & Lachis Saronæ montes interijciebantur: itaque & regium exercitum & montem prætergreſſus fuerat Ioſue; cùm in Lachis deueniret. quam opportunitatem rex Gazer ſibi non prætermittendam duxit, vt Iſraelitas & ex ſuperiori loco adoriretur, & duobus prælijs diductos atque occupatos, altero à ſe, altero à propugnantib. Lachis ciuibus vehemētius acriuſq́; premeret. Erat verò Hiram vir arte virtutéque bellica ſtrenuus, vt re ipſa declaratur, vtpote qui tantarum à Ioſue geſtarum fama rerum, quo minus ipſe vltrò in bellum procurreret, minimè fuerit deterritus, & inuadendi hoſtis occaſionem, tempus, opportunitatemq́; cognouerit ac ceperit; idq́; non tam ſeſe defendendi quàm vicino regi oppreſſo ſubueniendi & opitulandi cauſa. Quamobrem illius nomen, vt ſuo æuo præclarum hîc appellatur, quo maior Iſraelitis ex diuino præſidio victoriæ ratio conſtet. Hæc quæ nobis adnotata ſunt, omnia huius verſus orationibus ac verbis ſignificantur. Eo tempore, *cùm Lachis obſideretur:* aſcendit Hiram: *qui vltra Saronæ montes habitabat:* vt auxiliaretur Lachis: *ſiue poſtulatus fuerit opē ferre ex conſpirationis lege, ſiue, quod magis conſentaneum eſt, ipſe vltrò cùm inſtructo exercitu ad ſe defendendum paratus eſſet, intellexiſſetq́; Lachis vrbem à Ioſue obſideri, atque obſidionem longiùs protrahendā exiſtimaſſet, Iſraelitarum exercitum à tergo inuadere conſtituerit; quem tamen Ioſue, quamuis in duas partes exercitum curamq́; diuideret,* percuſſit cum omni populo eius vſque ad internecionem: *hoc eſt, nullis omninò relictis ex illius exercitu reliquijs. Atque hactenus contento curſu Amorrhæos & Heuæorū partim Ioſue vaſtauit ad Palæſtinorum vſque terminos: inde verò rurſus ortum verſus iter faciens, quinque illorum regum, qui vna die victi captiq́; fuerant, regias vrbes mirabili conficiendi celeritate cepit.*

Tranſiuitque de Lachis in Eglon, & circundedit: atque expugnauit eam eadem die; percuſſitq; in ore gladij omnes animas quæ erant in ea iuxta omnia quæ fecerat Lachis.

TRANSEVNDI *verbum itineris rationem non ſolùm regione, ſed etiã ſpacio mutatam ſignificat: conuerſo, inquit, curſu, & multis oppidis, vtpote nihil negotij faceſſentibus, decurſis et prætermiſsis ad Eglon vſque proceſsit, quam eadem die & obſedit, & cepit.*

Aſcendit quoque cum omni Iſrael de Eglon in Hebron, & pugnauit contra eam.

ADMIRANDVM *ſingularis prouidentiæ argumentum his lectionibus perpetuò obſeruandum eſt in tantis, támque frequentibus prælijs, tanta hoſtium ſtrage; tamen Iſraelitas nulla ſui parte fuiſſe imminutos neque defeſſos, ſed cum duce ſuo integris copijs perpetuò perſeueraſſe. Hebron vrbs in monte ſita, & antiquiſsima & munitiſsima fuit, & Giganteo nomine percelebris, aliasq́; Kiriatharbagh dicta, propter quatuor maximorum virorum, à quibus habitata, culta, auctaq́; fuerat, nobilitatem; hæc obſidionem non expectauit, ſed anteuertit copijs ad propugnandum productis.*

Cepitque & percuſſit in ore gladij, regem quoq. eius & omnia oppida regionis illius, vniuerſasq; animas quæ in ea fuerant commoratæ. Non reliquit in ea vllas reliquias, ſicut fecerat Eglon, ſic fecit & Hebron, cuncta quæ in ea reperit conſumens gladio.

HEBRON *inſignis & celebris atque frequens ciuitas in occiſi nuper à Ioſue regis locum alterũ iam ſuffecerat, ſiue illius legitimum hæredem, ſiue aliàs à populo delectũ; id enim ne differretur, & regni atque ditionis magnitudo, & temporum neceſsitas poſtulabat. Hunc ipſum nouum regem occiſum narrat hiſtoria, & omnem etiam populum interemptum, imò vrbes omnes alias, quæ ſub regis illius imperio ac ditione erant, continuata opera captas & vaſtatas. Id autem ideo factum fuiſſe exiſtimamus, quòd vrbes illæ omnes propter ſitus naturam atque operum munitiones perfugij ac præſidij locum & opportunitatem præbere hoſtibus poterant. oportuit igitur omnem illam regionem planè debellari.*

Inde reuerſus in Dabir, cepit eam, atque vaſtauit: regem quoq. eius, atq. per circuitum oppida percuſſit in ore gladij: non dimi-

dimiſit in ea vllas reliquias: ſicut fecerat Hebron & Lebna, & regibus earum, ſic fecit Dabir & regi illius.

A *Lachis quæ non longè à Palæſtinorum finibus iacebat, ad Hebron, quæ Amorrhæorum ortum verſus ſecundùm meridiem vltima regio erat, iter tendentibus, Debir medio ferè ſpacio ad dextram relinquitur. Hanc vrbem poſt vaſtatum Hebronis regnum requirendam cenſuit Ioſue, quæ vtriuſque lateris præſidijs auxilijsq́; cadẽs, nec effugere, nec ſeſe defendere potuit, quamuis montano in loco ſita, & regem iam recens creatum haberet, & alijs eiuſdem regni vrbibus eſſet munita.*

Percuſſit itaque Ioſue omnem terram montanam & meridianam, atque campeſtrem, & Aſeroth cum regibus ſuis: Non dimiſit in ea vllas reliquias, ſed omne quod ſpirare poterat, interfecit, ſicut præceperat ei Dominus Deus Iſrael.

CVIVSCVNQVE *oppugnandæ regionis duplex narratur ratio: altera locorũ ſitus & natura ſpectatur; altera verò magnitudine æſtimatur. in ſitu ſunt ſoli atq; cæli obſeruatio, ſi mõtanus tractus, ſi planus, ſi aridus, ſi aſper, ſi paludoſus, ſi etiã ſiluis & nemoribus frequẽs; ſi calido, aut frigido, aut humido & craſſiore aëris auræq́; vſu fruitur: horum quippe varietas rerum expugnandi facultatem vel augere, vel minuere ſolet pro eorum à quib. bellũ infertur, vel etiam propulſatur, varijs ingenijs, habitu & cõſuetudine. Nihil autẽ huiuſmodi varietatis quicquam Ioſue & Iſraelitis obſtitiſſe indicat hiſtoria, quo minus vno eodemq́; bello paucis diebus confecto, hoſtes omnes victi, vrbes expugnatæ & captæ atque vaſtatæ fuerint.* Omnẽ terram montanam. *Vrbes in ipſis montium culminibus, & præruptis cacuminib. poſitas non minùs aut ſeriùs.* atque campeſtrem & planam. *Meridianã etiam, quæ aridior ſicciorq́; eſt, & propter Solis vim perpetuò exuſta, & mediam inter hæc genera Aſeroth. Quod vocabulum quia ſimplici Latino verti non potuit, Hebræum interpres reliquit. Significat autem Aſeroth, id quod Chaldæus paraphraſtes expoſuit,* Defuſiones ex altitudine: *Hiſpanicè Las vertientes. Namque omnibus huiuſmodi partibus, atque ſitus generibus regio illa propter ſoli fertilitatem, culta, ædificata, habitataq́; fuerat. Omnes itaque illius regionis vrbes, quocunque modo, quocunque ſitu, quocunque habitu fuiſſent, quibuſcunque cultorum & habitatorum ingenijs, viribus*

ribus, artibus, armiſq́; inſtructa cum regibus ſuis vnico bello omninò confecit Ioſue, diuinis promiſsis fiſus, atque Domini Dei Iſrael iuſsis parere attento animo ſtudens: ita breuiſsimo tempore diuinum iudicium in gentibus illis exercitum, & diuinum etiam promiſſum pio & fideli populo præſtitum conſtitit. Sed quàm longè lateq́; propagata victoria, & occupata fuerit regio illa vnica expeditione, ſubiuncto verſu declaratur.

A Cades-Barne vſque Gazam, omnem terram Geſſen vſque Gabaon.

EST *Cades-Barne in extremis Arabiæ & Canaan confinibus, cuius mẽtio celebris in Moſis hiſtoria fit, adiacetq́; Iſraelitarum regioni ad ortum meridiẽ verſus; Gaza verò Palæſtinorum prima regia tractũ illa expeditione à Ioſue occupatum claudebat ab occaſu; interiora terrarum, atque his terminis concluſa ab ortu & Borea nomine terræ Geſſen indicantur; ſed non eſt illa Geſſen Aegyptia, quæ Pharaonis beneficio Iacob et filijs in vſum paſtionis conceſſa fuerat. Atque in his captis & occupatis vrbibus ac ditionib. Gabaon quoq. numeratur, à cuius obſidione & expugnatione Amorrhæi fuerant depulſi. Hæc itaque omnia vno impetu expedita fuerunt.*

Reuerſusq̃ue eſt cum omni Iſrael ad locum caſtrorum in Galgala.

EANDEM *expoſitionem huius capitis poſtremus verſus cum illo, quem interpretabamur, ſextodecimo habet. illic enim ſumma breuiter concepta, hîc verò numeratis rerum geſtarum partibus, & ſingillatim expoſitis, repetita eſt. Erat autem illo tẽpore tabernaculum apud Galgalam erectum, quo loco præter eos qui in expeditionem educti fuerant, reliquus populus omnis manſerat.*

CAPVT VNDECIMVM.

QVæ cùm audiſſet Iabin rex Aſor, miſit ad Iobab regem Madon, & ad regem Semeron, atque ad Regem Achſaph.

CONFICIENDORVM *bellorum opportunitatem Iſraelitis Deus admirabili prouidentia creabat, yſdem ipſis artibus & rationibus vſus, quibus mundi huius princeps electum Deo populum perdere cogita-*

gitabat, hoc eſt virium atque potentiæ magnitudine, & coniunctis multarum hoſtium copijs; quæ ad res gerendas plurimum valere exiſtimantur: Verumenimuerò niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.

Vis conſilî egens mole ruit ſua,
Vim temperatam Dij quoque prouehunt
In maius; ijdem odêre vires
Omne nefas animo mouentes.

Narrat igitur hiſtoria, quemadmodum poſt debellata maximisq́; cladibus confecta quinque Amorrhæorum regna, cetera fere omnia, quæcunque Cananæorum nomine cenſebantur, quamuis maxima & potentiſſima, exiguo tempore ſuperata peſſundataq́; fuerint, admirandis exemplis cùm inſaniæ humanæ, tum prouidentiæ ac virtutis diuinæ. Huius autem rei initium apud Iabin regem Haſor factum, qui inter ceteros Cananæorum reges primas obtinebat, vel quòd regnum gubernaret potentiſſimũ, vel quòd ipſe Canaan patris omnium antiquam ſedem haberet: Illic enim videtur Canaan habitaſſe, qui proximam maritimam regionem Sidon primogenito occupãdam tradidit, ſicut ſcriptum eſt: Canaan genuit Sidonem primogenitũ ſuum Gen.11.
Hethæum &c. Atque hunc Iabinum regem interemptorum quinque Regum, & expugnatorum regnorum atque liberationis Gabaoniticæ auditus verus nuntius non ſolùm à dimicatione non deterruit, ſed etiam maiori aduerſus Iſraelitas odio incendit, & victoriæ obtinendæ opinione, atque ſpe auxit; tantum in illa ſceleratiſſima gente inſaniæ & inſipientiæ inſederat. Oportuit enim vnà cum acceptæ cladis nuntio editorum à Deo miraculorum expoſitionem fuiſſe ad Iabinum perlatam; quorum cognitione tantum abeſt, vt fractus & ad pænitentiæ ac pacis cogitationẽ conuerſus fuerit, vt etiam maiori obſtinatione obdurauerit, & diuino conſilio humanis viribus obſiſtere decreuerit. Huiuſmodi monſtroſæ ſtultitiæ plura exempla antiquas hiſtorias legentibus obſeruantur; & vtinam nulla noſtris ſæculis fuerint ſpectata. Ille itaque primus Regum illorum ſocios conſpirationis omnes, atque genere ſibi coniunctos ad bellum coniunctis copijs & viribus atque conſilijs aduerſus Iſraelitas ſeriò capeſſendum concitauit. Quandoquidem non videbatur exſpectandum, vt diuiſæ totius regionis vires paulatim exederentur; nunc vno deinde altero exerci-

tu ac regno expugnato & perdito. Conſilium ergo fuit, extrema omnia experiri, & magnæ Iſraelitarum felicitati maximam oppugnatorum manum atque induſtriam opponere: quamobrem vicinos primùm, deinde remotiores, cunctos denique Reges ad communẽ propugnationẽ vnum in locũ conuocauit. Miſit igitur ad Iobab illuſtris opinionis virum regem Madã, ſiue Madon ſibi proximũ, & regem Semeron remotiorem aliquanto meridiem verſus, & illo etiam magis remotum Achſaph regem, qui eandem meridionalem ſpectabat plagam, quorum vrbes & regna ſecundùm montoſa Taboris loca erant. Vltra hos autem ad Auſtrum nulli iam ſupererant reges illis quinque Amorrhæorum occiſis. At verò ad Boream, ad Ortum atque ad occaſum multi adhuc erãt, quos omnes vnà congregandos Iabin curauit.

Ad reges quoq. Aquilonis, qui habitabant in montanis, & in planitie contra meridiem Ceneroth, in campeſtribus quoque & regionibus Dor.

OMNIA *locorum ſituſq. genera in ſumma primùm indicantur; deinde verò gẽtium nomina, & quæ quæq; ſedes tenuerint explicantur. Sæpe in ſacris deſcriptionibus Cananæorum terræ fines vario nomine, verùm re eadem tradũtur, vt in ſacro Apparatu indicabamus.*
Lib.Canaan *Omnium autem ſumma eſt ab ortu Iordanis fluuius, ab occaſu Mare magnum, quod Mediterraneum ſiue Syriacum Latini dicũt, à Meridie Arabia, à Septentrione Libanus mons. In præcedenti verò capite omnem ferè meridionalem partem à Ioſue expugnatam & occupatam accepimus, non modicam verò ab ortu captam ipſo primo ingreſſu, vt Ierichuntis, Hay, & Bethel regiones & regna; reliquæ erant partes eæ, quæ verſu hoc indicantur, Septentrionalis omnis, & occiduæ atq. Orientales regiones, quarũ reges fuerant debellati. Conſtituta igitur Haſor ad huius narrationis rationẽ prima, vrbs ex qua conuocatio facta fuit, Septentrionalis tractus primùm petitus eſt, ſecundùm Libani procurſum; deinde ab ortu meridiem verſus montana & plana loca viſuntur, ſecundùm lacus eos, quos Iordanis fluuius efficit, quondam Chineroth, Chriſti verò ætate Genezzar ſiue Genezareth mare dictos. Hinc verò occaſum verſus redeuntibus regiones Dor ad mare vſque ſiue Syriacum extenduntur. Atque hæc regionum ſumma deſcriptio eſt; Gentium verò, quibus regiones hæ incolebantur, illa ſunt nomina.*

Cana-

Chananæum quoque ab oriente & occidente, & Amorrhæum atque Hethæum, ac Pherezæum & Iebuſæum in montanis.

VOX *Latina*, quoque, *non addit, aut adiungit hoc loco, ſed exponit: vt ſi dicatur, Hæc quoque ſunt nomina gentium, qui in illis habitabant regionibus, Cananæus ab oriēte & occidente, Amorrhæus atque Hethæus & Pherezæus & Iebuſæus in montanis. Proſequitur autem expoſitionem gentium.*

Heuæum quoque, qui habitabat ad radices Hermon in terra Maſpha.

HERMONIS *montis frequens in ſacris libris mentio eſt, iuxta quem Heuæorum gens habitabat: erat autem altiſſimus ille mons, vt conſtituta ſpecula totum Heuæorum agrum proſpectaret, quamobrem regioni illi nomen Maſpha, ſiue Miſpha, hoc eſt, ſpecula, inditum videtur. Atque tum ex locorum ſitu, tum ex nominum notatione varij multiplicisq́; ingenij, atque ad rem gerendam non vna tantùm arte ac dexteritatis genere præſtantes hoſtes Iſraeli paratos videmus, quorum copias, frequentias & numerum mox indicat hiſtoria.*

Egreſſique ſunt omnes cum turmis ſuis; populus multus nimis, ſicut arena quæ eſt in littore maris, equi quoque & currus immenſæ multitudinis.

RERVM *quæ humana opera numerari, aut menſurari nō poſſunt, imaginem, & ſtellæ cæli, & maritima arena referre ſolent; vt, Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris. Et apud externos,* Gen. 22.

Virg. Geor. 2.

——neque enim numero comprendere refert:
Quem qui ſcire velit, Libyci velit æquoris idem
Diſcere, quàm multæ Zephyro turbentur arenæ.

Verùm enimuerò quamquā imago hæc hoc loco hyperbolicôs inducta videatur, nobis tamen nullum exceſſum ſignificat; ſed propriè aptiſſimeq́; propoſita obſeruatur. Neque enim ait hiſtoria hoſtium multitudinem numero comprehendi non aliter quàm maritimam arenam non potuiſſe, ſed tam denſas frequentesq́; fuiſſe ait illorum copias, vt quacunque locus proſpectaretur, nihil aliud quàm populus videretur, vnaq́; eſſet agri facies hominib. operti, velut ijs qui maris littus proſpectant, omne ſolum arena conſtratum viſitur: nuſquam enim vel prati portio, vel aliud præter arenam conſpicitur; ideoq́; propriè elo-

quitur: Non enim inquit, homines multi, ſed, populus multus nimis; neque ait, vt arenæ, quæ numerari non poſſunt quocunque loco ſint, ſed ſicut arena, *hoc eſt, ſicut longè lateq́, extenditur arena ea, quæ eſt in littore maris, cuius facies omnis aſsiduo fluctuum æſtu arena conſtrata conſpicitur. Id autem ita fuiſſe oportuit tot regibus vnà cum turmis proprÿs, hoc eſt ſingulorum exercitibus integris coniunctis. Atque hoc pacto non modò vires ingentes Iſraelitarum viribus, verumetiam numina numini, & , vt ipſorum diſciplinæ erant, ſidera ſideribus atque felicitates felicitatibus opponere gentes illæ errorum tenebris immerſæ cogitabant. Nam qui vel deos plurimos eſſe, vel fata fortunamq́, aliquid poſſe exiſtimauerint, in hæc inſana conſilia incidãt neceſſe eſt, vt vel alÿs numinibus alia propter virtutem aut gratiam cedere poſſe putent, vel fata etiam, quæ aliàs illis fixa conſtantiſsimaq́, finguntur, aliorum populorum fatis, vel etiam dÿs impediri ac turbari, minui, mutari, temperaríue cenſeant. in huiuſmodi namque ſtultitias humana mens, vbi ſemel à veri via diſceſſerit, rapitur; quas etiam grauibus verbis deſcribere ac depingere, imò & confirmare non erubeſcit. Atque ex hoc exemplorum genere illud eſt:*

— Méne incœpto deſiſtere victam?
Nec poſſe Italia Teucrorum auertere Regem?
Quippe vetor fatis. Pallas ne exurere claſſem
Argiuûm, atque ipſos potuit ſubmergere ponto
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oïlei? &c. *ac paulò pòſt,*
Aſt ego quæ diuûm incedo regina, Iouisq́ue
Et ſoror & coniux, vna cum gente tot annos
Bella gero. Et quisnam numen Iunonis adoret
Prætereà, aut ſupplex aris imponat honorem?

Neque enim vel à gentibus, vel ab Iſraelitis, vel etiam à Chriſtianis quicquam aduerſus rectam rationem, vel manifeſtam Dei doctrinam peruersè ſuſciperetur, niſi aliqua recti ſpecie aliàs deceptis, id quod verum honeſtumq́, eſt, in aliam partem diſputando & cogitando raperetur. Ita igitur factum videtur, vt gentes illæ ſitu, regione, ingenio atque artibus diuerſæ varÿs ſingularum numinibus & fatis atq. fortunæ ipſis oppidò cultæ, viribus & rationibus Iſraelitarum felicitati ab vnico Deo profectæ obſiſti poſſe crederetur; quibus etiam rebus magnus quoq. bellicus apparatus adiunctus eſt ex opinione

*nione eorum, qui humanam etiam virtutem cum Dei auxilio compo-
nendam atque coniungendam opinantur. Hoc itaque à gentibus illis
diligentiſſimè curatum hiſtoria indicat.*

Equi quoque & currus immenſæ multitudinis.

QVIPPE *& multitudine & dexteritate, & varia diuerſorum
populorum felicitate, nec non bellico apparatu fidebant. Atq. vtinam
nulli ex ijs principibus, aut populis, & magiſtratibus, qui veri Dei &
Chriſti cognitionem profitentur, hanc gētium iſtarum rationem vt
optimam probent & imitentur, quibus ad diuinæ prouidentiæ ſpem
& expectationem vocatis, illa communis reſponſio eſſe ſolet, iam à
Deo miracula non edi, neque expectari oportere. Ergò ſi fidelibus po-
pulis, cùm opus fuerit, miracula ex ſingulari prouidētia nō expectan-
tur, cōſequens ergò erit eos perinde atque ceteras gētes in grauiſſimis
rerum opportunitatibus haberi, ita profectò putare videntur ij, qui
in curribus & in equis, in ſulphuris metalliq́. apparatu, in tormen-
torum copia machinarumq́. bellicarum arte & ſtudij multum & la-
boris atque ſudoris populorum plurimū ponunt, ponendumq́. cenſent,
quamobrem pecuniam omni arte, vi atque potentia iniuria etiā fre-
quenti comparandam iudicant, vt non ſolùm diuinæ ſingularis pro-
uidentiæ expectatio non habeatur, ſed ſceleribus etiam iniurijsq́. ad-
miſſis auferatur. Quare nihil mirandum, ſi ſuſceptæ atque gerendæ
ab his res varios & incertos, hoc eſt ſimiles exitus habeant earū gen-
tium ſucceſſibus, quæ omnia in fortunæ caſibus ponunt. Atqui longè
melius rectiusq́. illi agunt, qui nullam neque publicè neque priuatè
belli vel ſuſtinendi, vel inferendi anſam ex ſe præbēdam decernunt,
quibus ſi exterius illatum bellum incidat, illud magna fide atque ſpe
concinitur, Deus refugium noſtrum & virtus, adiutor in tribula-* "
tionibus, quæ inuenerunt nos nimis: Propterea non timebimus, dum "
turbabitur terra, & transferrentur montes in cor maris. Atque illæ "
*ab Iſraelitis diuinæ prouidentiæ ſingulari efficientia promotis fe-
liciſſimè geſtæ res omnibus in poſterum fidelium populorum æta-
tibus in exemplum propoſitæ fuère, tum ad fidem confirmandam,
tum ad virtutem fidei igne inflammādam & incitandam, ſicut ſcri-
ptum eſt, Quæcunque (Spiritu dictante ſancto) ſcripta ſunt, ad no-* "
ſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem "
ſcripturarum ſpem habeamus. Ideò autem illis primis tēporibus, qui- "

bus poſteritas etiam omnis ad veræ pietatis & ſapiētiæ cognitionem & exercitationem inſtituebatur, ea exempla edita fuère, quæ omnem futurarum rerum comparationem excellerent, vt illorum ſucceſſus eorum quæ poſteà inciderent temporum euentus & præmonſtrarent & promitterent; ideò etiam tam frequens Dei ducem populumq́ ſuum animantis & firmantis oraculum auditur, quod ſemel editum perpetuò certum conſtansq́ fore exiſtimari oportuit, ſicut
Pſalm. 61. *ſcriptum eſt: Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui, quia poteſtas*
" *Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, quia tu reddes vnicuique*
" *ſecundùm opera ſua. Hoc loco videmus multorum regum conſpiratione variorum populorum ingenijs & artibus armatorum copijs innumerabilibus, armorum omnis generis & bellici apparatus multitudine & magnitudine ingenti, peditibus, equitibus, curribus falcatis quamplurimis Iſraeliticum populum numero minorem, bellico apparatu longè imparem, loco alieno & ignotis anteà tractibus, tamen Dei ſingulari beneficio ſuperiorem euaſiſſe, & hoſtibus cæſis ac perditis, terra atque præda opima fuiſſe potitū, regionemq́ obtinuiſſe opulentiſſimam, quæ tam multa hominum millia produxerat & aluerat; ita vt quo maior hoſtium copia Ioſue oſtenſa fuerit, eo vberior victoria propoſita promiſſaq́ ſit, atque etiam promiſſæ terræ fœcunditas fuerit apertius comprobata. Neque verò ea, quæ in hunc locum à Ioſepho ſubducta ratio eſt numeri & copiarum, quæ in illam expeditio-*
Ioſeph. lib. 5 c. 2. An. *nem à Cananæis productæ ſunt, vt exacta eſt excipienda; non enim certa aliqua in ſcripturis lectio conſtat, ex qua ille pedites tercentum mille, equites decem mille, currus bis mille fuiſſe definiret. Solet namque auctor hic alias gentium res minuere, Iſraelitarum verò augere, miraculi forſitan eleuandi & fidem ſibi aſtruendi cauſa, reclamante apertè ipſa ſacrorum librorum veritate, vt aliàs indicabimus. Illud verò hoc loco certa nobis lectione conſtat, populum illum nimis multum fuiſſe, ſicut arena quæ eſt in littore maris, equos quoque & currus valdè plurimos.*

Conueneruntq́; omnes reges iſti in vnum ad aquas Merom, vt pugnarent contra Iſrael.

DVOS *lacus Iordanis fluuius antequàm in Mare ſalis influat efficit, priorem poſteriore longè breuiorem; quem Aquas Merom ſacer ſermo vocat, nomine ex loco ſuperiore facto, apud hunc oppidum*

eodem nomine fuiſſe, ex Hieronymo & Ioſepho obſeruare licet. Nam Ioſephus Berothon, ſiue Merotum meliùs locum appellat, in quem reges hi conuenerunt. Magno verò conſilio expeditionem hanc incœptam fuiſſe verbum, & conuenerunt, *ſignificat; non enim tantùm corpore, ſed & animo deliberato ac tempore conſtituto conueniſſe indicat Hebraica vox* IIVAGHADV. *fuit namque omnibus eadem mens, idem animus,* vt pugnarent contra Iſrael. *Habet verò ſingularem annotationem hoc loco Iſraelis nomen, ſiquidem fauſtum eſt, & potentem cum Deo ſignificat, quod vel ipſa ſignificatione terrorē hoſtibus incutere poterat; verùm hominum ſtulta ſapientia rationē & modum à ſe inueniri poſſe putat, ad bella etiam Deo Deiq́; dilectis viris mouenda, idq́; expediendum cenſet augurijs, ominibus, locorum perſonarumq́; ſingularibus genijs & ingenijs, & præcipuè multorum collatis communicatisq́; conſilijs, viribus & fortunis; atque huiuſmodi inſaniæ humanæ exemplum illo pulcherrimo Pſalmo deſcribitur ac deridetur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt* Pſalm. 2. " *inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum* " *aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius? Diſrumpamus vin*- " *cula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum. Inſtar huius quod aduerſus Ieſum Chriſtum reges & populi inierunt conſilium, inierunt etiam reges hi & populi Cananæorum, aduerſus Deum & aduerſus virum valentem cum Deo. Sed qui habitat in cælis, irridebit* " *eos, & Dominus ſubſannabit eos. Atque horū ſententia mensq́; fue*- " *rat, poſſe vnico Deo quamuis maximo ac ſupremo, vni populo Iſraelitico, quamuis numeroſo & felici, vnico tamen, multorum Deorum tutelarium, quos illa illorum theomoria vocabat, numinibus diuerſis multorum regnorum & populorum, aſtris & ſideribus, varijs eorundem fatis, & fortunis atque felicitatibus, pluribus denique ingenijs, artibus & conſilijs atque viribus communicatis & cōiunctis obſiſti; obſeruata etiam temporis, horæ, atq. loci ratione; ideoq́; certo tempore conuentum eſt, vt verbum Hebraicū apertè indicat* IIVAGHADV, *Hiſpanicè* fueron aplazados: *id quod ſine augurio factum non fuiſſe arbitramur, cui etiam loci omen acceſſit.* ad aquas Merom. *Significat verò nomen* Merom *exceſſum, ſuperioritatem & præſtantiam atque ſublimitatem: ea verò omnia obſeruata comparataq́; fuere,* vt pugnarent contra Iſrael. *Nouimus ex huiuſmodi vanis orientalium*

diſci-

diſciplinis illam à Romanis conſuetudinem ſeruatam euocandi ea numina, quæ populis & vrbibus, quibus bellum inferebatur, præeſſe crederentur. Nulla itaque ab illis rerum earum, quæ ad victoriã ſpectandam opportunæ cenſerentur, eſt prætermiſſa pars. At verò Ioſue, qui vnico Dei præſidio nitebatur, audito huius coitionis nuntios ſuas etiam partes curauit: eæ verò fuêre Dei conſultatio & fides atque obſeruantia. Namque ex ipſo reſponſo intelligitur Deus rogatus conſultusq́; fuiſſe.

Dixitque Dominus ad Ioſue; Ne timeas eos: cras enim hac eadem hora ego tradam iſtos vulnerandos in cõſpectu Iſrael.

RESPONSVM *præſidiumq́; Dei erga eos qui ſe colunt, certiſſimũ & ſingulare hic verſus nobis, velut indice, monſtrat digito. Neque enim ducem ſuum iuuare & promouere tantũmodò, ſed animare, ſed victoriæ facilis, breuis, & expeditæ certiorem facere Deus vult, propoſita primùm rei ſecũdùm naturam difficultate, deinde verò eadem efficientiæ virtutiſq́; ſuæ promiſſo ſublata. Nam cùm dicitur,* Ne timeas eos, *nobis illud non ſignificat Ioſue timuiſſe, vtpotè virum fide atque pietate eximia, & diuinæ erga ſe prouidentiæ crebris & frequentibus atq. recentibus exemplis edoctum, ſed ſignificat adhortatio hæc hoſtium maximam illam vim atque manum, ſi humanis rationibus metiri contingeret, eſſe profectò terribilem, vtpotè tot rerũ, apparatuũ, hominum ac artium partibus cõflatam. Ideo igitur Ioſue, qui iam iter ad illos cum exercitu ſuo faciebat, ſpontè currens incitatur magis atque animatur his verbis ex Hebraico verſis,* ne timeas à faciebus eorum. *Videbis, inquit, cùm in eos incides, tantam hominũ, equorum & curruũ copiam vt timere certo poſſes, vbi humanis viribus res eſſet gerenda; verùm tibi nihil adeò metuendum, nihil verendum eſt, cui meum præſidium præſto erit. Quippe illi cùm Iſraeli bellum inferre conſtituerint, hoc nomine & mihi etiam inferre decreuerunt. At verò ego qui Iſraelis nomine promouendo meum potentis Dei nomen tueor & orno, vt Iſraelis dux imperatorq́; ſummus & auctor atque conſeruator ipſe, ita illos frangam, vt Iſraelitarum manibus cras hac eadem hora cædendos tradam.* omnes iſtos vulnerandos. *Hebraicè, Omnes eos* HALALIM, *vulneratos, ſiue cæſos; caret namque ſacer ſermo huiuſmodi Latinis gerundijs ac paſſiuis participijs futuri; ſed præſenti participio hoc verbum hoc loco pronun-*

pronuntiatur, quod Græci interpretes τετρωμένους *vulneratos ſiue cæſos verterunt: ita, quod ad gentium cum gente veſtra collationem attinet, effecturum ſeſe recipit Deus, vt quicquid ab illis collatũ comparatúmue fuerit, conſiliorũ, auguriorum omnium, artium, viriũ, et obſeruationũ, irritum inutileq́. reddatur, ſolumq́. Iſraelis nomẽ Dei numine & appellatione atq. virtute fultum valeat & præſtet. hoc eſt quod ſignificanter promittit,* tradam vulnerandos in conſpectu Iſrael. *Seſe enim illius victoriæ vnicum auctorem fore declarat, ad eamq́. rem ex miraculo, non autem ex humanis viribus definiendam, tempus & modum indicat.* cras hac eadem hora. *id quod nemo mortalium ſibi vlla humana ratione promittere poterat; temporum enim momenta in Dei poteſtate poſita eſſe, ſacra nos docet diſciplina. S. S. E* Pſal. 30.16.
In manibus tuis ſortes meæ. Igitur vt certo præſcripto temporis momento præciſè aliquid agendum prædicatur, diuinæ ſapientiæ; vt verò ita etiam efficiatur, virtutis diuinæ planè eſt. Modus verò expediendæ rei, illis verbis indicatur, in conſpectu Iſrael. *Antequam ad manus deuentum ſit, ſolo Iſraelis conſpectu efficiam ego, vt illi animis viribusq́. fracti vobis cedant, ſeq́. facilè feriendos, cædendos & occidendos præbeant; ita apertè intelligetur quid populis à veræ pietatis cultu alienis populus is præſtet,* cuius Dominus Deus eius.
Vt verò ſeſe ſolo diuinæ virtutis præſidio, quod ſæpiſſimè admoniti Pſal. 13.
erant, valere cognoſcerent Iſraelitæ, idq́. ſibi tantum expeterent, neque aliarum gentium artibus, aut apparatibus, armis & opibus quicquam tribuerent, vincendorum & perdendorum Cananæorum equos, & currus, vt ſibi minimè commodos aut vtiles, damnare & deſtruere iubentur.

Equos eorum ſubneruabis, & currus igne combures.

CETERA *animalia, quorum ad vitæ commoditatem vſus eſſe ſolet, vt aſinos, armenta, camelos & pecora vſurpare permiſſus, equorum & curruum vſu interdicitur; quippe hoc genus belli potiſſimùm cauſa expetitur, & ad eam rem plurimum valere exiſtimatur. Veroſimile autem eſt, Iſraelitas quamquam diuina ope niti ſæpiùs monitos atque id multis edoctos exemplis, tamen faciliorem ſibi fore bellicam exercitationem putaturos, equorum & curruum facultate & copia inſtructis, tum ad pugnãdum, tum ad terrorem hoſtibus inijciendum. Homines quippe externi apparatus æſtimatione moueri ac tur-*

bari plerumque ſolent. Verumenimuerò Deus huiuſmodi humanas opiniones populum ſuum dedocet, & diuinam omnino prouidẽtiam cogitare, ſibiq́ perpetuò conciliatam ac præſentem curare vult, & hoſtibus ipſis ſuorum apparatuum vanitatem apertè oſtendere; quos non ſolùm ipſe improbarit, ſed etiam pius populus reiecerit: ita fiet, vt & pij in fide & ſpe diuinæ tutelæ crebris confirmentur exemplis, & impij ſua omnia conſilia & ſtudia vana experti, vel inuiti, Dei vnicè efficacem virtutem cognoſcant, & niſi pertinaciter inſanire Pſalm. 82. *perrexerint, à tenebris ad lucem conuertantur. S.S.E. Imple facies „ eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Atque hanc omnem veriſſimam rerum bello paceq́ agendarum rationem duobus illis carminibus diuinus Spiritus complexus eſt: Non eſt ſapiẽtia, non* Pſal. 81. *eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. Equus paratur ad „ diem belli; Dominus autem ſalutem tribuit.*

Venitq́ue Ioſue & omnis exercitus eius cum eo aduerſus illos ad aquas Merom ſubitò, & irruerunt in eos.

DIVINA *oracula, reſponſa & promiſſa prudenter ſapienterq́ excipere, atque ex verbis ipſis conſiderari oportere, quamplurima nos ſanctorum virorũ exempla docẽt, eademq́ non ſegniter, verùm diligentiſſimè colere iubent. Acceperat optimus Dux Ioſue hoſtiũ omniũ copias poſtridiè eadem hora ſibi in necem Deo efficiente tradendas, & promiſſo credidit, & ſeſe non deſidem præbendum intellexit, ſed properare feſtinareq́ oportere, vt eadem hora poſtridiè hoſtem longiùs adhuc commorantem, nimirum apud aquas Merom imparatum opprimat. Itaque ex bellicæ diſciplinæ ratione atque ex Dei reſponſo præcipuè cognoſcimus maximè expedire agendarum rerum opportunitatem antè capere, aduerſariumq́ ſecurum prauertere, ſeq́ diuinorum mandatorum ſtrenuos miniſtros præbere. Sic Ioſue ipſe in primis & omnis exercitus eius conſtanti fide, alacri animo, atque diligenti opera, longiore facto itinere, hoſtem non exſpectare, ſed in eo loco vbi hærere cognouerat, adoriri ſtuduerunt; atque ita ſuam operam diuino promiſſo adhibentes, prædicta victoria ſunt potiti.*

Tradiditq́ illos Dominus in manus Iſrael.

VICTORIÆ *huius auctoritatem & efficientiam omnem Dei promiſſo & virtuti adſcribit hiſtoria; neque enim tantus, tam frequẽs,*

fortis

fortis, obſtinatus & alacris, armis, artibus & conſilijs inſtructus exercitus tam citò fundi potuiſſet, quamuis maximis & paratiſſimis hoſtium copijs, nedum à populo inermi, ſi ille cum Cananæorum armis, curribus & equis & ducum atque regum numero comparetur, niſi manifeſta Dei virtus hoſtium omnium animos fregiſſet, ſenſumq́; turbaſſet: ita vt Iſraelitis præter diligentiam in exercenda cæde nihil agendum, cogitandúmue relinqueretur. Voluit enim Deus, qui illos vt turbauit, ſic multis alijs modis perdere poſſet, Iſraelitarum quibus exitium ipſi parauerant, manu trucidari, ſimul vt ipſi hoc Dei in ſe beneficio confirmarentur, vtq́; etiam intelligerent, non oportere ipſos otio ſegnitieq́; torpere; ſed ea quæ ab ipſis in omni re atque actione Deus exigeret, diligenter ſtudioſeq́; præſtare, tum ad externos, tum verò ad internos hoſtes, qui militant aduerſus animam, compeſcendos ac domandos; perpetuam itaque hanc exercitationem, vtramque inquam, aut alteram, pro locis atque temporibus illis eſſe voluit. S.S E. Et eduxit populum ſuum in exultatione, & Pſal. 104.
"*electos ſuos in lætitia: & dedit illis regiones gentiũ, & labores popu-*
"*lorum poſſederunt, vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius*
"*requirant. Fuit illud etiam in cauſa, vt videlicet nationes omnes intelligerent Iſraelitas diuino præſidio fidere ac niti; ac forti alacriq́; animo eſſe ad bellum aduerſus hoſtes ſuſcipiendum, manuq́; ad ſe vlciſcendum prompta valere, atque hoc pacto nullum hoſtem metuere, omnes contemnere; itaque & ipſi ceteris metuerentur populis & diuini nominis propagaretur gloria. S.S.E. Non nobis Domine, non* "
nobis, ſed nomini tuo da gloriam: ſuper miſericordia tua & veritate "
tua, nequando dicant gentes, Vbi eſt Deus eorum? Deus autem noſter "
in cælo, omnia quæcunque voluit fecit. Iam igitur ad ipſum repen- "
tinum Iſraelitarum aduentum hoſtes Dei terrentis virtute turbati, animo deiecti viribusq́; fracti ſunt, adeò vt pars eodẽ loco occiſa fuerit, pars verò in fugam ſeſe coniecerint.

Qui percuſſerunt eos ibidem, & perſequuti ſunt vſque ad Sidonem magnã & aquas Maſrephoth, campumq; Maſphæ, qui eſt ad orientalem illius partem: itaque percuſſit omnes; vt nullas dimitteret ex eis reliquias.

FV[GÆ] *circuitio & longitudo metus atque turbationis in hoſte, animi ac promptitudinis in Iſraele argumẽtum certiſſimum eſt. Ne-*

que enim Iſraelitæ à cæde & inſectatione deſtiterunt quoad euentu ipſo Dei promiſſum expediretur. Erat verò promiſſum, Cras hac eadem hora ego tradam omnes iſtos vulnerandos in conſpectu Iſrael. Fugæ verò contentio mirabilis, & inſectantium fortitudo ex locorum notatione cognoſcitur. Siquidem aquas Merom ad ipſum Cananaæ totius regionis terminum ortum verſus eſſe indicabamus. Quippe Iordanis fluuius, qui hunc lacum priorem efficit, Orientalis conſtituitur finis: Sidon verò cognomento magna in ipſo magni maris littore ab occaſu ſita erat: deinde ad Maſrephoth maim, hoc eſt ad exuſtiones aquarum, eſt reuerſum ad vſque vallem Maſphæ, id eſt montibus illis, quos Speculam vocari dicebamus, adiacẽtem, quæ ſecũdùm Libanum eſt, vt inferiùs exponitur: Itaque fuga ab ortu primùm longo tractu ad occaſum, deinde ab occaſu per aquas vſtas ortum verſus producta fuit; nullo tamẽ loco, nulla regione populus ille Deo inuiſus, aut metum deponere, aut ſeſe defendere, ac tueri, aut mortem effugere potuit, neque ad ortum, neque ad occaſum, neque per anfractus, & difficultates locorum & aquarum ardentium, neque in montibus, neque in vallibus: omnia enim illa loca Iſraelitæ hos inſecuti percurrerunt, qui nec ſpatiorum longitudine, neque Sidonis, in quam deuenêre, magnitudine à propoſito ſunt deterriti. Appellatur namque hoc loco Sidon Magna, non ad comparationem cum altera minore, quæ nulla vſquam fuiſſe commemoratur; ſed ad ſignificationem animi, virtutis ac fidei Iſraelitarum; qui quãquam hoſtes verſus Sidonem opulentiſſimam vrbem & maximam fuga contendere viderent, nũquam tamen inſequi deſtitêre. Atque de his locis eorumq; nominibus plura Deo votis aſpirante diſſeremus, proprio ad eam rem inſtituto opere, eaq; referemus etiam quæ doctiſſimus & pijſſimus vir nobis chariſſimus Andreas Maſius in hunc eundem locum ſcripſit. Nolumus enim commentariorum noſtrorum lectores variarum rerum diſputatione vexari; quæ aliàs commodè ad omnis lectionis vſum tradi poſſunt. Intereà verò ijs annotationibus contenti erimus, quæ locis, quos explicabimus, perſpicuitatem lumenq; porrigere ac tendere poſſint. Quod verò additur, vt nullas dimitteret ex eis reliquias, *illud ſignificat, Iſraelitas nulli eorum hoſtium, quos aſſecuti ſunt, pepercιſſe, ſed omnibus mortem intuliſſe. Namque ex illis duobus nominibus* SARID *&* PALIT, *alterum tantùm hoc loco legimus, nempe Sarid, quod relictum*

lictum aut reiectum ſignificat. Potuêre namque ex illa tanta hoſtium multitudine nonnulli fuga, aut aliqua alia ratione vel effugere, vel latêre, atque ita demum euadere: nemo tamen ex ijs, quos Iſraelitæ contigêre, ſeruatus eſt. Quid verò Ioſue glorioſam hanc victoriam Deo auctore conſecutus curauerit, atque exegerit, eueſtigiò narratur.

Fecitque ſicut præceperat ei Dominus, equos eorum ſubneruauit, curruſque combuſſit igne.

V I C T O R I A *natura inſolens & ſuperba, tamen Iſraelitis religioſa fuit, quibus nihil antiquius tunc erat, quàm Dei verbis ac iuſſis obſequi. Neq. hi commoditatis & vtilitatis opinione, neque vlla ipſorum animalium ſpecie, neque precij æſtimatione ab obſequio diuino detenti aut auerſi ſunt, quominus iubente ex Dei verbis Ioſue, equos omnes cruribus conciſis inutiles bello redderēt, in opprobrium gentium earum, quæ huiuſmodi rebus fiderent. Ideò Hebraicè, Chaldaicè, atque Græcè legimus,* Fecit eos Ioſue. *Vltra necem illis illatam, hanc rem quoque ignominiæ atque opprobrij illorum cauſa faciendam curauit. Neque verò omnes currus exuſti ſunt, ſed y tantùm qui ad pugnam comparati erant, quorum rationes & formæ ab ijs deſcribuntur, qui de militari diſciplina & bellico apparatu libros cōpoſuêre. Equi verò non occiſi, ſed eneruati ſunt, vt curſui inepti redderentur, qua parte plurimum valere in bello id animalis genus exiſtimatur. Namque aliàs animalia, quæ nihil hominibus nocent, niſi ex vſu interficere, nefas eſt.*

Reuerſusq; ſtatim cepit Aſor, & regem eius percuſſit gladio.

V I C T I S *atque deletis tot hoſtium millibus, Ioſue Deo id ſuggerente regiam illius regionis atque maximam vrbem Haſſor petit, in qua illud proximum de Iſraele debellando conſilium initum fuerat, quam obſidione & irruptione facilè cepit, imminutam exercitu illo, qui fuerat nuper fuſus & cæſus. Apparet autem ciuitatis illius regem, qui primus auctor fuerat congregandi reges exercitusq́, alios, in ipſo pugnæ initio trepidum atque pauidum re deſperata in propriam vrbem ſeſe fuga recepiſſe, quem poſteà Ioſue cùm vrbem inuaderet, ferro necauit. Niſi etiam cui videatur hunc qui intra vrbem cæſus eſt, eius qui in bellum prodierat, hæredem fuiſſe. rationē verò quamobrem hanc primam petierit Ioſue, hiſtoria nobis exponit; nimirum*

 quòd

quòd illa tum antiquitate, tum opulentia & potentia ceterarum omnium adiacentium regnorum caput fuiſſet.

Aſor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat.

NON *intelligimus illam maximam fuiſſe & principem regnorum omnium terræ Canaan, & Palæſtinæ, vt nonnulli exiſtimarunt, ſed eorum tantùm quæ enumerata hoc in capite ſunt, Madan, Semeron, Achſaph, & ceterorum vicinorum : hoc enim lectio ipſa* inter omnia regna hæc, *indicat.*

Percuſſitq; omnes animas, quæ ibidem morabantur: non dimiſit in ea vllas reliquias, ſed vſque ad internecionem vniuerſa vaſtauit; ipſamq; vrbem peremit incendio.

VRBEM *illam, quæ ceteris vt magnitudine, opibus & potentia præſtabat, ſic illius proximæ aduerſus Iſraelitas expeditionis princeps duxq; fuerat vnà cum ciuibus omnibus diuino iudicio in aliorũ exemplum & ſceleris vltionem, ferro igneq; vaſtandam, decreuit Ioſue; illa etiam lege vſus quam citabamus de iudicio erga eos qui oblatam pacem repudiaſſent. Quippe hi non ſolùm repudiarunt, ſed obſtinato animo deliberatoq; conſilio grauiſſimum bellũ Iſraelitis inferre conati ſunt. Rex itaque occiſus, & vrbs incenſa eſt, vt hoc exemplo deterriti reges alij, nihil ſimile huic molirentur, & ſi maximè moliri vellent, ne ipſorum inſaniam populi ſequerentur. Huius etiã vrbis populus ad internecionem vſque cæſus fuit. Ceteris verò populis, vrbibus ac regibus quidnam illa eadem expeditione factum ſit, narratur etiam.*

Et omnes per circuitum ciuitates, reges quoque earum cepit, percuſſit atque deleuit, ſicut præceperat ei Moyſes famulus Domini.

REGES *omnes cum populis, quibus pacis conſilio reiecto animus ad bellum inferendum obfirmatus fuerat, ex lege illa iam ſæpiùs commemorata Iſraelitæ perdidêre: nefas enim illis fuit eam legem non obſeruare, quam ipſe à Moſe, Moſes verò à Domino, cuius famulus erat, acceperat. Neque verò clementiæ locum eſſe oportuit, vbi manifeſta Dei ſententia in pertinaces & infenſos hoſtes lata erat. Atque ſentẽtiæ ſumma erat, Vt belli auctoribus, cæſis vrbibus omnibus, parceretur, præter eas quas certo atque iuſto iudicio Deus dãnatas, exuſtas*

uſtas dirutasq́; vellet; cuiuſmodi exempli fuêre; Iericho, cuius murus ſpontè abſorptus à terra fuit ex miraculo; Hay, quam Deus incendi iuſſit; & Haſor, quæ ſimile Hayenſium conſilium ſecuta, ſimul etiam ſupplicio addicta fuit.

Abſque vrbibus, quæ erant in collibus & in tumulis ſitæ: ceteras ſuccendit Iſrael; vnam tantùm Aſor muniſſimã flamma conſumpſit.

HEBRAICE, *Chaldaicè, atque Græcè ſic res hæc narratur. Veruntamen vrbes omnes, quæ ſtabant ſuper tumulos ſuos, non combuſſit Iſrael, præterquàm Aſor ſolam incendit Ioſue. Apertè ſignificat locus hic nihil ab Iſraelitis temerè, tumultuariéue factum fuiſſe, nihilue publicè aut priuatè commiſſum, ſed ſummam ab omnibus fuiſſe obſeruatam diſciplinam, magnam ſedulámque diligentiam adhibitam iuſſis & mandatis Ioſue ſummi ducis efficiendis. Itaque illa lectio quæ in noſtra verſione eſt,* cæteras ſuccendit Iſrael, *ad Ierichunta & Hay tantùm referenda nobis exiſtimatur, quarum alteram Deus ipſe diruere cœpit, alteram idem incendi iuſſit. Hanc verò tertiam Aſor, Ioſue igni vaſtandam curauit, non tamen præter diuini iudicij ſententiam, quam vel ille, vt ex veteribus interpretibus quidam volunt, à Moſe, Moſes verò à Deo acceperat, vel, vt nobis magis placet, à Deo ipſo vt propheta, atque ex Hay etiam exemplo cognouerat. Quod verò legimus,* quæ erant in collibus & tumulis ſitæ, *ſic exponimus, vrbes omnes eodem modo relictas conſeruataſq́; fuiſſe, quo ab Iſraelitis etiam victoriam perſequentibus offendi contigit. Namque hanc expoſitionem Hebraicus indicat ſermo,* Quæ ſtabant ſuper tumulos ſuos. *Hoc eſt, quæ ſuos adhuc conſeruabant ſitus. Fieri enim potuit, vt oppida, villæ, turres, & alia ædificia, quæ in medijs agris & regionibus erant, ab ipſis hoſtibus incenderentur, ac diruerentur, commoditatis omnis Iſraelitis auertendæ conſilio. At verò Iſraelitæ ipſi præter iam dictas vrbes, eo quo intelleximus modo nullam vſque perdidêre; omnes tamen tam Aſor, antequam incenderent, quàm ceteras illorum regnorum diripuêre.*

Omnemq́; prædam iſtarum vrbium, ac iumenta diuisêre ſibi Iſrael, cunctis hominibus interfectis.

DVPLEX *rerum, quæ mobiles dicuntur, genus eſt: alterum inanimatum,*

nimatum, vt aurum, argentum, gemmæ, veſtes, & ſupellex omnis; alterum verò animatum, vt pecudes, armenta & iumenta. illud in ipſis vrbibus ac domibus præcipuè, hoc in agris reperitur. Vtriusque igitur generis prædam ex illarum gentium bonis fuiſſe ab Iſraelitis plenè captam narrat hæc lectio, duobusq; vtrumque genus comprehendit nominibus, prædæ & iumentorum, quæ Hebraicè appoſitè atque propriè leguntur SALAL & BEHEMAH: *quippe Salal idem ferè, quod Latinis Exuuiæ & ſpoliũ ſignificat:* BEHEMAH *verò Omne animalis genus, quod in hominum vſus venit, vt iumenta, armenta ac pecora: omnem itaque tum ex vrbibus, tum ex agris, prædam, quam tot vrbium, domorum atque hominum in opulentiſſima regione agẽtium opimam fuiſſe oportet, Iſraelitæ accumularunt, cunctis hominibus interfectis; quod, ne quiſpiam hominum crudelitati, auaritiæ atque rapinæ adſcribat; quonam cõſilio, quo iudicio factum fuerit, e veſtigiò declaratur.*

Sicut præceperat Dominus Moyſi ſeruo ſuo, ita præcepit Moyſes Ioſue, & ille vniuerſa compleuit: Non præterijt de vniuerſis mandatis nec vnum quidem verbum, quod iuſſerat Dominus Moyſi.

ADNOTATIO *hæc non ea tantùm quæ præceſſerunt, ſed ea etiam quæ ſubſequentur, atque adeò omne Ioſue Ducis munus & officium ſpectat. Quatuor enim Imperatoris huius partes fuêre: prima, ipſiuſmet comparatio, & morum affectuumq; priuata compoſitio: ſecunda verò, populi in diſciplina exercẽdi ſtudium: tertia, cura hoſtes vel ad pacem vocandi, vel pacis conditionem reſpuentes expugnandi ac perdendi: poſtrema demum, regionem inter tribus diuidendi. quæ omnia illa Dei allocutione atque breui propoſitione ſignificata* „ *ſunt, Confortare, & eſto robuſtus, tu enim ſorte diuides populo huic* „ *terram, pro qua iuraui patribus tuis vt traderem eam illis: Confor-*
ſup.ca.1. *tare & eſto robuſtus valdè, vt cuſtodias & facias omnem legem, quam* „ *præcepit tibi Moſes ſeruus meus: ne declines ab ea ad dexteram vel* „ *ad ſiniſtram, vt intelligas cuncta quæ agis. Igitur quicquid vel ad priuatam animi, conſilij, morumq; ſuorum rationem, vel ad publicam curam, vel ad belli ac pacis munus, vel ad terræ etiam partitionẽ pertineret, fideliter, ſedulò, diligenter & ſtudiosè, atque etiam ſapienter à Ioſue obſeruatũ habitumq; hoc ſacro teſtimonio aſſeritur; ita vt nihil*

nihil temerè, nihil inconſultè, nihil crudeliter, nihil ſtultè, ambitioſè aut auarè, contentioſè aut inuidè, nihil ab illo ſummo Duce atq; Imperatore tot tãtiſq; rerum & locorum occaſionibus, opportunitatibus, varietatibus & felicitatibus actum geſtúmue fuerit, ſed omnia ex diuini iuſsi præſcripto obſeruata, curata, procurata, & expedita conſtiterint, præſcripto, inquam, Moſi Dei famulo diuinitus facto & mandato, quod ſumma obſeruantia ab hoc præſtantiſsimo viro acceptum, cultum, & curatum atque effectum fuerit in neutram partem declinando, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram; ita vt quicquid priuatè ac ſigillatim dubitari inquiriq́; de Ioſue officijs & muneribus poſsit, hoc vno teſtimonio exceptum abſoluatur; nempè Ioſue acceptas à Deo per Moſem officij ſui leges, magna cura didiciſſe, obſeruaſſe, coluiſſe, atque feceſsiſſe, in illuſtre viuumq́; omniũ principum atque Imperatorum piorum exemplum; qui ſi ſecum ſuiſq́; cum rebus & populis quàm optimè actum cupiant, vanis humanæ ſapientiæ atque ſuperbiæ, ambitionis, cupiditatisq́; deliramentis reiectis ac repudiatis, vnicam diuinæ voluntatis diſciplinam per Dei miniſtros veros atque legitimos traditam & expoſitam, purè, ſanctè & religioſè colere, obſeruare atque exequi debent: idq́; ſibi ex Dei beneficio ſperare & expectare, quod huic optimo maximoq́; duci confirmatum fuit: Tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. huiuſmodi namque ſucceſſus exemplum iam deinceps totis capitis huius verſibus exponitur.

Cepit itaque Ioſue omnem terram montanam & Meridianam, terramq́; Geſſen, & planitiem, & occidentalem plagam, montemque Iſrael, & campeſtria eius.

E A *omnia loca, quæ continuata ab illa expeditione bello, obſidionibus, prælijs & varijs pugnis capta ſunt, indicantur, oſtenditurq́; nullis vel ſoli, vel naturæ, vel operis munitionibus, nullis hominum viribus, armis, ingenijs, artibus, dolis, nullis apparatibus, nullis rerum aut temporum difficultatibus externis illius victoriæ, quam Deus Iſraeli efficiebat, impeditum aut interruptum fuiſſe euentum. Id verò vniuerſaliter primùm hoc verſu proponitur; deinde autem ſingillatim ſubſequentibus exponitur verſibus. Appellatur hic Terra mõtana Septentrionalis tractus, vti ex appoſito nomine* meridianam, *liquet. Nomen verò Geſſen, cùm aliàs in ſacris deſcriptionibus, prater-*

quam in hoc libro, non inueniatur, ab interpretibus non exponitur, quamquam ex Hebræis aliqui ſatis eſſe putent dicere aliam eſſe ab illa quæ Iſraeli in Aegypto à Pharaone eſt conceſſa. Atque hoc ſua ſponte conſtat, non eſſe hanc eandem cum illa. Verùm nobis deſcriptionis rationem obſeruantibus, videtur hoc nomen non proprium regionis alicuius eſſe, ſed commune eorum locorum, quæ pecoribus paſcendis opportuniſſima eſſent; factumq́ fuiſſe ab Iſraelitarum populo illuc deducto, ad illius Aegyptij tractus imitationem, qui præter ceteros paſcuus erat. idq́ apertè ſignificaſſe videntur auctores Midras, qui ſuo illo ſemipoëtico orationis genere ſcripsêre, merito quodam Iudæ factum eſſe, vt regio Geſſen ſiue Goſſen (vtroque enim modo pronuntiari poteſt) ex Aegypto abſorpta in hunc agrum migrarit. Itaque vt communibus rationibus atque notis tractuum, plagarum, & ſitus atque cæli, ſoliq́ naturæ hanc partitionẽ hiſtoriæ auctor cœperat, ſic etiam terram lenibus collibus & campis diſtinctam, eandemq́ paſtionibus opportunam Geſſen appellauit, & ab ea, quæ penitus depreſſa eſt, diſtinxit. Quam verò occidentalem hîc legimus, ex vocabulo Hebraico campeſtrem & planam interpretamur. Atque horum verborum interpretem diligentem Chaldæum exiſtimamus, qui totũ hunc verſum ita explicuit, Et poſſedit Iſrael omnem terram hanc montis, & omnem terram Auſtri, & omnem terram Goſſen, & depreſſionem, & planitiem & montem Iſrael, & depreſſionem eius. Porro quinam hoc loco Iſraelis mons appelletur, incertum quibuſdã eſt: nobis Maſij ſententia placet, exiſtimantis hunc eſſe tractum illũ montis, in quo Samaria poſtea condita fuit, quam certis è ſcripturæ teſtimonijs ab illo prætermiſſis firmare poſſe videmur. Apud Ioannem in

Ioan.4.

„ Euangelio ſic legimus: Abijt iterum Ieſus in Galilæam, oportebat au-
„ tem eum tranſire per Samariam: Venit ergò in ciuitatem Samariæ,
„ quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo.
„ Erat autem ibi fons Iacob. Et paulò pòſt: Nunquid tu maior es patre
„ noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filij eius,
„ & pecora eius? & non poſt multa: Domine video quia propheta es tu,
„ patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, Quia Hiero-
„ ſolymis eſt locus, vbi adorare oportet, &c. Itaque totum illum Samaritani montis tractum, Iſraelis mõtem appellatum exiſtimamus, ſiue nomen hoc etiam apud Cananæos, poſtquam Iſrael illic in Aegyptum migraſ-

migraſſet, retentum fuerit; ſiue ab Iſraelitis eodem reuerſis fuerit ex veteri recordatione renouatum, cui monti valles adiacentes fuiſſe & hac & alijs lectionibus obſeruare licet.

Et partem montis quæ aſcendit Seir vſque Baalgad per planitiem Libani, ſubter montem Hermon: omnes reges eorum cepit, percuſſit & occidit.

H Æ C *totius regionis ſumma deſcriptio eſt, duabus mundi plagis comprehenſa, Meridionali & Septentrionali: Quippe de occidentali atque orientali terminis iam ſuperiùs eſt ſignificatum. Claudunt autem Cananæam regionem ab Auſtro Seir montes, quos Eſau filij Idumæi habitabant, à Borea verò Libanus, Syriæ Damaſcenæ limes. Vtrumque hunc finem hiſtoria ſignificat montibus duobus indicatis, altero ad Seir Idumæorum pertinente, quem Græci interpretes Hebraico vocabulo, vtpote ſignificatione non carente, indicauêre, ἀαλαχ, quod læuem vertere poſſimus, ſiue depexum vel detonſum: vt Latinis vocantur montes qui neque rupium aſperitate, neque arborum denſitate horreſcunt; contrà verò aſperi montes dici ſolent, qualis fuiſſe videtur Seir, cuius nomen horridum, aſperum, piloſum, ſiue villoſum ſignificat: atque vt orationis Latinæ rationem habeamus, coniunctionem* Et *expoſitionis vim hoc loco obtinere dicimus; vt, Etenim, apud* Cicero. *Romanos: Etenim totam rem cognoſcite. ita illud, Scilicet & mor-* Iuuen. *bis & debilitate carebis. Namque ex Hebraica præpoſitione.* M I N Saty. 1. *Interpres noſter hoc vertit. Eſt autem huius verſus illa ſententia; Omnia loca fuiſſe debellata, tum interiora terrarum, tum etiam terminos ipſos, nempe montem, qui ad Idumæorum Seir pertinet; & cetera omnia interiecta, vſque ad vrbem ſiue oppidum, cui gentes illæ nomen Baalgad fecerant, propter fortunæ ſiue felicitatis numen, ibidem ab illis proprio errore cultum. Erat autem locus ipſe in ipſa Libani celeberrimi montis planitie ſub monte Hermon. Significat quidem Libanus candorem; Hermon verò exciſionẽ; ita inter varij ominis loca & nomina inſaniens illa gentium ſapientia fortunæ ſiue felicitatis nomen, numen ac templum ſacrauerat, quibus neque ſua omina, neque numina, neque nomina quamuis auguſta & ſacra, quamuis diligenter ac ritè procurata & inaugurata profuerunt, aduerſus Iſraelem & Ioſuam,* qui omnes reges eorum *varijs nominibus appellatos, varijs horoſcoporum obſeruationibus natos, varijs etiã ritibus*

ſacratos, varijs tutelaribus dijs fidentes, cepit, percuſſit & occidit. *Quis non intelligat verba omnia hæc aduerſus vanam & ſtolidam de fatis opinionem fuiſſe conſultò ſcripta? quippe huiuſmodi rerum atque verborum partitionibus diſciplina illa conſtat, vt quoſdam ex hominibus bellis & captiuitati obnoxios tradat; quoſdam vulneribus accipiendis expoſitos, non tamen igni, ferro aut aqua occidẽdos; quoſdam verò contrà; alios autem ijs infortunijs, aut horum parte immunes conſtituat, vt nobis ſuo loco, dum de ijs certo conſilio agitur, indicandum erit propitio Deo, atque omnia hæc vaniſſima eſſe communes atque ſimillimi harum omnium rerum exitus oſtenderunt. ſiquidem omnes capti, omnes percuſſi, occiſi omnes fuère, vnius Ioſue opera & virtute diuinitus conceſſa. Neq. verò vnam omnibus illis horam perdendis obſeruauit Ioſue; neque cuiuſquam illorum ſingularibus horoſcopis eſt detentus, quominus bello ſingulis illato mors etiam inferretur, Dei virtute duci & ſapienti communicata.*

Multo tempore pugnauit Ioſue contra reges iſtos.

SVPERIVS *verſu decimo legeramus, Ioſuen ſtatim reuerſum Aſor vrbem cepiſſe: eiq; narrationi ceterarum vrbium captarum integra ratio, atque totius regionis debellatæ ſummã deſcriptio eſt adiuncta. noluit verò auctor hæc ſic accipi, vt breuiſſimo temporis ſpacio omnia hæc confecta eſſe exiſtimarentur; quamobrem perpetua fuiſſe bella indicauit, verùm diutiùs duraſſe exponit, nempe à tranſmiſſi Iordanis die, vſque ad regionis partitionem, & diſtributionem ſeptem continuis annis, vt à nobis ex ſacrarum lectionum obſeruatione* Lib.Dan. *in ſacro Apparatu diſertum eſt, atq. etiã in libro, qui De ſerie mundi inſcribitur luculenter explicatur. Hanc verò rationem Ioſephus non ſatis exactè tenuit. Huius autem protractionis cauſas, neque certius, neque breuius tradere aliter poſſumus, quàm ſi ex ipſis ſacris auctori-* Sap.12. *bus petitas referamus. O quàm bonus & ſuauis eſt Domine ſpiritus » tuus in omnibus! Ideoq; eos qui exerrant, partibus corripis; & de qui- » bus peccant, admones, & alloqueris; vt relicta malitia, credant in te » Domine. Illos enim antiquos inhabitatores terræ ſanctæ tuæ quos » exhorruiſti, quoniam odibilia opera tibi faciebant, per medicamina, » & ſacrificia iniuſta, & filiorum ſuorum necatores ſine miſericordia, » & comeſtores viſcerum hominum, & deuoratores ſanguinis, à me- » dio ſacramento tuo, & auctores parentes animarum inauxiliata-*

rum

rum, perdere voluiſti per manus parentum noſtrorum; vt dignã perciperet peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior eſt terra. Sed & his tanquam hominibus pepercisti, & miſiſti anteceſſores exercitus tui veſpas, vt illos paulatim exterminarent. Non quia impotẽs eras in bello ſubijcere impios iuſtis, aut beſtijs ſæuis, aut verbo duro ſimul exterminare: ſed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum, &c. quæ illic de expectatione gentium illarum fuſiùs commemorantur, quibus demum adiungitur: Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet iustum eſſe & humanum, & bonæ ſpei fecisti filios tuos: quoniam iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ. Aliam quoque huius protractæ expugnationis rationem in ſuis libris Moſes expoſitam reliquit: Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui eſt, Deus magnus & terribilis, ipſe Deut. 7. *conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim, atque per partes. Non poteris eas delere pariter, ne fortè multiplicentur contra te beſtiæ terræ. Dabitq; eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo, & interficiet illos, donec penitus deleantur. Tradetq; reges eorum in manus tuas, & diſperdes nomina eorum ſub cælo; nullus poterit reſiſtere tibi donec conteras eos. Quamquam verò hæc à Moſe explicata ratio non ſolùm ad hanc ſeptennio toto exercitam expugnationem, ſed ad omne id tempus, quo vicini finitimiq; hoſtes durauere, pertinet; tamen initium ſui, in hoc etiam ſeptennio conſtituit, quo tempore diuinorum promiſſorum conſtantiam & veritatem, hoc etiam in rerum genere, Iſraelitæ certis atque continuis experimentis cognoſcere potuerunt, cùm tot reges & regna vicerint, vaſtauerint & perdiderint; eorumq; agros & vrbes ipſi poſſederint, ex quo credere ſperareq; debuerunt, ceteras gentes atque vrbes omnes Dei præſidio nixis atque viſis fore etiam expugnandas & capiendas, dummodò ipſis veræ pietatis cultui, officijsq; faciendis non deſiſterent. Itaque rationum harum ſumma, & Iſraelitarum admonitionem ad fidem, ſpem, charitatemq; exercendam, & gentium ipſarum monitionem, eruditionem atque reuocationem ſpectabat. & tamen*

Non fuit ciuitas, quę ſe nõ traderet filijs Iſrael, prætèr Euæum, qui habitabat in Gabaon: omnęs enim bellando cepit.

QVANQVAM *aſsiduis & perpetuis aduerſum ſeſe, & pro Iſraelitarum populo diuinæ ſingularis prouidentiæ exemplis pulſatæ gentes illæ ad veri Dei cognitionem, atque adeò ad pœnitentiam & vitam aduocarentur, tamen errorem, ſcelus atque inſaniens propoſitũ tam obſtinatè tenuerunt, vt præter eam Euæorum partem, qui ad Gabaonitarum ciuitatem referebantur, nulla alia non modo gens, ſed neque parua vrbs pacem cum Iſraelitis inire voluerit; quamobrem vi atque armis omnes capi neceſſe fuit, atque ex conſequenti perdi & excidi gentes illas oportuit. Ita effectum eſt, vt in bello conficiendo, atque ſingulis vrbibus inferendo longius tempus poneretur, quod tamen gentibus ipſis nullo ſubſidio, ſed certiſsimo exitio fuit. Animaduertenda verò eſt verborum horum explicatio, quæ Hebræam ſententiam magis refert, quàm exprimit, atque Græcam verſionem ſequi videtur. Namque verbum negatum* non ſe traderet, *ſi ita, vt in nonnullis Latinis exemplaribus legitur, exponatur, non deditionem bello, aut ante bellum factam, ſed expugnationem ſignificat: Quippe nulla vrbs præter illos Euæos ſeſe vltrò Iſraelitis tradidit, ſed omnes vi atque pugna armíſque captæ ſunt. Quòd ſi hoc modo exponatur lectio, cum re ipſa & cum exemplari ſcriptura Hebraica planè congruit. Quædam antiqua atq. correcta exemplaria habent,* nulla fuit ciuitas quæ ſe traderet: *quæ lectio ſua ſponte aperta, plana atque explicata conſtat. Hebraicè autem verſus hic ſic ex verbo habet*: Non fuit vrbs, quæ pacem faceret cum filijs Iſrael, præter Euæum habitantes Gabaon, omnes ceperunt in bello. *Quòd verò omnes bellando captæ dicuntur, ſimpliciter & preſſè, ſiue, vt ſcholarum ſermone vſurpari ſolet, formaliter exponendum eſt, quotquot captæ fuerint ab Iſraelitis, vrbes omnes pugnando fuiſſe captas, nullam verò vltrò deditam præter Gabaonitarum illas quatuor. Hoc modo locum hunc explicandum D. Auguſtinus demonſtrauit. Atque huius perpetuæ & communis omnium illarum gentium cladis auctoritatem ad diuinum iudicium ſacra hiſtoria refert.*

Aug. quæſt. in Ioſue.

Domini enim ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael, & caderent, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent ſicut præceperat Dominus Moyſi.

IM-

IMPROBISSIMORVM *hominum diuino iudicio permiſſæ indurationis mentio, & exempla valdè frequentia in ſacris litteris obſeruantur, quibus diſſerendis & explicandis pij, ſancti, atque docti ſcriptores inſudant. horum ſententiæ, quòd legere volenti ſint expoſitæ, nobis breuitati conſulentibus, & lectionis atque verborum ipſorum ſimpliciter obſeruata expoſitione contentis non referuntur. cuius illa breuiter ſubducta ſumma eſt: Indurationem diuino iudicio hominibus accidere ad occaſionem opportunitatemq́; vltionis culpæ grauiſsimæ ipſam indurationis ſententiam præcedentis, ita vt induratio prima culpæ cauſa non ſit, ſed commiſſæ pertinaciter culpæ, atq; iam coargutæ accedat, quæ cùm ſcelus amplificet, vltionem maturandam atque expediendam accelerat. Huius rei exemplum in Pharaone eſt manifeſtum, quem Deus ad ſui aduerſus rebelles & contumaces homines iudicij exemplum obduratum voluit. S.S.E. Vide vt omnia* Exo. 4. 21. 7. 3.
oſtenta quæ poſui in manu tua facias coram Pharaone: ego indurabo "
cor eius, & non dimittet populum. Et rurſus alio in loco: Tu loquêris ei omnia, quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Iſrael de terra ſua: ſed & ego indurabo cor eius, & multiplicabo ſigna & oſtenta mea in terra Aegypti, & non audiet vos, immittamq́; manum meam ſuper Aegyptum, & educam exercitum & populum meum filios Iſrael de terra Aegypti per iudicia maxima: Et ſcient Aegyptij quia ego ſum Dominus, qui extenderim manum meam ſuper Aegyptum, & eduxerim filios Iſrael de medio eorum. Quibus lectionibus illud docemur, Deum prædixiſſe Pharaonis cor indurandum ita eſſe, ſignis magnis magniſq́; animaduerſionibus, quibus ad populum per vim & manum validam educendum ſit opus; ita vt Aegyptij intelligant apertéq́; cognoſcant, imò certis periculis & exemplis ſentiant Dei manum validiſsimam eſſe, cui nulla alia quantumuis firma & obdurata potentia reſiſtere poſſet. Sed cùm huiuſmodi indurationis cauſa exquiritur, diſtinctione opus eſt, vt apte reddatur. Eorum quæ fiunt, quæúe aguntur, duplex præcipue cauſæ genus eſt: alterum, quod ad vſum refertur, quodq́; Latinis Philoſophis propriè cauſa dicitur; in ſcholis verò genus hoc finalis cauſa, ſiue finis vocatur: alterum verò, quod mouens, ſiue impellẽs cauſa appellatur, cuius proprium in Romana philoſophia nomen, ratio eſt. Huic poſteriori ad explicandum adiungitur verbum, quamobrem;

obrem: namque, ob, in Latina lingua id ſortitur muneris, vt ratio-
Aeneid.li.1. *nem rerum actionumq́; declaret: vt, Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oillei. Priori illi præpoſitionem, propter, adnectimus, dicimusq́; Virtutem propter ſe expeti. & illud, Te propter eundem Extinctus pudor, & qua ſola ſydera adibam, Fama prior. Igitur cùm quæritur cauſa, propter quam induratio hominibus fiat, iudicium & punitio in ſacris libris aſsignatur, nimirum quòd huiuſmodi hominum induratione paratum iam atque decretum iudicium exerceatur; namque Maris rubri Iſraelitis aperti vias, vbi eques Pharao cum curribus & equitibus ingreſſus eſt ſuis, iudicium in ſe Dei exerceri*
» *ſenſit, S.S.E. Fugiamus Iſraelem, quia Dominus pugnat pro eis. Hæc itaque cauſa fuit, propter quam impij illi & Rex & populus indurati ſunt. At verò rationem quamobrem fuerint indurati, non Dei ſingulari atque inuidioſæ voluntati, ſed certæ & manifeſtæ præcedenti culpæ, atque tanto iudicio dignæ Spiritus ſanctus adſcribit.*
» *Nihil enim Deus odit ex ijs quæ fecit: ſed vt iuſtiſsimus iudex ſuſcepta ab hominibus præter ius & æquitatem, præter honeſtatis & humanitatis leges, crimina & commiſſa ſcelera iudicat, & iudicata vlciſcitur. Nũquid iniquus eſt Deus qui infert iram? abſit. alioqui quo*
Rom.3. *modò iudicabit Deus hũc mundũ? Quippe à diuinæ iuſtitiæ conſtãte voluntate inuidiam, iniquitatem, & perſonarum acceptionem omnem alieniſsimam eſſe, & naturæ diuinæ contemplatio, & ſacra no-*
Gen.18. *bis lectio confirmat. Abſit à te, inquit Abraham, vt rem hanc facias;*
» *& occidas iuſtũ cum impio! fiatq́; iuſtus ſicut impius. non eſt hoc tuum*
» *qui iudicas omnem terram. nequaquam facies iudicium. Ex quibus multiſq́; alijs locis apertè docemur, nullum à Deo iudicium aduerſus homines præter ipſorum culpam conſtitui, aut exerceri; neque quod culpa ab hominibus cõmittatur, ab ipſo auctore proficiſci, ſed ipſos ſi-*
Oſe.13. *bi ſuo peruerſo conſilio & culpas & interitum moliri. S.S.E. Perdi-*
» *tio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum. Quod ſi iudicium aliquãdo exerceri contingat, cuius ratio homines lateat, non ideò tamen deeſſe aut deſiderari exiſtimanda eſt; quippe cùm antiquum obtinere, proprium perpetuumq́; Deo ſit: ſcriptum namque eſt, Ego Dominus & non mutor. Certè in ſacris libris nullum graue iudicium factum commemoratur, cuius manifeſta ratio opportuno loco non indicetur; quæ ſi legentibus minus aliquando obſeruatur, illa tamen cer-*

men certa expoſitaq́; conſtat, quanquam id vel humani ingenij ob-
tuſior acies, vel minus diligens obſeruatio non animaduertat. Atque
hoc tunc præcipuè accidit, cùm lector vel à ſe excogitata, vel aliunde
petita ratione contentus, eam quæ in ipſis ſacris lectionibus exponi-
tur, animo non vſque adeò attento percurrit. Atque indurationis
ſententiæ in Pharaonem latæ ratio ab ipſo ſententiam laturo iudice
prius opportunè reddita fuerat, aperteq́; expoſita. Nempe pertinax
regis illius, & obſtinatum propoſitum Iſraelitas, quos vel perdere,
vel perpetuæ ſeruitutis operis exercere conſtituerat, minimè dimit-
tendi. S.S.E. Sed ego ſcio, quòd non dimittet vos rex Aegypti vt ea- Exod.3.
tis, niſi per manum validam. itaq́; illam Regis obſtinationem anti- “
quamq́; animi obfirmationem diuinum indurationis iudicium ad vl-
tionis opportunitatem atque maturationem conſecutum eſt: indura-
tionem verò ipſam pœnæ nō ipſa induratione tātùm, ſed malæ men-
ti maloq́; animo antè etiam dignæ excepêre. Neque verò Pharao in-
duratus anteà dicitur, quàm ſemel atque iterum, tertiò & quartò,
atque adeo ſæpiùs fuiſſet admonitus; atq. ita demùm poſt multa ſigna
in media Aegypto edita, Deus hoc Moſi indicauit. Ingredere ad Pha- Exod.10.
raonem: ego enim indurauí cor eius, & ſeruorum illius, vt faciam “
ſigna hæc in eo, & narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum, “
quoties contriuerim Aegyptios. &c. Itaque vaſa illa iræ, quæ iam “ Rom.9.
ſua malitia & peruerſitate ad interitum apta erant, tamen in multa
patientia ſuſtinuit Deus, antequam iram oſtenderet, potentiamq́;
ſuam notam faceret: Atque ad hoc nobis propoſitum atque expoſitum
Pharaonis, Aegyptiorumq́; exemplum, quod aliàs difficilius vide-
ri poſsit, cetera omnia quæ de indurationis iudicio in ſacris leguntur
libris, reuocata apertam ſui rationem oſtendent, nimirum culpam
in hominibus ipſis, eiuſmodi iudicio dignam; vt in hoc ipſo, in quo
ſumus loco, de Cananæorum induratione iudicij faciendi ratio mani-
feſta eſt, impuriſsimi mores tot immaniſsimorum iniuriæ, atque om-
nis generis ſcelerum, ſæculis pluribus quàm quatuor perpetuo conta-
minatiſsimi, quos tamen neque totis quadraginta annis, quibus Iſ-
raelitæ eodem deducendi in ſolitudine commorati ſunt, neque illis
iam ingreſsis, & tot miraculorum aſsiduo frequentiq́; exemplo diui-
nam iram denuntiantibus vlla de pœnitentia cogitatio ſubijt, vlla de
Dei timore, laude & cultu cura compulſauit, quamuis etiam Iſrae-

litis ipſis, qui diuini iudicij ſatellites & miniſtri venerant, pacem ex lege proponentibus & offerentibus; quamuis Deo in ipſis etiam iudicij temporibus cunctante, & rem paulatim expediente. S.S.E. Sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Hæc quanquam Deus non ignoraſſet, tamen antiquum illud ſuum miſericordiæ & patientiæ propoſitum obtinebat & probabat. Ita quod illi neque impijſſimum errorem, neque ſceleratiſſimos mores exuere & mutare vnquam cogitarunt, vt dignas tandem ſuis ſceleribus pœnas ipſi ſua ipſorum opera ſubirent, diuina ſententia indurati ſunt, id quod apertè lectio ipſa explicat. Non enim legimus Domini ſententiam fuiſſe, vt ipſi culpam committerent, quamobrem punirentur; ſed vt eorum, qui iam ob crimina plurima damnati erant, corda indurarentur, vt pugnarent. Et, *hoc loco cauſam ſignificat, vt ſententia ipſa indicatur, & Hebraici ſermonis figura, quam Chaldæus & Græci ſequuntur, exprimitur. Namque Hebraicè ſic legimus:* Quia à Domino fuit ad indurandum cor eorum ad occurrendum prælio Iſrael, vt vaſtare faceret eos, vt non eſſet illis clementia, ſed ad excidendum eos, ſicut præceperat Dominus Moyſi. *Hanc orationem propter tot coniunctiones, & repetitiones Latinorum auribus horridiorem, lenius Interpres noſter vertit; ita tamen vt ſententiæ ex collatione cum exemplari lingua explicandæ nihil detraheret: Deo, inquit, iudice effectum eſt, vt illorum corda indurarentur omnium, perindè quaſi vnum cor omnium eſſet, hoc eſt, vt vnus omnibus animus, vnum ſtudium, vnum contumax eſſet propoſitum, nimirum Iſraelitas, non pace aut alia conditione, ſed prælio ac pugna excipiendi, atque hoc pacto nulla clementia vaſtarentur per Iſraelitas, quibus lege diuina per Moſem ſcripta id fuerat cautum, ne videlicet vlli ex ijs parceretur, qui oblatam pacis conditionē belli optione mutarent. Itaque orationem illam, Vt non mererentur vllam clementiam, ad Iſraelitas referimus, vt nulla Iſraelitarum clementia penitus exciſi perirent. Hanc omnino ſententiam Græci interpretes expreſſerunt: Quoniam per Dominum factum eſt, vt indurarentur corda illorum, vt occurrerent in bello contra Iſrael, vt interficerentur, vt non daretur eis miſericordia, ſed vt perderentur, quemadmodum*

Sap. 12.

modùm dixit Dominus ad Moyſen. Atque hac vltima adnotatione, Ioſue Iſraelitæq́; omnes crudelitatis crimine omni excipiuntur, vtpote qui bellis prouocati diuini iudicij ſeſe miniſtros & ſatellites ex lege præbuerint.

In tempore illo venit Ioſue, & interfecit Enachim de montanis Hebron, & Dabir & Anab, & de omni monte Iuda, & Iſrael, vrbesque eorum deleuit.

D V O *bellorum genera in hoc commemorantur capite: alterum, eorum quæ à Cananæorum gentibus illata Iſraelitæ ſuſtinuerunt & confecerunt, quod hactenus expoſitum eſt: alterum verò, eorum quæ vltrò fuère ab Iſraelitis Ioſue duce & auctore facta, quod duobus his verſibus deſcribitur. Vt verò narrationis huius ratio commodiùs teneatur, meminiſſe expedierit diuiſionis illius gentium, quas in Cananæorum regione ſibi conſpectas exploratores referebant. Cultores fortiſſimos, & vrbes grandes atque muratas, ſtirpem Enac vidimus ibi. Amalec habitat in meridie: Hethæus & Iebuſæus & Amorrhæus in montanis; Cananæus verò moratur iuxta mare, & circa fluenta Iordanis. & paulò poſt: Terra, inquiunt, quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos: populus, quem proſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur. Atque horum oratione Iſraelitarum vulgo regionem illam expugnari non poſſe perſuaſum erat, propter duarum gentium genera: alterum filiorum Canaan, quos & magnos & fortiſſimos atq. munitiſſimis in vrbibus habitantes narrabant: adeoq́; feros aiebant, vt alij alios deuorarent: alterum verò monſtroſæ magnitudinis, notæq́; olim fortitudinis & ferocitatis, nimirum ex Enac ſanguine prognatos, cuius nomen illis regionibus & ex magnitudine, & ex crudelitate fuerat decantatiſſimum. His itaq. duobus nominibus, maximè verò gigantum bis facta mentione, perterrefacti Iſraelitæ, ab ea quam diuinis promiſſis habuerant, fide abalienati, reditum in Aegyptum meditari, atque de nouo ſibi optando duce agere cœperunt: quod grauiſſimè accipientes Ioſue & Caleb, ſciderant veſtimenta, & ad omnem multitudinem filiorum Iſrael locuti ſunt: Terra quam circuiuimus, valde bona eſt: ſi propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humū lacte & melle manantem. Nolite rebelles eſſe contra Dominum, neque timeatis popu-* Num. 14.

z 2 *lum*

„ *lum terræ huius, quia ſicut panem ita poſſumus eos deuorare, re-*
„ *ceßit ab eis omne præſidium; Dominus nobiſcum eſt, nolite metue-*
„ *re. Igitur hanc fidem, quam de diuino erga Iſraelem præſidio Ioſue animo conceperat, atque hactenus fouerat, vtroque exemplo & genti ſuæ, & poſteritati probare voluit; qui poſt deletos Cananæos, à quibus fuerat bello petitus, poſt omnem regionem, quamuis difficilem, aditam & ſubactam; illud etiam monſtroſum & horrendum gigantum genus, cuius vel nomen ipſum gentibus terrori erat, atque Iſraelitarum fidem anteà labefactauerat, vltrò adeundũ, frangendum, ſubigendum, atque adeò vaſtandum ſuſcepit, remq́; omnem vti fide conceperat, ita ex animi ſententia geßit & confecit. hoc eſt quod adnotatio illa indicat,* in tempore illo, *cùm iam Cananæorum gentes omnes, quæ bellum inferre decreuerãt, exciſæ funditusq́; euerſæ fuiſſent; Ioſue ipſe vltrò venit, & interfecit Enacim gentem proceræ atque monſtroſæ magnitudinis, quæ nomen & genus ab Enac deducebat, eaq́; non ſolùm natura ac viribus, verumetiam locis, quibus habitabat, ferocem difficilemq́; ſe præbebat.* de montanis Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni monte Iuda & Iſrael. *Montem Iuda hiſtoria eum montium tractum appellat, qui Iudæ in ſortem iam ceſſerat, cùm hæc ſcriberentur, atque Samariæ montes, quorum paulò antè mentio facta eſt, Iſraelis mons dicuntur. Huius gentis vrbes certo conſilio à Ioſue euerſæ ſunt, manifeſtis exemplis declarante vim omnem conſilij expertem Deo inuiſam, perpetuam eſſe non poſſe, adeò vt non ea tantùm, ſed omnia ipſius monumẽta deleantur. Nemo qui ſacra ſcripta atque veras aliorum auctorum hiſtorias attentè legerit, inficias ire poteſt, fuiſſe aliquando maximæ proceritatis homines, quorum oſſa adhuc quibuſdã viſuntur locis, ſed eos propter morum & vitæ immanitatem iuſto Dei iudicio deletos intelligimus. Quidam ex hoc Enac genere in Palæſtinæ vrbibus reliqui fuere apud Gazam & Azotum vrbes quos à Iudæ tribu in Iudicum libro exciſos legimus. hoc eſt quod ſubiuncto declaratur verſu.*

Non reliquit vllum de ſtirpe Enachim, in terra filiorum Iſrael, abſque ciuitatibus Gaza & Azoto, in quibus ſolùm relicti ſunt.

NAMQVE *Palæſtina regio illo tempore non fuit expugnata, in qua vrbes illæ erant, ſiue quod Iſraelitas tot iam vrbibus & agris ca-*

piu

ptis vlterius bellum gerere piguerit: ſiue quod illa loca à Ioſue conſultò prætermiſſa fuerint, ne maius ſpacium caperetur, quàm quod coli habitariq́; ab Iſraelitis poſſet, & ſuperuacaneus tractus cultore deſiderato feris occuparetur: Demùm vt exercendæ virtutis, atque ſocordiæ ignauiæq́; pellendæ materia Iſraelitis relinqueretur, hoſtibus vicinis & finitimis relictis, quorum vrbes agrosq́; cùm populus creſceret, bello capere poſſet. Atque hoc loco omnis victoriæ ſumma refertur, quæ Iſraeli in vniuerſum adſcribitur, cùm tamen quædam poſtea à Caleb & Gathniel atque à Iudæ filijs bella geſta atque confecta narrentur. Oportet itaque & temporum & locorum, atque etiam ſcriptoris ſtyli diligentem habere rationem. Hæc autem ſumma proximo etiam verſu ponitur.

Cepit ergo Ioſue omnem terram, ſicut locutus eſt Dominus ad Moyſem, & tradidit eam in poſſeſſionem filiis Iſrael ſecundum partes & tribus ſuas, quieuitq́; terra à prœliis.

OMNEM *terram à Ioſue captam eam intelligimus, quam Iſraelitæ adire & expugnare capereq́; voluerunt, ſicut initio Deus Ioſue dixerat: Omnem locum quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis* «
tradam, ſicut locutus ſum Moſi. Hoc itaque à Deo factũ præſtitumq́; de«
clarat hiſtoria, ita vt nihil omninò requiratur ex diuinis promiſſis: quicquid vero excipi poſſit, id eſſe humanam operam, hoc eſt Deum promiſſis dictisq́; ſtetiſſe ſuis; Iſraelitarum verò defectu fuiſſe deſideratum quicquid deſideratum eſt, videlicet quaſdam vrbes nondum captas, vt ſuo loco inferiùs videbimus; ita vt, quod ad ſummam attinet, adeo domita regio omnis fuerit, vt nullus prætereà vel princeps, vel populus Iſraelitis de partitione & poſſeſſione agẽtibus negotium faceſſerit. Quamobrem Ioſue petentibus requieſcendiq́; cupidis, tradidit eam in poſſeſſionem filiis Iſrael ſecundum partes, & tribus ſuas. *partes hic intelligimus maiorem illam diuiſionem in nouẽ partes cum dimidia, quæ à Ioſue terminis conſtitutis facta eſt, atque voculam* ET *expoſitiuè accipimus, pro id eſt: Secundum partes, hoc eſt tribus ſuas ipſorum Iſraelitarum, quibus hæc regio diuidenda fuerat. Hebraicè ex verbo ſic habet,* iuxta partitiones eorum ad tribus eorum. *Itaque non de ſingulorum capitum portionibus, ſed de ſingularum tribuum terminis, & agris interpretamur. Namque diſtributionum earum, quæ ſingillatim per familias factæ ſunt, ad*

ſingularum tribuum proceres cura pertinuit. Huius verò occupationis atque ſtudij rationem, & occaſionem breuiter hiſtoria indicat, quòd cùm nullis iam ab hoſtibus vexati, aut petiti eſſent Iſraelitæ, de agris metandis, atque vrbibus domibusq́ obtinendis, & poſſeßione adeunda cogitarint. hoc eſt quod ait, quieuitq́ue terra à prœliis. *Terræ nomen Metonymicωs pro ipſis antiquis regionis cultoribus vſurpatur, qui nullum illa tempeſtate bellum amplius Iſraelitis mouerunt, nimirum fortißimis, quibusq. iam excißis atque detractis, atq. toties re fruſtra tẽtata: Iſraelitæ igitur cùm nullum ſibi inferri bellum ſentirent, aut metuerent, nullum præterea inferre voluerũt, ſed ad partitionem animum atque curam omnem conuerterunt.*

CAPVT DVODECIMVM.

HI ſunt reges, quos percuſſerunt filij Iſrael, & poſſederunt terram eorum trans Iordanem ad Solis ortum, à torrente Arnon vſque ad montem Hermon; & omnem orientalem plagam, quæ reſpicit ſolitudinem.

DIVINA *promiſſa credentibus atque pura fide & pio officio excipientibus cumulatißimè præſtari huius verſus initium docet, quippe multo plura loca nunc in partitionis expoſitione indicantur, quàm fuerant quondam in promißis Abrahæ, Iſaaco, & Iacobo ſignificata. Quippe vt omnia ab euocato Abrahamo ſyrmata voluamus, cõperiemus patribus illis terrã cã oſtẽſam promiſſamq́ vltro à Deo, quæ inter Iordanem, & magnum ſiue Syriacum mare, atq. inter Libanum & Arabiæ fines ſiue Aegypti fluuium iacebat. Nunc verò duabus amplißimis regionibus, hoc eſt duorum potentißimorum ditionibus regum auctos Iſraelitas, nobis lectio indicat atque diligẽter exponit. Potuerunt ſiquidem Iſraelitæ, ſi modò pietatẽ purè colerent, à Deo, vtpote iam pollicito, Cananæorum regiones poſtulare, ſuo quandammodo iure, hoc eſt, diuinis promißis iuramento apud Patres firmatis innixo atq. conſtante; eiusq́ beneficij obtinendi cauſa ex Aegypto educti ſunt, quo beneficio accepto, promißi diuini veritas conſtabat: quam quidem ad conficiendam rem Moſes prior dux; deinde qui illi ſuccederet, Ioſue delectus fuit. Verùm de regnis illis duobus vltra Iordanem ortum verſus conſtitutis, altero Seon, altero Og, nihil illis*

anteà

anteà fuerat promiſſum; neque ab yſdem etiam Iſraelitis cogitatum, niſi regum ipſorum impietate ac temeritate eueniſſet, vt itineris impediendi ſtudio bellum Iſraelitis inferretur; quod nouum negocium cùm Iſraelitæ ex hoſtium parte ſuſcipere coacti, ex Dei verò voluntate ſuſtinere iuſsi eſſent, & feliciter confeciſſent, illorum etiam regiones Deo concedente obtentas occuparunt & poſſederunt. Itaque hoc tanquam auctarium, nouúmque beneficium à promiſsis olim aperte nominatis diſtinctum, & magna conſideratione dignum, & ſumma piáque gratulatione excipiendum, & præclaro exemplo poſteritatis memoriæ mãdandum, ipſi totius terræ partitioni præfigi Spiritus ſanctus voluit. Atque hac animaduerſione abunde ſatisfieri poſſe arbitramur ijs qui rationem inquirunt, quamobrem bella omnia, quæ vltra Iordanem geſta fuerint, Iſraelitis Ioſue ducis appellato ſemper nomine adſcribuntur: hæc verò quæ cis Iordanem facta confectaq́; ſunt, non Ioſue, qui tamen Ducis officium ſecundi, non Moſi primo duci attribuuntur, nimirum quòd illi delecti fuerint à Deo promiſſorum patribus factorum miniſtri: ea vero quæ poſtea exorta ſunt bella & quæ capta ſunt regna, ipſis, qui tunc viuebant, Iſraelitis liberali gratia vltra promiſſum fuerint conceſſa atque tradita. Quàm verò magnum id beneficium fuerit, regum duorum auguſtis & magnis nominibus appellatis, & regionũ terminis ſummatim deſcriptis oſtenditur. Atque huius deſcriptionis exactã per ſingulas partes rationẽ nobis hoc loco perſequi animus nõ fuit, quædã quæ ad verborũ ſententiam explicadam faciunt docere contentus, & lectorem vel ad ſacrum Apparatum, in quo de hac corographia ſingulari libro agimus, remittẽtibus, vel monentibus ea legere, quæ pietate atque doctrina inſignis vir Maſius hunc ipſum Ioſue librum commentatus diligenter obſeruata conſcripſit. Igitur ſententia huius primi verſus, vel, vt à nobis indicatum eſt, Dei beneficia aduerſus Iſraelem ex ipſo auctario oſtendere incipit, vel ſummam regum omnium, qui victi cæſiq́; & regnis ſpoliati fuere, complectitur; quam deinde per partes explicat. Atque reges tot occidiſſe, magnæ atque adeo effectæ felicitatis manifeſtum eſt argumentum, quod non in vacua Iſraelitæ venerint, eaq́; occuparint, ſed in culta atque habitata; nec vero defenſore carentia, ſed defenſore atque à Deo Domino & poſſeſſore inſtructa & cuſtodita, cuius maius eſſe ſolet

ſtudium

Quærunt de hac re Leui Gerſon & Maſius.

Lib. Phaleg. & lib. Canaã

Maſius.

ſtudium, vt ſua quam ducis cuiuſpiam, vel principis aduocati, aut conducti, vt non ſua, ſed commiſſa tueatur. Itaque reges non tantùm fuderunt, ſed percuſſerunt filij Iſrael, & poſſederunt terram eorum, eosq; permultos, nempe tres & triginta, ex quibus vel duo primi, quorum regna promiſsis etiam addita ſunt, & regionum opulentia ampli & potentia fortiſſimi fuêre: imprimusq;

Seon rex Amorrhæorum, qui habitat in Heſebon, dominatus eſt ab Aroer, quæ ſita eſt ſuper ripá torrẽtis Arnon, & mediæ partis in valle, dimidiæque Galaad vſque ad torrentem Ieboc, qui eſt terminus filiorum Ammon.

REGNI *amplitudo ac potentia ex fertiliſsimi lateq; patentis ſoli deſcriptione arguitur, regia ipſa vrbe Heſebon ampliſsima cum primis nominata. Illi, inquit, regia Heſebõ fuit; regni verò termini illuſtres & magni ſic conſtituebantur, ab ortu meridiem verſus Aroer vrbs, quæ Arnon fluuio adiacet, initium termino dabat. erat verò Aroer in medio ferè fluuij tractu, ita vt fluuij decurrentis ripã verſus fontem ſurſum legentibus in Galaaditidem regionem aſcenderetur; cuius dimidiam partem Seon regni terminus occupabat ad Iaboc vſque fluuium alterum, qui non procul ab Arnonis capite exortus in Tiberiadis lacum defluit. Atque qua Arnon procurrit, Moabitas; qua verò Iaboc ab ortu ad Septentrionem deflectit, Ammonitas finitimos hoc regnum habebat. Hi igitur ex Auſtrali, & Boreali plaga fines Seonis regno erant; orientalem verò Galaaditidis tractus partem Arabum montes campíque claudebant; occidentalis autem terminus ſic habebat.*

Et a ſolitudine vſque ad mare Ceneroth contra orientem, & vſque ad mare deſerti, quod eſt mare ſalſiſſimum ad orientalem plagam, per viam quæ ducit Beth ieſimoth, & ab auſtrali parte, quæ ſubiacet Aſeroth vſque ad Phaſga.

ACRVM *montibus adiacentem, eundemq; planiſsimum, atque paſcuum ſacer ſermo Gharaba nominat: & Latinus interpres nunc ſolitudinem, rurſus deſertum, aliquando planitiem, vt Chaldæus reddit: Græca verſio vocabulum ipſum Araba reliquit, atque hinc Arabas nomen traxiſſe exiſtimamus. Igitur vltra Iaboc fluuium ager planiſsimus erat & paſcuus, qui Seonis regno cotinebatur ad eumque lacum, qui à Iordane præcipuè effectus olim à citharæ ſimilitudine ci-*

ne Cinereth ſiue Chyneroth, Syrica verò lingua Genizar ſiue Genezareth, Græca autē Tyberiadis poſteà fuit appellatus, cuius ſiue littus, ſiue marginem orientalem hoc Seonis regnum ſibi vendicabat adusq; locum illum magnum, in quem poſtremum Iordanis influit, mare deſerti, ſiue ſolitudinis, ſiue planitiei, hoc eſt Gharaba ab antiquis, idémque ſalis, ſiue ſalſiſsimum, propter denſiſsimi liquoris naturā dictum, cui Græci Aſphaltidis lacus nomen fecerunt. Huius etiam orientalem marginem regni Seon Occidentalis terminus occupabat, qua in Beth-ieſimoth itur; cetera verò, quæ meridiē ſpectabāt ad Arnon vſq. qui primus à meridie ortum verſus aſsignatus eſt locus, aquarum è montibus altis effuſiones claudebant, quæ nomina Latinus interpres ita reliquit, vt legerat, Aſroth ſiue Aſdoth, & Phaſgha. Namque Aſdoth, idem quod effuſiones; Phaſgha ſiue Phiſga, culmen Chaldæus paraphraſtes interpretatur. Hiſpanè huiuſmodi locus, Vertientes de la cumbre, dicitur; quod culmen Abarim montium eſſe intelligimus, qua ſubiecta illis montibus Aroer vrbs deſpicitur. Atque maximam huius regni partem ex Ammonitarum ditione Amorrhæorum rex bello occcupaſſe à Moſe refertur, producto etiam de ea re antiquorum carminum teſtimonio, quibus ex rebus omnibus quanta fuerit Seonis illius potentia arguitur; atque ex conſequenti Iſraelitarum diuino beneficio victoria maxima commēdatur. Neque verò alterum cis Iordanem regnum huic vel regis amplitudine, & antiquitate, atque fortitudine, vel agrorum ſpacijs, locorumq; naturis cedebat.

Terminus Og regis Baſan de reliquijs Raphaim, qui habitauit in Aſtaroth & in Edrai.

R E G E M *ipſum in primis & ex genere, & ex regijs vrbibus etiā hiſtoria ampliſsimum fuiſſe indicat; nempe qui ex antiquis illis gigantibus prognatus, qui propter corporis magnitudinē & horridum atque efferum vitæ genus, Rephaim, hoc eſt terræ filij atque è cauernis geniti dicebantur; hos enim ab Ammonitis olim exciſos legimus: quorum tamen & genus & nomen Og hic adhuc tuebatur, vtpote ex aliquo ab illis ſuperſtite oriundus, cui duæ magnæ vrbes regiæ metropoleſq; erant: Aſtaroth, quam à felicitate ſic dictam putamus, vt aliàs oſtendemus; & Edrai, quam Ptolemæus ſecundùm Arabum agros, Adaræ nomine, locat. Huius etiam regis potentia ex vario fæcundiſſimorum locorum genere ac ſitu oſtenditur.* Deut. 2. Euſeb. de loc. Hebr.

A a Et do-

Et dominatus eſt in monte Hermon & Salecha atque vniuerſa Baſan vſque ad terminos Geſſuri & Machathi, & dimidiæ partis Galaad, ad terminos Seon regis Heſebon.

HERMON *Libani montis pars, ramentumq́; eſt, à niuibus, quibus abundat, Vaſtatio ſiue Vaſtitas dictus; vel etiam ex eo quòd interiecta & præcipiti valle à monte Libano præſcindatur. Hic mons Seoni regi Baſan terminus ab arcto fuit, vſque ad Salecham vrbem, quæ vltima à Septentrione ortum verſus erat; à qua deinde Baſſanæa regio Græcis Bethanæa dicta, Geſſuræis & Machatæis, qui Armeniorum partem obtinuiſſe dicuntur à ſeptẽtrionali plaga confinibus; deinde verò longè lateq́; Galaaditidis tractu, hoc eſt dimidia parte ab ortu ad auſtum procurrebatur, quoad in Seon ditionis fines deueniretur. Quippe Seon & Og Galaad agrum Iaboc fluuio interiecto partiebantur. Atque horum Regum & potentia & regnum atque imperium cuiuſmodi exitus habuerint, ſubiunctus oſtendit verſus.*

Moyſes famulus Domini & filij Iſrael percuſſerunt eos, tradiditq́; terram eorum Moyſes in poſſeſſionem Rubenitis & Gaditis & dimidiæ tribui Manaſſe.

ILLOS *exciſos funditusq́; deletos verbum* percuſſerunt *ſignificat, quod vltra antiquum promiſſum, non autem præter Dei conſilium factum fuiſſe, appellatio illa* famulus Domini & filij Iſrael, *docet; quippe cùm ille, vt famulus Domini, illorum bellorum ſuſtinendorum & conficiendorum auctor fuerit, illi verò vt Iſraelis, hoc eſt præſtantis cum Deo filij prælium ſuſtinere, hoſtes perdere & hoſtilia regna iure belli occupare potuerunt: eadem etiam auctoritate duæ illæ regiones Reubenitis & Gaditis atque dimidiæ tribui Manaſſes poſſeſſæ fuerunt illa conditione, quæ huius libri initio commemorata eſt. Igitur quod ex Moſis edicto illis tributum eſt, referri hoc loco oportuit, vtpote quod ratum legitimumq́; eſſet, & nulla ex parte mutandum, aut innouandum. Hebraicè etiam in hac poſſeſſionis datæ commemoratione adiunctum illud* famulus Domini *repetitur. Atque hactenus ſumma relatio fuit eorum quæ cis Iordanem geſta, atque confecta fuerant. Iam deinceps ea referuntur, quæ à Ioſua promiſſorum præſtandorum miniſtro acta, tractata atque conſtituta ſunt: Atque hic, quod non legiſlator, nec nouæ alicuius rei auctor, ſed iuriſiu-*

iuriſiurandi Dei procurator & explicator eſſet conſtitutus, cuius ad eam rem auctoritas certis iam ſignis conſtaret, Dei famulus appellari non ſolet. Moſes in tota Dei domo fidelis dictus eſt; ita vt quicquid iuberet, etiam non anteà iuſſum ab oraculo petitum credi oportuerit: Ioſue nihil nouũ attulit, niſi miniſtrationẽ et exercitationem tantùm earum rerum, quæ per Moſem prædicta præſcriptaq́; fuerãt.

Hi ſunt reges terræ, quos percuſſit Ioſue & filij Iſrael trans Iordanem ad Occidentalem plagam à Baalgad in campo Libani vſque ad montem Libani, cuius pars aſcendit in Seir; tradiditq́; eam Ioſue in poſſeſſionem tribubus Iſrael, ſingulis partes ſuas.

TOTIVS *expugnatæ atque captæ regionis ſumma deſcriptio certis atque illuſtribus terminis præponitur, quæ nimirũ vltra ſexaginta Hiſpanicas paraſangas, quas Leucas vulgo dicimus, hoc eſt Italica miliaria circiter ducenta latitudine non continebat, ſi latitudinem ab Auſtro ad Boream ex noſtrorum Coſmographorũ præceptis metiamur; longitudinem verò ab occaſu ad ortum obſeruemus, quam Regio illa ad nonaginta circiter paſſuum millia extẽdebat; admirandam profectò cæli temperiem agrorumq́; vbertatem, quæ tam exiguo ſpacio tot regna, tot vrbes, tam multa oppida, tot pagos & municipia hominibus pecoribúſque refertiſsima aleret. Verumenimuerò quòd montibus, vallibus, campiſque frequentibus Regio illa omnis conſtaret, iiſq́; omnibus fertilibus multo maiorem ad habitationem & culturam, quàm pro ſoli per lineam rectam dimenſione, locum præſtabat, vt in ſacro Apparatu oſtendebamus. Terminorum verò, qui in Verſione noſtra traduntur, illa ſumma expoſitio eſt:* trans Iordanem, *hoc eſt à Iordanis altera ripa, quæ ab ortu tranſmiſsis occidentalis eſt:* ad occidentalem, *ipſum finem, qui in magni Maris littore conſtituitur. At verò à ſeptentrione in Auſtrum ſecundùm latitudinem occiſi ſunt reges omnes, qui regnabant ab vrbe, cui nomen erat* Baalgad, *in Libani radicibus adiacente campo vſque ad montem, per quem in eam regionem, quæ Seir dicitur, aſcendimus. Erat verò Seir Idumæis patria à Deo conceſſa. S.S.E. Quia in poſſeſsionem Eſau dedi montem Seir. Atque mons ille Cananæam regionem ab auſtro occaſum verſus claudebat. Lectionis noſtræ verba quædam expendere operæpretium fuerit,* trans Iordanem ad Occi- Deut.2.

dentalem plagam. *Indicat expoſitio hæc vocabulum*, trans, *ſic accipi debere: vt ſi is, qui legit, vnà cum Iſraelitis ex Arabum tractu venientibus Iordanem trãſmiſerit, quibus plaga cis Iordanem orientalis, trans Iordanem verò occidentalis erat. Ex Hebraico ad verbũ exprimere poſſumus* trans Iordanem aduerſus Mare. *Non enim ſignificatur hoc loco quantum ſecundùm lõgitudinem ſpacium illis primis Iſraelitarum expeditionib. et bellis fuerit occupatum, ſed potiùs quantum ſecundùm latitudinem, quam ferè omnem tunc expugnatam fuiſſe accepimus; at verò qua longitudo conſideratur, non fuère omnia loca debellata, quippè cùm Sidon, Azothus & Aſcalon, & Gaza omniſq́; Maris ora intacta tunc manſerit.* Baalgad in campo Libani. *Libanus mons à ſeptentrione terræ promiſſæ terminus conſtitutus erat, vt Idumæorum montes ab Auſtro. S.S.E. Ne moueamini contra eos, neque enim dabo vobis de terra eorum quantum poteſt vnius pedis calcare vestigium.* vſque ad montem Libani, cuius pars aſcendit in Seir. *Meminerit diligens Lector nos Latinæ interpretationis exemplar deſcribere, quod è Complutenſi editione in regijs Biblijs ad verbum expreſſimus. id autem ſi cum Hebraica lectione conferatur, non vſquequaque exactum reperiri, quamquam ſingillatim ceteris Latinis comparatũ ſingulis præſtet. Quædam igitur Latina exemplaria, vt Louanienſe, atque Plantiniana omnia carent hoc loco illo poſſeſſiuo* Libani, *habentq́;* vſque ad montem cuius pars aſcendit &c. *Quod planè ad verbum cum Hebraica lectione, & cum re ipſa conuenit. namque vt altera ex parte Libani ſiue Libani Campus, ita ex altera* Seir *montes, ſiue aſcenſus in illos montes expugnatæ regionis fines indicati ſunt; atque ita Chaldæus, ita Græci interpretes legunt, niſi quod id, quod noſter tranſtulit,* cuius pars aſcendit in Seir: *Sic Chaldæus interpretabatur,* vſque ad montem partitionis. *eadem ferè ſententia; nimirum montem illum, quo aſcenditur in Seir, partem ſiue ramentum eſſe ipſorum montium Seir, vt etiam noſtra verſio ſignificare videtur. Veruntamen illam partem ad Iſraelitas attinere, ideoq́; partitionis montem, ſiue diuiſionis vocari, Hiſpanicè* monte partido. *At verò Græci interpretes cùm Hebraicũ verbum ſine punctis legerent* HHELK. *quod alijs atq; alijs vocalibus adiunctis, vel partem, vel læuem ſiue gabrum ſignificare poſſet, quantum imitari Græcis literis licuit, Hebræam vocem* reli-

reliquerunt ἄλοα, cùm nihil obſtare videretur quo minus vtraque ſignificatio eidem monti adſcribi poſſet; idem namque & Glaber ſiue læuis mons, & partitionis, etiam finis eſſe potuit. huius verò Hiſpana verſio eſſet ad verbum, Monpelado, *vel antiquiore lingua* Monpelayo. *Sunt verò plurima in ſacra lingua verba, & nomina, quæ vni rei duplici aut etiam multiplici ratione tribuuntur. Quòd ſi poſſeſſiuus ille, Libani, retineatur, explicandus erit addito vocabulo, è regione Libani. Hanc omnem terram à Ioſue expugnatore diuino conſilio Iſraelitarum tribubus ijs, quibus nondum fuerat aliàs poſſeſſio data, traditam fuiſſe, hiſtoria teſtatur; ita vt non minus his quàm illis legitima & ſancta huius regionis poſſeſſio conſtiterit.* ſingulis partes ſuas. *ſingulis tribubus per eaſdem illas partes & diuiſiones, quas poſteà obtinuerunt, ita vt nulla tribus vel ſuam reliquerit, vel alienam occupauerit hæreditatem, vel agrum ſitumq́; ſuum cum altero permutarit; quin potius quæ vnicuique ſors obtigerit, ea adita, obtenta, culta, perpetuoq́; nomine nota fuerit.*

Tam in montanis, quàm in planis atque campeſtribus, in Aſeroth in ſolitudine, atque in meridie Hethęus fuit & Amorrhæus, Cananæus & Pherezæus, Euæus, & Iebuſæus.

S I T V S, *ſoli, naturæ atque ingenij agrorum genera omnia his nominibus, recenſentur. Aut enim montium ſumma iuga, & prærupta, aut valles profundæ altæq́; habitantur & coluntur, aut loca plana & perpetua, cuiuſmodi* tierra de campos *Hiſpani, Belgæ* kempen *vocãt; illa montana dicuntur, hæc plana atque campeſtria, vel Araba, vt Græci interpretes reliquerunt, aut ipſæ montium & collium decliuitates, quas Aſdoth Hebræi vocant, noſtra exemplaria Latina propter literarum affinitatem Aſroth habent, Chaldæus Effuſiones è culmine, Hiſpanus* vertientes *dicit; vel etiam longè protenſus campus eſt, neq. arbores, neque ſaxa continens, quod genus Hiſpani* paramos *appellant, hoc noſtra verſio Solitudinem interpretatur: aut aridior aliquanto tractus eſt, meridianoq́; ſoli expoſitus; hæc illius linguæ vocabulo* N E G H E B *vocatur, quam Chaldæus Daroma, Græci ſuo vocabulo νάγεβ, Latinus plerumque Meridiem interpretatur. Hæc igitur omnis ſoli ſumma partitio eſt, atque ex omnibus hiſce generibus omnem illam promiſſam terram conſtitiſſe indicat lectio; omnemq́; cultam habitatamq́; fuiſſe, oſtẽdit, habuiſſeq́; ſuos reges; ita vt nulla pars*

aut cultore, aut principe caruerit, quos omnes occiſos, & regnis ſpoliatos proprijs per Ioſue & Iſraelitas hiſtoria narrat, eorúmque ſummam ad certas primùm familias refert, filiorum Canaan videlicet, quorum terra patribus promiſſa fuerat, deinde verò ſigillatim per vrbium regiarum nomina indicat. Familiæ autem, ad quas Reges illi pertinuerunt, hæ ſunt; Hethæus, Amorrhæus, Cananæus & Pherezæus, Heuæus & Iebuſæus. Atque vrbes eas quæ in hac Regum recenſione appellantur, ſingulorum regnorum primas regiasq; fuiſſe intelligimus, quibus aliæ plures aſcriberentur; id quod ſacrã Geographiam legentibus exploratum fiet. Sic enim vſus obtinuit, & ad noſtra vſque tempora durauit, vt Neapolis, Hiſpalis, Granata, Iaen, Murcia, Valentia, Corduba, ſingulorum regnorum ſibi arrogent titulos, quibus aliæ tamen vrbes iiſdem ditionibus comprehenſæ adſcribendæ ſint. Cùm verò alicui vrbi certa præter alias nota additur, illa ad diſcrimen alterius eiuſdem nominis referenda eſt. cõſtat enim ex Geographiæ cognitione vnum nomen duobus, aut pluribus etiam locis eſſe aliquando impoſitum. L. 14. n. 11. par. 5.

Rex Iericho vnus: rex Hay, qui eſt ex latere Bethel, vnus: rex Ieruſalem vnus, rex Hebron vnus, rex Ierimoth vnus, rex Lachis vnus, rex Eglon vnus, rex Gazer vnus, rex Dabir vnus, rex Gader vnus, rex Herma vnus, rex Hered vnus, rex Lebna vnus; rex Adullam vnus, rex Maceda vnus, rex Bethel vnus, rex Taphua vnus, rex Opher vnus, rex Aphec vnus, rex Saron vnus, rex Madon vnus, rex Aſor vnus, rex Semeron vnus, rex Achſaph vnus, rex Thenac vnus, rex Mageddo vnus, rex Cedes vnus, rex Iachanam Carmeli vnus, Rex Dor & prouinciæ Dor vnus, rex gentium Galgal vnus, rex Therſa vnus. omnes reges triginta vnus.

REX Iericho vnus. *Singularitatis nomen ſingulis adſcriptum regni titulum atque ius integrum vnicuique conſtitiſſe, neque alium alij regni nomine paruiſſe indicat; ſicut Hiſpalenſis rex Cordubenſi non paruit; ſinguloſq; ſuis legibus & foris atque regijs imaginibus, & ſignis tam in bello quàm in pace vſos oſtendit; fuiſſeq; quibuſdam ex illis alios principes & regulos dicto parentes & legibus obſequentes, vt in Terræ poſteà partitione oſtẽdetur. Porrò hæc nominũ & titulorum*

tulorum ſeries non ex ſitus ratione, vt ex tabulis conſtat, ſed ex antiquitate ac dignitate locorum ipſorum petita videtur. Vero namque ſimile ſit, poſt diuiſas confuſáſque apud Babylonem linguas, Canaan domum ex regione Sanaar migrãtem Iordane tranſmiſſo Ierichunta primam vrbem ædificaſſe, ſoli cælíque amœnitate & commoditate cognita, atque ita ceteras omnes præcipuas vrbes voluentibus ſæculis populíſque creſcentibus fuiſſe extructas, eáſque ſuæ antiquitatis rationem perpetuò conſeruaſſe, quam ſacra hiſtoria nunc commemorat. Hay, quæ eſt ex latere Bethel. *Alteram in Ammonitarum agro fuiſſe, Ieremias indicat. Vlula Heſebon, quoniam vaſtata eſt Hay.* Rex Saron. *Vrbs, non regio hoc loco indicatur, cuius integrum nomen Laſſaron fuit, atq. ita aliàs, & hoc loco Hebraicè, Chaldaicè, Græcéque appellatur. eadem in Apoſtolorum Actis Aſſaron dicitur. Facile enim locorum virorúmque propria nomina ſæculis vel gentibus mutatis detractione literarum aut mutatione variantur. Conſtantinopolin, Conſtantinopla Hiſpani, Turcæ verò Stambol, nunc vocant.* Iachanam Carmeli. *Quæ ſecundum Carmelum montem ſita, ab alia eiuſdem nominis diſtinguebatur, vt etiam* Dor, *quæ regionem ſibi vendicabat, cuius oppida omnia Regio Dor dicerentur.* Rex gentium Galgal. *Regionum fines extremi Galgal: Gilgil & Galil dicuntur, ij præcipuè, qui vel ſemicirculi vel arcus figuram efficiunt. Has nunc vulgaribus linguis Marcas vocamus, vt Marca de Ancona, quamquam & terminorum cumuli, ſiue lapides rotundi, qui fines indicant, hoc etiam vocentur nomine Gal. Namque voces hæ omnes à verbo deducuntur, quod Latinè Ambire & circuire ſignificat, ex quo factum Galil nomen apud Iſraelitas tritiſſimum; quo duæ Galilææ ſignificabantur, altera ſuperior, inferior altera: Superior Galilæa orientalis à Chaldæo Paraphraſte dicitur, ſecundum Iordanem, quæ & Galilæa Gentium ob id vocata eſt, quòd varijs Gentibus Iordanem tranſmittentibus commerciorum cauſa frequentaretur.*

Ierem. 49. 3.

CAPVT

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

IOſue ſenex prouectæq́. ætatis erat, & dixit Dominus ad eum, Senuiſti & longæuus es, terraq́; latiſſima derelicta eſt.

PROMISSORVM *ſuorum fidem conſtanter Deum obſeruare lectio hæc indicat, quippe Deus Ioſue dixerat: Tu enim ſorte diui-* Sup. 1. *des populo huic terram, pro qua iuraui patribus tuis vt traderem eam illis. Quamquam verò terræ diuidendæ auctoritatem & facultatem plenam hoc reſponſo Deus Ioſuæ tradidiſſet, non tamen totius regionis expugnationem huic vni duci commiſit. Neque* ›› *enim dixit, Tu expugnabis terram, ſed omnem locum, quem calca-* ›› *uerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam. Atque hactenus ea* ›› *tantùm loca, quæ ſuperiùs commemorata ſunt, ab Iſraelitis calcata fuerãt, neque vlterius fuerat proceſſum; vel quòd ad præſentem habitationis vſum ſatis ſuperq́; ea eſſe viderentur, quæ bello iam fuerant occupata; vel quòd homines longi itineris, ac tantæ peregrinationis pertæſos, diuturnorum iam bellorum, quamuis feliciſſimè confectorum, pigeret; vel quòd Deus ad poſterorum exercitationem finitimos hoſtes relinqui voluiſſet; vel, quod vero ſimillimum eſt, illa ab hominibus cogitata, & hoc à Deo fuiſſe decretum, eò peruentum eſt, vt iam grandior natu Ioſue atque æuo exantlatiſq́; laboribus fractus, poſtremoq́; iam dici proximus, rude eſſet à Deo donãdus; quamobrem monetur eam muneris ſui curare partem, quam poſterius tractandam acceperat, hoc eſt terræ deſcriptionem & partitionem ſuis legitimis actionibus abſoluendam. Ratio autem, quamobrem hæc diuiſio maturata eſt, ipſo initio exponitur, quòd Ioſue ſenex eſſet.* ZAKEN, *hoc eſt ſenex Hebraicè, ex canis & annis arguitur. Illud verò quod adiungitur* prouectæ ætatis, *ad corporis & virium robur imminutum refertur: Hebraicè ad verbũ,* venerat in dies; *Hiſpanicè,* entrado en dias. *Quo tropo, longæ ſenectæ damna, moleſtiæ & grauitudo ſignificãtur; nam poſt ætatis declinationem, ſinguli dies non nihil ponderis atque difficultatis animalium atque maximè hominis vitæ adducnt, ita vt multi ſubiti dies magnum pondus imponant; cuius exactiſſima deſcriptio apud Eccleſiaſtem inter noſtros,* Eccl. 12. *& apud Iuuenalem & Cornelium Gallum inter exteros legitur.* Clorn. Gal. Eleg. 1. *Oportet autem Ioſuen tot tantiſq́; rebus ab ipſa iuuenta præclarè* Iuuen. Sat.

cont

continueq́; geſtis tot nocturnis diurniſq́; ſubitis laboribus poſtremum æui ſui tempus grauius fuiſſe expertum: & tamen de diuinorum promiſſorum exitu, atque de Iſraelitarũ quiete ſecũ cogitaſſe. Eodẽ igitur tempore, quo ea confecta ſunt, quæ hactenus fuêre narrata, Ioſue à Deo ipſo in hanc ſententiam monetur: Senuiſti & longæuus es. *quibus verbis illud ſignificat; laborum & curarum onus, quod pijs viris publica cauſa à Deo imponitur, quamuis maximũ, opportuno tamen tempore fideliter & attentè ſuſtinentibus minui, leuari, ac tandem tolli; cum magna Dei ipſius gratia & commendatione, magnoq́; ipſorum, qui ſuſtinuerint, honore & vſu. Ex cuius rei obſeruatione illud ab Apoſtolo veriſſimè prædictum eſt: Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari vltra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum. Nouit Dominus dies immaculatorũ, ait Pſaltes. Nulla namque piorum vitæ pars eſt, quam diuina prouidentia non perſpiciat, & regat atque moderetur. Hic apertè Ioſue vitã, æuum, ſenectam, corporis infirmitudinẽ ſibi nota probataq́; eſſe Deus oſtendit, atque eo honeſtiſſimo fine claudere velle ſignificat, auctoritate videlicet atque munere regionis diuidendæ, agros aſſignandi, & terminos figendi; quam perpetuam, & conſtantem deinceps eſſe vult, vt Ioſue diſtributionem primam nulla in poſterũ Tribus perturbet, aut alio nomine improbet: Id autẽ in omni illa diuturna peregrinatione, in omnibus antè confectis bellis atq. rebus; demũ in omni terrenorũ promiſſorum ratione ſummum erat, vt populus in regionẽ inductus, poſſeſſionũ agrorumq́; compos fieret; id quod per Ioſue efficiendũ eſſe, Deus prædixerat atque, promiſerat manifeſta ſignificatione æternæ cæleſtis regni hæreditatis, quam vocatis vocationiq́; obtemperantibus Ieſus Chriſtus creaturus erat: hunc quippe Ioſue & nomine & imagine referebat. Nec verò neceſſe erat hoſtes omnes per Ioſuam perdi atque deleri: ſatis fuerat ita imminui atque domari, vt nullus eſſet qui regionem vel luſtrantibus, & dimetientibus, vel diuidentibus, vel poſſidere volentibus, quo minus ex animi ſententia id contingeret, obſtaret. Igitur poſitum à Ioſue hactenus in hoſtibus & regnis expugnandis laborem atque ſtudium ſibi probari Deus indicat, conſiliumq́; eſſe, vt ab eodem agri ſingulis Tribubus aſſignentur; cetera, quæ nondum bello capta occupataq́; fuerint, loca, quamuis*

1 Cor. 5.

Pſal. 36.

multa ſint, ſuæ tamen prouidentiæ permitti oportere, quæ poſterorum colere volentium felicitati perinde atque hactenus populo fecit, perpetuò conſulet: hoc eſt quod ait, terra latiſſima derelicta eſt, *quæ nondum ſorte diuiſa. Non eſt, inquit, quòd agrorum diuiſionem ad poſtremam vſque terrarum omnium expugnationem differendam putes; namq; diuiſio te viuo atque miniſtro facienda eſt, & nunc expediri poteſt, dum viuis, quamuis ſenex grauiq; ætate ſis: terræ verò quæ expugnanda reſtat, longus tractus eſt, cuius menſurationem, & aſsignationem à te nunc fieri volo; expugnationem verò alijs, auctore me, relinqui. Verba illa, Quæ nondum ſorte diuiſa eſt, idem ſignificant, atque hæc, Quæ nondum bello occupata, in poteſtatem redacta, expugnata, vt ex primario verbo Iaras, atque etiã ex re ipſa cognoſcitur. Siquidem quod diuiſionem vel partitionem ſpectat, nec ceteræ omnes vltra Iordanem regiones erant adhuc diuiſæ. Eſt autem regionis nondum occupatæ ſumma illa:* Omnis videlicet Galilæa. *Philiſtin & vniuerſa Geſſuri. Abraham, Iſaac & Iacob regio omnis, quam Cananæorum populi primi omnium occuparant, promiſſa fuit. Ea autem terminos habuit ab ortu Iordanis ripam, ab occaſu Mare, à meridie Aegyptum, ab Aquilone Libanum, anti-Libaniq; partem aliquam. Regio illa, quo tempore ab Abrahamo hoſpite adita eſt, à*
Gen. 12. *Cananæorum gentibus poßidebatur. S.S.E. Egreßi ſunt vt irent in*
„ *terram Canaan: Cumq; veniſſent in eam, pertranſiuit Abraham ter-*
„ *ram vſque ad locum Sichem, & vſque ad Conuallem illuſtrem; Ca-*
„ *nanæus autem tunc erat in terra: apparuit autem Dominus Abra-*
„ *ham, & dixit ei, Semini tuo dabo terram hanc. & rurſus alio in*
Gen. 13. *loco: Eodem tempore Cananæus & Pherezæus habitabant in terra il-*
„ *la. nulla illis ætatibus de Palæſtinis mentio eſt. Heuæorum gens, quam inter Canaani filios Moſes recenſet, eam maritimam oram habitabat, qui poſtea à Caphthorim pulſi, Palæſtinis Caphthoreorũ fratrib.*
Deut. 2. *locum ceſſère. S.S.E. Heuæos qui habitabant in Haſerim vſque Ga-*
„ *zam, Cappadoces expulerunt: qui egreßi de Cappadocia deleuerunt*
„ *eos, & habitauerũt pro illis. horũ regio antequam à Caphthorim expugnaretur, ad Abraham poſteros ex diuino promiſſo pertinebat; cuius nouos cultores hos Palæſtinos Iſraelitæ his primis expeditionibus non pepulère, contenti expugnatione eorũ qui ex Cananæis oriundi fuerant. Sed tamen & hanc etiam partem ad ipſos pertinere, Deus*
decla-

declarat, quæ à duabus gentibus per vim occupata fuerat, Palæſtinis videlicet ſecundùm Mare, & Geſſuræis à mari per ſeptentrionalem plagam ſecundùm Syriam; nam Geſſuræorum prima & propria loca à meridie fuère Amalechitis vicina, cuius populi pars hanc Cananæorum portionem inuaſiſſe & cepiſſe videtur. Vocantur autem termini illi, quos extremos Palæſtini occupabant, Galiloth, quos Latinè Maris vel fluuiorum ambitus dicere poſſumus. Gallicè Marcas vocari, docti quidam Hebræi aiunt. Atque huius omnis tractus ſpacium notiſſimis terminorum nominibus indicatur. Selom. Iarchi.

A fluuio turbido qui irrigat Ægyptum, vſq. ad terminos Accaron contra Aquilonem, terra Canaan, quæ in quinque regulos Philiſtim diuiditur; Gazæos, Azotios, Aſcalonitas, Gethæos & Accaronitas.

NILVS, *qui propter turbatas limo aquas* SIHOR, *hoc eſt fuſcus quondam dictus fuit, vltimo ſuo ortum verſus alueo Aegypti finem conſtituebat, à quo ad Acaronis Aquilonem ſpectantis terminos maris magni littora occiduos Cananæorum fines producebant. Quamquam verò maritima illa loca à Palæſtinis tenerentur, tamen in antiquis Cananæorum agris contenta fuiſſe, terrarum ſitus à Moſe deſcriptos recenſenti facilè conſtabit, eamq́; rem hoc loco hiſtoria aſſerit.* Terra Canaã, *ſiue, vt Hebraicè ad verbum eſt,* Cananęo cenſebitur. *Idq́; quàm latè pateat, continuò indicatur,* quæ in quinq. regulos Philiſtim diuiditur. *Regulos, Latinus interpres Palæſtinorum principes dixit illorum lingua* ZZARNIM *vocatos; cui nomini cùm nullum Latinum ex æquo reſpondere poſſit, Regis ſiue reguli vocabulum ſubſtitutum eſt, quo non ſolùm ſummi reges, magnarumq́; regionum principes, ſed etiam frequentiorum familiarum atq. domorum Domini ac patres Latinè appellantur. vt, Sæpè verecundum laudaſti: rexq́; paterq́; Audiſti præſens: nec verbo parcius abſens.* Hor. ep. 7. *Optima ſiluarum intereà pelagiq́; vorabit, Rex horum, &c.* Iuue. Sat. 1. *&, Reges dicuntur multis vrgere culullis, Et tentare mero, quem perſpexiſſe laborent, An ſit amicitia dignus.* Horat. arte poetica. *Chaldæus interpres hos* Turnaia *vocat, vnde Tyrannorum nomen Latinis acceptum videtur. Erant autem Tyranni quondam idem, qui poſteà ſunt reges dicti. Sic Maro: Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe Tyranni.* Aeneid. 7. cõſul. Seruiũ. *et, Nomadũ Tyrannos idem dixit. Horum verò ditiones quinq. Me-* Aenei. 4.

tonymicῶs enumerantur: nam pro regnis ipſis, ſiue regionibus, reges vel incolæ potiùs recenſentur. Gazæos, & Azotios, Aſcalonitas, Gethæos & Accaronitas; *ſic dictos à quinq. principibus vrbibus, Gaza, Azoto, Aſcalone, Geth ſiue Gath, & Accarone, quarum ſitũ in ſacro* Lib. Canaan *Apparatu deſcribebamus: hos hîc alia ſerie quàm apud Moſẽ cenſeri videmus, quam varietatẽ ſæculorum impulſioni et mutationi adſcribimus: quippe ſæpe vſu venire obſeruauimus, vt quæ anteà primas obtinebãt vrbes et regna, ſecũdas poſteà, aut poſtremas partes tenẽat. Heuæi autem inter hos Palæſtinos nominantur, quorum infima fortaſſis & ignobilis pars victori Palæſtino ſeſe ſubdidiſſe, & antiquos agros incoluiſſe videtur.*

Ad meridiem verò ſunt Heuæi, omnis terra Chanaã, & Maara Sidoniorum vſque Apheca, & terminos Amorrhæi.

HEVÆORVM *nomẽ ſuperiorẽ verſum Hebræa in lectione claudit, atque etiam in Chaldæa & Regiorum bibliorum Græca; ſed nullum ſententiæ detrimentum fit, ſi Latinè aliter diſpunctum ſit, modò hanc gẽtem Accaronitarum nomini proximam conſtituamus. Quod verò indicat lectio,* à meridie verò, *ſic nobis expoſitum apertam ſententiam efficit, nempe quinque illis Palæſtinorum ditionibus à meridie relictis, progreſſuq́; ad Septentrionem faciundo Sidoniorum Maara tranſitur, vſque ad Aphecam, alteram vrbem ab illa, quæ ſuperius Dori proxima deſcripta fuit. Namque & hæc proprio nomine* Iud. 1. 31. *Aphik dicitur, in Aſſeriſq́; tribu cẽſebitur: ſed ſacræ linguæ vſu fit, vt cùm nomen loci proprium progreſſus aut itineris terminus eſſe indicatur, adiuncta litera* HE, *& vocali A magna pronuntietur, ſic legimus Tendere aliquẽ Hieruſalaimah, vel Dothaynah, hoc eſt in Hieruſalem vel Dothain. ſic etiã hoc loco Apheka progreſſũ fieri, id eſt in Aphik, intelligendũ eſt. Porrò Latinus interpres nomẽ Maara Sidoniorum, quod variè à Græcis lectum atque à Chaldæis verſum viderit, intactum reliquit. Namque Græci cùm ſine punctis Hebraica legerent, lectionem partiti* MEGAZA *ſcripsêre, pro litera R. Hebraica, Z. vſurpata, quòd non ita diſſimilem figuram vtraq. ſortiretur. Chaldæus integrum legit vt Latinus* MEGARAH, *quod nomẽ aliquando Campum amœnum, aliquãdo Antrum & ſpeluncã, nonnunquam Viciniam ſignificat. Siue igitur Sidoniorum fertiles campos ad Libanum*

Libanum montem extenſos, ſiue inſigne aliquod antrum in illo tractu viſum, ſiue vtrumque ſignificare hiſtoriæ ſcriptor noſter voluerit, Latinus interpres vocabulum integrum, vt fieri Latinis characteribus potuit, expoſitoribus explicãdum reliquit. Quod deinde ſubiungitur, & terminos Amorrhæi: *eam Amorrhæorum partem indicat, quæ Sidoniorum agros egreſſis, ad ortum tendentibus prima ſubitur, ad Iordanis vſque caput pertinens. Deinde verò terminorum deſcriptione vlterius progreſſa, additur:*

Eiuſdemque confinia, Libani quoque regio contra Orientem à Baalgad ſub monte Hermon, donec ingrediaris Emath.

POST *Sidoniorum agros Amorrhæis vicinos aliarum gentium regiones ad ortum ſecundùm Septentrionalem tractum tendentibus peragrantur, quarum prima eſt* Geblæorum. *hanc ex vocis ſignificatione* confinia *Latinus interpres vertit; Chaldæus, quod nomẽ proprium Gentis agnoſceret,* Gibelaæ *ſcripſit; Græci verò γαβαλ terram dixerunt. Eſt autem Gibel regio in locis illis ab alijs auctoribus Byblon & Gabalæ nominibus indicata, cuius Ezechiel etiam mẽtionem fecit, apud quem Græci interpretes pro Gebal, Byblon reddunt. facilè* Ezech. 27. *namque locorum, gentium & virorum nomina apud alias gẽtes mutantur, nõnullis propriæ pronũtiationis relictis veſtigijs. atq. hoc loco & Bybli regionem, & Gabalæ promontorium agnoſcit Plinius; Bybli* Plin. lib. 5. c. 20. *namq. Libani incolæ vel accolæ fuêre. Hæc gens cũ Tyrij regis miniſtris Salomoni ad templi ædificandi vſum operam nauauit. Sunt &* 3. Reg. c. 5. ad fin. *alij eodem nomine ad auſtralem Iſraelis plagam Iudææ regioni inter ceteros finitimos hoſtes aliquando infenſi. S. S. E. Gebal, Amon, &* Pſal. 82. *Amalech, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Quod verò additur* Libani quoque regio, *&c. omnem Septentrionalẽ finem ab ortu ſignificat. Namque Libanus mons à Sidoniorum fine incipiens perpetuo dorſo, eoq. altiſſimo vſque ad mediam ferè Cananææ regionis longitudinem porrigitur; illuc verò fractus ac velut conciſus aditum in Damaſcenam Syriam præbet, apud vrbem Hamath quondam, poſteà, vt Hieronymus affirmat, Cœleſyriam dictam; deinde verò rurſus elatus Libanus ad ortum progreſſus in poſtremum illud celeberrimumq́ ramentum deſinit, cui nomen Hermon factum eſt, ex eo nimirum, quod procurrentem illum Libanum interrumpat. Erat autem illis temporibus Hermon celebris Baghal Gad fano, quod ex nominis*

etymo Felicitatis numini ſacratum videtur. Igitur cùm præcedenti quarto verſu terminorum deſcriptio à mari, hoc eſt ab occaſu ſecundùm arcton ad illam Libani interruptionem, qua Syria aditur, produceretur, nunc hoc quinto verſu idem tractus ab orientali fine, id eſt ab Hermone ad eandem interruptionem, qua ingreſſus in Hemath aperitur, repetitur. Rurſus verò regiones illæ omnes, quas Ioſue prætergreſſus quidē fuerat, nec tamē ſubegerat, aut ceperat, quáſq; ferè in his duobus antecedentib. verſibus enumeratas obſeruabamus, ipſius terræ continuato ſitu indicatas proximo verſu complexus Deus expugnandas & capiendas recipit.

Omnium qui habitabant in monte Libano vſque ad aquas Maſſerephoth, vniuerſiq; Sidonij. Ego ſum, qui delebo eos à facie filiorum Iſrael.

H A S *regiones omnes, quamuis longè lateq; patentes, quamuis locorum natura munitiſſimas, tamen perinde atq. ceteras iam ſubactas opportuno tempore expugnatum iri, Deus Ioſue declarauit, omnemq; in poſterum illarū curam ſancto viro ademit, vtpote ad ſui muneris partes minimè pertinentium, ſed in diuinæ prouidentiæ conſilio & efficacitate poſitarum. Omnium, inquit, eorum vrbes & loca, qui Libanum montem vel incolunt, vel accolunt, aduſq. Aquas exuſtas, (de quibus iam ſuperiùs nonnihil eſt explicatum) atque adeo Sidoniorum regnum & gentes, delebo eos ego qui omnem terram hanc Iſraelitis fueram pollicitus. Atq. his verbis Deus Ioſue certam ſpem facit vniuerſæ terræ eadem virtute expugnandæ, qua maxima pars fuerat expugnata, hoc eſt ſua ipſius diuina, & futuri temporis euentum venienti ac ſentienti prædicens credendum propoſuit. Nam cùm dicat,* Ego delebo eos, *neque id Ioſue opera expediendum declaret, poſt illius mortem efficiendum eſſe apertè indicat. Docet autem Deus temporū opportunitatumq; rationes omnes ſibi ſubductas eſſe, & quemadmodum confici omnes oporteat, diſpicere ſui eſſe conſilij; piorū verò officij eſſe, ea ſedulo atque ſtudioſè curare ac præſtare, quæ ſibi viuentibus impoſita imperataq; fuerint, certiſſima fide, & ſpe fultis, cetera quæ ab ipſis non exigantur cùm opus fuerit, omnipotentis & pollicitiam Dei virtute fore conficienda. Ideò huic promiſſo adiunctum eſt præceptum ipſi Ioſue ſubeundum, & præſenti officio præſtandum, nempe vt omnes terræ partes tam eæ quæ iam, quàm eæ quæ nondum*

fuerant

fuerant expugnatæ & occupatæ, ad eo dem diuidantur & aſſignentur, qui ad eam rem fuerat delectus & cõſtitutus. Veniat ergò in partem hæreditatis Iſrael, ſicut præcepi tibi. Tu, inquit, tuas partes exple, diuideq́; terram; namque ipſe diuiſionem à te factam, ratam certamq́; præſtiturum me recipio; ita vt cuicunque ſors obtigerit, eius partis, quæ nondum bello capta eſt, tam ſit certa poſſeſſionis futuræ fides atque ſpes, quàm eſt certa conſtansq́; poſſeſsio portionis eius, quæ capta occupataq́; fuerit. Atque hoc dicto Deus Iſraelitarum fidem diligentiamq́; exercere voluit. ideoq́; ſubiungit,

Et nunc diuide terram in poſſeſſionem nouem tribubus & dimidiæ tribui Manaſſe.

T E R R A M *omnem tam expugnatam, quàm eam quæ nondum expugnata eſt, diuidere iubetur Ioſue, eamq́; diuiſionem Dei auctoritati & iuſſui adſcribere. Ex quo illa efficiebantur, primùm vt ſingulæ tribus ſuas partes agnoſcerent, & occupatas portiones tuerentur, atque vt Dei dona colerent: Deinde vt eas, quæ nondum occupatæ fuerant, ad ſe tamen pertinentes armis in poſterum ſibi vendicare ſatagerent, diuini promiſſi dicto fulti, & certo obtemperantibus præſidio fidentes; atque ita nunquam ſe amicitiam & fœdus cum ijs ſanciturus intelligerent, à quibus res hæreditasq́; ſua teneretur: Poſtremùm, vt maiore ſuo commodo minoriq́; diſpendio ſinguli vicinos ſibi hoſtes expugnarent, atque interim dum bello non infeſtarent; tamen impedirent, quominus illi coniungere ſimul copias poſſent, vtpote inter illorum vrbes & agros interiecti. Cùm verò Cananæorũ terram duodecim quondam tribubus promiſſam nouem nunc atque dimidiæ diuidi iubeat Deus, reliquæq́; ſint tres tribus cum dimidia, (quippe ex Ioſepho duas eſſe Iſrael pater voluit, atque omnes ſimul tredecim conſtituit,) quemadmodum huic rei & rationi ſatisfactum fuerit, hoc loco opportunè narratur.*

Cum qua Ruben & Gad poſſederunt terram, quam tradidit eis Moyſes famulus Domini, trans fluenta Iordanis ad Orientalem plagam.

I N *regionibus agriſq́; diuidundis illa curari oportuit: primùm, vt ſingulis tribubus ſuæ partes aſſignarentur: deinde, vt aſſignatæ certa auctoritate conſtarent; conſtantes adirentur, occuparentur, & colerentur, eiusq́; rei monumenta publica fierent, quæ ſingulorum omniumq́;*

niumq́ communi atque concordi aſſenſu probarentur. Hæc igitur cauſa eſt, quamobrem hoc loco, cùm de nouem tribubus ac dimidia in terræ citra Iordanem iacentis distributionem & poſſeſſionem vocarentur, ratio, cur ita fieret, reddenda fuerit. Contexitur autem ſermo cum mentione dimidiæ tribus Manaſſæ, quæ in hæreditatem quoque cum alijs vocata fuerat, cuius rei ſignum eſt, quòd hæc tribus, & ſi non omnis, tamen dimidia vltra Iordanẽ collocata fuerit; idq́ Moſis non priuata voluntate, ſed famuli Dei auctoritate ſit constitutum. Conſequitur igitur alterius dimidiæ rationẽ eſſe habendam. Nam ſi duæ Tribus Reuben & Gad ſociam ſibi in partitione admiſerunt dimidiam tribum Manaßis & nouem alias, alteram dimidiam citra Iordanem admittere adſciſcereq́ in hæreditatem oportuit. Reliqua eſt vna Tribus decimatertia, cuius conditio mox declarabitur. Iam verò cùm de duarum tribuum & dimidiæ hæreditatibus mentio opportuna fieret, quemadmodum illa partitio facta fuerit, exponendum erat, vt hoc tempore, quo de agrorum diuiſione agebatur, omnibus in vniuerſum abundè ſatisfactum fuiſſe oſtenderetur. Neque enim hoc loco ea, quæ antè dicta fuerant repetuntur, ſed noua opportunaq́. distributionis ratio aperitur. Quæ enim aliàs de illis regionibus commemorata ſunt, non Ioſue officium, ſed Moſis bella & victorias ſpectabant; hîc verò quæcunque dicuntur, ad hæreditatis diuidendæ rationẽ referuntur, quam Ioſue iudicio & auctoritate atq. opera constare oportuit. Pendebat namque duarum illarum atque dimidiæ tribuum plena poſſeßio ex cõprobatione officij, ab illis Ioſue reliquisq́ tribubus præſtiti; quod ſi non præstarent, neque regiones illas à Moſe conceſſas obtinere ac tueri iure poſſent. Porrò quod in ſuperioribus lectionibus regiones illæ cum terminis proprijs fuere deſcriptæ, id ad oſtendendas regum illorum ditiones longè lateq́ patentes factum eſt. nunc verò eorundem agrorum & oppidorum nomina ad partitionẽ pertinent factã duabus atq. dimidiæ tribubus. Quippe nulla in his alijsq́ ſacris ſcriptis otioſa aut ſuperuacanea repetitio eſt; atque ita diuina beneficia auctius & locupletius in credentes & pios collata probantur.

Et cunctas ciuitates Seon regis Amorrhæi, qui regnauit in Heſebon vſque ad terminos filiorum Ammon.

BENEFICII *magnitudo indicatur nomine vniuerſali* & cũctas, *atque etiam declaratione longæ lateq́ ditionis regis illius, cuius regnum*

gnum

gnum omne ijs, de quibus agitur, tribubus eſt conceſſum.

Et Galaad, ac terminum Geſſuri, & Machati, & omnem montem Hermon, & vniuerſam Baſſan vſq. ad Salecha.

GESSVRÆOS *& Maghacatæos populos Seon & Gogh finitimos fuiſſe aliàs cognouimus, quos tamen regionum harum occupationem, habitationẽ & culturam minimè Iſraelitis impediiſſe indicat lectio hæc: Sicut neque alterius regni Regem & gentem, quamuis fortitudinis ac feritatis opinione celebres, ſua loca defendere ac tueri potuiſſe, ſubiunctus etiam ſignificat verſus:*

Omne regnum Og in Baſan, qui regnauit in Aſtaroth, & Edrai, ipſe fuit de reliquijs Rephaim: percuſſitq; eos Moyſes, atque deleuit.

REPHAIM *giganteum, hoc eſt immane genus à Chodorlaghomer Abrahæ temporibus fuerant cæſi. S.S.E. Percuſſeruntq́; Raphaim* Gen. 14. *in Aſtaroth Carnaim. Atq. ex horum ſtirpe regum hunc prognatum accepimus, quem cum omni regno à Moſe funditus deletum ſacra hæc historia narrat. Iam verò quod nuper exponebamus, horum locorum nomina atque rationes diſtributionis cauſa rurſum hic commemorari, oſtenditur ex octaui verſus manifeſta ſignificatione. Cum qua Reuben & Gad poſſederũt terram, quam tradidit eis Moſes. Hebraicum verbum* LAKHHV *acceperunt, propriiſsimè ſignificat. Atque hoc verbo terra illis à Moſe tradita, atque volentibus & contentis accepta ſignificatur: niſi enim id ſibi ſatis abundeq́; eſſe cognouiſſent, nequaquam accepiſſent. Continet autem oratio hæc duo verba, Do, accipio, quibus firmiſsimi inter homines celebrantur contractus. Quoniam verò in illo loco, vbi Moſes his tribubus regionem hanc tradidiſſe commemoratur, diſtributionis ratio quanquam ſatis expedita, tamen explicata non fuit; nec vel illi, vel alij vnquam exiſtimare poſſent diſtributionem ſuo ipſorum conſilio, non Moſis iudicio & auctoritate factam, opportunum hoc loco fuit eam rem omnino abſolui, ad quam exponendam illud primùm, vt adnotatione dignum, adnotatum eſt.*

Noluerúntque diſperdere filij Iſrael Geſſuri & Machati: & habitauerunt in medio Iſrael vſque in præſentem diem.

VERBVM noluerunt, *non ita exponendum eſt, quaſi iuſſi id fa-*

cere renuerint; namque bella illa omnia Dei conſilio, & Moſis opera confecta fuerunt; cui quod ad collocandas primùm duas tribus cum dimidia, ſatis tunc agrorum oppidorumq́; erat. Duæ illæ gentes, quæ etiam ex Cananæorum numero habebantur, relictæ fuère creſcentibus poſtea Iſraelitis expugnandæ. Hebraicè ad verbum ita legimus: Et non impulerunt filij Iſrael, &c. *Itaque huius lectionis ſententia illa eſt: Idem exemplum Moſis atque Ioſue fuiſſe, tum quod ad bella conficienda, tum quod ad agros diuidendos attinet. Nam Moſes maximam locorum partem expugnauit, quandam verò reliquit. Quod verò partitionis rationem ſpectat, omnia illa diſtribuit quæ vltra Iordanem erant, tam quæ expugnatæ, quàm eæ quæ nondum fuerant bello captæ. Sic etiam Ioſue omnia tam quæ occupata, quàm quæ nedum fuerant ab eodem adita loca, nouem tribubus cum dimidia diſtribuit. Verùm quod ad Leui tribum attinet, vtrique & Moſi & Ioſue idem contigit: namque vt ille nullam, dum viueret, vltra Iordanem Leuitis vrbem habitationis nomine tradidit, ſic nec Ioſue etiam vlla illis loca, nec vltra nec citra flumen aſſignata in vſum conceſſit. Quippe ſacerdotes & Leuitæ certarum vrbium habitationem non prius obtinuerunt, quàm certus ſacræ arcæ in Silo dicatus eſt locus. Itaque interim dum à Moſe illorum agrorum partitio fiebat, nullæ vrbes Leuitarum habitationi ſunt adſcriptæ. Quod exemplum ſecutus Ioſue nullas etiam illis adſcripſit, quoad quid cuique tribui obtingeret, ſingillatim fuit explicatum. Sed cùm iam ſingulis tribubus propriæ partes addictæ fuere, tum demum ſacerdotum loca tributim ſunt definita. Namque vt Moſi, ita etiam Ioſue, id quod ſubiungitur, notum exploratumq́; fuerat.*

Tribui autem Leui non dedit poſſeſſionẽ: ſed ſacrificia, & victimæ Domini Dei Iſrael, ipſa eſt eius hæreditas, ſicut locutus eſt illi.

Constitisse *hoc Moſi, conſtitiſſe Ioſue, conſtitiſſe deniq́; ipſi Leuitarum tribui, indicat lectio; ideoq́; neque Moſem, aut Ioſuam hæreditatem illis aſſignaſſe, neque illos etiam ſibi aſſignandam poſtulaſſe, quibus quòd ad fundorum fructus & victus vſum faceret, præclara portio in ſacris muneribus obtigiſſet. Oportuit verò hoc loco huius rei mentionem fieri, vt ex eo ipſo, quòd nulla vel per Moſem, vel per Ioſuam in agris diuidundis Leuitarum ratio haberetur,*

tur, & ipſi intelligerent, nullam vnquam poſthac ſibi terrenæ hæreditatis, aut quæſtus, reiq́; familiaris augendæ curam eſſe oportere; ſed ſtudium omne in ſacro miniſterio ponendum, & populus eadem ratione cognoſceret deberi à ſe munera atq. vectigalia legibus præſcripta, quorum vſu ſtatuta ſolemniaq́; Deo ſacra fierent, & horum ſacrorum procuratores atque miniſtri, ſacerdotes & Leuitæ alerentur, officioq́; ad Dei cultum & populi ipſius vtilitatem inſtituto commodè vacarent. Duplici enim iure id ſacerdotibus à populo conferri debebatur: quorum alterum erat, quòd Deus regiones illas incolis pulſis non ex debito, ſed mero beneficio duodecim tribubus conceſſit ea lege, vt qui vel mediam frugum, vel tertiam, vel quintam, vel quotam vellet partem ſibi excipere, & cui libuiſſet addicere poſſet, decimam tãtùm agrorum dominy ſiue ſeruitutis nomine imperarit. Nam primitias pro fructuum prouentu gratulationis iure, vt Deus naturæ bonorumq́; omnium auctor, ſibi vendicabat. Secundam verò decimam, & Leuitis & pauperib. & ipſis cultoribus in vſum eſſe voluit. Alterum verò Leuitarum ius erat, quòd cùm illi, dum ceteræ tribus omnes terram inter ſe partirentur, ea quæ ipſis obtingere poterat, ſorte ex Dei iuſſu fratribus libenter ceſſerunt; ius æquitaſq́; poſtulabat, vt eorum alendorum cura à ceteris ſuſciperetur, ac perpetua lege ſuſtineretur maximè non ocioſorum, ſed in honeſtiſſimo reiq́; publicæ vtiliſſimo munere occupatorum. His etiam quàm plures aliæ rationes accedunt, quas nunc breuitatis cauſa prætermittẽtes in opportunum tempus differemus. Sicut locutus eſt illi. *Geminæ aſſertionis vim oratio hæc obtinet, vſitato in ſacris verborum compẽdio; ſignificat enim Deum hanc rem Moſi, Moſem etiam populo atque Leuitarum tribui declaraſſe.*

Dedit ergo Moyſes poſſeſſionem tribui filiorum Ruben iuxta cognationes ſuas.

VERBVM tradidit, *ſiue* dedit *(idem quippe Hebraicè eſt) quod octauo verſu legimus, alia ratione hic repetitur: namque illo loco ad iudicium, conſilium & voluntatem referebatur in genere, ſignificabatq́; regionem illam omnem duabus tribubus cum dimidia optãtibus & poſcẽtibus Moſis decreto fuiſſe addictã; hoc verò loco partitionem ipſam factam & poſſeſſionem datam indicat. Ideò autem in ſuperiore loco antiqui termini communes deſcripti ſunt; hic verò vrbium,*

quæ cuique traditæ fuerint ſingularum nomina & agri aßignantur: & partitionum ratio per familias habita docetur. iuxta cognationes ſuas, *quantum pro cognationibus & familijs Reubenitarum collocandis ſatis eſſent.*

Fuitq́; terminus eorum ab Aroer, quæ eſt ſita in ripa torrentis Arnon, & in valle eiuſdẽ torrentis media: vniuerſam planiciem quæ ducit Medaba.

H VIVS *vrbis diligentem topographiam obſeruare operæpreciũ fuerit, quæ initio ſui in ripa condita, poſtea excreuit, vt medium etiam amnis alueum occupauerit, operibus ad aquarum defluxum commodè extructis, ita vt altera penè vrbs intra fluminis alueum viſeretur. Nam quod hic Latinè vallem, Græcè* φάραγγα *legimus, ex Hebræi nominis* NAHAL *ſignificatione, Fluuiũ, ſiue fluuij alueum interpretamur, quanquam aliàs* NAHHAL *Vallem, & abruptum inter montes locum ſignificet. Atque Reuben hoc & alijs locis, vt natu maior, Gad, & Manaſſæ dimidiæ tribui in partitione præponitur.*

Et Heſebon, cunctoſque viculos eorum qui ſunt in campeſtribus: Dibon quoque & Bamoth Baal, & oppidum Baalmeon, & Iaſſa, & Cedimoth, & Mephet.

Lib. Canaan & Caleb.

V RBIVM *harum & ceterarum omniũ, quæ citra Iordanẽ in Cananæorum regionibus commemorantur, ſitum, qui planius cognoſcere cupiet, ſacrum Apparatũ legat licet, admotis ijs corographiæ tabellis, quas in ære incidi, atque chartis exprimi curabamus. Eas autem his noſtris in Ioſue commentarijs, ſi quando in lucem venire detur, aſſuendas ducimus, magno vſui huius diſciplinæ ſtudioſis, vt arbitramur, futuras. Quamobrem neq. in hac neq. in altera, quæ à Ioſue curata deſcribetur, partitione de locorum ſitu & habitu ſingillatim diſſerere laborabimus, niſi propria aliqua & opportuna difficultate cogamur. Verùm quod lectori neque ingratum neque inutile fuerit, locorum nomina ex Etymo quantum aſſequi potuerimus interpretabimur; idq́, parabimus alluſione ac ſimilitudine linguarum earum, quæ tum ad vocem, tum ad ſignificationem commodiùs aptari poſſe videbuntur: Namque non ſemper Latinorum verborum appoſitus ad hãc rem nobis ſuccurret ſonus. Atque in hoc argumenti genere animaduerſione dignum eſt, nomina illa, nec perpetuò ſacra, neque theologicis*

cis myſterijs religioſa eſſe, vtpote quæ ab antiquis regionum cultoribus impijs & prophanis plerumque fuerint impoſita; ita vt in his nullum maius petatur arcanum, quàm id quod ex ſimplici expoſitione accipi cognoſciq́; poſſit: neque enim nobis tam exigua vaticiniorum & ſacrorum vocabulorum copia in ſanctis Vatum ſermonibus cõſtat, vt ex iſtorum nominum admirabili aliqua & excogitata expoſitione augenda locupletandaq́; videatur. Igitur Aroer *Latinè nobis Vrbs, et vrbs, Hiſpanicè* villi villa *dici poteſt. Namque aliàs Ghar vocatur prior illa pars, quæ in Arnonis ripa condita fuerat, cui cùm altera etiam vrbs fuerit in ipſo amnis alueo adſtructa, nomen etiam antonomaticωs impoſitum repetitum fuit, Gherugher.* Dibon *Latinè Vrſaona vel Vrſaon; Hiſpanicè* Oſſuna, *vel Oſſera, vrbs hæc à Gaditis ædificata interdum illis nonnunquam Reubenitis adſcribitur, in terminorum aſſignatione, quòd in ipſis vtriuſq. Tribus confinijs fuerit ſita. Porrò ſacros libros legentibus in locorum notatione nomẽ* Baghal *ſiue* Baal *frequentiſsimè obijcitur, cuius ſignificationem ſemel cognouiſſe expedierit. Eſt in illa lingua verbi* Baghal *gemina ſignificatio eadem ſermonis figura, quæ Latinè nobis hactenus non eſt comperta, niſi antiquum verbum Nuo, nuis, in vſum reuocare & actiuum fingere liceat, ex quo verbo Nutus & numen, & Adnuo, Renuo, Innuo Abnuoq́; deducuntur. Fingamus itaque Nuo, nuis, idem ſignificare quod, Auctoritatem habere & poteſtatem exercere; ita vt dicere poſſimus, Iuppiter nuit pluuias, id eſt pluuijs præeſt: Mars nuit bella: Mercurius eloquentiam nuit. His omnibus poteſtatis auctoritatíſque atque efficacitatis rationem adſcribi intelligimus. huiuſmodi ratio verbo* BAGHAL *conuenit, quod actiuè conſtructum, in ſacra lingua & ad ius, poteſtatem atque tutelam mariti erga vxorẽ, domini erga ſeruos, patris familiæ erga famulos, atque præſtantiſsimi alicuius artificis erga artis propriæ ſtudium, demùm cuiuſuis, qui cauſæ & rei principatum obtineat, vſurpatur: ex quo nomen etiam* BAGHAL *fit eiuſdem auctoritatis, poteſtatis atque efficacitatis manifeſta ſignificatione; ita illa lingua Maritus* BAGHAL *aliquando vocatur, ita ſeruorum dominus, ita familiæ pater, ita grammaticus aliquis inſignis* BAGHAL DIKDVK, *id eſt obſeruationis magiſter,* BAGHAL RIB, *contentionis magiſter,* BAGHAL GHARVCH, *diſertus, vel qui diſertè verborum rationes exponit, appellatur. Atq.*

Latinum nomen, quod diuinis & ſacris atque etiam humanis perſonis aptetur, hactenus non eſt nobis repertum, huic ex æquo reſpondẽs: Hiſpanicè dueño, *o,* amo, *fortaſsè conuenire poſſet. Namq. vxor aliquando maritum ſuum, ſeruus & famulus dominum, & familiæ patrem, item liberi, & ingenui viri, familiares tamẽ, principem ſuum, ſæpiſsimè* Nueſtro amo *appellant. Quinetiam ad cõmunem omnium Dominũ Deum ſignificandũ, huiuſmodi oratio vſurpatur:* Hagamos lo que manda nueſtro amo, no enojemos à nueſtro amo. *Dicitur etiam,* eſte hombre no tiene dueño, eſta hazienda dueño tiene. *Itaque* amo & dueño, *vel ambo ſimul, vel alterũ, tam in ſacris quàm in prophanis rationibus nomini Baghal conuenire videtur, cui & apud Germanos, Anglos, & Gallos Magiſtri vocabulum reſpondet,* den meiſter, le maiſtre, *apud Italos* Patrone. *Igitur ex illo amplo nominis huius Baghal vſu, eam partem, quæ ad vanum deorum cultum referebatur, Latino Numinis vocabulo deinceps referemus; ita vt Numen id ſignificet, in cuius poteſtate ac tutela & munere aliquid poſitum deluſa credebat gentium mens, quæ de eiuſmodi rebus ita ſentiebat, itáque diſſerebat:*

Iuuen. Sat. 4.

———Panem quæramus aratro
Qui ſatis eſt menſis. Laudant hæc numina ruris,
Quorum ope & auxilio gratæ poſt munus ariſtæ
Contingant homini veteris faſtidia quercus. *& illa,*

Verg. Geor. 1.

Et vos agreſtum præſentia numina Fauni,
Ferte ſimul Fauníque pedem, Dryadeſque puellæ:
Munera veſtra cano: Teq́ue ô, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti,
Neptune; & cultor nemorum, cui pinguia Cææ
Tercentum niuei tondent dumeta iuuenci:
Ipſe nemus linquens patrium ſaltuſq́ue Lycæi.
Pan ouium cuſtos, tua ſi tibi Mænala curæ,
Adſis ô Tegeæe fauens, oleæq́ue Minerua
Inuentrix, vncíque puer monſtrator aratri;
Et teneram ab radice fouens Syluane cupreſſum:
Dijq́ue Deæq́ue omnes, ſtudium quibus arua tueri,
Quiq́ue nouas alitis nonnullo ſemine fruges:
Quiq́ue ſatis largum terræ demittitis imbrem.

Hos omnes & quoſcunque alijs muneribus & efficacitatibus Græca & Latina antiquitas conſecrauit, Cananæorum lingua Baghal ſingulari

gulari numero; plurali verò Baghalim appellabat. Quòd verò D. Auguſtinus indicat, Ioue̅ Baghal Punico ſermone dici, id antonomaticως eſt exponendum, quòd illud numen illis gentibus primum & præcipuum eſſe crederetur. Namque aliàs & Baghal vocabulum non ſolùm dijs alijs, ſed & principibus viris apud Carthaginienſes tributum celeberrima illa nomina teſtantur, Haſdrubal & Hannibal, quæ ſua lingua Haſdrubaghal & Hannibaghal pronuntiabantur; quarum alterum Latinè ordinum Dominum, alterum verò caſtrorum Dominum ſiue magiſtrum ſignificare videtur. Verùm, vt apud Hiſpanos, maximè veterum more, diuorum ſanctorumq́. nomina prænomine Señor *laudari audiuntur; ſed cùm Deus vel Chriſtus appellatur,* el Señor *præcipua ratione nominatur: Sic etiam apud Gētes Prænomen Baghal omnibus dijs adſcribi, atq. de Ioue ipſo ſummi honoris cauſa abſolutè vſurpatum exiſtimatur: namque hoc ipſa religionis ratio ſeriesq́. poſtulat. Dicimus enim Señor San Iuan, Señor San Pedro, Senor San Pablo: Deum verò ſingularis honoris prærogatiua dicimus* el Senor. *Nomina autem multis locis, vrbibus & oppidis à numinibus, quæ vel illic præcipuè colebantur, vel tutelaria habebantur, indita ſunt. Namque religionis ſiue vanæ, vt illorum fuit, ſiue veræ qualis noſtra eſt, ratio vſusq́. hunc morem ſibi vendicat; ſic enim regiones noſtras peragranti multa per Hiſpaniam, Galliam, Angliam, Germaniam & Lotharingiam, atque Italiam loca adeuntur Sanctorum nominibus ac titulis venerandis celebria, vt Sancta Maria de Nieua, Sant Martin de vald' Igleſias, Santiſteuan del puerto, Sainct Gilles, Sainct Omer, Sainct Nicolas,* Heylighen Cruys, *Santo Gotardo, Santa Maria di Loreto, Sant Pietro del' orti. His rationibus & exemplis multa, quæ deinceps occurrent, nomina exponentur.* Bamoth-Baal. *Latinè Numinis Fana dici poſſunt, ſiue Nume̅ abſolutè Iuppiter illic, ſiue alius eſſe crederetur. Fani autem nomen, templum edito & vndiq. conſpicuo loco poſitum ſignificat, cuiuſmodi templa Interpres noſter ſæpenumerò Excelſa vocat.* Oppidum Baalmaon: *oppidum ab ipſo templo dictum eſt; namque Hebraicè Beth, ædem domumq́. ſignificat.* Baghal maghon. *Nume̅ viſcerale, quòd viſceribus ſanandis præeſſe fortaſſe crederetur.* Iaſſa. *Incerta mihi eſt nominis huius origo ſimplex, quòd nullam, quantum ego ſciam, Hebraicè ſermonis Etymologiam habeat.* Cedimoth, *Latinè antiquarias vel antiquas;*

tiquas; Hiſpanicè Antequeras plurali numero dici poſſunt. & Mephaath. *ſimplex huius nominis pronūtiatio ita habet* Mephaghath, *vel, vt Chaldaicus refert, Mephagat: ſed neque Græcus, neque Latinus ſermo Ghain literæ vſum nouit; ideoq́; pronuntiat* Mephaath. *ſignificat autē Aquas clamoris, ſiue aquas clamātes, Italicè Aqua ſonante, vt etiam in Latio oppidum eſt Aqua pendente dictum. Id nomen vrbi fortaßis à præcipitis fluuij, vel fontis ſonitu factum fuit, cuiuſmodi Nilus ad Catadupas efficere ſonum dicitur. Ex his locis, quæ conſeruata, & quatenus, quæ penitus exciſa fuerint, qui cognoſcere cupiat, Euſebij de Hebraicis locis librum, & Hieronymum, & doctißimi Maſii in Ioſue commentaria legat.*

Et Cariathaim, & Sabama, & Sarath-azar in monte Conuallis.

Cariathaim, *idem quod Latinis, Geminæ vrbes, Italis Docitadi, ſignificat.* Sebama, vel Sibama, *ab vno ſimplici verbo deductum nomen non videtur, ſed compoſitum; ita vt partium conſtructio idem ſignificet, quod Latinis, Aliquid habens, Hiſpanis* Algo en ella. *An ſic dicta ex ea ratione, ex qua Hiſpanicum prouerbium natum,* En cada villa ſu marauilla? *hoc eſt, Nulla vrbs eſt in qua ſingulare aliquid & mirabile non ſit. Certè apud Iſaiam & Ieremiam locus hic à vitibus generoſis commendatur.* Sarath-ſar. *Auroræ effigiem ex etymologia ſignificare videtur, ſiue auroræ balſamum, quod iucundo gratoq́; aſpectu vrbs eſſet, & fortaßis matutinis horis odore fragraret ſuauißimo. Poſitam autem vrbem in monte, cui conuallis ſubiecta erat, deſcribit hiſtoriæ auctor, vt ex ipſa valle vrbem conſpici, & ſummo manè claram pulchramq́; videri ſignificaret.*

Beth-Phogor & Aſedoth Phaſgha, & Beth-ieſimoth.

Beth, *ædem,* Phogor, *aperientem, ſiue hiantem exponere poſſumus; namque verbum* Pagar *fere ſemper cum nomine* peh, *quod os Latinè ſignificat, coniunctum legimus; videtur auiditatem & libidinem aliqua ratione ſignificare huius numinis nomen. Quare nō ab re doctißimus Maſius illud Priapo adſcribit, ad quod alludere videntur illa apud Prophetam opprobria: Ipſi autē intrauerunt ad Baghal-
» Phegor, & abalienati ſunt in confuſionem, & facti ſunt abomina-
» biles ſicut ea, quæ dilexerunt.* Aſedoth Phaſga. Phaſga *mons eſt, in quem Moſes paulò antequam è vita diſcederet, conſcendit; in huius*

clino

cliuo vrbs hæc erat, cuius nomen Hiſpanicè Vertiéres de Phaſga *ſonat.* Bethieſimoth *vaſtationum domũ ſiue ædem vertere poſſumus, Hiſpanicè* Caſa de los paramos.

Et omnes vrbes campeſtres, vniuerſaque regna Seon regis Amorrhæi, qui regnauit in Heſebon, quem percuſſit Moyſes cum principibus Madian: Heuæum & Recen, & Sur, & Hur, & Rebec duces Seon habitatores terræ.

PRÆTER *eas, quæ ſuperius indicatæ proprijſq; nominibus dictæ ſunt, vrbes in montibus, aut collibus, aut aliàs editioribus locis poſitas, aliæ etiã in cãpeſtribus, planis, paſcuiſq; regionib. ex eiuſdem regis ditione Reubenitis adſcriptæ ſunt, omnes vrbes campeſtres. Hæc huius orationis expoſitio eſt, tã montanas quàm cãpeſtres vrbes, quæ montanis adiacebant, Reubenitis adſcriptas fuiſſe, easq; omnes fuiſſe partem regni Seon regis Amorrhæorum. Non enim omnia quæ Seonis fuerant, Reubenitis fuère tradita, ſed quæcunque illis data ſunt loca, Seonis fuerant, in illiusq; regno cenſebantur. Itaque lectio illa,* vniuerſaq; regna Seon regis, *Appoſitionis figuræ ratione ſunt exponenda. Vniuerſa, inquam, quæ in his locis Reubenitis in hæreditatem ceſſerunt, regna erant Seon regis; qui quanquam Heſebon regiam haberet præcipuam, alias etiam vrbes maximas & opulentiſſimas, regniſque nomina dare idoneas, poßidebat, quarum tamẽ neque frequentia neque magnitudo defendere potuit, aut obſtare, quominus ipſarum regem Moſes cæderet & perderet vnà cum ſocijs & auxiliaribus copijs quinque Madianitarum principum, quorum nomina, vt illuſtria atque celebria hoc in loco appellantur. Namque vt in Numerorum libro legimus, Madianitæ vicinis regibus aduerſus Iſraelitas, quos communes hoſtes ducebant, auxilium & ſubſidium libenter ferebant. Hi igitur vocati Seoni voluntaria auxilia attulère, illiuſq; copiarum deducendarum partes vt ſtrenui viri duceſq; ſuſcepère. Quod verò additur,* habitatores terræ: *ex Hebrææ lectionis ratione dupliciter exponi poteſt: vel quòd ipſi, quanquam Madianitæ eſſent, tamen Amorrhæorum incolarum terræ duces conſtituti fuerint, atque ad id munus à Seon vocati & aſciti; vel quòd Madianitarum quidam certas vrbes incolant, alij verò incertas in regione illa ſedes habeant, & pecuariæ ſtudio rei paſcua Nomadum more mutent. Hi verò quinque principes, qui Seoni auxilium tulère,*

re, ex ijs fuerint, qui vrbes regnáque certa et ſtabiles habebant ſedes, quæ res maius erga Seonem ſtudium, & maiorem ipſorum cùm animi deliberationem, tum etiam fortitudinem indicat, vtpote qui proprias ſedes vnà cum vita in belli diſcrimen periculumq́; coniecerint. Hãc verò animorum obſtinationem et fortitudinem à Moſe fractam & labefactatam, imò & peſſundatam, ſacra hiſtoria docet; ſimulq́; arguit ſtultitiam, ſiue inſaniam veriùs eorum, qui diuinis conſilijs, vel ſapientia, vel vi, vel dolo, vel arte obſiſtere conantur, quorum conatus irriti omninò, & Dei propoſitum conſtans & efficax demùm oſtenditur. Nam neq. hos illa magna exiſtimata fortitudo roberiſq́; magnitudo & pertinacia Moſis manibus eripere potuit: neque etiam ars, fallacia, verſutia, & illa pluſquam humana credita ſapientia, quam Magiam vocant, Balaamum etiam ab vltione excipere, aut ſubducere.

Et Balaam filium Beor ariolũ occiderunt filij Iſrael gladio cum ceteris interfectis.

CVM *in narratione hac Beth-Phegor mentio facta fuerit, quo in loco Balaam deprehenſus ab Iſraelitis occiſus fuit, commodè illius etiam commemorantur caſus vnà cum exitio quinque illorum Madianitarum principum ad exemplum perpetuum ac ſæpe recolendum iudicij Dei erga eos, qui ipſius conſilio vel vim, vel prudentiam humanã opponere ſtudent: Hic quamquã ſapientiæ opinione præſtaret, atque adeo artibus celebraretur humana facultate maioribus, & alijs non tantùm conſilio atque prouidentia, ſed etiam magica vi prodeſſe, aut nocere poſſe putaretur; tamen vulgarem & promiſcuam ceterorum interfectorum ignobilem quidem, imò probroſam conditionem vitare non potuit: Atque hæc ſignificatio eſt illius epitheti* Ariolum. *Videtur incantator & magnus ille, quamquam à Balaac diſceſſerat, tamen turpis lucri & ambitionis ſtudio apud Madianitas tamdiu hæſiſſe, quoad cum ceteris qui victi fuſiq́; fuerant, inuentus diuino iudicio fuerit interfectus. Sunt qui hunc ipſius oratione inducti Chaldæum faciant, quem ſtudio quidem & artis iactatione Chaldæum, genere verò Madianitam fuiſſe verò ſimilius ſit. Oportet autem iſtorum impoſtorum orationibus minimam fidem haberi, qui exiguam veritatem maximaq́; ſimul mendacia, dicendi genere grandi & eloquenti*

quenti

quiſitis ambagibus inuoluunt, vt hic, qui ſuos montes Orientales ſiue antiquos laudabat, & fluuium etiam ſuum celebrabat, Amalecitarumq́, nationem, quæ non ita antiqua erat, Gentium principium appellabat mendoſe, profectò, ſi eam omnium Gentium primam aſſerere voluerit: ſed de his proprio diſſeremus loco, Deo votis annuente noſtris.

Factuſq́. eſt terminus filiorum Ruben Iordanis fluuius. Hæc eſt poſſeſſio Rubenitarum per cognationes ſuas vrbium & viculorum.

TERMINVS *Occidentalis Reubenitis Iordanis fluuius fuit cum vrbibus ijs, quarum agri ad Iordanis ripam pertinebant; ita vt altera ripa, quæ ortum reſpicit, illis agrorum finem conſtitueret: hoc ita explicare placuit, in eorum gratiam qui Hebraica legent, in quibus ita ſcriptum eſt* Iordanis & terminus &c. *Orientalis Iordanis ripa ac terminus Reubenitarum agro finem conſtituit, ita vt intra aut vltra Iordanem nihil illis eſſet adſcriptum. Quæ viculorum nomine verſio noſtra ſignificat, oppida minora quæ vrbibus adiacent interpretamur, quas Hiſpani* Aldeas, *Galli* Villages, *Belgæ* dorpen *vocant. horum frequentia ſoli vbertatem regioniſq́, amœnitatem probat.*

Deditq́; Moſes tribui Gad, & filijs eius per cognationes ſuas poſſeſſionem, cuius hæc diuiſio eſt: Terminus Iaſer, & omnes ciuitates Galaad, & dimidiam partem terræ filiorum Ammon, vſque ad Aroer, quæ eſt contra Rabba.

GADITARVM *agros à Reubenitis longus ab Auſtro tractus diuidebat, qui in Iaſer incipiens ad Aroer vſque procurrebat; deinde dimidiam etiam Ammonitarum regionem ab Auſtro relictam terminabat, ita hoc loco huius dimidiæ partis filiorum Ammon mentionem factam accipimus: non quòd ex illius gentis vrbibus aut agris quicquam fuerit à Gaditis occupatum; id enim lege prohibitum fuerat, atque diligenter à Moſe obſeruatum oportuit. Itaque Gaditæ à meridie finitimos habuere Reubenitas, à Iaghazer vſque ad Ammonitarum confinia; deinde verò Ammonitas ad Aroer vſque quàm contra Rabba filiorum Ammon Geographi conſtituunt. Eſt autem* Rabba *eadem, quæ Ammana, Aſtarte, atque demùm Philadelphia ab antiquis ſcriptoribus dicta eſt. Nominum verò interpretationes ſunt:* Iazer *ſiue* Iaghazer, *auxiliatrix, hiſpanicè* ſoccorredora. Rab-

Euſeb. de loc. Heb. Steph. de vrbibus. Ptolemæus. Hieronymus.

Dd 2. ba verò

ba verò grandem frequentemq́ſ ſignificat, cui vrbis nomen ex ratione ſententiæ eſt adiungendum; fuit enim illa maxima Ammonitarũ & refertiſſima vrbs. Atque hactenus à Iordane ad ortum Auſtralis Gaditarum terminus eſt deſcriptus; nunc deinceps Orientalis & Septentrionalis deſcribitur.

Et ab Heſebon vſq. Ramoth, Maſphe, & Betonim; & à Manaim vſque ad terminos Dabir.

ORIENTALIS *terminus filiorum Ammon confinijs deſcribitur, non ab Aroer, ſed longiùs etiam Boream verſus, ab Heſebon videlicet, ad quam Rabbæ ager pertinuiſſe videtur. Poſt Heſebon montes erant Ramoth Maſphæ dicti, quos Latinè Speculæ culmina vocare poſſimus: Hiſpanicè verò* las cumbres de la atalaya. *Itaque Maſphe cum Ramoth, ſiue Ramath in conſtructione coniungimus, quod & ſententia et Hebraicæ Chaldaicæq́ lectionis ratio indicat, atq. etiam Græca: nam κατὰ τὴν μασφὰ iuxta vel ſecundum Maſpha, potiùs, quàm contra, verti hoc loco oportuerit. Deinde* Betanim *erat vlterius Mahhānaim.* Heſſebõ, *Latinè Aeſtimabilis ſiue venerabilis, Hiſpanicè, Venerabile, dici poteſt.* Betanim *nomẽ habet ab arboris fructu illis locis celebri atque frequente, quem quidem Pinearum, alij Piſtaceorum eſſe volunt. Erit itaque Hiſpanicum nomen* Pinones, *vel* Alfociges, *quo nomine Piſtacea ab Hiſpanis appellantur.* Mahhanaim *nomẽ à Iacob loco inditum propter viſarum duarum turmarum monumentum, Gemina caſtra Latinè, Hiſpanicè* doble real, *vel* campo doble *dicetur. Denique poſtremus huius termini finis ab arcto occaſum verſus Debir fuit, vrbs non longè à Iordane ſita.* Debir *nomen eſt ad architecturam ædificiaq́ pertinens, partemq́ ædium internam & reductam ſignificat, quam Hiſpani vel à forma* Quadram, *vel ab ſecretiore vſu,* Cameram, *ſiue* Retrete *vocant. Porro finibus ipſis iam indicatis, celebriores nonnullæ vrbes mediterraneæ, vt ita à nobis appellentur, intra planitiem ipſam ſitæ recenſentur.*

Gen. 32.

In valle quoque Betharam, & Beth-nemra, & Socoth, & Saphon, reliquam partem regni Seon regis Heſebon: huius quoque finis, Iordanis eſt vſque ad extremam partem Maris Cenéreth trans Iordanem ad Orientalem plagam.

VRBES *has præcipuas ab auſtralibus Gaditarũ terminis ſecundum*

dum ortum ad Boream & occaſum, eadem qua legimus ſerie iacẽtes, intelligimus. Prima itaque ab auſtro Betharam, *Domus excelſi ſiue excelſa domus, Italicè Alta caſa: ſecunda verò* Beth-nimra, *Latinè Domus pardalis feminæ ſimpliciter dicitur. Tertia* Succoth, *Latinè Tuguria ſiue Caſæ, Hiſpanicè* Cabanas. Saphon, *Circius Latinè, Italicè Tramontana; à ſitu fortaſſe, vt extrema ſecundùm Boream vrbs appellata. His præcipuis vrbibus commemoratis, quod ſupereſt illius regionis, illa oratione indicatur*, reliquam partem regni Seon &c. *Quicquid, inquit, ex Seon regno poſt Reubenitas collocatos relictum fuit, Gaditis in poſſeſſionem ceſſit, ad Iordanis vſque ripam, eam quæ ortum ſpectat, qua fluuius ille lacum illum excedit, cui à forma & ab vrbe proxima* Cenéreth, *hoc eſt Citharæ nomen factum eſt, aliàs poſterioribus ſæculis Geneſareth appellatur.*

Hæc eſt poſſeſſio filiorum Gad per familias ſuas, ciuitates, & villæ earum.

S ATIS, *inquit, ſupérque hoc vrbium & agrorum viſum eſt, pro ratione familiarum Gad: quod hoc loco Interpres noſter Villas vertit, paulò antè Viculos verterat; id verò quid ſit, iam expoſuimus.*

Dedit & dimidiæ tribui Manaſſe, filijsq; eius iuxta cognationes ſuas poſſeſſionem, cuius hoc principium eſt:

A Manaim vniuerſam Baſan, & cuncta regna Og regis Baſan, omneſq; vicos Iair, qui ſunt in Baſan: ſexaginta oppida, & dimidiam partem Galaad, & Aſtharoth, & Edrai vrbes regni Og in Baſan: filijs Machir, filij Manaſſe dimidiæ parti filiorum Machir iuxta cognationes ſuas.

H VIVS *dimidiæ tribus termini ab Auſtro Septentrionem verſus recenſentur: poſtremam namque Gaditarum vrbem ab arcto Mahhanaim accepimus, à quo loco Baſanitis regio incipiebat, atque Hermonis montis certis partibus à Borea claudebatur. S.S.E. Filij quoque dimidiæ tribus Manaſſe poſſederũt terram à finibus Baſſan, vſq. Baghal & Hermon, & Sanir & montem Hermon, ingens quippe numerus erat &c. Atque Manaſſes, vt ex Paralipom. Catalogo accepimus, duos habuit filios; alterũ Eſreielem ex legitimo coniugio, cuius nulla vnquam recenſetur poſteritas; ideò fortaſſis quòd nulla fuerit* 1. Paral. 5. 1. Paral. 7.

Dd 3 *ſuper-*

ſuperſtes; alterum verò ex Syra concubina Machiram virũ illuſtrem, cuius non omni, ſed dimidiæ familiarum parti Galaaditidarũ regio hæc à Moſe ex diuino conſilio donata eſt; quamobrem Machir ille Galaad pater alicubi appellatur, cuius ſeptem familiæ in illis regionibus
1.Paral. 5. *collocatæ recenſentur. Et hi fuerunt principes domus cognationis eorum, Epher & Ieſi, & Eliel & Ezriel, & Ieremia & Odoia, & Iediel viri fortiſſimi & potentes nominati in familijs ſuis. Atque hæc huius tribus ratio commodiſſima videtur ad omnem interpretum dubitationem tollendam, qui in duobus Manaſſes filijs componendis laborare videntur. Porrò Iair, ſi genus à patre definiendum perpetuò eſſet, ex Iudæ tribu oriundus erat, ſed auia prognatus Machiris filia, à patribus & auo in ſui nominis ius & vſum propter egregiam virtutem adoptatus videtur. ille enim ſexaginta illa oppida, in quibus & vrbes magnæ erant, ſibi aſſignata, bello cepit, & proprio nomine* HHAVOTH IAIR *appellauit. Neque verò in terra, non antea tribubus promiſſa omnibus, ſed recẽti ac ſingulari Dei beneficio quibuſdam donata præter rem fuerat, parte aliqua fortiſſimum virum atque ad aliam tribum materno referẽdum iure augere et honeſtare.*
1.Paral. 2. *Huius autem explicationis noſtræ ratio ex illo petenda loco eſt. Poſt*
» *hæc ingreſſus eſt Heſron ad filiam Machir, patris Galaad, & acce-*
» *pit eam cùm eſſet annorum ſexaginta, quæ peperit ei Segub. Sed &*
» *Segub genuit Iair, et poſſedit viginti tres ciuitates in terra Galaad:*
» *Cepitq; Geſſur & Aram oppida, Iair & Canaã, & viculos eius ſexa-*
» *ginta ciuitatum. Omnes iſti filij Machir patris Galaad. Atque Hhauot Iair, pro quo Interpres noſter nunc Vicos, aliàs viculos reddit, Græci verò τὰς κώμας interpretantur, Chaldæus Chapharnai exponit; nos ex verbi ſignificatione Viuaria dicere poſſumus, Hiſpanicè* las caphras, o, los viuares de Iair. *Ratio autem quamobrem non poſcentes Manaſſes filios Moſes in huius beneficij partem vltro vocarit, cùm diligenter à doctiſſimo Maſio repoſcatur, illa nobis reddi poteſt, quòd ex benigniſſimo illo Iacob patris erga Manaſſem legato intellexerit Moſes, huius Tribus rationem, (vbi ſeſe liberalitatis exercẽdæ occaſio obtuliſſet) habendam eſſe, eamq; ſententiã ipſius Iacobi prædictione atque expoſitione ſibi confirmaſſe, cuius verba illa fuerant:*
» *Et iſte quidem erit in populos, & multiplicabitur: atque adeo hanc prærogatiuam certam, propriam, ratamq; Dei beneficio euaſiſſe ſita*

vltima-

vt maxima capitum frequentia, quæ ex Manaſſe prognata erat, admonitus & inductus Moſes dimidiam illorũ partem hoc loco cõſtituere decreuerit, atque ita ceteris vltra Iordanem locandis commoditatem maiorem parauerit. Hanc verò à nobis cogitatam rationem ſacra illa ſuggerebat lectio in Paralipomenon, ingens quippe numerus erat. Oportuit igitur huius adeò aucti & propagati numeri rationem à diuinorum conſiliorum ac beneficiorum adminiſtro haberi.

Hanc poſſeſſionem diuiſit Moyſes in campeſtribus Moab trans Iordanem contra Hiericho ad orientalem plagam.

T A M *tribus & familiæ, quàm ſolum ipſum & ſitum, quo familiæ illæ collocatæ fuerunt, verſu hoc adnotantur Hebraicè, atq. etiam Latinè, adiuncta etiam auctoritate Moſis, cuius conſilio ac iudicio, vt diuinæ voluntatis miniſtri, acta hæc tranſactaq. fuerunt, neque vllo humano ſtudio reſcindi poterant, niſi forſan eorum ipſorum culpa, quibus hoc beneficium cõferebatur. Quod ergò dicitur,* hanc poſſeſſionem diuiſit, *& terræ partitionem certis terminis definitam, & eos, quibus diſtributa hæreditas eſt, ſpectat. Quod vero additur,* in campeſtribus Moab, *eò pertinet vt intelligamus, totam illam regionem ex maiori parte campeſtrem fuiſſe appellatam, tum à vicinis, tum à finitimis Cananæis, quamquam nonnullis montibus & collibus contiguam & ambitam; retinuiſſeq. apud illos nomen Moabitarum populi, qui primus illa loca cultoribus vacua occupauerat & incoluerat; ſed poſtea ab Amorrhæis pulſus vltra Arnonem ſeſe continuerit. Ne verò Moabitarum quicquam à Moſe obſeſſum occupatúmue videri poſſit, ſed ea tantùm expugnata, quæ ab Amorrhæis obtinebantur, adiunctum eſt,* trans Iordanem contra Iericho ad Orientalem plagam, *nequid citra Iordanem tribus hæ ſibi appeterent, néue aliæ tribus, vltra Iordanem quicquam ad ſe pertinere vnquam exiſtimarent; atque adeò ne vel hæ, vel illæ vltra planitiem hãc loca aliqua ex ijs, quæ tunc vel Moabitæ, vel Ammonitæ poſſidebant, ſibi tentanda ducerent, & ea tantùm colere tueriq. licere intelligerent, ex quibus trans Iordanem Iericho in edito ſita loco vrbs conſpici poterat, & quæ ex ipſo Ierichuntis loco ad Orientalem plagam iacere proſpectabantur. Atque hæc per Moſen duabus illis tribubus atque dimidiæ conſulentem curata, acta, conſtitutáque fuerant, quæ nunc*

per Ioſuan populo omni ſuffragante tranſacta, rata firmáque habita fuêre.

Tribui autem Leui non dedit poſſeſſionem, quoniam Dominus Deus Iſrael ipſe eſt poſſeſſio eius, vt locutus eſt illi.

NON *repetit verſus hic quod decimoquarto dictum erat eadem ratione; namque illa ſententia iudicio Moſis de tribubus vltra Iardanem collocandis duabus cum dimidia adiuncta eſt. Quippe citra Iordanem nullam propriam hæreditatem Leuitis adſcribendam eſſe, lege diuina ſancitum declaratumq; fuerat. An verò in ijs regionibus, quæ non ex promiſſo, ſed ex aucto beneficio tribubus illis conferebantur, ad quarum partem & Machir aſcitus fuit, qui non tam Manaſſenſis quàm Iudæus erat, Leuitis etiam aliquid adſcribi poſſet, hoc verſu illo decimoquarto exceptum eſt. Cùm (inquit) Moſes regionem illam omnem vnico iudicio duabus tribubus atque dimidiæ adſcriberet, nullam de Leuitis mentionem fecit, quorum nullam aliam præter Dei ſacra, illis attributa, hæreditatem habere, aut expetere intererat. Neque poſteà etiam, cùm quæ in ſumma adiudicata illis tribubus fuerant, ſingillatim ſunt ab eodem diuiſa, inter partiendum, Leuitis eſt quicquam adſcriptum; quippe quibus, quòd hæreditatem colẽdam, adornandam & promouendam ſpectaret, optima præclariſſimaq; obtigerat ſors, nempe Dominus miſericors & efficax, Deus Princeps & gubernator Iſrael, cuius nominis miſericordiæ atque gubernationis doctrina perpetuo ſtudio illis erat exercenda ad Iſraelitarum vtilitatem, ex qua exercitatione & cultura ipſis etiam, vt Iſraelis filijs, paterniq; exempli imitatoribus diuinæ benignitatis atque prouidentiæ copia omnis expectanda erat, non ſecus atque patri ipſorum Iſraeli, qui quòd ſe vitæq; ſuæ ſtudia omnia Deo dicauerit, perpetuam erga ſe numinis prouidentiam, tutelam & beneficẽtiam expertus eſt, vt ipſe etiam moribundus fatebatur, gratulabaturq;: Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea vſque in præſentem diem: Angelus qui eruit me de cũctis malis, benedicat pueris iſtis, &c.* vt locutus eſt illi. *Deus ipſe, qui verba ſua cumulatiſſimè præſtat illis, hanc legem his conditionibus pronuntiarat: quam ſanctã ratamq; eſſe & curari oportuit. Verbum* locutus eſt *Hebraicè in ſecunda cõiugatione pronuntiatur, quæ ſententiæ pondus & rationem maximè auget & firmat.*

CAPVT

HOc eſt quod poſſederunt filij Iſrael in terra-Chanaan, quam dederunt eis Eleazar ſacerdos, & Ioſue filius Nun, & principes familiarum per tribus Iſrael: ſorte omnia diuidentes, ſicut præceperat Dominus in manu Moyſi, nouem tribubus, & dimidiæ tribui Manaſſe. Duabus enim tribubus, & dimidiæ dederat Moyſes trans Iordanẽ poſſeſſionem: abſque Leuitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres ſuos. Sed in eorum ſucceſſerunt locum filij Ioſeph in duas diuiſi tribus, Manaſſe & Ephraim: nec acceperunt Leuitæ aliam in terra partem, niſi vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda iumenta, & pecora ſua.

Hoc eſt quod poſſederũt filij Iſrael in terra Chanaã, *&c. Promiſſorum Dei veritatem & conſtantiam, quam totis pænè chartis diuina ſcripta commendant, hæc ſacræ lectionis pars quoque aſſerit, oſtenditq́; planè omnes diuinorum dictorum & ſacrorũ oraculorum rationes, quocunque modo examines, conuenire, ſibiq́; vndiquaq́; conſentire. Hebraicè lectio hæc à coniunctione incipit, vt etiam Græci & Chaldæi interpretes docent.* Et hæc quæ hæreditarunt filij Iſrael, *&c. Atque coniunctio illa* Et, *ſimilem hoc in loco atq. in illo rationem obſeruandam indicat: quippe vt illis, qui vltra Iordanem habitare optauerant, Moſes regionem partitus incolendam tradidit; ſic etiam ijs, qui promiſſam patribus terram adierunt, & expugnauerunt, Ioſue partes nouem cum dimidia diuiſit, atque tribuit; verùm illas regiones, vt non anteà promiſſas, ſed nouo beneficio donatas, non opus fuit ſorte diuidere, ſed Moſis miniſtri Dei arbitrio aſſignari, & adſcribi: Has verò, quas ex promiſſi iure omnes tribus reliquæ adire & poſtulare poterãt, ſorte diſtributas oportuit, vt humanarum omnis rixarum, contentionum, atque ſimultatis caueretur locus, aditusq́; præcluderetur: deinde etiam vt fidei, modeſtiæ atque probitatis ſingularum tribuum periculum fieret, dum vnaquæq́; ſuæ ſortis naturam atque fines Dei auctoritate conſtare exiſtimans ita coleret, vt Dei beneficium ſibi ad vitæ commoda atque vſus ſatis abundè futurum, & id genus exercitationis, quod regionis ingenium opportunitasq́; poſtularet, ſibi congruere conuenireq́; crederet; neque aliarũ tri-*

buum artibus & commodis, vel inuideret, vel detraheret; ſed pro vitæ ratione communicatis rerum vſibus, alij alios mutuò vt fratres iuuarent & fouerẽt. Præterea etiã; vt ea quæ Iacobi teſtamẽto ſingulis tribub. legata relictaq; fuerant, hac diuina ſortitione ſancta, rata, ſacroq; ſpiritu prædicta agnoſcerentur et obſeruarẽtur. His illud quoq. accidit oſtenſam eſſe rationẽ interpretãdi explicandiq; vaticinia, dũ quæ à Iacobo atque etiam à Moſe, iam extremos vitæ dies agentibus breuiter & figuratè prædicta ſunt, ipſo ſacrarum ſortium exemplo, atque rerum exitu quid ſignificarent, exponatur. Atque huius partitionis ſortibus ductis faciendæ miniſtros ex lege anteà declaratos fuiſſe Ioſuan populi ducem & Eleazarum; alterum prophetam ciuiliumq; rerum curatorem, alterum verò ſacerdotem ſummum, eccleſiaſtici iuris interpretem & pontificem, vnà cum duodecim viris, qui tribuum omnium perſonas ſuſtinerent, diuinæ voluntatis teſtes locupletiſſimi atque aſſertores grauiſſimi; quorum omnium ſententiam populo probari conſtareq; oporteret, improbari ac reſcindi nefas eſſet; ideoq; in huius rei expoſitione adiunctum eſt: Sicut præceperat Dominus in manu Moyſi. *qua oratione Moſi ſacrarum legum ſcriptori diuina auctoritas tribuitur, quippe qui in legibus ſcribendis manus officio vſus quidem eſt, ſententiarum autem pondus, atque adeo verba ipſa Deo ſuggerente accepit. Quod verò additur,* nouem tribubus & dimidiæ tribui Manaſſe: *eò pertinet, vt ratio omnis tũ perſonarum, tum rerum omnino ſibi conſtare intelligatur. Vt enim vltra Iordanem terram duabus tribubus atque dimidiæ Moſes Domini famulus diuiſerat: ſic citra Iordanem reliquis nouem tribubus ac dimidiæ Ioſue, Eleazar & xij. viri terram omnem ſorte diſtribuerunt, ídque ex Dei iuſſu Moſis opera præſcripto. Deinde etiam partitionum vtrinſque miniſtri formæ ſibi mutuo reſpondent. Namque Moſes, vt iam expoſitum eſt, ex vna Manaſſis Tribu duas partes vltro conſtituit, & alteri poſſeſſionem vltra Iordanem aſſignauit, nihílque Leuitis adſcripſit: Sic etiam Ioſue ex vna Ioſephi domo duas tribus definiuit, Iacobi benedictionem ſapienter agnoſcens, & ex Dei voluntate interpretatus, & tamen Leuitis præter habitationem in alienis ſortibus nihil omnino adiudicauit: atque ita effectum eſt, vt quod ad hæreditatis rationem attinet, duodecim Tribus ex vndecim cõſtent, cedente portioni ſuæ Leuitica tribu, quæ tamen, quod ad filiorũ Iſrael nume-*

*numerum facit, ſuum perpetuò obtineat locum. Neque verò in Leui-
tarum ius duæ illæ Ioſephi familiæ ſucceßiſſe commemorantur, ſed
in numerum ad terræ partitionem complendam; namque aliàs, quæ
Leuitis aßignari potuiſſet vncia, ad aſſem integrum, atque adeo ad
omnium tribuum vtilitatem relata eſt. Atque hanc vnam eſſe ex
rationibus docebamus, quamobrem Leuitis alimenta ex cõmuni atq.
publico aliarum tribuum ſumptu deberentur. Fuit verò egregij ac
ſingularis beneficij, imò & præmij loco Ioſepho diuinitus conceſſum,
vt alterius vnciæ auctario cumularetur, vtpotè qui aduerſis rebus,
periculis & laboribus, ijſdemq́; fratrum reliquorum opera atq. fraude
procuratis exercitatißimus & probatißimus, non ſolùm cùm vlciſci
ſuam vicem poſſet, non eſt vltus, ſed non bene de ſe merentum vitæ,
ſaluti, commodiſq́; omnibus diligenter, ſtudioſè atque efficienter
conſuluit, & illatam ſibi ab illis iniuriam non ex crimine & culpa,
ſed ex Dei prouidentia interpretatus in bonam partẽ accepit. S.S.E.
Ego ſum Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Aegyptum. No-* Gen.45.
lite pauere, neque vobis durum eſſe videatur, quòd vendidiſtis me “
in his regionibus. Pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos. “
Biennium eſt enim quòd cœpit fames eſſe in terra, & adhuc quinque “
anni reſtant, quibus nec arari poterit, nec meti. Præmiſitq́; me Deus “
vt reſeruemini ſuper terram, & eſcas ad viuendum habere poßitis. “
Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum. Atque hanc “
*ſuam patientiam laborumq́; tolerantiam Deo gratam, non ſolùm
honoribus ſummis apud Aegyptios, verùm etiam futuræ apud ſuos
auctioris amplitudinis præmio repenſam, ipſe idem vno atque altero
liberis ſuſceptis credidit, gratulatuſq́; fuit. S. S. E. Natiq́; ſunt Io-* Gen.46.
ſeph filij duo antequàm veniret fames, quos peperit ei Aſeneth filia “
Phuthipharis ſacerdotis Heliopoleos, vocauitq́; nomen primogeniti “
Manaſſes dicens; Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum, “
& domus patris mei. Nomen quoque ſecundi appellauit Ephraim, di- “
*cẽs, Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. Manifeſtè oſten-
dit hoc dicto, ſe diuino beneficio accepiſſe nõ ſolùm vt ſucceſſorem et
nominis ſui monumentum primo filio procreato habeat, ſed etiam vt
idem ipſe altero filio auctus amplificetur, & creſcat vltra ceteros fra-
tres. Atque hanc eandem ob rem Iacob in illis arcanis teſtamenti ſui
prædictionibus dicebat, Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, &* “

 deco-

Gen. 49. *decoro aſpectu; filiæ diſcurrerunt ſuper murum. Sed exaſperauerunt*
» *eum, & iurgati ſunt, inuideruntq́; illi habentes iacula. Sedit in forti*
» *arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum illius*
» *per manus potentis Iacob; inde paſtor egreſſus eſt, lapis Iſrael. Deus*
» *patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi, benedictio-*
» *nibus cæli deſuper, benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedi-*
» *ctionibus vberum & vuluæ. Benedictiones patris tui cõfortatæ ſunt*
» *benedictionibus patrum eius; donec veniat deſiderium collium æter-*
» *norum: fiant in capite Ioſeph, & in vertice* NAZARAEI, *inter*
» *fratres ſuos. His etiam accedit auguſta illa & fauſta Ioſeph nominis appellatio, quæ virum hunc cumulatis bonis perpetuò augẽdum ſignificabat. Animaduertendum verò eſt, totius futuræ de hæreditatibus cernendis narrationis hanc eſſe propoſitionem ſummam, ex ratione à ſacris hiſtoriarum ſcriptoribus frequenter obſeruata, quam nos in ſacris Logicis apertiùs oſtendemus. Ideò etiam hoc loco de Leuitarum habitatione breuis fit mentio, omniaq́; demùm ex Dei præſcripto curata aſſeruntur; Leuitis inter ceteras tribus vrbes ad habitandum opportunas fuiſſe aſſignatas, non ſtatim ipſiſq́; partitionis initijs, ſed poſt diuiſam terram ſedeſq́; ſingulis tribubus conſtitutas. Id verò quemadmodum proſpectum fuerit, inferiùs exponetur, atque magno iudicio maturoq́; conſilio delectum fuiſſe factum earum vrbium, quas Leuitis aſſignari lex iuſſerat, verba ipſa orationis, qua hæc indicantur, oſtendunt; videlicet habitare Leuitas, alere iumenta et pecora. Namq. cùm vrbes atq. oppida ad habitationis vſum comparentur, vnũ ex primis præcipuiſq́; probandæ habitationis partib. commoditas & opportunitas eſt, cuius obſeruãdæ multa apud architectos præcepta traduntur. Eſt autem illa in primis commoditatis obſeruatio, proſpicere quemadmodum ſingulæ hominum familiæ ad artis, vel ſtudij vitæq́; quam profitentur, exercitationem commodè apteq́; degant: ita fit, vt piſcatoribus & nauigatoribus maritima & portuoſa loca, paſtoribus paſcua, agrorum cultoribus fertilia & cultu facilia, venatoribus montoſa & nemoroſa; ijs qui hortorum cura delectãtur irrigua; negotiatoribus, ea quæ multis ex partibus frequẽtari poſſint; literarum atque ſapientiæ amatoribus turba aliorumq́; negotiorum ſtrepitu ſemota deligantur; atque non ſolùm in publicis frequentibus vrbibus, ſed in priuatis ſingulorum domibus huiuſmodi ratio à pruden-*

dentibus artificibus, quàm fieri poteſt, diligentiſsimè obſeruatur. Ex qua etiam re factum eſt, vt ſapientiſsimus ille Ioſeph patri patriſq. familiis in Aegypto regionem Goſſen optauerit, vtpotè gregum armentorumq. curatoribus totius regni aptiſsimam, atque vitæ innocentiam, pietatiſq. domeſticæ diſciplinam conſeruaturis apprimè opportunam, nempe ſeiunctam ab frequenti Aegyptiorum conſuetudine, qui lanatis animalibus abſtinentes, paſcendorum gregum artem ſordidam & ferè impiam cenſebāt: ſicut ſcriptum eſt; Cùm vocauerit vos Pharao, & dixerit, Quod eſt opus veſtrū? reſpondebitis, Viri paſtores ſumus ſerui tui, ab infantia noſtra vſque in præſens, & nos & patres noſtri. Hæc autem dicetis, vt habitare poſsitis in terra-Geſſen, quia deteſtantur Aegyptij omnes paſtores ouiū. Huiuſmodi quoque prudentiam ſecuti Reubenitæ & Gaditæ, Galaaditidē regionem paſcuis nobiliſsimam à Moſe ſibi impetrauère. Atque huc illud ſpectat, quod apud Poëtas legitur: Gen.46.

Haud malè Telemachus proles patientis Vlyſſei, Hor.ep.7.
Non eſt aptus equis Ithacæ locus; vt neque planis
Porrectus ſpacijs, nec multæ prodigus herbæ:
Atride magis apta tibi tua dona relinquam.

Igitur ex eiuſmodi rationis conſideratione exponēda nobis illa verba ſunt, vrbs ad habitandum. *hoc enim ſignificatur Leuitis ex lege proſpectum fuiſſe, vt aſsignarentur loca non ruſtica, & incompta; non vici, non oppida aliquot, quæ & hoſtium, latronum atque etiam ferarum furentium incurſioni peruia eſſe, & multis vitæ commoditatibus atque ornamentis carere ſolent; ſed vrbes muro cinctæ atque ædificijs cùm priuatis tum publicis inſtructæ, vt cōmoda nulla, quæ ex vrbibus percipiuntur, ijs deeſſent, qui ciuilitatis, vrbanitatis, omniſq. ciuilis exempli doctores ceteris fratribus omnibus erant conſtituti. Sunt autem illæ præcipuæ commoditatum vrbanarum conſuetudines eleganter à Poeta deſcriptæ:*

——— Mutuus vt nos
Affectus petere auxilium ac præſtare iuberet,
Diſperſos trahere in populum, ac migrare vetuſto
De nemore, & proauis habitatas linquere ſyluas,
Ædificare domos, laribus coniungere noſtris
Tectum aliud, tutos vicino limine ſomnos
Vt collata daret fiducia, protegere armis
Lapſum, aut ingenti nutantem vulnere ciuem,

Communi dare ſigna tuba, defendier iiſdem
Turribus, atque vna portarum claue teneri.

Vrbes itaque illis aßignandæ fuerant, neque eæ tamen qualeſcunque aut quantulæcunque, ſed quæ ad viuendi vſum ſatis aptæ eſſent. Ideò dicitur ad habitandum, *habita cùm primùm habitatorum, muneris, officij atque dignitatis ratione; qui quòd diuinæ legis & pietatis atque religionis ſtudio atque cultui vacaturi eſſent, quòd ceterarum tribuum magiſtri atque doctores tum ſermonis conſuetudine, tum vitæ morumq́; exemplo futuri, tum etiam eos qui ex alijs vrbibus ob factum errare homicidium fugientes aliquando fratres præſidio tecturi, & vrbium ipſarum ſitum certum, idoneum recteq́; obſeruatum, & ædificia ijs, quæ commemorauimus, agendis non incommoda, & cæli ſoliq́; natura atque ingenio opportunè comparata, poſtulabant. Ideò Hebraicum verbum, pro quo nos reddimus* ad habitãdum, *ſimpliciter ſignificat Ad ſedendum. Nam qui vitam ſimplicem atque ab omni alia arte præterquàm à diſciplina doctrinaq́; alienã agunt, ſalubrius ſibi vendicare poſſunt tum ſolum, tum cælum, & domos, quas incolant, tum ad membrorum atque corporis valetudini conuenientem exercitationem comparatas, tum ad perpetuæ agendi formæ faſtidium vitandum, & curandum varijs rebus inſtructas, quibus carere poſſunt ij, qui nunc domi, nunc ruri degunt, & qui ſæpius peregrinantur. Sedendi verbum Leuitis proprijſſimè aptatur, quibus & vrbium vſus ad habitandum & ad docendum erat. Eſt autem docentium propriè ſedere, nõ ſolùm in ſacro ſermone, vt Quotidie apud vos ſedebam docens in templo; ſed in Latinorum etiam antiquorum obſeruatione: vt, Dummodò non pereat, mediæ quod noctis ab hora, Sediſti qua nemo faber, qua nemo ſedebat, Qui docet obliquo lanam deducere ferro. Oportuit igitur huiuſmodi vrbes Leuitis tribui, quæ ſeſſuris otiumq́; honeſtis in ſtudijs poſituris commodæ apteq́; forent, & ipſis etiam, qui horum opera docendi inſtituendiq́; eſſent, non incommodæ aut importunæ, imò quæ facilè peti adiriq́; poſſent, allaturis etiam decimas & primitias, ceteraq́; omnia, quæ in Leuitarum ſumptum legibus decreta erant. Illud etiam his rebus addendum fuit, vt videlicet eius rei familiaris, quæ Leuitis contingere poterat, ratio haberetur, quibus pecudes, armenta & iumenta habere fas erat; pecorum quidem & armentorum copia ex primogenitorum, quæ*

Iuue. Sat. 7.

Deo


Deo ſacra ſanctaq́ habebantur, atque ex decimarum muneribus ſuppeditabatur: iumentorum tantum eſſe poterat, quantum ad itineris vſum ſatis eſſet, atque ad eam rem certi fines ac termini agrorum à Deo præſcripti fuerant; ita vt non amplius quàm mille paſſus per ſingularum vrbium ambitum agri Leuitarum vſibus aſſignaretur: Etenim humanæ cupiditatis impetum in Leuitis coërceri voluit Deus, ne ſacrarum rerum ſtudio vacaturis, quod armenta atque pecora poßidere, alereq́ liceret, rei pecuariæ indulgere atque hac ratione diteſcere liberet. Neque enim omnes, quotquot in vna vrbe ſimul eſſent, plura alere poterant, quàm quæ illic mille paßibus circumſcriptus ager paſcendo caperet. Ius autem ratioq́ poſtulabat, vt quæ in Leuitarum habitationem ſecernerentur vrbes his locis eſſent ſitæ, quibus ad iam indicatas commoditates vicinum ſuburbanumq́ ſolum fœcundum pecoribus atque iumentis paſcendis idoneum probaretur. Hæc verò omnia Moyſis legibus à Deo dictatis præſcripta prudentiſſimè fuerant, in hanc ſententiam: Hæc quoque locutus eſt Num. 35.
" *Dominus ad Moyſen in campeſtribus Moab, ſupra Iordanem, contra Iericho: Præcipe filijs Iſrael, vt dēt Leuitis de poſſeßionibus ſuis, vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum per circuitum, vt ipſi in oppidis maneāt, & ſuburbana ſint pecoribus ac iumentis; quæ à muris ciuitatum forinſecus per circuitū mille paſſuum ſpatio tendētur, contra Orientem duo millia erūt cubiti, & contra meridiē ſimiliter erūt duo millia; ad mare quoque quod reſpicit ad Occidentem, eadē menſura erit, & Septētrionalis plaga æquali termino finietur. eruntq́ vrbes in medio, et foris ſuburbana. Atq. huius mēſurationis ratio paulò vti videtur difficilior, vt nobis obiter explicetur, loci ipſius in Numeris deſcripti verba ſimpliciter conuerſa poſtulant, in hanc formam: Et ſuburbana vrbium, quas dabitis Leuitis à muro vrbis exteriori mille cubiti vndique, & metiemini extra vrbem plagam Orientalem bis mille in cubito, & plagam maris bis mille in cubito, & plagam æſtus bis mille in cubito, & plagam Boreæ bis mille in cubito, & vrbem ipſam in ipſo medio, hoc erit illis ſuburbana vrbium. Hæc à doctis viris variè explicantur, alijs circulum per vrbis ambitum ducentibus, & à circuli quolibet puncto lineas mille cubitorum extendentibus, per quas circumſcriptus circulus mille cubitorum ſpacium vndique concludit. Atque hæc expoſitio & ſimplex, & apta eſſe nobis*

videtur

videtur; niſi quòd verborum poſtulata ratio non ſatis æquat. Secunda eſt eorum, qui vrbem intra quadrantem conſtituunt, cuius ſingula latera quingentenis cubitis longa ſint, atque ita totum quadratũ duobus cubitorum conſtat millibus. Verùm ratio hæc anguſtiorem agrum aſsignat, quàm vſus poſtulet. Tertia omnium ferè tam antiquiorum quàm recentiorum expoſitorum, qui extra vrbem hortis & villis atque deambulationibus, violariys atque huiuſmodi rebus mille cubitorum ſpatium circumſcribunt; deinde verò tantundem vlterius ad iumentorum pecorumq́; vſum producunt: atque illis prioribus mille cubitis Sabbathinæ deambulationis opportunitatem adſcribũt. Verùm neque hæc expoſitio nobis cum lectione planè videtur conuenire: nuſquam enim legimus alium vſum quàm habitationis intra, & familiaris pecuariæq́; rei extra vrbem, cui mille vndique cubitorum ſtatuitur terminus. Nobis verò lectionis ſimplicitatẽ ſecutis mille tantùm cubiti extra vrbem in quadro obſeruandi videntur; ita vt nulli vel maiori, vel minori vrbi pro magnitudinis ratione quicquam deſit, ex millenario illo ad ſingulas mundi plagas dimenſo. Duabus enim actionibus res hæc abſoluẽda fuit: altera, vt extra vrbis murum lineæ ducerentur, contra ſingulas mundi plagas directæ millenis protenſæ cubitis; hoc illa priori ſignificatur oratione: A muro vrbis exterius mille cubiti vndique. Deinde verò per illarum linearum extrema ſingulæ lineæ ad angulos rectos ducendæ erant, mille cubitis vtrinq́; longæ; ita vt ex ipſis atque ex illis quatuor prioribus quatuor quadrata confici poſſent, quaternis lateribus æqualia, & binis quibusq́; bina millia cubitorum continentia. Namq; vt aliàs in ſacro Apparatu docebamus, illa ſermonis figura, quatuor mille in cubito, ſex in cubito, bis mille in cubito, quadrati duo latera indicari obſeruauimus. Fingamus igitur vrbem centrum eſſe nullo ſpacio dimenſum, ſed veluti punctum quoddam, à quo ad quatuor mundi plagas lineæ ducantur ad rectos angulos, in ipſo centro cohærentes, ſiue, vt artifices loquuntur, interſectæ, quarum ſingulæ mille cubitis longæ ſint: Deinde verò per illarum ſic interſectarum extrema totidem lineæ inſcribantur, bis millenis longæ cubitis, millenis videlicet ab vtraque linearum ſeſe interſecantium parte, ex illis duabus interſectis atque his quatuor ſuper illas ductis quatuor conſtabunt, quadrata bis millenos cubitos binis quibuſque lateribus continentia. Atque vt hoc ipſum


Lib. Tubal Cain, & lib de ſactis Fab.

appo-



appoſita figura clarius fiat. Sit Centrum A, à quo ad B ortum verſus linea ducatur mille cubitis longa, totidemq́; altera ab A. ad C. in occaſum; deinde duæ alteræ ex eodem natæ centro ad D. meridiem, & E. Septẽtrionem verſus æquales item. Iam conſtabit crux, cuius vtraque ſectionis linea bis mille cubitis longa ſit. Rurſus verò linea ducatur à Septentrione in Meridiem bis mille cubitis producta, quæ media ſui parte contingat B. cuius extrema ſint F. G. & altera huic æqualis, & æquidiſtans à Borea ad Auſtrum per occaſum, quæ tangat C. huiusq́; extremis adſcribãtur H. & I. demum à F. ad H. & à G. ad I. duæ item parallelæ aſsignentur, quarum G. I. Meridiem, F. H. Septentrionẽ ſpectet. Iam ex his omnibus magnum quoddam conficitur quadrum octo mille cubitos, quatuor lateribus complexum; ſingula quippe latera bis mille cubitis longa ſunt. Atque quadratũ hoc quatuor minora continet, cuius bina quæq; latera bis millenis cubitis æqualia ſunt. Atq. hoc eſt quod legebamus, Metiemini extra vrbem plagam Orientalem bis mille in cubito, & plagam maris bis mille in cubito, &c. Porrò ex Geometrarum diſciplina conſtat in ſimilibus figuris, quamquam magnitudine diſparibus, eandem eſſe omninò partium rationem, dummodò idem omnium ſtatuatur centrum, ita vt quæ linea minorem figuram in duas ſecet partes, eadem producta maiorẽ quoq. in totidem ſectura ſit. Quibus ex rebus omnib. efficitur, vt hæc per Moſem præſcripta norma ſingularum vrbium ſuburbana pro ipſarum ratione vel maiora, vel minora conſtituat. Nam ſi vrbs nihil ſoli occuparet, ſed punctus eſſe exiſtimaretur, quatuor illæ maiores lineæ quarum binas ad binas cæli plagas æqui diſtantes ducebamus tantum ſoli circumſcriberent, quantum quatuor quadratis millenos cubitos quadris contineretur. Iam verò quantam libet nobis conſtituamus vrbem, cuius murum vel rotundum, vel quadratum arbitremur, commodis & æquis inſtruemus agrorũ ſuburbanis, cum ductis primùm ex quaternis lateribus, quaternis rectis lineis, verſus quatuor mundi

plagas, ijſdemq́; millenis longis cubitos alteras induxerimus, bis millenos longas, ex quibus cum prioribus quatuor conficerentur quadrata, quatuor bis millenos cubitos binis lateribus æquantia, ſupererit verò ſpacium aliquod quo non coniunctæ fuerint illæ poſtremæ lineæ; quas ſi quouſque coniunxeris, producas, vrbi tuæ agrum pro ratione occupati ab ipſa ſoli comparabis quatuor minoribus quadratis ad totius ſpatij angulos comprehenſis, quæ tantum agri reſarciant,



quantum vrbis magnitudo atque ſitus occupauerat. Atque hac ratione explicamus expoſitionem illam à Moſe deſcriptam: Et vrbem ipſam in ipſo medio. Duæ quippe voces in ſacra lingua ſunt, pro quibus Latinè Medium reddere ſolemus: Alterum KEREB, *quod latitudinem in hoc vel illud latus porrectũ admittit: Alterũ* TOCH, *quod ad Geometricum medium, ſiue centrum magis propriè pertinet, atque hac deſcriptione Moſes ſignificanter vſurpauit, vt vrbem ipſam centri loco habendam doceret.*

Sicut præceperat Dominus Moyſi, ita fecerunt filij Iſrael, & diuiſerunt terram.

DEI *iuſſum religioſè atque ſtudioſè in hac terræ partitione obſeruatum hac oratione aſſeritur, in qua animaduertendum eſt, coniunctionem,* Et, *non ſolùm copulatiuæ, ſed expoſitiuæ atque concluſiuæ vim obtinere: vt, diuiſerunt itaque terram: quemadmodum in diuinis mandatis diuiſum iri acceperant. Atque hactenus diuiſionis ratio ſummatim propoſita eſt, quæ deinceps membratim explicatur.*

Acceſſerunt itaque filij Iuda ad Ioſue in Galgala, locutusq́; eſt ad eum Caleb filius Iephone Cenezæus, Noſti quòd locutus ſit Dominus ad Moyſem hominem Dei de me, & te in Cades-Barne.

ANTEQVAM *de hæreditatis inducendis ſortibus ageretur, grauiſſimum exemplum oſtendi oportuit tum fidei pijſsimi erga Deum viri, tum ſingularis gratiæ & beneficij Dei erga eos, quos fides præcipua ratione commendat. Quippe effectum eſt, vt cùm ſingulis tribubus*

bus propriæ portiones ex ſortis diuinæ iudicio aßignarentur, ſortes verò antiquioribus Iacobi prædictionibus reſponderent; certa tamen pars Calebo ex Iudæ familia viro, veluti priuilegio quodam ſit irrogata. Atque hoc vt annotatione dignum, rationibus, cauſis modisq́; adiūctis opportuna enarratione declarādum Spiritus ſanctus duxit. Eſt autem narratio in iudicialis cauſæ formam redacta, perſonis propoſitis & iure explicando peracta. Namque Caleb, vt actor inducitur, qui à Ioſue, vt populi ſupremo duce atque miniſtro, certam ſibi terræ portionem ſecluſa ſorte aßignari poſtulet, grauißimis productis rationibus, quibus id iure ſummo ſibi poſtulari oſtendat. Atque de perſona cum primis dicendum. Caleb hoc loco ex Iudæ poſteris eſſe declaratur, cui proprius pater Iephone fuit, ex Heſronis Iudæ nepotis poſteritate: quamobrem familiari in ſacris literis cognationis explicandi formula & Caleb ipſe in Paralipom. Heſronis dicitur filius: Idem verò Cenezæus dicitur, ſiue ab auo, ſiue à proauo Cenez vocato, cuius in proximo capite mentio fiet. Horum verò patrum & auorum nomina, vt apud ſuos illuſtria atque celebria, in Calebi commemoratione laudantur, atque ipſum legitimum in familiæ ſuæ imaginibus & faſtis agnoſcendum aſſeuerandumq́; probant. Idem etiam ex aduocatorum perſonis confirmatur. Siquidem Caleb ad hāc agendam cauſam, quæ fidei ſuæ atque diuini erga ſe beneficij ius obtinendum ſpectabat, contribules aduocauit ſuos, gentem nobilem & honeſtam, & ſibi, vt principi in eadem familia viro, ad belli atque pacis res gerendas ſemper adfuturam. Erant autem illa belli tempora: præſens verò, quo hæc acta ſunt, dies iuris apud iudicem poſtulandi rationem obſeruabat; quamobrem eos, quos ſibi in bello ſocios habebat, hoc die honorarios comites in iudicium aduocauit. Cauſæ verò ſumma propoſitio illa fuit: Debere ſibi terram Hebron ſingulari quodam iure aßignari atque adſcribi, antequam de diuidendis agris hæreditatibusq́; cernendis agatur. Huius autem petitionis ius diuino conſilio & iudicio dicto atque pronuntiato conſtare primùm, deinde verò multis argumentis adhuc confirmari. Porrò autem ſe diuinæ virtutis atq. veritatis aſſertorem iam antea vltro promiſſum, atque à Deo ipſo ad eam rem comparatum, fidem ſuam & Deo & populo liberare non poſſe, niſi & materia & locus, quo id efficiendum fuerat, ſuppeditetur: eam demum materiam Hebronis expugnationem

eſſe, quamobrem vrbem illam ſibi expugnandam petere. Atque actionis initium à diuino dicto primùm ducitur, quod dictum miniſtrorum quoque dignitate atque auctoritate comprobatur. Nefas enim eſſe ait, Dei promiſſum, iudicium, aut conſilium per homines reſcindi aut aliter exponi, quàm res ipſa ratioq́; poſtulet: atque dicti ſententiam vel ex verborum vi, & interpretatione, vel ex editi iam exempli præiudicio, vel ex vtroque ſimul peti expedire. Iam verò diuini dicti ad ſe pertinentis expoſitionem ipſi apud quem cauſa agitur, Ioſue conſtare apertiſsimè, vtpotè qui cum eodem promiſſo diuino comprehenſus fuerit, promiſſi veritatem euetu ipſo fuerit expertus. Fuerant verò duæ promiſſi partes; altera Ioſue & Calebo communis; altera verò erga Calebum ſingularis beneficij nomine definita: communis quidem illa fuerat, Omnes qui numerati eſtis à viginti annis
Num. 14.
" *& ſupra, murmuraſtis contra me, non intrabitis terram, ſuper quā*
" *leuaui manum meam, vt habitare vos facerem, præter Caleb filium*
" *Iephunne, & Ioſue filium Nun. Hoc promiſſo illud continebatur, fore vt duo illi viri qui ſeſe diuinorū promiſſorum aſſertores & prædicatores fideles præbuerant, & conſtanter in fide præſtiterant, promiſſæ regionis beneficio viui ſentiētesq́; potirētur. Nam quod Ioſue dux fuerit creatus, id ad ſingularem alteram Dei electionem eſt referendum, quæ munus magis & onus populi cauſa ſubeundum, quàm ipſius miniſtri commoda ſpectabat. At verò Caleb præter communem illam cum Ioſue exceptionem, illud etiam ſingulariter fuit promiſſum, Seruum meū Caleb qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terrā hanc quā circuiuit, et ſemē eius poſſidebit eā. Quod verò Deus alium ſpiritū in Calebo fuiſſe dicit, hoc ſignificat, illū non minus atq. ceteros terræ fertilitatē, hominū procerā ſtaturam conſideraſſe, vrbiū et locorū munitiones obſeruaſſe; verùm ad hæc omnia diuinorū promiſſorū, fide ipſis traditū iri ſperaſſe. Atq. hūc animi ſui ſenſum publicā oratione pronūtiaſſe, prædicatoremq́; egiſſe diuinæ erga ipſos tutelæ, et volūtatis atque prouidētiæ ſingularis, cuius ope et auxilio confideret, illius regionis vſum ſibi non ſecus atque cibum tradendū eſſe, ita vt ipſe ex Domini voluntate & conſilio conſtantem victoriam*
Num. 14.
" *ſibi ceterisq́; certam promitteret. S.S.E. At verò Ioſue filius Nun,*
" *& Caleb filius Iephune, qui & ipſi luſtrauerant terram, ſciderunt*
" *veſtimenta ſua, & ad omnem multitudinem filiorum Iſrael locuti*

ſunt

ſunt: Terra, quam circuiuimus, valde bona eſt: ſi propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem. Nolite rebelles eſſe contra Dominum; neque timeatis populum terræ huius: quia ſicut panem ita poſſumus eos deuorare; receſſit ab eis omne præſidium. Dominus nobiſcũ eſt, nolite timere. Hæc oratio præter cognitionis & obſeruationis ſpiritum alium, etiam in Calebo probat, fidei videlicet quæ ex illis verbis oſtenditur, Dominus nobiſcum eſt; & ex hac fide natæ fortitudinis, quam aſſeueratio illa demõſtrat; Quia ſicut panem eos poſſumus deuorare. Affirmauerat autem Calebus terram omnem ſibi atq. Ioſue perinde atque ceteris peragratam, obſeruatam & cognitã. Terra, inquit, quam circuiuimus, valde bona eſt: ſi propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & dabit humum lacte & melle manantem. Quamobrem illud ſingularis præmij promiſſum ex Dei benignitate habuit, Inducam in terram hanc, quã circuiuit, & ſemen eius poſſidebit eam: eã videlicet, quam ipſe viderat & luſtrauerat, quã, ſicut panem, ſibi ad vſum propoſitã crediderat. Duas autem res illa allocutione ſibi ex fide creditas ſignificauerat, & ceteris credendas commendauerat, Dei videlicet voluntatem, & ſuam ipſorum ex illa voluntate profectam animi roboriſq́; conſtantiam ad bellum aduerſus hoſtes illos capeſſendum, & pro votis atque fide expediendum. Vtramque hanc rem, quam populus, qui tunc viuebat, non crediderat, ſibi hactenus creditam, fixam, immotamq́; ſediſſe; atque liberandã nunc ſuſcipi oſtendere volens, Ioſuan adit, alloquitur & obteſtatur: Ea verò dicendo diſſimulat, atque ſilentio præterit, quæ ſi commemorarentur ijs, qui aderant omnibus, pudorem adferre poterant. Nihil enim dicit de ſententia illa diuina eodem tempore in eorum qui huic actioni adſtabant, patres pronuntiata: Attamen omnes homines qui viderunt maieſtatem meam, & ſigna quæ feci in Aegypto, & in ſolitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, & non obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum; nec quiſquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. Iudicium hoc quamquam exercitum atq. euentu ipſo comprobatum, tamen à Calebo prudentiſſimo viro non recenſetur, ſed ea tantùm referuntur, quæ ad rem ſuam facere propriè exiſtimabantur; nempe promiſſum ipſi atque Ioſue communiter factum, & iam præſtitum, quòd illi ambo in terram deducẽdi eſſent:

Cuius promiſsi fides iam per Deum liberata erat. Vt autem dicti & promiſsi veritas tam ex Dei qui pollicitus fuerat, quàm ex ipſorum qui exceperant, parte conſtare oſtenderetur, perſonarum, loci atque temporis obſeruata ratio commemoratur, Dei promittentis, qui mentiri, aut fallere non poſsit, promiſſum ſuum Moſi mandantis fido miniſtro atque internuntio, cuius auctoritas tum alijs quamplurimis ſignis, tum ipſis aliorum promiſſorum euentibus probatiſsima fuerit, vaticinandi ſingularis facultas omnibus fuerit teſtatiſsima. Itaque promiſſum ex promittentis nomine, atque ex internuntij munere ac dignitate grauiſsimum & conſtantiſsimum haberi oportuit, etiam ſi nulla in ipſis quibus fiebat, meriti aut obſequij eximia ratio fuiſſet quamobrem promiſſum fieret, nedum cùm factum fuerit viris pijs atque diuinæ maieſtatis, prouidentiæ & miſericordiæ aſſertoribus, idq́ certo loco atque tempore, cuius vel ſignificatio ſola hiſtoriæ, quamquam non denuò recitandæ & referendæ, recordationem repetebat. De me & te in Cades-Barne. *loci nomen res in ipſo actas in memoriam reuocat, quas omnes repetere graue eſſet. Eas verò quæ Ioſuan, & ipſum oratorem ſpectarent, non erat neceſſe, vtpote vtriq; notas, atque ſucceſſu ipſo planè conſtantes & apertas; quæ verò ſingulariter ad Calebum attinebant de poſsidenda regione illa ab ipſo peragrata & ceteris formidata exploratoribus, non minus nota erant Ioſue, quàm ipſi, cui quadraginta annorum interuallo quamuis longo, tamen & rerum, et perſonarũ, & loci atque temporis memoria tanquam recens conſtabat: Ideoq́; ait* Noſti. *Iam verò ijs, qui ad vtrumque pertinuerant, commemoratis & in obtentorum ratione poſitis, ea quæ ipſum ſingulariter tangebant, quæq́; præcipuè ad hanc actionem ſuſcipiendam mouerant, deinceps tractat, oſtenditq́; illa, quamquam nondum ſint obtenta, ex Dei tamen promiſſo, atq. ex ijs facultatibus, quæ promiſſum conſecuta ſunt, adeò ſibi certa ſperari atque credi, vt niſi per Ioſuan aliqua ratione impediantur, quod minimè metuendũ eſt, planè illa quàm primum obtentum iri perſuaſum fuerit. Id quod multis argumentis probat; cùm ex perſona propria, tum maximè ex Dei pollicitatione atque facultate ad eam rem opportunè productis, quæ ex narratione ipſa examinare licebit.*

Quadraginta annorum eram, quando miſit me Moſes famulus Do-

lus Domini de Cades-Barne, vt conſiderarem terram, nuntiauiq́ue ei quod mihi verum videbatur.

ÆTATIS, *quam illo tempore agebat, mentionem fecit, vt oſtenderet primùm Moſis in delectu ad illam rem faciendo iudicium, qui virum maturum appellauerit ad iter faciendum laboremq́; ferendum, ad obſeruanda tum locorum, tum rerum & hominum ingenia, atq. ad teſtimonium referendum ſatis idoneum; quod iunioribus ob imperitiam, ſenibus ob naturæ imbecillitatem, vel nimium audacibus, vel nimium ignauis ac timidis eiuſmodi partes non aptè imponi ſoleant. Deinde etiam eadem opera oſtendit ſibi illud negotium non ſegniter, ſed maturè, deliberatè ſtudioſeq́; ſuſceptum, & ſapienter obitum atque diligenter fuiſſe curatum. In primis enim ſe à Moſe miſſum ait, cuius viri auctoritatẽ cùm ex Deo proficiſci cognoſceret ipſe, ſedulo obſequio colendam duxit; atq. ita à Cades-Barne, ſimul cũ ceteris exploratoribus profectos luſtrauit, diligenterq́; conſiderauit. Obſeruandum verò fuerit hoc loco duplex eſſe in ſacra lingua nomen, pro quo Latinè Terram reddimus. Alterum* ADAMAH, *quod ad ſoli ipſius humiq́; naturam, & glebæ fertilitatem vel ſterilitatem propriè refertur: Alterum* ERETS, *quod terram, qua ratione habitabilem dicimus, ſignificat; ac de vtroq. genere in ſacro Apparatu diſſerebamus: illius prioris rationis cognitio agricolas, huius verò Geographos, & Corographos ſpectat, quibus non ſolùm humi natura, ſed ea etiam obſeruantur, quæ in locorum incolarúmq́; ingenio & moribus memoranda ſunt. Se igitur hanc rem diligenter egiſſe, & ſolum & homines perſpexiſſe, crediſiſſeq́; illa omnia ipſis traditũ iri, vtpotè à Deo promiſſa, atque illud, dum terram exploraret, certè conſtanterq́; cogitaſſe, explorationem illam quandam velut agnitionem eſſe rei iam prorſus ſuæ; ita vt nihil aliud ad illam obtinendam deeſſet, quàm Iſraelitarum, qui obtenturi erant, ingreſſum: hoc verò, vt animo conceperat, fixum immotumq́; ſeruaſſe, & quamuis exploratoribus ceteris diuerſam omnino ſententiam vrgentibus, tamen & Moſi ſeorſum & populo publicè expoſuiſſe, aſſeueraſſe, & clamaſſe, Quia ſicut panem, ita eos poſſumus deuorare, ſiue, vt Hebraicè aſſeueranter pronuntiatur, Quia panis noſter ipſi. Quod Latinè legimus,* quod mihi verum videbatur, *non ad opinionem referendum eſt, ſed ad fidei conſtantiam & veritatem. namque ita Interpres noſter explicuit*

ſign-

ſiguratam orationem Hebraicam: Quemadmodum cum corde meo. *Id, inquit, quod corde animóque tenebam, intrepidè atque conſtanter illi retuli.*

Fratres autem mei qui aſcenderant mecum, diſſoluerunt cor populi: & nihilominus ego ſecutus ſum Dominum Deum meum.

FIDEI *ſuæ atque ex eadem profecti officij conſtantiam, non arroganter, ſed piè ad Dei laudem commemorat & amplificat Caleb, quòd non ſolùm ſimpliciter ac verè ipſe teſtimoniũ retulerit, ſed manifeſtis inuidiæ atque contentionis, necnon popularis furoris periculis ſeſe pro diuinorum promiſſorum fide aſſerenda commiſerit, nulla habita ratione fratrum numero plurium, hoc eſt decem, qui alias quòd fratres eſſent, obſeruatione potiùs quàm offenſione digni exiſtimari poterant iudicio vulgi, maximè cùm verendum eſſet, ne populus decem teſtium potiùs, qui cum ipſo aſcenderant, & non ſecus atq. ipſe omnia luſtrauerant, quàm ſuo vnius, aut alterius etiam, hoc eſt Ioſue dictis fidem haberet. Id quod certè quidem euenit; namque illi diſſoluerunt cor populi: cumq́; iam diſſolutum eſſet populi cor, atque ab illa diuinorum promiſſorum fidei communione abalienatum, animiq́; omnium in contrariam omninò ſententiam conuerſi, ita vt mihi libera mentis meæ verba proferenti & affirmanti in certum publici furoris diſcrimen veniendum eſſet, vt re ipſa ventum eſt, niſi Deus ,, ſeſe nobis tutorem præſentiſſimum exhiberet. S. S. E. Cumq́; clama- ,, ret omnis multitudo, & lapidibus vellet eos opprimere, apparuit glo- ,, ria Domini ſuper tectum fœderis cunctis videntibus filijs Iſrael. Itaque propoſita mihi tum fratrum offenſione, tum auctoritate teſtimonij illorum, mei verò apud populum dicti vtilitate atque contemptione & ſententiæ repulſa, tum etiam popularis inuidiæ præcipiti effrænatoq́; furore..* Nihilominus ego ſecutus ſum Dominũ Deum meum. *Cæteris, inquit, omnibus, quæ obijci mihi negotiumq́; faceſſere potuerant, poſthabitis & reiectis rationem habendam duxi numinis diuini; idq́; duplici nomine; altero Domini, hoc eſt illo nomine admirando atque obſeruando, quo diuina natura, benignitas & miſericordia laudatur; altero verò Dei mei* ELOHIM, *mei, quo illius erga Orbem omnem communis ac ſingularis gubernatio, prouidentia & iuſtitia ſignificatur. Conſideraui igitur, atque mecum reputaui mea-*

rum

rum partium eſſe, non quid fratres mei agerent, quid populus ſentiret cogitare, ſed quid Dominus ille miſericors & efficaciſsimus, qui regionem hanc nobis pollicitus fuerat, vellet & poſſet, & mea & populi cauſa, idq́; mihi excipiendum aſſerendumq́; duxi. Deinde verò Deum mihi propoſui, hominum omnium principem ſupremum & auctorem, qui corda, animos & cogitata nouit cunctorum, qui iudicium in omnes iuſtiſsimè exercet, qui prouidentiam nuſquam non aſſerit ſuam, cuius ipſe iudicium (ſi à pietate officioq́; declinarem) certum & ſeuerum experturus eram, prouidentiam verò atque tutelam opportunam, ſi meas partes pro virili agerem, mihi adfuturam conſiderem: Igitur altero à fratribus meis ſpiritu ductus, huiuſmodi conſilij certus Dominum meum ſecutus ſum. *Hebraica oratio tropum hoc loco habet elegantem, quem Interpres noſter ſentẽtia obtenta explicuit. Nam ſic ex verbo ſonat,* Et ego impleui poſt Dominum meum: *vt lingua illa tota Poëtica eſt, quæ res non narrare, ſed pingere, imò viuas videndasq́; oculis proponere videtur. Finge rem in deliberationem atque in conſilium veniſſe, eſſeq́; ex altera parte decẽ teſtimonia, quibus populo perſuaſum ſit, regionẽ illam inacceſsibilẽ, prouinciamq́; eſſe duriſsimã, minimeq́; ſuſcipiendã; ex altera Deũ eſſe regionẽ illam credẽtibus et adire ſtudẽtibus pollicitum; mediũ verò Calebum eſſe, cuius teſtimonium vel ſuffragium, ſi ad aliorum decem numerum accedat vnà cum Ioſue, qui pedibus etiam in illã ſententiam eat, implebit fratrum & populi conſiliũ; ſi verò de promiſſo diuino feratur, Dei voluntati pro ſua parte obſequetur, quamquam id quod ad populam permouendum attinet, non ex animi ſententia ſuccedat. Hæc ſibi conſiderata & expenſa Caleb ſignificat; & tamen certo ac deliberato conſilio aſſertionem, ſuaſionem & actionem ſuam ſecundùm Dei promiſſum extitiſſe, ait,* impleui: *non poſt fratres, aut poſt populi ſtudium, ſed poſt Dominũ Deum meũ. Atque huic ſignificationi verbi pro quo nos reddimus Implere, Latinũ illud Satisfacere non ineptè reſpondet. Sic namque Hermippus Suſiis ſatisfeciſſe, et fidem ſuam liberaſſe dictus eſt: Et, Deo percaſteq́; ſatisfacere Cicero dixit: idemq́; ſignificat, quod in ſcholaſtico ſermone, Facere quod in ſe eſt. Chaldæus paraphraſtes perpetuò vertit Abſoluere, ſiue perficere et complere. Atque hac narratione ſtudiũ officiumq́; ſuum Caleb cõmemorauit, cui certum ex diuino promiſſo præmium adiunxit.*

C. . ..

Idem in ep. .. fam.

Iurauitque Moyſes in die illo dicens, Terra quam calcauit pes tuus, erit poſſeſſio tua, & filiorum tuorum in æternum: quia ſecutus es Dominum Deum meum.

DIVINORVM *promiſſorum memoriam perpetuò conſtantem indicat hæc Calebi commemoratio, quæ non ſolùm ſententiam, ſed perſonam, orationis pōdus ac tempus etiam refert. Manifeſtū quippe erat, verba omnia Moſis, quæ vel præcepta, vel inſtituta, vel promiſſa ſpectarent, à Deo eſſe profecta, tam quæ ad cōmunem omnium vel multorum, quàm quæ ad priuatam cuiuſpiam rationem facerent. Ille igitur iure iurando per Deum pronuntiato, [Viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuerſa terra:] & occupandæ ceteris regionis interdictio, & Calebi exceptio continebatur. Quam exceptionem Moſes, qui vt fidelis adminiſter perſonam Dei agebat, iuratus etiam firmauit in illo die, cùm promiſſi ratio conſtaret omnibus, quæ in ipſo promiſſo expoſita eſt, cùm ceteris omnibus, qui tunc vltra vigeſimum annum ætatem agebant, adeundæ terræ ſpes eſſet intercepta; Calebo tamen quadraginta iam annos nato, tum ipſimet, tum ipſius poſteritati, quoad illa Iſraelitarum illuſtris atque Deo ſingulariter curata conditio maneret, perpetua poſſeſſio illius regionis fuit promiſſa.* in æternum. *Sæpè iam aliàs docuimus nomine* GHOLAM, *quod abſconditum & celatum ſignificat, totum ſpacium definiri, quoad ei de qua ſermo ſit, rei, mutari, præterire & abſcondi accidat; ita cùm de homine loquimur, Gholam, illius æuum totum; cùm de ciuitate, aut republica, illius omnem durationem; cùm de mundo omni, cuius etiam certus apud Deum durandi terminus eſt, mundi perpetuitatem; cùm verò de immortalibus animis, maximè verò de Deo ipſo, immenſam & fine carentem æternitatem intelligimus. Hæc itaque* GHOLAM *iuxta argumenti rationem adnotanda ſignificatio eſt; quod nomen Latinus interpres interdum ſæculum, nonnunquam æternum, aliquando perpetuum, & non raro mundum interpretatur, rerum ratione atque ſententia id exigente.* Terra quam calcauit pes tuus. *Hebronem ſignificat, quam ſibi aditam, exploratam ac peragratam Calebus aſſeuerauerat: atque ex diuini præſidij certiſſima ſpe facilem ſuperatu & captu prædicauerat.* Quia ſecutus es Dominum Deum meum. *Hebraicè eadem quæ in præcedēti verſu oratio eſt, eademq́. orationis ſententia mutata perſonarum relatione ad*

Deum

Deum. Caleb namque ſuperiùs Dominum Deum ſuum; hic verò Moſes ſuum etiam Deum Dominum laudat. Atque hactenus cauſam ſuam ex Dei promiſſo Moſis auctoritate, ipſiusq́; Ioſue conſcientia tractauit, quam præterea alijs argumentis ad eandem ſententiam confirmandam diligenter obſeruatis, & productis perarat, quibus diuini promiſſi conſtantia atque ipſius orantis fides oſtenditur.

Conceſſit ergo Dominus vitam mihi, ſicut pollicitus eſt, vſq. in præſentem diem. Quadraginta & quinque anni ſunt, ex quo locutus eſt Dominus verbum iſtud ad Moyſem quádo ambulabat Iſrael per ſolitudinem: hodie octoginta quinq. annorum ſum.

D V O *ſibi à Deo promiſſa Calebus affirmat: Vitam primùm à Deo longam, vt terram alijs negatam viginti annos ætatis excedentibus, ipſi viſere, ingredi & poſſidere contingeret. Deinde verò certæ illius atq. ſingularis regionis quā luſtrauerat propriam occupationē & peculiarē poſſeſſionem; alterū autem ſibi diuinitus cōſtare, apertè indicat, hoc eſt vitā quadragenario ad octogeſimū quintū vſque annū productam, cùm nulli iam de tot millibus ætate maioribus, paribus & minoribus ſuperſint, præter ſe & Ioſuan. Colligi itaq. rectè poſſe, Deū, qui alterā promiſſi partem abundè perſtiterit, alteram etiā præſtare poſſe & velle. Id verò ſibi integra fide credi & eximia ſpe ſperari confirmat. Obiter autē id, quod antiqui expoſitores hoc loco doctè obſeruant, animaduertere operæprecium fuerit: in terræ Canaan expugnatione & occupatione adusque diuiſionis tempus annos fuiſſe conſumptos ſeptem: quæ ratio in hunc conficitur modum: Erat Moſes* Exod. 7. *octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quandò locuti ſunt* " *ad Pharaonem: Moſes verò paulo antequàm è viuis diſcederet, ſuum* " *ſic æuum declarauit. Centum viginti annorum ſum hodie, non poſ-* " *ſum vltrà egredi, præſertim cùm & Dominus dixerit mihi, Non* " *tranſibis Iordanem iſtum. Atque cùm exploratores obſeruandæ terræ* " *cauſa miſſi fuère, poſt recenſionem in ſolitudine factam, alter iam à relicto Aegypto agebatur annus. S.S.E. Locutusq́; eſt Dominus ad* Num. 14. *Moyſem in deſerto Synai in tabernaculo fæderis prima die menſis ſe-* " *cundi, anno altero egreſſionis eorum ex Aegypto. miſſi itaque explora-* " *tores & reuerſi intra illius anni ſecundi tempus, quo vua & punica mala maturuerant, hoc eſt ſeptimo iam menſe. Relinquitur itaque*

ab exploratorum tempore, ad Moſis vitæ finem, triginta octo ferè annorum ſpacium. Cùm verò Calebus hac in oratione ſeſe illa explorationis tempeſtate quadrageſimum annum egiſſe affirmet, nunc verò hanc cauſam agens octoginta & quinque annorum ſe eſſe declaret, annis octo & triginta de ſumma detractis, reliqui ſunt vſque ad illam actionis diem anni ſeptem; atque vitã tam diu ſibi propagatam, ceteris omnibus in ſolitudine extinctis, certiſsimum diuinæ erga ſe ſingularis prouidentiæ & promiſsi præſtiti argumentum cùm expoſuerit Calebus, alia etiam adiungit, quibus alteram promiſsi partem certam ſibi eſſe confirmet.

Sic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus ſum: illius in me temporis fortitudo vſque hodie perſeuerat, tam ad bellandum quàm ad gradiendum.

QVOD *alteram promiſsi partem paratam, atque diuina prouidentia & virtute præſtandam fore ſibi perſuaſerit, præter prius exemplum manifeſtum, quod omnibus conſtabat, his etiam argumentis confirmari; primùm fide diuini verbi, quod efficaciſsimum eſſe cognouerit, cuius ope & præſidio effectum eſt, vt præter communem & vulgatum humanæ naturæ curſum ipſe tam longo vitæ vſu, tot itinerum, dierum atque bellorum exantlatis laboribus, nulla tamen vel animi fortitudinis, vel corporis ac membrorum roboris, firmitudinis, agilitatis atque dexteritatis parte ſit imminutus. Eſt autem duplex hominis pars: altera mens animúſque dicitur, in qua præcipuè fortitudo, vel timiditas atque ſocordia ſedem habent: altera verò corpus, in qua robur, firmitas, agilitas, vel contrà imbecillitas, & ignauia ſpectantur. Plerumque verò ſenes ad rem gerendã & animo timidiore, & infirmiore corpore ſunt, propter ſenſuum hebetudinem, natiuiq; caloris inopiam. S.S.E. Octogenarius ſum hodie, nunquid vigent ſenſus mei ad decernendũ ſuaue & amarum, aut delectare poteſt ſeruum tuum cibus, aut potus, vel audire vocem cantorum, atque cantatricum? quare ſeruus tuus ſit oneri domino meo regi? atque ita artifex ille notabat:*

2.Samu.c.19.

Multa ſenem circumueniunt incommoda, vel quòd
Quærit & inuentis miſer abſtinet, ac timet vti,
Vel quòd res omnes timidè gelidéque miniſtret.

Et ille etiam alius humanarum rerum obſeruator acerrimus:

Iuuen.ſat.10

Plurima ſunt iuuenum diſcrimina, pulchrior ille
Hoc, atque ille alio, multum hic robuſtior illo:

Vna ſenum facies, cum voce trementia membra,
Et iam læue caput madidique infantia naſi.

Et paulo poſt inferius:

Præterea minimus gelido iam corpore ſanguis
Febre caret ſola: circumſilit agmine facto
Morborum omne genus; quorum ſi nomina quæras,
Promptius expediam. &c.

Et deinceps:

Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luſcis inuidet, huius
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis &c.

Hæc cùm ita humanæ inſtabilitate naturæ comparata ſint, ſingulari Dei prouidentiæ, quam perpetuam in ſe expertus fuerit, hanc animi fortitudinem membrorumq́; firmitudinem acceptam Calebus refert. Sic valens. *Hoc ad animum præcipuè referendum eſt, quod ex Hebraicorum verborũ interpretatione oſtẽdemus: vt,* eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus ſum. *Apertè oſtendit ſe illo tempore ab omni hæſitatione & metu alienũ conſtanti animo atq. magna fide firmato impoſitas ſibi obijſſe partes, et illã fidem nunquam fuiſſe debilitatam, atque ita animi fortitudinẽ diuino beneficio fuiſſe conſeruatam. Cetera verò quæ his ſubiunguntur; ad corporis robur, membrorum agilitatem atque dexteritatem oſtendendam faciunt:* Illius in me temporis fortitudo vſque hodie perſeuerat, tã ad bellandũ quàm ad ingrediendum. *Res omnes atq. bella præcipuè conſilio, robore ac dexteritate geruntur. Conſilium enim quid quandoq́; agendum ſit, indicat: virtus verò & agilitas ea, quæ indicata ſunt, feliciter expediunt. Sunt autem ad expeditionem opportunæ non ſolùm corporis vires, verùm etiam celeritas & promptitudo, quæ non ſemper vni eidemq́; inſunt. Nam ferè qui corpore firmo ſunt, minus ad curſum celeres eſſe ſolent; contrà verò agiles, corpore atque membris minus firmis viſuntur: altera enim vis à ſpiritibus aeris ventiq́; naturam referentibus; altera verò à corporis denſiore contextura oſſiumq́; duritie lapideam ſoliditatem imitante proficiſcitur. Eundem verò & firmitudine valere, & agilitate præſtare, rari exempli atque admirabilis virtutis eſt; maximè verò ſi his rebus conſilij etiam animiq́; facultas quædam princeps accedat. Huiuſmodi namque exacta perfectáque virtus ſingulare Dei donum eſſe cenſetur, de quo ge-*

Iſa.10. *nere ſcriptum eſt: Et implebit eum Dominus ſpiritu conſilij & fortitudinis. Atque non ſolùm noſtris, hoc eſt ſacris & veriſſimis doctrinis hoc accepimus, verùm & gentium ſapientibus ita illorum modo obſeruatum prædicatumq́ue fuit:*

Nil Claudiæ non efficient manus,
Quas & benigno numine Iupiter,
Defendit, & curæ ſagaces
Expediunt peracuta bella.

Itaque illud, tam ad bellandum; *ad ipſam pugnæ & manus conſerendi opportunitatem; illud verò* quàm ad gradiendum, *ad expeditionem, celeritatem, dexteritatemq́ue referimus. Huius interpretationis rationem, tum ex ipſa re, tum ex Hebraici ſermonis idiotiſmo petebamus, qui ita habet: Adhuc ego hodie firmus, ſicut quo die miſit me Moſes, vt vis mea tunc, vt vis mea nunc, ad prœliũ, & ad egrediendum & ad ingrediendum. Hactenus oratio perfecta confecta eſt omnibus argumentorũ opportunis partibus inſtructa, cuius illa ſumma capita atq. dialectica membra fuere: Dei promiſſa nunquam fallere credentes, ſibi factum & creditum, atque adeò memori mẽte conſeruatum fuiſſe promiſſum: igitur quemadmodum obtineri poſſit curare, eorum intereſſe, qui diuinæ gloriæ ſtudio incenſi ſunt: Huiuſmodi autem & ſe eſſe, & Ioſue quoque ſe præbere oportere. Deinceps verò confirmatio accedit ex diuinæ voluntatis atq. prouidentiæ manifeſtis ſignis petita; quòd is, qui ipſi vitam & victoriam pollicitus fuerit, & vitam conſeruarit, ac produxerit incolumẽ, & animi fortitudinem corporisq́ue robur ita fouerit, vt eandem ſibi voluntatẽ perſeuerare oſtenderit, & orantis ipſius fidem nunquam imminutã probauerit. His autem peroratio adnectitur duabus partibus cõſtans, quarum altera rei difficultatem, altera verò Dei veritatem & laudem continet. Atque harum comparatione concluditur oportere Hebronem oratori ad diuini ſanctificationem nominis concedi.*

Da ergo mihi montem iſtum, quem pollicitus eſt Dominus te quoque audiente, in quo Enachim ſunt, &c. vrbes magnæ atque munitæ.

PVLCHERRIMVS *artificioſusq́ue epilogus hic omnium, quæ anteà expoſita tractataq́ue ſunt, ſummam cõplectitur, promiſſi videlicet diuini, teſtimonij Ioſue atque rei ipſius, quæ poſtulatur, conſtans*

inte-

tegraq́; perſeuerans ratio;namq. promiſſi cauſa, diuina gloria fuc- Num.14.
t. S.S. E. Viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuerſa terra."
uius autem ſententiæ illa ſignificatio eſt, nullam fore arduam dif-
ılemq́; rem ijs, quibus Dominus pollicitus quicquam fuerit, quãuis
aximum, & humanam facultatem longè excellens, credentibus ta-
en promiſſo, atque iuſſo obtemperantibus diuino. Fuiſſe verò pro-
iſſum Calebo montem illum, eo etiam nomine ijſdemq́; conditioni-
us, quibus tunc res conſtabat, hoc eſt gigantibus illis, Enachim poſte-
s, locum tenentibus & defendentibus: ita vt gloria Domini ex pro-
iſſi veritate & conſtantia ſemper excelleret. Hanc autem gloriam
ferendam ſibi curæ ſtudioq́; eſſe, committi imponiq́; optari, quan-
quidem idem adhuc argumentum omnibus ex partibus conſtet; Ex
ei promiſſo, ex ſua ipſius fide, fortitudine & facultate, atque etiam
materia, in qua exemplum huiuſmodi expectandum ſit, nimirum
eiſdem ipſis monſtroſis & ſtupendis hoſtibus, quorum fortitudo,
on minor nunc, quàm anteà, imò maior exiſtimetur. Siquidem con-
at, illos toto hoc tempore, hoc eſt quinq. & quadraginta annis mon-
m ſuum tutatos: Eodem filiorum Enachim nomine, & non ſolùm
nſeruaſſe, atque tot vndique exortis & confectis bellis non deſe-
iſſe, verùm etiam frequentibus & magnis vrbibus auxiſſe, ijſdemq́;
tura atque opere munitiſſimis, totoq́; hoc anteacto tempore in dies
agis ac magis instructis. hoc eſt quod illis expoſitionibus ſignifica-
r, in quo Enachim ſunt. *Eadem gens, quæ olim illis noſtris colle-*
s formidabilis atque inacceſſibilis iudicata fuit. Et vrbes ma-
æ atque munitæ. *magnitudo ad populi frequentiam, munitio*
muros, turres, atque etiam ad ſitus eſt referenda. Nam quòd
agnæ ſunt, exiguis copijs obſideri & expugnari minimè poſſe vide-
ntur. Quòd verò munitæ, etiam magnis copijs difficultatem maxi-
am, vel longiſſimæ obſidionis moram tædiumq́; minantur. Ta-
en hæc omnia ijs, qui diuini promiſſi fide instructi ſunt, minimè
rribilia, vel difficilia exiſtimantur, quæ aliàs humani iudicij exa-
inata ponderibus ſuperatu & expugnatu penè impoſſibilia crede-
ntur. Atque huius epilogi concluſio illa eſt.

Si forte ſit Dominus mecum, & potuero delere eos, ſicut pro-
miſit mihi.

DOCTISSIME *quidem & pijſſimè expoſitores alij hunc locum*
inter-

Maſius. *interpretantur, docētes dubitationem hoc loco* ſi fortè, *ad ipſum referendum Calebum modeſtè atque prudenter de ſe ſentientem, minimeq́; ignarum diuinam erga ſe gratiam propria culpa poſſe auerti; & quidem hæc vera ſunt & pia, hominumq́; animos ad modeſtiam & timorem reuocant, quibus propriam ſalutē cum tremore operari conſultiſsimum eſt. Verùm nobis noſtram exponendi rationem, quoad id fieri obtineriq́; poſsit, ſecutis alia quoque huius loci explicatio cum orationis ſententia omni atque cum conſtantiſsima illa Calebi fide conueniens videtur. Namque ille omnia, quæ hactenus erga ſeſe acta fuerant & facta, ad diuini conſilij promiſsiq́; conſtantiam & veritatem, atque adeò ad ſanctiſsimi gloriam nominis referebat. Quoniam igitur ipſe rem hāc magis à Deo ob efficaciſsimum diuinum promiſſum aſſerendum, quàm ob proprium emolumentum quærendum expetere & poſtulare profeſſus fuerat, oſtenderatq́; id conſilium, eam mentem non ſibi ex propria arrogantia, aut opinione inſediſſe; verùm ex firmiſsima fide voluntatis atque prouidentiæ perpetuæ Dei, qui tot argumentis hactenus illius dicti promiſsiq́; ſui veritatem in ſe promouerit, atque maiori indies exſpectatione ad maturitatem vſq. fouerit: quod verò ſibi hactenus creditura, & perinde atque ſi obtentum iam eſſet, pro certo habitum nunc tanta fiducia poſtulatum fuerit; ex diuini conſilij cognitione profectum eſſe aiebat: cùm populus fortaſſe vel de fide ſua, vel de voluntate Dei dubitare poſſet, vtrumque ipſo exitu euentuq́; probandum ſtatuit. Nam ſi res omnis ex animi ſententia tot argumentis explicata ſucceſſerit, manifeſtum profectò etiam dubitantiſsimo cuique erit, Deū ſecum fuiſſe & eſſe, & pronūtiatum de ſe promiſsi verbū ipſa demum exacta atq. opportunè expedita re comprobaſſe. Itaque illam dubitationis particulam Latinam* ſi fortè, *non ad periculum ſingularis Dei præſidij à Calebo, ſed à populo faciendum referimus. Sepè enim huiuſmodi argumenta in ſacris libris obſeruauimus, in quibus dubitatio non ex perſona dicentis, cui firma fiducia eſt, ſed ex parte eius aduerſus quem ſermo ſit, vel ex audientis perſona infertur; cuiuſmodi illud nobiliſsimū Eliæ exemplum fuerit, qui quòd ipſe non dubitaret, populo dubitanti propoſitum & periculo faciendo atque ſpectando exitu examinandum ſuadebat: Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal,*
3.Reg.18. *ſequimini illum. Non diſsimiles etiam ex altera tantùm parte dubitandi*

bitandi formæ in alÿs linguis apud exteros auctores inuenientur. vt, ——Ecce

Criſpinus minimo me prouocat; accipe, ſi vis, Hor. Sat. 4.
Accipe iam tabulas. detur nobis locus, hora,
Cuſtodes, videamus, vter plus ſcribere poſſit.

Itaque Calebus certum Dei erga ſe promiſſum euentu ipſo non tam ſibi credenti, quàm ÿs, qui fortè dubitauerint, oſtendendum probandumq́; ſtuduit. nam ſi non ſuccedat, tunc vel non promiſſum beneficium illud, vel ipſius, cui conferendum erat, culpa non collatum argui poſſet. Cùm verò datum conſpiciatur, promiſſum antea atq; demùm præſtitum aſſerebatur. hæc nobis illius orationis germana viſa ſententia eſt: Si fortè ſit Dominus mecum: & potuero delere eos ſicut promiſit mihi. *Videlicet Calebum, quod ad ſuam ipſius fidem promiſſum Dei non in dubium vocare, ſed affirmare & aſſerere contra antiquum illum populi metum, Enachæorum gentem expelli non poſſe exiſtimantis. Obſeruabitur, inquit, exitu ipſo an verè Dominus mecum ſit, qui hoc ſingulare beneficium pollicitus mihi conſeruauerit, atque obtinēdum expoſuerit. Huius verò ſignum rei eſſe volo, nempe quòd potuero delere eos, ſicut promiſit mihi. Hebraicæ lectionis huiuſmodi ſimplicitas eſt:* An Dominus mecum, & expellā eos, quemadmodum locutus eſt Dominus. *Huiuſmodi porrò exempla ex euentu ipſo diuinam voluntatem atque auctoritatē probandi complura in ſacris libris obſeruantur; ſic enim Moſi, cùm legationem ad Aegypti regem atque ad Iſraelitarum populum daret, demùm dixit: Ego ero tecum, & hoc habebis ſignum, quòd miſerim te, Cùm reduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo ſuper montē iſtum.* Exod. 3. *Chaldæus interpres ita hunc locum reddit: Anne verbum Domini in auxilio meo, & expellam eos, ſicut quod locutus eſt Dominus. Hactenus à Calebo oratum peroratumq́; fuit. Nunc deinceps quæ Ioſue ſententia fuerit, attendendum.*

Benedixitque ei Ioſue, & tradidit ei Hebron in poſſeſſionem.

SI *nobis eatenus propitius fuerit Deus, vt quod meditamur ſacrarum definitionum Opus, perficere poſſimus, ei etiam verbo, quod Latini in Benedicendi atq. Benedictionis voces vertunt, explicando non inutilem, vt arbitramur, impēdemus operam; cuius multiplex*

Hh atque

atque omnino elegans in ſacro ſermone ſignificatio, vſurpatio verò frequentiſſima eſt. Fit autem ea, quæ ſacrato iam vocabulo benedictio apud noſtros dicitur, vel re, vel oratione, vel vtraque pro eius, cui benedicitur, dignitate, ratione atque vſu. Namque & Deo ab hominibus benedicitur, animi primū grati obſequio, deinde verò ea, quam Latini veteres gratulationem, alij gratiarum actionem dicunt. Benedicitur etiã hominibus à Deo: id verò ſemper beneficio réque fit, cuius pignus etiam promiſſa verbaq. ſunt. Benedicitur hominibus ab homine, vel ex manifeſto Dei mandato, vel alio quopiam iure; id verò interdum oratione, interdum rebus, nonnunquã & rebus & oratione fit. Eſt autem vna ex benedictionis rationibus eadem, quæ apud Latinos iuriſconſultos priuilegiorum eſſe dicitur, cùm priuato cuiquam homini ob res rectè geſtas, vel ob ſingulare aliquod meritum egregij alicuius muneris, aut doni, aut præmij obtinendi lex irrogatur. Sic victoribus vel laudes, vel inſignia, vel nomina & cognomina, vel monumenta, vel opima dona decernuntur: cuiuſmodi nomine illuſtris illa Iſraelitici nominis dignitas Iacobo tributa fuit, ob victoriã
Gen. 32. *illa ſacra luctatione ex fidei firmitudine reportatam. S. S. E. Dimitte*
" *me; iam enim aſcendit aurora. Reſpondit, Non dimittam te, niſi*
" *benedixeris mihi: ait ergo, Quod nomen eſt tibi? reſpondit, Iacob.*
" *At ille; Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomẽ tuũ, ſed Iſrael:*
" *quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines*
" *præualebis? Interrogauit eum Iacob, quo appellaris nomine? reſpon-*
" *dit ei, Cur quæris nomen meum? & benedixit ei in eodem loco. Huiuſmodi amplificationum, ſiue priuilegiorum, atque dignitatum, quæ quibuſdam non abſque certa & egregia ratione deferuntur, complura in ſacris lectionibus reperiuntur exempla. Atque in hanc ſententiam hoc loco benedictionem Calebo à Ioſue factam interpretamur, quæ non tantùm verbis, ſed etiam de Hebronis poſſeſſione adeunda priuilegio dato conſtitit. Oportuit autem primùm ab optimo duce in optimum Iſraelitam elogium pronuntiari, quod tantæ fidei atq. confeſſionis illa honeſta & præſtanti oratione atque petitione contenta ſummam laudem contineret, cum teſtimonio Ioſue ipſius, qui ea omnia, quæ ab illo narrabantur, vera eſſe pronuntiaret: deinde verò benedictionem illam diuini promiſſi re adiudicanda atque tribuenda compleri. Benedixit ei itaque Ioſue verbis & oratione primùm, ob*

fidem

fidem & confeßionem: deinde tradidit ei Hebron in poſſeßionem; id quod publico & ſolemni ritu factum, tranſactum & in acta relatum fuiſſe, Hebraicorum verborum obſeruata ſignificatio oſtendit in hanc formulam:Et dedit Hebron Calebo filio in hæreditatem. *Qua oratione monumenti ſiue auctoritatis præſcriptæ ſumma exponitur: ea autem certis ad ius pertinentibus verbis conſtat; donantis nomine, hoc eſt Ioſue ducis imperatorisq́; à Deo appellati, tum expugnandæ, tum præcipuè deſcribendæ, atque diuidēdæ adiudicandæq́; regionis cauſa; adſcriptionis exceptione, quæ verbo*, dedit, *indicatur: non vt ceteris ex ſorte ob commune promiſſum, ſed ob ſingulare fidei meritum & officium, ex ſingulari etiam donatione, quæ nomine eius, cui donatur, honoris atque meriti, dignitatis & certæ laudis cauſa appellato exponitur.*Calebo filio Iephune. *Donationis etiam materia definitur, & exceptionis modus explicatur. Hebron poſtulata donatur, ea verò non ad ipſius tantùm ſingularem vſum, & ad vitam vt vulgò loquimur, ſed in hæreditatem tum ipſi poßidendam, tum poſteris etiam eodem nomine ac iure relinquendam.*

Atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo vſq. in præſentem diem: quia ſecutus eſt Dominum Deũ Iſrael.

SVPERIORI *verſu auctoritas, hoc autē poſſeßio poſſeßioniſq́; continuatio, & ex temporis vſu confirmatio, quam præſcriptionem forenſes dicunt, indicatur. Atque vtriuſque rei ratio commemoratur, quam ad poſteritatis inſtruendæ exemplum memoriæ atque litteris proditam oportuit*: Quia ſecutus eſt Dominum Deum Iſrael. *Hebraicè, Quia impleuit poſt Dominum Deum Iſrael: Chaldaicè, Quia compleuit poſt timorem Domini Dei Iſrael: Græcè verò, Quia obſecutus eſt iuſſui Domini. Quorum verborum ſenſus omnis ex iiſdem ipſis, atque ex iis, quæ à nobis iam expoſita ſunt, perſpici poteſt. Verba illa ſic exponimus:*Atq. ex eo, *cauſæ ſiue rationis magis, quàm temporis notationem habet, ex illo nomine* Dominum Deum Iſrael:*cuius prima auctoritate & voluntate hæreditas illa Calebo conſtitit: ab illo enim promiſſa, huic viro danda fuit. Illud verò commodè adnotandum eſt, quamquam ad expugnandum vrbs etiam conceſſa Calebo fuerit, quod ad vſum hæreditatemq́; pertinet, Hebronis nomine agrum totum vrbis, non vrbem ipſam in poſſeßionem vſumq́; ceßiſſe. Namque vrbem ipſam Hebronem vnam ex eis*

fuiſſe legimus, quæ Leuitis ad habitandum atque etiam ad exulũ aſylum deſignatæ ſunt: ſicut ſcriptum eſt: Prima enim ſors illis egreſſa Inf.21.
» *eſt, Cariath-Arbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Iuda,*
» *& ſuburbana eius per circuitum. Agros verò & villas eius dederat*
» *Caleb filio Iephone ad poſsidendum. Dedit ergo filijs Aaron ſacerdotis*
» *Hebron confugij ciuitatem ac ſuburbana eius.*

Nomen Hebron antè vocabatur Cariath arbe. Adam maximus ibi inter Enachim ſitus eſt.

HVIVS *hiſtoriæ quamquã nobis non ſatis certa expoſitio conſtet, tamen commemorandæ ratio aperta eſt. Primùm autẽ vrbẽ illam antiquiſsimam fuiſſe, ſeptem annis ante Tanaim conditam, Moſes ſcripturis docuit: atque hoc nomine quondam dictam ſignificauit, vnde parum firmũ id eſſe videtur quod apud antiquos expoſitores legimus, à Calebi filio Hebrone nomen illi vrbi fuiſſe factum; cùm potius dici poſsit, Calebum in obtenti promiſsi monumentum filio ſuo cognomen indidiſſe Abi Hebron, id eſt Hebronis pater. Quod verò narratio hæc ſignificare videtur, illud eſt: Filiorum Enach potentia atque celebritate effectũ fuiſſe, vt Hebronis antiquo nomine Kiriath-arbagh illuſtre cognomen adderetur, propter maxima ædificiorum atq. munitionum opera illo principe extructa atque aucta vrbi illi, quam potentiſsimus fortiſsimusq́. inter Enachim ſibi nõ ſolùm in regiam viuenti, ſed in ſepulchri locum atque monumentum morituro optauerat: atque ideò multis ornamẽtis firmiſsimiſq́. muris ac turribus inſtruxerat, quibus ſobolem atque adeò famam ſuam ad perpetuã ſempiternamq́. poſteritatem conſeruatum iri ſperauerat. Alia enim huiuſmodi nominum vrbibus mutatorum, vel cognominum adiunctorum exempla magnis principum ſtudijs atque impenſis comparata antiquas hiſtorias legentibus obſeruantur. Cuiuſmodi Byzantium eſt, quam vt ſuo nomine celebrem Conſtantinus redderet, nihil non tentauit ac mouit. Docet autem hiſtoria hæc vnum ex quatuor Enach filijs, eundemq́. potentiſsimum Hebronem antiquam vrbem vi & bello occupatam adeò auxiſſe, mutaſſe, atque tum regijs aulis, tum monumentis inſtruxiſſe & ornaſſe, vt penè alterã effectã Kiriath-arbagh dici iuſſerit, eadẽ nominis figura qua Conſtantinopolis appellata eſt. Erat enim nomen principi ipſi Arbagh, quod ex Hebraica Etymologia Latinus Quatuor vel Quadruplicem reddet, ſiue id illi ex prodigioſa*

digioſa corporis membrorumq́. mole factum fuerit, vt qui Adam, hoc eſt homo maximus inter Enachim eſſet; ſiue quòd trium fratrum ſuorum, filiorum videlicet Enak coniuncta potentia ipſe quadrus vel quadruplex diceretur, vt Geryon ille propter duorum fratrum certam opem Trigeminus, aut triplici corpore à Poëtis pingebatur. Fuerant verò illius fratres Ahiman, & Seſai, & Tholmai, quorum vel nomina ipſa vrbem regionemq́. illam tum gentibus ceteris, tum Iſraelitarum exploratoribus, formidabilem reddiderant. Atque hiſtoria hæc ad Calebi fortitudinem ex fide ortã demonſtrãdam commendandamq́. ſcripta eſt: vtpote quem vrbem antiquiſſimam primùm atque antiquitatis nomine auguſtam, deinde etiã maximo formidabiliq́. cognomine auctam, multisq́. operibus inexpugnabilem cultorumq́. fortitudinis ac feritatis opinione horribilẽ, vt ſuperius dictum fuerat; in qua Enachim ſunt & vrbes magnæ atque munitæ; tamen oppugnandam petere, adire, inuadere atque oppugnare, & capere minimè piguerit, captamq́., detracto illo Kiriath-arbagh nomine, filij ſui nomine adſcribere decuerit. Hoc eſt quod nobis illa verba ſignificant, Antè vocabatur Cariath Arbe. *Antequam à Calebo expugnaretur, qui filio ſuo illius vrbis cognomen addidit, Abi Hebron appellando; eadem ratione, qua Machir Galaad patri cognomen acceſſit. Adã hîc vel proprium illius principis nomen, qui aliàs Arbagh dicebatur, interpretamur, quòd is primi illius hominum parẽtis appellationem ſibi vſurparit: vel appellatiuũ eſſe poteſt, idemq́. ſignificare, quod homo; ita vt ſenſus huius loci ſit, Arbagh hominẽ inter Enachim præſtantiſſimũ ibidem ſedem ſepulchrúmq; ſibi optaſſe.* Num. 13.

Et terra ceſſauit à prœlijs.

QVAMQVAM *oratio hæc ex vndecimi capitis fine hoc loco repeti videatur, idq́. fieri ad oſtendendam opportunitatem diſtributionis inceptæ atque longis digreſſionibus interceptæ; tamen nouæ ſententiæ atque propria ratione minimè caret, quæ tum ex hoſtium, tum ex Calebi parte conſiderãda eſt. Primùm enim declaratur hoſtes præteritorum prœliorum laboribus, ruinis & iacturis atq. cædibus adeò fractos fuiſſe, vt quamuis quieſcentes Iſraelitas, quamuis ad diuidendæ regionis cogitationem conuerſos, tamen bello ſollicitare, tentare, aut interturbare, aut aliud quicquam contra conari, nunquam animus, cura, aut odium impulerit, quia potius metus ſuis quoſq. locis*

 conti-

continuerit, adeò vt Iſraelitarum cunctorum ſtudium ab omni alia cogitatione ad expectandas ſortes fuerit traductum; præterquam Calebi, cuius vnius infractus, intrepidus, integer & fortiſsimus animus ceteris omnibus tum hoſtibus, tum Iſraelitis ceſſantibus ad noua bella aduerſus gigãtes capeſſenda paratus promptuſq; erat. Terra igitur ceſſauerat à prælijs, & tamẽ Hebron adhuc Kiriath-arbagh cognominabatur, adhuc & Enachim gentem, & illius maximi atque terribilis viri nomen monumentumq; conſeruabat, & nihilominus illius regionis oppugnandæ vrbiſq; capiendæ ſtudio incenſus erat.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

IGitur ſors filiorum Iudæ per cognationes ſuas iſta fuit: A termino Edom vſque ad deſertum Sin contra Meridiem, & vſque ad extremam partem auſtralis plagæ.

DVAS *in primis familias ſortitionem obijſſe hiſtoria hæc indicat; Iudæorum alteram, alteram verò Ioſephitarum; quod certæ cuiuſdam prærogatiuæ cauſa factum exiſtimamus: Videlicet Iacob patris iudicij, arbitrij & conſilij obſeruandi, qui diuino annuente ſpiritu Iudam primum omnium cenſeri voluit, ex cuius ſanguine illum totius orbis redemptorem Chriſtum oriũdum ſperabat: id quod ab ipſo in illis arcanis teſtamẽti prædictionibus mirabili modo ſignificatum fuit. Idem quoque Ioſephi familiam non vno tantùm, ſed multis nominibus ornatam voluit. Vtramque autem cùm Deus numeroſiſſima ſobole vltra ceteras amplificaſſet, & patris teſtamentum ſibi valde probari oſtenderat, & illarum duarum tribuum rationem præcipuam ceteris habendam declarauerat, quamobrem à Ioſue, Aharone atque duodecim viris ex Dei conſilio curatũ exiſtimamus, vt duæ illæ tribus tanquam anteſignanæ ſuis in locis conſtituerentur: quibus collocatis, reliquæ ſeptem regionis agros reliquos ſortitione diuiderent. Siue igitur tribuum omnium ſententia hæc fuerit vltrò pronuntiata, ſiue ſors etiam hoc ipſum indicauerit, duo nobis manifeſta fiunt: alterum hanc rationem omnem cum Iacobi prædictionibus conſenſiſſe; alterum verò diuina prouidentia factum eſſe, vt ea regionis pars Iudæ tribui ſorte obtingeret, in qua Hebrõ vrbs Calebo Iudæo per Ioſuã addicta recẽſebatur; ita vt Calebi fides et Ioſue iudiciũ diuina ſorte com-*

te comprobata confirmatáque fuerint. Atque ex eo factum eſſe credimus, vt ſtatim à Calebi cauſæ narratione huius ſortis iactæ mentio fieret, in qua non exacta ſingulorum locorum partiúmque omnium, ſed rudis quædam ratio exponitur, atque præcipuè illud indicatur, ad quam videlicet terræ plagam illorum hæreditates inclinarent. Hunc verò auſtralem fuiſſe docemur, ita vt tribus omnes reliquæ inter Iudam à Meridie conſtitutum Ioſephi familias à Borea ad Iordanem atque magnum mare diuiderent, ijsq; duabus cùm amplius creſcere propagariq; contingeret, locus etiam ſupereſſet ſeſe per finitimorum hoſtium agros dilatandi, ſi res faſq; poſtularent. Sortitionis ritum & morem cùm apertè Scriptura non indicet, varij variè deſcripſerunt; vel quòd ex duabus vrnis ducta fuerint nomina, tum tribuum, tum regionum, vt Hebræi veteres prodiderunt; vel quòd nominibus tantùm tribuum ex vrna productis hæreditatis locus & ſitus ſingulis optione contigerit, (quod à Ioſepho indicatum doctis viris minimè placet:) vel quòd vnica vrna hæreditatũ partitiones ſorte petendas continuerit: Tribuum verò nomina Ioſue & Aharonis arbitrio, ex certa tamen ratione fuerint appellata; ita vt liberarum filij ancillis prognatos præirent, quæ recentiorum expoſitorũ opinio eſt. Cùm verò nihil apertè ex ſacris hiſtorijs ſtatuatur, liberum cuique fuerit, quemadmodum id confici citra ſuperſtitionem tamen poſſit, exiſtimare. Nobis quidem illa omninò ſententia ſedet, nihil præter diuini conſilij auctoritatem hoc in genere fuiſſe factũ, nequid vnquam humanæ calumniæ, quod excipi poſſet, relinqueretur. Itaque tribuum nomina ab Aharone ex VRIM *&* THVMIM, *quæ in Pontificis pectorali cuſtodiebãtur relata; agri verò ſortes, hoc eſt ſitus & confinia ex vrna fuiſſe petita videntur. ideoq; ſortis nomen perpetuò cum agrorum & hæreditatum deſcriptione coniungitur. Alteram etiam cauſam fuiſſe exiſtimamus, quamobrem ducendæ ſortis initium à Iudæ tribu factum Ioſue voluerit; vt videlicet ſtatim poſt adiudicatam Calebo Hebronem vrbem cum agro ſuo quánam potiſſimùm parte ceteras Iudæ familias conſidere Deus vellet, ſorte iacta diuinitusq; diſpenſata declararetur. Atque ſingulari ac manifeſta prudentia diſpoſitum eſt, vt Iudæ ſors in eam partem caderet, quæ tributam Calebo Hebrona complectebatur; atque ita & Ioſue iudicium & ſors confirmauit, & ceteris tribubus integras minimeq; interruptas*

In libris doctrinalibus de contractibus parte prima c. 8.

Ioſeph. lib. 3. de antiq. c. 3.

Maſius.

portiones

portiones reliquit: adeò rectè adeoq́. commodè omnia ſibi conſtant, quæcunq. ex diuino proficiſcũtur conſilio, quæq́. ſanctis Dei nituntur promiſſis. Fines igitur Iudæ agrorum ſecundùm Meridiem hoc modo deſcribuntur: Sin deſertum Idumæis proximum, primus huius deſcriptionis lapis, vt ita dicamus, ab ortu inchoantibus eſt. Atq. locus hic non idem cenſendus fuerit cum illo altero Sin, quæ iter per ſolitudinem facientibus Iſraelitis octauam manſionem præbuit. Namq. diuerſa vtriuſq. in lingua ſancta pronuntiatio ſcripturaq́. eſt, quam Latini vna tantùm nota S. incipiunt, cùm duabus tamen varijsq́. Hebraicè ſcriptam videant, alterum illud per Zzamech, alterum verò per Tſade legitur; quæ & ſono & figura differunt. ex illo itaq. primo loco Occaſum verſus tendentibus Idumæorum agri pars ad dexteram relinquitur; deinde Mortui maris ora legitur ea, quæ Meridiem ſpectat, terramq́. ſubiens ſinum efficit linguæ ſimilem, ex quo fit vt Hebraicè lingua appelletur. Videtur autem ſinus hic in rupem aliquã deſinere, quia à Chaldæo paraphraſte Chipa, hoc eſt rupes vocatur. Primo itaque verſu huius termini initium Sin conſtituitur deſertũ, non totum, ſed quod Idumææ finienti contiguum eſt à Meridie, idq́. ſignificat oratio illa contra Meridiem: Ad extremam partem auſtralis plagæ, *hoc eſt ad extremam partem deſerti ipſius, quæ Auſtralis plaga Iudæ tribui inchoabatur. atque hanc expoſitionem ſecundus verſus indicat.*

Initium eius à ſummitate maris ſalſiſſimi, & à lingua eius quæ reſpicit Meridiem.

Initivm *termini agrorum Iudæ à Meridie finis eſt deſerti Sin, quod ſalſiſſimi maris extremum à Meridie ortum verſus littus tangit. Hic primus & ſummus finis ab illa parte eſt, qui ita fixus certo deinde loco indicatur, & progreſſu in Occaſu facto proximo verſu deducitur.*

Egrediturque contra Aſcenſum-ſcorpionis, & pertranſit in Sina: aſcenditq. in Cades-Barne, & peruenit in Eſron, aſcẽdens ad Addar, & circumiens Cariathaa.

Prodit *ex illo initio linea, ſiue menſorius funis Meridionalis in eum locum, cuius Hebraicum nomen Scorpionum aſcenſum ſignificat; ſiue ab illius generis ſerpentum copia, ſiue ab ipſa loci imagine factum fuerit; deinde in Sin illam, quæ deſerto proximo nomen dat,*

pertranſit,

tranſit, pauloq́; in Septentrionem reducto ſpatio Cades Barneghaa aſcendit. Vnde Heſronem pertranſit, à qua rurſus Addaram editiore loco ſitam, ſubit ad Karkagham vſque, quam Latinè legimus Cariathaam. Quod nomen & ſolum, ſiue ſitum, ſiue pauimentum ſignificat, & vrbis cuiuſque eſſe proprium poteſt, vt Chaldæus interpres probare videtur; quamquam Græci Etymologiam ſequantur potiùs. Atque hactenus eius oræ maxima pars eſt indicata, reliqua verò quarto verſu perlegitur.

Atque inde pertranſiens in Aſemona, & perueniens ad torrentem Ægypti: eruntq́ue termini eius mare magnum. hic erit finis Meridianæ plagæ.

EANDEM *fuiſſe Aſemona hanc vrbem cũ illa, cuius in Iſraelitarum vagatione & longis itinerum ambagibus mentio fit, nihil prohibet, ſicut & nobis Apparatum ſacrum inſtruentibus deſcripta indicatur tabula, quam huius commentarij lectoribus conſpiciendam commendamus, minori negotio atque labore rem ipſam cognituris. Torrentem Aegypti cũ eſſe docti interpretes volunt, quod poſtremũ ex ſeptem Nili oſtijs veteres poſuêre. In hunc verò torrentem, ſiue fluuij cornu deſiiſſe Iudæ tribum hac deſcriptione docemur, quamquam alij Rinocolarum fluuium Aegypti torrentem eſſe velint, qui tamẽ non longè ab vltimo Nili oſtio in mare deſinit. Hanc verò ab Ortu ad Occaſum ſecũdùm Auſtrum, & Iudæ tribus & totius Iſraeliticæ regionis terminũ fuiſſe, ſacra declarat Corographia. S.S.E. Locutusq́; eſt* Num. 34.
Dominus ad Moyſem, dicens, Præcipe filijs Iſrael, & dices ad eos, "
Cùm ingreſſi fueritis terram-Canaan, & in poſſeſſionem vobis ſorte "
ceciderit, his finibus terminabitur: Pars Meridiana incipiet à ſolitu- "
dine Sin, quæ eſt iuxta Edom: & habebit terminos contra Orientem "
mare ſalſiſſimum, qui circuibunt Auſtralem plagam per Aſcenſum "
ſcorpionis, ita vt tranſeant in Senna, & perueniant ad Meridiem "
vſque ad Cades Barne, vnde egredientur confinia ad villam nomine "
Adar, & tendent vſque ad Aſemona: ibitq́; per gyrum terminus ab "
Aſemona vſque ad torrentem Aegypti, & magni maris littore finietur. " *Nominum interpretatio huiuſmodi eſſe poteſt:* Sina, *ſiue Sin, Spinam ſignificat, Italicè la Spina, Hiſpanicè el Eſpinar.* Cades Barneagh, *Sacrum filij Neagh, cognomen à conditore, vel illuſtri aliquo loci principe factum, Hiſpanicè la Sagra de ſi de Neagh.* Heſron,

Ii *ſiue*

ſiue Hetſron, *Latinè Penuriam, Italicè Il fallito dici poßit.* Addara, *Latinis & Hiſpanicis, Valentia reddetur.* Carthaa, *ſiue, vt Hebraicè & Chaldaicè legimus,* Kirkagha, *Latinè ſitum vel pauimentum, Hiſpanicè* el ſitio *dicetur.* Aſemon, *ſiue* Aſemona, *quæ ſua lingua* Getſemona *pronuntiatur, Latinè robuſtam ſonat. Hactenus meridionales Iudæ fines deſcripti ſunt. Quibus repetito principio ab illo Sodomitici maris ſinu Orientales, deinde verò Septentrionales adnectuntur.*


Ab Oriente verò erit initium mare ſalſiſſimum vſque ad extrema Iordanis: & ea quæ reſpiciunt ad Aquilonem à lingua maris vſque ad eundem Iordanis fluuium.

LOCORVM *longitudo ſi ad totius terrarum orbis rationem referatur, ab Occaſu ad Ortum ſpectatur; qua in re inter Græcos Latinosq́; Geographos conuenit; ſi verò ad ipſam loci deſcribendi faciem longitudo ea dicitur, qua maximè ſeſe porrigit locus; latitudo verò altera dimenſio appellatur, qua locus ampliſſimus eſt: Sanè refert quaſnam mundi plagas hæc ſpectent. Eſt autẽ ſalſum illud mare, qui Græcis Aſphaltites lacus dicitur, ab Auſtro in Septentrionem ſtadijs quingentis & octoginta à Ioſepho dimenſore porrectum, nempe à ſinu illo quem Meridiem reſpicere legebamus vſque ad Iordanis in eundem lacum à Septentrione influentis oſtium: atque totus ille tractus Iudæ tribum ab ortu claudebat. Rurſus verò Septentrionales termini ab eodem Iordanis oſtio ad mare vſque magnum, quod mediterraneum ſiue Syriacum Græcis Latiniſq́; dicitur, definiebantur. Hoc eſt quod legimus* à lingua maris [*occidui, ſiue mediterranei,*] vſque ad eundem Iordanis fluuiũ: *itaque menſurandorum huius tribus terminorum initium à maribus factum eſt; illinc Sodomitico, in marique magno finis conſtitutus, hinc magno atque in Sodomitici maris capite, hoc eſt Iordanis oſtium deſinebat. Sed hæc terminorum ſumma deſcriptio fuit, quos rurſus diligenter ac ſigillatim per locorum omnium illuſtria nomina repetitos atque deſcriptos ita legimus.*


Aſcenditque terminus in Beth-hagla, & tranſit ab Aquilone in Beth-araba: aſcendens ad Lapidem Boen filij Ruben.

IN *ſingulis artibus vel tradendis, vel excipiendis familiarium verbo-*

verborum, quæ ad argumenti rationem expediendam vſurpari ſolent, rationem haberi operæpretium fuerit. Atque in his corographiæ expoſitionibus illæ voces admodùm ſunt frequentes, Aſcendere, tranſire, tendere, reſpicere, exire, inclinari, circum ire, deſcendere, ab, contrà, in, vſque.



Quorum pars ad loci ſitum, pars verò ad mundi plagarum aliorúmue locorum collationem refertur. Hieroſolymæ vrbis ſitum totius illius regionis editiſſimum eſſe, plurima veterum nouorumq́ librorum teſtimonia docent. Quippe Hieroſolymam petentes, aſcendere; relinquentes verò, deſcendere dicuntur. Ita cùm legimus, Aſcendit terminus, *Hieroſolymam verſus tendere intelligimus.* tranſire *verò idem ſignificat quod prætergredi locum aliquem, hoc eſt à dextris vel ſiniſtris relinquere. Tendere autem, continuum tractum porrigi interpretamur. Reſpicere verò, id eſt conuerti in aliam plagam; Inclinari, molliter flecti; Circuire, ambire locum aliquem arcu deſcripto. Deſcendere aſcenſioni opponitur. Demum Exire, in alium certum locum tendere exponimus.* Ab, *vox tunc vſurpatur, cùm locus certus vnde proficiſcimur, notatur indicatus, vel cùm mundi plaga aliqua ex altero latere relinquitur. Contra, rectum alicuius loci oppoſitumq́ aſpectum ſignificat. In, locum, quò iter intentioq́ dirigitur, indicat. Vſque præſentis tractus finem conſtituit. Horum exempla lineamentis in margine effictis ſubijcimus. Iam verò lectionem ipſam exponamus. A Iordanis oſtio Iudææ Tribus finis paulatim ſublatus recta in Bethagla tendebat; atque inde productus Beth Araban ab Aquilone receptam præteribat, aſcendebatq́ ad eam rupem, quæ Bohen filij Reuben cognomen obtinuit.*



Et tendens vſque ad terminos Debera de Valle-achor, contra Aquilonem reſpiciens Galgala, quæ eſt ex aduerſo Aſcenſionis-adommim, ab auſtrali parte torrentis: tranſitq́ aquas, quæ vocatur Fons-ſolis: & erũt exitus eius ad Fontẽ-rogel.

E x *lapide Bohen Debiran aſcendebat tractus, aſcenſus verò inchoabatur in valle Achor, qui inter Debir & lapidem Bohen iacebat, inde verò rectà in Galgalam peragebatur; vnde magis etiam conuerſus Septentriones rectiùs ſpectabat. Erat verò Galgala è regione aſcenſus Adomim, hoc eſt cliui hoc nomine appellati, qui intra terminum concluſus auſtralior quàm Galgala viſebatur, quamquam vallis*

illa Achor, Galgalis verò prætergreßis ad Solis dictum fontem, atque illinc ad Fontem-rogel procedebat. Nominum interpretatio ſic habet: Bethagla, *domum obſidionis. Atq. in locorũ appellationibus* Domus *nomen Loci opportunitatem indicat & commoditatem ad eam rem, cuius nomen in compoſitione adiungitur: vt Beth-lehem, domus panis, à frugum copia fortaßis vocata. Cùm verò compoſiti vocabuli altera pars Numẽ, vel Deum ſignificat, tunc Domus nomen idem quod ædem, vel templũ interpretamur; vt Beth-ſemes, domum Solis: Betharaba, ſolitudinis domum, ex ſitu nimirum dictam, quem in deſertiore regione, atque adeò plano latóq; ſolo occupabat.* Bohen *aliquis ex Reubenitis fuit, ex cuius vel monumento vel inſigni aliquo facto rupi cognomen impoſitum fuit, ſiue illi anteà nomen aliud, ſiue nullũ fuerit, vt magis videtur vero conſonum.* Debir, *ſiue Debira, cùm ex domus vel templorum partibus hoc nomen ſit ſumptum, eamq; ſignificet, quæ ſecretior ſanctiorq; habetur, Latinè Conclaue, Hiſpanicè la* Camara *dici poſſet. Achor vallis vnde nomen acceperit, ex Achami hiſtoria didicimus.* Gilgal *ſiue* Galgala *rotundi vel gyri ſignificationẽ habet, rotaq; Latinè, Hiſpanicè rueda ſonat.* Adomim, *aſcenſus, qui vallem, ſiue torrentem ab Auſtro habet, Rubros ſignificat; quæ locum ab ijs, quos latrones infeſti ſauciabant, nonnulli dictum exiſtimarunt: Idq; nomen monendi cauſa viatoribus vſurpatum videtur.* Roghel, *peditem propriè ſignificat, ſiue eum cuius ars pedum officio exercetur, vt fullonem.*

Hierony. ep. ad Paul.

Aſcenditq; per conuallẽ filij Ennom ex latere Iebuſæi ad Meridiem, hæc eſt Ieruſalem: & inde ſe erigens ad verticem montis, qui eſt contra Ge-Ennom ad Occidẽtem in ſummitate Vallis-rephaim contra Aquilonem.

PRODVCITVR *hoc verſu terminus adhuc ab Ortu Occaſum verſus, idq; ſecundùm Septentrionalem plagam. Valli Ieroſolymis adiacenti antiquum cognomen fuit Benhinom, id eſt filij Hinom ex Iebuſæo quodam factum, qui primus vallem illam & coluiſſe & inſtruxiſſe videtur, quam quondam amœnißimam delitioſißimamq; fuiſſe legimus; deinde propter hominum vitia & ſcelera damnatam, execratam, triſtem, euitandamq; redditam; demùm infelicißimam apud inferos hominum detentorum conditionẽ cognominis ſui ſymbola retuliſſe. Iebuſæos verò ad Meridiem relictos Ieroſolymorum vrbem*

vrbem iam inde ab initio omnibus celeberrimam ſæculis habitare, hiſtoriæ huius auctor adnotauit, præſcius illius maximi beneficij, quod hominum generi in vrbe illa fuerat à Deo conferendum. Significat verò nomen idem quod Alta, ſiue Conſpicua, ſiue Conſpicienda pax atque perfectio. Ieruſalem, eadem vero ſimplici nomine Salem vocabatur; quæ vt ab altera Salem, in eadem Cananæa regione, vt ſuo loco videbimus, diſtingueretur, IERV *prænomen magno futuræ amplitudinis myſterio accepit, eademq́ dualis numeri voce Ieruſalaim frequentiſſimè eſt appellata. Ex quo factum eſt, vt à Græcis & Latinis, plurali numero Solymi, ſiue Ieroſolymæ diceretur. Aſcendebat itaque terminus à fonte Rogel, molliterq́ ſurgebat, & vallem filij Hinnom ad Meridiem relictam præteribat, & Ieruſalem eidem valli imminentem diuidebat; ita vt partem diuiſionis Meridianam ſibi Iudæa tribus adſcriberet. Namque Septentrionalis Ieroſolymorum pars Biniaminitis ceſſit. Poſt vallem illam iterum aſcendebatur in montem alterum, quo vallis ab occaſu clauditur, cui monti vallis alia à Meridie adiacebat, giganteo Rephaim cognomẽto inſignis, ad quam vſq. Palæſtini Iudæam infeſtam reddentes aliquando excurrerunt.* Ieruſalem. Solymi.

Pertranſitq; à vertice montis vſque ad fontem aquæ Nephtoa; & peruenit vſque ad vicos montis Ephron: inclinaturque in Baala, quæ eſt Cariathiarim, id eſt, vrbs Siluarum.

PERTRANSIRE *hoc loco idem quod Deſcribere, vel definire interpretamur, à verbo* THAAR, *quod pleriq. omnes interpretes circuitionis, ſiue flexionis vocabulis exponunt. Eſt autem Hebræum nomen apud Grammaticos ac Dialecticos Thoar, quod Epitheton & formã & definitionem Latinè dicere aptè poſſumus. Itaque termini figuram ſinuoſam verbum* THAAR *Hebraicum, et Latinum Pertranſire ſignificant. A vertice igitur montis illius, qui Rephaim vallem adiacentem proſpectat, paulatim Boream verſus reflexus terminus ad fontem ſiue ſcaturiginem aquarum tendebatur, cui fonti ab inſigni aquarum irruptione nomen factum videtur: Namque Latinè Hiatus aquæ ſonat. Hunc eundem ab antiquis Hebræis fontem Getam vocatum legimus: Ex hoc fonte adhuc in Septentrionem protenſo flexu ad vicos, ſiue oppida, quæ monti Gephron adiacebant, pertinebat terminus, ex quibus oppidis rurſus occaſum petens arcus inſtar ad Baghala vſque inclinabatur, quam aliàs ex vicinarum ſiluarum* Kamhius in hunc locum.

inſigni ſpectaculo Kiriath-iegharim dictam hiſtoria docet: atq. admodum rara huiuſmodi interpretationis, id eſt, vrbs ſiluarum, *apud Interpretem noſtrum, obſeruantur exempla: apud Græcos verò frequentiora ſunt, qui tamen hoc loco πόλις ἰαρὶμ nomen ſemi-expoſitũ reliquerunt.* Balam *ſiue* Baghalam *Dominam Latinè, Hiſpanicè* Duenna *dicere poſſis. Eſt enim fœmininum nominis* BAGHAL, *de cuius ſignificatione aliàs diſſerebamus: Italicè Patrona non ineptè vocatur.*

Et circuit de Bala contra Occidentem vſque ad montem Seir: tranſitque iuxta latus montis Iarim ad Aquilonem in Cheſlon: & deſcendit in Beth-ſames, tranſitq; in Thamna.

HACTENVS *dimenſorius funiculus in Septentrionem flexus, deinde in Meridiem reflexus arcum conſtituebat, nunc verò à Baghala occaſum rectà tenditur, ad montem Seghir vſque, ſic à rupium & arbuſtorũ impexa horridaq; coma dictum, aliumq; ab illo Seghir, qui in Idumæorum ditione celeberrimus habetur. A Seghir verò productus montẽ alium ſiluoſum, qui à ſiluis Iegharim dictus eſt, contactũ à Meridie includit, Meridionalemq; relinquit. Eundem montem Cheſlona oppidũ habuiſſe, ab eaq; nomen mutaſſe, hiſtoria indicat. Significat autẽ loci nomẽ* Chezzalon *idem quod Latinis Spinæ ſimile; fortaſſis propter denſam ſpinoſarũ plantarũ copiam, ſic fuit appellatũ. Ex monte illo terminus decliuis deſcendebat in vrbẽ, cui vel à Solis æſtuſq; vehementi vi, vel à templo aliquo Soli dicato nomẽ Beth-ſames, id eſt, Solis domus erat. Ex hoc loco vlterius in Occaſum procurrens Thamnan vrbem rectà petebat. Hanc Græci interpretes ex nominis ſignificatione* λίβα*, id eſt Auſtrum expoſuère, ſed nomen proprium vrbis celeberrimæ fuiſſe Thamnitica Toparchia oſtendit.*

Et peruenit contra Aquilonem partis Accaron ex latere: inclinaturque Sechrona, & tranſit montem Balaa: peruenitque in Iebneel, & magni maris contra Occidentem fine concluditur.

TERMINO *Occaſum verſus pergente, Accaronem vrbem à Meridie incluſam præteritamq; deſcriptio indicat. Deinde rurſus Meridiem verſus aliquantulum deflexo, Secrona oppidum petitum, &*

montem

montem Baghalæ à ſiniſtra relictum ad Iabneel vſq. excurriſſe, eam ex duabus hoc nomine dictis vrbem, quæ mari proxima Iamnia à Geographis commemoratur: Demum in mari ipſo huius funiculi, qui ob ortu ad occaſum per Septentriones deductus fuerat, finē fuiſſe factum; ceterum Occidentalē terminum magni, hoc eſt Palæſtini maris littore, eo quod à Iamneel ad Aegypti fluuium portenditur, definitum eſt.

Hi ſunt termini filiorum Iuda per circuitum in cognationibus ſuis.

DVOBVS *funiculis, altero ab Aegypti fluuio, ad mortui vſq. maris vltimum ſinum, qui Meridiem ſpectat; altero à Iordanis oſtio ad magnum mare; duplici item mari, videlicet mortuo & Palæſtino, omnis Iudææ tribus claudebatur ager, qui ad familias omnes locandas alendasq́; ſatis ſuperq́; fuit.*

Caleb verò filio Iephone dedit partem in medio filiorum Iuda, ſicut præceperat ei Dominus: Cariath-Arbe patris Enac, ipſa eſt Hebron.

Deleuitque ex ea Caleb tres filios Enac, Seſai & Ahiman, & Tholmai de ſtirpe Enac.

AD *prouidentiæ diuinæ argumentum fideiq́; viuæ commendationem Calebi hiſtoria commemoratur hoc loco, cui petita atque diuinitus donata hæreditas intra Iudæ tribum contigit; eademq́; res ex animi ſententia ſucceßit expugnata Hebrone vrbe, indeq́; fortißimis habitatoribus pulſis. Eſt autem huiuſmodi hiſtoriæ connexio: Sorte demùm Iudæ tribus cauſa iacta effectum eſt, vt eadem in regione Iudæ familiæ omnes locarentur, in qua Calebus Hebronē fidei conſtantiæq́; ſuæ monumentum optauerat & petierat, eandemq́; Dei voluntate ac iudicio obtinuerat;* ſicut præceperat ei Dominus. *Latinæ orationis ambiguitatem Hebraica lectio explicat, Ad os Domini ipſi Ioſue; qua ſignificatur Deum à Ioſue conſultum expreſſo reſponſo accepiſſe.* Cariath-Arbe patris Enac. *Eandemq́; Hebrona appellatam Calebo citra ſortem ex certo ac ſingulari dono in fidei teſtimonium & monumentum adſcribi oportere, illiq́; vni adiudicari atq. tradi expugnandam cum promiſſo præſidij diuini, cuius ope vrbs, quãuis munitißima cultorumq́; feritate & fortitudine expugnatu difficillima videretur, tamē certißimè expugnãda, capienda obtinendaq́; eſſet. Id quod euentu ipſo*

tu ipſo probatum firmatumq́; fuit. Siquidem Caleb ad illam expeditionem ſeſe parauit; quam paulò poſt Ioſue mortem, vt ſuo loco videbimus, abſoluit: tribus Enac filijs, quorum nomina vtpotè celeberrima recenſentur, ex illa deletis & pulſis. Atque vt ſacrarum hiſtoriarum obſeruata oratio indicare videtur, antiquum & commune hominum illorum nomen Enac fuit, à primo quodam auctore generis acceptum, toti deinde genti inditum & conſeruatũ, ex cuius etiam ſtirpe Arbagh ſiue Arbe prognatus Hebronem cognomento auxit ſuo. Huius autem filios, etiam cùm Ioſue & Caleb illa loca explorarent, celeberrimos fuiſſe legimus, qui totis illis quadraginta annis ſupereſſe adhuc potuerunt, tandemq́; à Calebo pulſi deletiq́; ſunt; vel, ſi iam illi vita exceſſerant, eorum tamen poſteritati parentum nomina conſeruata intelligamus neceſſe eſt. Sic enim Edom, Amon, Moab, Madian, & Iſmael, Nabaioth, aliasq́; gentes maiorum ſuorum nomina retinuiſſe nouimus. Itaque Calebo & fidem ſuam & voluntatem diuinam non ſolùm profeßione, ſed efficacißima atque felicißima expeditione declarauit, vrbe antiquißima & munitißima capienda, immanißimisq́; hoſtibus inde pellendis.

Atque inde conſcendẽs venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath-ſepher, id eſt Ciuitas literarum.

Q V A M Q V A M *Hebrona vrbem præcipuè ſibi concedi adſcribiq́; optauerat Caleb, non tamen illam ſolùm occupare & expugnare conſtituerat; ſed loca omnia ab illis gigantum gentibus poſſeſſa, ideóq; à Ioſue totum illum montem poſtularat, poſtulatumq́; obtinuerat. Felicißimo igitur initio facto, atque fidei ſuæ Deo probatæ & gratæ monumento Hebronis expugnatione conſtituto genti cognationiq́; ſuæ, fidei etiam virtutisq́; exercendæ materiam propoſuit; quam ſuo exemplo ad oppugnandam vrbem alteram, antiquam etiam, & duplici nomine celebrem incitauit, victoriæ pulcherrimo præmio expoſito, nempe chariſſimæ filiæ coniugio. Antiqui vrbis illius cognomenti rationem alij aliam, omnes vero incertam afferũt. Quidam ex Hebræorum ſcriptoribus Perſicum vocabulum,* Debir, *eſſe aiunt, idemq́; cum Sepher ſignificare, hoc eſt librum: Græci interpretes Literarũ vrbem vertunt: eaq́; explicatio vulgatæ noſtræ editioni adiuncta eſt. Doctus & pius Maſius bibliothecam publicam & antiquißimam illic aſſeruatam fuiſſe exiſtimat; cùm Sepher librum, narrationem, hiſtoriam*

& le-

& lectionem ſignificet. Nos de antiquiſsimis rebus vno tantùm loco breuiter commemoratis, quod ſtatuere poſſumus, certi nihil habuimus. illud tamen adnotare iubemur, vrbem illam & nominum mutatione antiquiſsimam, & ſitu ipſo munitiſsimam oſtendi.

Dixitq; Caleb, Qui percuſſerit Cariath-ſepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.

NON *ignauiam ſuã; ſed aliorum ad fidei fortitudiniſq; exẽplum excitationem Calebi hæc oratio oſtendit; qui cùm ſenior iam totius regionis munitiſsimam vrbem fidei virtute atque præſtantia cepiſſet, eiuſdem laudis & vtilitatis habere ſocios voluit, omneſq; pariter viros ſtrenuos ad piæ honeſtæq; gloriæ ſtudiũ incendi curauit, fidei virtutiſq; imitatori ſuæ adoptionis in propriam familiam ius communicationemq; pollicitus, idq; filij nomine ac titulo: Nã qui illi gener eſſet, filijs maribus aliàs carenti, filius ex more & lege appellandus erat. Atque cùm multi fortaſsis & laudis & honoris illius præmium expeterent, vnus tamen Othoniel Calebo ſanguinis neceſsitudine proximus, vtpotè frater, & fidei magnitudine, virtutiſq; præſtantia ſimillimus, aſſecutus eſt.*

Cepitq; eam Othoniel filius Cenez frater Caleb iunior: deditq; ei Axam filiam ſuam vxorem.

DIVINÆ *prouidentiæ oſtendendæ cauſa hiſtoria hæc opportunè hoc loco ſcribitur. Pollicitus namque Deus fuerat ſe Calebo terram illam exploranti peragratam in ſuum atque poſteritatis ius donaturum. Nũnc verò propoſito per Calebum expugnandæ vrbis illius præmio honeſtiſsimo filiæ vnicæ coniugio, euenit, vt Othoniel Calebi frater illam rem, magna fide fultus, magnáque virtute inſtructus, ſibi ſuſcipiendam duxerit, & ſuſceptam confecerit; atque ita qui genere cõiunctiſsimus aliàs erat, coniugij iure adoptatus, legitimuſq; filius appellatus, promiſsi Calebo facti, atque doni diuinitus delati communione iungeretur. Ideò enim Othoniel Cenez filius appellatur, vt eiuſdem cum Calebo aui nepos fuiſſe indicatur. Fratris autem nomine familiam omnem cognatorum cõmunicare ex ſacri ſermonis frequentibus exemplis cognouimus. Quamquam ſunt qui dicant, Calebum & Othonielem germanos fratres: ſunt etiam, qui ex matre tantùm eadem, varijs patribus natos exiſtiment. Sed coniugiorum legaliumq; affinitatum ratio poſtulat, vt patrueles illos potiùs fuiſſe cenſeamus.*

Itaque quod dicitur filius Cenez, *ab ſpurio atque alieno diſtinguitur. Voluit enim Deus donum illud viro coniunctiſſimo, legitimo, atque adeò paternæ virtutis & familiaris pietatis cultori & imitatori deferri. Quod ſi quiſpiã affirmare velit eos germanos omninò fuiſſe fratres: id profectò à nobis in contentione ponetur minimè.*

Qui cùm pergerent ſimul, ſuaſa eſt à viro ſuo, vt peteret à patre ſuo agrum, ſuſpirauitq; vt ſedebat in aſino. Cui Caleb, Quid habes? inquit.

QVAMQVAM *cupidæ feminæ artes hoc loco ad viuũ depingantur, tamen harum artium in hac virgine exercitationem ex fide profectam intelligimus, atq. in hanc partem interpretamur. Adeò enim Axæ & Othonielis coniugium, & donatæ diuinitus hæreditatis copia placuit, vt curatum fuerit ne conditionis illius vel ipſam, vel virum pænitere vnquam poſſet: Ideoq; rationes ſuas ab ipſis initijs, cùm opportuniſſimum erat, componere, ornare, atque confirmare viſum eſt. Siquidem cui vir contigerat, & optimus, & maximè optandus, tamen fundus ingratior & ſterilior adſcriptus erat, qui multo cultus labore adeò exiguum fructum ferret, vt facilè alio ſolo eſſet commutandus. Id verò ne vnquam accideret, proſpiciendum ſibi prudens puella cenſuit, atque viro ſeſe iam nuptam domum ex more ducenti, curam mentemq; aperuit ſuam, & vt res ipſa docet, ſecretò probauit. Nam quod Latinè legimus,* ſuaſa eſt à viro ſuo, *ita exponendum eſt, vt ipſa prima viro, quid animo agitaret, expoſuerit, eodemq; adnuente rationem, modũ actionemq; inuenerit, quo patri illa opportunitate exultanti, & lætitiæ pleno nihil non perſuaderet. Hebraicum verbum* THEZZITHEHV, *eam, quam explicuimus, actionem ſignificat; monuit incitauitq; illum, vt ſibi copiam faceret agri à patre poſtulandi, obtentaq; à viro copia, ſeſe gemebundam ex aſello deiecit. Græci interpretes verbum illud ſic tranſtulerunt,* καὶ συνεβουλεύσατο αὐτῷ: *Chaldæus vertit, Et incitauit eum. Moris quondam fuit, vt ſponſæ nuptæ ex patris domo ad viri ducerentur ædes, notorum familiarium cognatorumq; turba comitante; quæ ſi longius à viri domo peterentur, vel aſinis, vel mulis, vel equis pro regionis conſuetudine, vel camelis, honoris cauſa vehebantur. Idem nunc apud Saracenos obſeruatur mos, cuius etiam veſtigia nõnullis in locis, in quibus hoſpites aliquando fuimus, adnotabamus. Atque adeò apud eos montanos*

vicos

vicos, qui rupi noſtræ in Aracenæ agro vicina colunt, nouam nuptam ad templi vſque veſtigium aſello vehi honeſtum putatur. Hunc adeò morem hoc loco obſeruatum docemur, atque ex eodem commoditatẽ ab Axa perceptam ad curam ſuam patri ſolertius indicandam. Namque verbum THITSNAHH, *pro quo Latinè legimus, Suſpirauit, amplioris ſignificationis eſt; quod Chaldæus vertit* ITHRECHINATH, *id eſt demiſit ſeſe: Græci* ἐβόησεν: *noſtra verò verſio alicubi Deſigẽdi in terram ſignificatione exponit. itaq. & Suſpirare & vnà cum ſuſpirio ſeſe ex aſello demittere, explicamus. quo geſtu puella patrẽ in magnæ curæ, vel affectus alterius ſuſpicionem & metum impulit; atque ita perturbatum vehementius ad poſtulandi ſibi agri conceſſum permouit. id quod interrogatio illa ſolicitudinis paternæ interpres indicat,* Quid habes? *admirationem ſimul, & cognoſcendi curam, atq. etiam anxietatem quandã præ ſe fert hæc oratio, Quid habes? Vel vt Hebraicè eſt, Quid tibi? vt etiam Græcè legimus: cuius exemplum eſt illud, Quid eſt tibi mare, quod fugiſti: & tu Iordanis; quia conuerſus es retrorſum? Non potuit pater in media deducendæ filiæ lætitia non perturbari, viſo puellæ ſeſe deijcientis geſtu, ſuſpirioq́; audito.* Iud. 4. Pſalm. 114.

At illa reſpondit, Da mihi benedictionem: terram auſtralem & arentem dediſti mihi, iunge & irriguam.

C V M *exordij ad petitionem inchoandam officium geſtu ſuſpirioq́; illo Axa artificioſè expediſſet, atque illo modo patris erga ſe affectum permouiſſet, poſtulatione quàm primùm expoſita occupandum, atq. in illa deducendi feſtinatione antequàm aliud cogitare ſineret, exorandũ duxit, orationis verbis vſa ſelectiſsimis pro temporis atque rei ratione & opportunitate. Verborum autem pondus à perſonis & rebus petitur: filia patrem poſtulat, eo tempore cùm patres eſſe ſolent lætiſsimi, cùm nihil cunctandum ſibi eſſe exiſtiment, quo minus nuptiæ abſoluantur; maximè verò cùm nuptialia dona, quo illuſtriora ſunt, eo magis paternum animum filiæq́; probitatem prædicant. Hæc omnia verbis illis exprimuntur* da mihi: *mihi filiæ tibi gratæ, & charæ, atque tali viro taliq́; parente dignæ, tu pater da; id verò non coniugis, ſed meo poſtulo nomine: quæ enim coniugi tribuiſti, ea illius meritis adſcribi oportet, nimirum vrbem Kiriath-ſepher ipſius armis & ſagaci cura atque opera expugnatam, cui & me etiam virtutis ergò locaſti; mihi verò, hoc eſt in meum priuatum & ſingulare ius nihil ha-*

ctenus dediſti, quo teſtari tuum erga me paternum præcipuumq́ amorem auctario aliquo ſingulari volueris. Solent autem parentes liberos, quos chariores habent, liberali aliquo dono præter commune ius, vel conſuetam dotem ornare. huiuſmodi beneficÿ exemplum in me oſtendes pater, ſi benedictionem mihi ſingulariter tribueris. Habes autem & commoditatē, & materiam vt hoc efficias: materiam quidē, quòd terram auſtralem, & arentem cùm dederis, vel me meliori dote indignam cenſueris, vel ſi marito dignam tali exiſtimaueris, tamen opportunitatem nactus ſis ad res noſtras mea cauſa amplificandum, ÿs etiam addendis & adiungendis, quibus ad ea quæ iam dederas maximè opus eſt. Dediſti terram arentem, habes vnde ariditas atque ſterilitas corrigi poſſit, nempe aquæ riuis deducendæ copiam; hoc etiam vt addas, & mei erga te meriti, & tui erga me amoris beneficyq́ fuerit. Hæc artificioſæ petitionis explicatio eſt. Verborum vero præcipuorum breuiter eſt expoſitio addenda. Nomen Berachah *Hebraicum auguſtum eſt & pulchrum, atque in rectis, lætis fauſtisq́ rebus vſurpatur. Ex quo fit, vt Benedictionis, fertilitatis, priuilegÿ amplificationis, dignitatisq́ rationibus ſignificandis opportuniſſimum ſit, atque ad Dei erga homines, hominum etiam aliorum erga alios beneficia ac dona referatur. Plerumque autem à Latinis interpretibus Benedictionis vocabulo redditur, quod pro adiunctæ rei ratione exponendum eſt: vt, Vir benedictus, id eſt auctus, decorisq́ dotibus ac donis amplificatus: Benedicta in mulieribus, ornatiſſima multisq́ Dei beneficÿs & muneribus præter ceteras auctiſſima. Ager benedictus idem dicitur, qui ſingulari fertilitate inſignis eſt. Hoc etiam verbo parentes filÿs, quos voto atque ſtudio promouebant, bene precari conſueuêre. id quod in nuptÿs etiam fit. Idem etiam nomen parū variato vocalium ſono* BERECHAH *aquarum piſcinam, ſiue ſtagna ſignificat. Ex quo Arabicum vocabulum ab Hiſpanis etiam vſurpatum conſtat, Alberca. Acutè itaque & commodè prudens puella aquarum copiam & vſum à patre impetratura nomine vſa eſt* BERECHA, *quod Fauſtitatem, bonas preces, ſingulare beneficium, priuilegiū, fertilitatem atque etiam aquæ ſignificat copiam.* Terram auſtralem. *locorum natura & vis ex ſitu aliquando ſignificatur in ſacris libris:* Vitruuius. *Nam qui montes Arcton ſpectant, & aquas vberiores & ſiluas habent denſiores; id quod ab architectis, in Italiæ commemoratione, diligēter obſeruatum adnotatumq́ eſt. Contra verò quas decurrens aſſiduo*

duo aſpectu exurit ſol, auſtro expoſitas regiones aridiores ſterilioresq́, eſſe videmus; id quod omnes ferè Italiæ & Galliæ montes Africæ obiecti demõſtrant. quamobrẽ calidæ aliàs regionis & rarioribus fontibus atq. fluuijs inſtructæ Cananæa loca illa, quæ Meridianus illuſtrat aſpectus, perpetuo ſolis exuſta calore ſicciora efficit. Ex quo fit, vt Auſtralem terram arentem intelligamus, huiusq́, ſignificationis illud eſt: Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro. Pſalm. 125. *Terram itaque arentem ſibi ad incolendum datã Axa ait: eam verò aquarum deducendarum commoditate augeri poſcit.* iunge & irriguam. *Hebraicè eſt,* & dabis mihi guloth aquarum. *Guloth verò Vortices Latinè dici poſſunt, à vertendo dicti, vt Guloth à Galal etiã Hebraicè deduci poteſt, quod Voluere & Vertere ſignificat. Et quia ex fontiũ verticib. aquæ in riuos diduci ac deduci cõmodè poſsũt, Interpres noſter* irriguã *vertit, non ſolùm aquarũ copiã ipſam, ſed et agrorum, per quos riui deducerentur intelligẽs. Neq. enim opportunũ eſſet aquas filiæ donare, & agros illos vel ſibi retinere, vel alijs cõcedere, qui aquarũ deducendarũ ſeruitutem ſine vllo ſuo emolumẽto perpeterentur. Igitur de fundo etiam ipſo cum Interprete noſtro exponendũ eſt.*

Dedit itaque ei Caleb irriguum ſuperius & inferius.

ORATIONE *illa perſuaſus, necnon generi virtute inductus, non ſimplici, verùm duplici proſecutus dono, filiam auxiſſe narratur, vt qui & ſuperiores aquarum ſcaturigines, quibus cliuoſa, & inferiores, quibus planiora loca irrigari poſſent, liberaliter conceſſerit. Tanti fuit pium atque amantem patrem ab officioſa & prudenti filia opportunè ſolicitari. Chaldæus paraphraſtes hunc locum ſic expoſuit: Dedítque ei domum irrigationum ſuperiorem, & domum irrigationum inferiorem. Græcus verò codex noſter, hoc eſt, Regius, Hebræa verba ſuo ſono reddit,* τὴν γωλατμαιμ: *alia verò Græca exemplaria aliter habent. Sed omnium eòdem ſententia tendit. Demùm ſortem promiſsúmque Dei & Calebi etiam iudicium in eandem rem conſenſiſſe docemur; ita vt omnibus nominibus regio illa Calebo adſcripta, atque filiæ generóque aſsignata conſtitiſſe apertè videatur. Atque hæc certa adſeueratione exponuntur.*

Hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Iuda per cognationes ſuas.

EA *in vniuerſum quæ deſcripta certiſq́, terminis definita fuit, et hæ illius partes ijs rationibus & nominibus, quæ commemorata ſunt,*

 aſsi-

aſsignatæ & conſtitutæ, in quibus promiſsi liberalis Dei, fidei piorũ, & officij proborum exitus exempla intueri eſt.

Erantque ciuitates ad extremis partibus filiorum Iuda iuxta terminos Edom à Meridie: Cabſeel, & Eder, & Iagur.

QVEMADMODVM *quatenusq; regio illa habitaretur, quámque frequentibus cultoribus alendis ſufficeret, celebriorum vrbium nominibus recenſendis declaratur: initio primùm ſumpto ab eo latere, quod Meridiem ſpectabat, atque ab eiuſdem lateris orientali parte.* Cabſeel *Congregationem fortis Latinè, Italicè Compagnia valente ſonat, in qua Banaius Ioiadæ filius natus memoratur.* Eder *verò ſiue* Gheder, *Gregem dicere Latinè poſſumus.* Iaghur *Timendam, ſiue Terribilem vertimus.*

Et Cina, & Dimona, & Adada.

TERNÆ, *vt proximæ inter ſe iacebant, his verſibus recenſentur.* Cina, *vel Nidum feminino genere, vel poſſeſsionem ſiue incrementũ rei ſignificare poteſt; Hiſpanicè* Nidada *vel* Granja. Dimona, *Stercaria, Gallicè la fienterie.* Ghadgada *ſiue* Adada *ad prædæ ſignificationem accedit: Hiſpanicè* Preſera *non ineptè fortaſsis diceretur.*

Et Cedes, & Aſor, & Ietham.

NON *vna tantùm vrbs* Cades, *ſiue* Cedes *in illis regionibus dicebatur. hæc autem eadem videtur eſſe, quam ſuperioribus Cades-Barneagh legebamus. Cuius nomen ſanctitatem, ſiue ſecretionem ſignificat, Hiſpanicè* Sagra *vocaretur.* Aſor, *atrium, Hiſpanicè* Corral. Ietham, *ſiue, vt Hebraicè pronunciatur,* Iithnam, Sueldo *vel* Suelda *Hiſpanicè dicetur.*

Ziph, Telem, & Baloth.

ZIPH, *Picis vel bituminis etymologiam Hebraicã habet, Latinè Picaria, Hiſpanicè* Pega *ſiue* Peguera. Telem, *Hebraicam etymon nobis notam non habet; ex affinitate autem literarum, Tectam ſiue Opertam vocare quis poſsit, Hiſpanicè* Cubierta. Baloth, *Hiſpanicè* Duenas.

Haſor noua & Carioth, Ieſron, hæc eſt Aſor.

HASSOR, *alia ab illa ſuperiori.* Noua, *vrbis nomen proprium, quod Græci interpretes vertiſſe, & diſtinctionis cauſa nomini Haſor adiunxiſſe videntur: idq; ex Chaldaicæ lectionis potius quàm ex*

Hebrai

Hebræi nominis ratione factum exiſtimari poßit. Quam verſionē noſter eſt ſecutus Interpres. Carioth, *vrbes: Hiſp.* Villas. Ieſron, *Hebraicè legimus* Heſron, *yſdem primis elementis, quibus Haſſor conſtat. Vnde eadem vrbs eſſe dicitur, nomine vnius literæ* NVN *adiectione variato.*

Omam, Same, & Meloda.

AMAM *ſiue* Omam, *populoſam vel populatam, Hiſpanicè* Puebla. Same, *Hebraico ſono* Semagh, *Auditio vel congregatio, Hiſpanicè Iunta.* Meloda; *tranſpoſitas habet literas, Hebraicè, Chaldaicè & Græcè, atque aliàs, in verſionis noſtræ emendatis codicibus,* Molada *legitur: Latinè familiam, ſiue progeniem; Italicè La caſata.*

Et Aſergadda, & Eſſemoth, & Bethphelet.

ASARGADDA *ex ſimplici vocis etymologia ſignificat Atriū hædorū: Hiſpanicè* Coral de chibos. Eſemoth, *ſiue* Heſmon, *Tacitam poſſumus interpretari: Hiſpanicè,* Callada. Bethpeleth, *Domus euaſionis: Hiſpanicè,* Caſa guarida.

Et Aſerſual, & Berſabee, & Baziothia.

ASERSVÁL *Atrium vulpis, Hiſpanicè* Coral de vulpeſas. Berſabee, *Iuramenti, ſaturitatis & ſeptimi puteus, cuius nominis cauſæ à Moſe expoſitæ ſunt.* Baziothia; *Contemptus eius; Hiſpanicè* deshechada.

Et Baala, & Humeſen.

BAGHALAH, *Dominam Latinè, Hiſpanicè* Duenna: *&* Humele *diſiunctim legendū eſt* Ghum *ſiue* Ghim, Eſem *ſiue* Ghitſem. *ſic enim Hebræi & Chaldæi, & Græci legunt, & in alijs Latinis codicibus eſt:* Et Baala, & Im, & Eſſem. IM *ſiue* Ghim *fortem Latinè ſonat, Italicè ferma.* Eſſem *ſiue* Ghetſem, *Os: Hiſp. Hueſſo.*

Et Heltholad, & Exul, & Sarma, et Sicelegh & Medemena & Seſenna.

ELTHOLAD, *forte genus, ſiue fortis genus, Hiſp.* Valiente engendro. Exul & Sarma. *alij codices,* Chezzil *&* Harma; *ſic enim Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè eſt. Significat* Chezzil *ſtultum, Gallicè le Sot.* Harma: *Anathema ſiue ſacrū, Hiſpanicè* Sagra *dici poteſt.* Sicelegh, *Hebraicè Tſiclegh, Latinè Arcta menſura verti vtcunq. poßit.* Medemena. *Hebraicè Madmona, Fimaria Latinè*

tinè, *Hiſpanicè* Eſterquera. Seſenna *Rubus Latinè*, *Hiſpanicè* Carçuela.

Lebaoth,& Selim,& Ghenremmon.

Lebaoth *leænas Latinè ſonat*, *Hiſpanicè* Leonas. Selim, *Propagines Latinè*,*Hiſpanicè* prouenas. Ghenremmō,*ex Hebraico Oculum mali granati*,*Hiſp.*fuentelgranado *exponemus. Eſt autē hoc vnius vrbis vnum nomen,non duarum.*

Omnes ciuitates viginti & nouem, & villæ earum.

Si *quis Hebraica locorum nomina numeret,triginta octo in ſumma comperiet,nouem videlicet vltra nouem & viginti. Sunt qui nouem illas quæ ſuperant, ad Simeonis tribu referri velint.Verùm nobis illa altera expoſitio placet: Ea loca quæ vrbium nomina atque titulos mererentur, viginti nouem fuiſſe; oppida verò aliàs magna & frequentia; quæ tamen vrbes muro cinctæ non eſſent, addita eſſe nouem, ex quarum numero Hatſar Gaddar, & Haſſar Sual fuiſſe videntur. Namque Hatſar ſiue Aſar Latinè Atrium, Hiſpanicè* corral *vertimus: ſic Hiſpani oppida nonnulla aliàs celebriora vocant, vt* El corral de Almaguer. *Erit itaque illa huius loci ſententia: Omnes ciuitates viginti nouem fuere, cetera verò quæ recenſita ſunt, villæ earum fuere, vel in earum vicis enumerandæ. Nam quod Latinè legimus*, Villæ earum, *Hebraicè eſt* Hatſrehē;*ita vt Hhatſar Villam etiam apud Interpretem noſtrum ſignificet.*

In campeſtribus verò; Eſthaol,& Sarea, & Aſena.

Recensitis *ijs vrbibus,quæ Iudæ terminos à Meridie definiebant, eæ etiam commemorantur,quæ longè lateq; iacente planitie interiora terrarum occupabant.* Eſthaol,*altera ab ea,quæ in Dan tribu commemorabitur;Poſtulam ſiue poſtulatā dicere poſſumus, Hiſpanicè* demanda. Sarea,*Crabronia Latinè*,*Hiſpanicè* Abiſpal. Aſena, *Dupla vel duplicans*, *Hiſpanicè* la dobla.

Et Aſone, & Engannim, & Taphua,& Enaim.

Azone,*ſiue per tranſpoſitionem* Zanohah,*Semota Latinè*,*Italicè la diſcoſta.* Engannim,*Hortorū fons*, *Hiſp.*la fuēte los huertos. Taphua, *pomum ſiue pomariū*, *Hiſpanicè* Mançanar. Enaim, *ſiue* Ghenaim,*Scaturigo Latinè*, *Hiſpanicè* borbollon.

Et Ierimoth, & Adullam, Socho & Azeca.

Ierimuth *ſiue* Iarmut, *vel altam, vel fraudulentam interpretari*

pretari licebit: Hiſpanicè la Alta, o la Artera. Adullam, *ab ornatu nomen ſortita videtur, quòd cultorum decus ornamentúmque eſſet.* Socho, *quod ex duobus verbis deduci poteſt, vel Sepes, vel picta dicetur.* Azecha *Latinè foſſam, Hiſpanicè vero redditur* la Caua. *Cuius nominis oppidum in Toletano agro etiam nunc eſt ab Iſraelitis, qui illam regionem olim habitauere, impoſitum, à quibus & loca alia nominibus patrijs appellata ſunt in eodem agro, vt Matreda, Aſcalona, Icuenes, Ioppe ſiue Ioppes.*

Et Saraim, & Adithaim, & Gedera, & Gederothaim.

SARAIM *ſiue* Sagharaim *idē quod portæ duæ ſignificat, vnico tamen ac ſimplici vocabulo.* Ghaditaim *duo ornamenta dicere licebit.* Gedera, *Caulam; Hiſpanicè* Apriſco. Gederothaim, *los dos apriſcos vertimus.*

Vrbes quatuordecim, & villæ earum.

CVM *verò quindecim numerando prodantur, exiſtimant interpretes Gederam & Gederothaim vnicam vrbem eſſe, duobus nominibus dictam: verùm illud magis placet, magni oppidi cuiuſpiam, quod muris cinctum non eſſet, fuiſſe etiam hîc appellatum, idq́ in vrbium ſummam non eſſe relatum.* Kamhius.

Sanan, & Adaſſa, & Magdal-gad.

SANAN, *Spinam.* Hadaſſa, *Recentem, Hiſp.* la nueua *dicemus. communis quidem multis linguis oppidorū appellatio, vt Villa nueua,* Neuſtat, *Caſtelnouo.* Magdalgad, *Sideris turris, Italicè Torre di fortuna.* Delean, *ſignificationē nullam ſimplex nobis verbum indicat; ex duorum verò compoſitione, Exilem humilē exponere licebit: Belgicè* arme kerme *ſimili iunctura reſpondet.* Maſepha *verò Latinè ſpecula dicitur, Hiſp.* el Atalaya. Iectel, *Fortis victoria Latinè ſonat: Italicè, Viua chi vince.*

Lachis & Baſchat, & Eglon.

NEQVE *Lachis nominis origo nobis conſtat ſimplex, niſi omine, vel pacto aliquo ſibi ſufficiens dicta fuerit. Namque ex duabus vocibus Lachi es* Lachis *componi poteſt, quod, Tibi conſtat, Latinè reddatur.* Baſchat *ſiue Baskah, Cōſperſionem, Hiſpanicè* la Peulme *dicemus.* Eglon, *Reiectio, Hiſp.* Deshecha.

Chebon & Iemes & Cetis.

CHEBON, *ſiue* Chabon, *vt in alijs codicibus, inq́ Hebræis, Chal-*

dæis & Græcis exemplaribus eſt, Extinctoriam Latinè, Italicè verò la Smorza ſignificare videtur. Iemes, *ſiue, vt Hebraicè eſt* Lahhmas, *Ad iniuriam, ſiue iniuriam dicemus, Gallicè, La Souercherie. Videntur enim quædam nomina ex ominibus, aut minis etiam vrbibus fuiſſe impoſita.* Cetis *ſiue* Cetlis, *Murariam, Hiſp.* Paredes.

Et Gideroth, & Bethdagon, & Naama, & Maceda: ciuitates ſedecim, & villę earum.

GIDEROTH *ſiue* Gederoth, *Caulas Latinè, Hiſpanicè* los apriſcos. Bethdagon, *Aedes ſiue templũ Dagonis. Namq. vrbes quædam à numinibus, quæ ſibi tutelaria credebantur, olim apud gẽtes, ſiue à templis illorum numinum dicatis nomini, cognomina trahebant.* Naama *Delitioſam Latinè dicemus, Hiſpanicè* Deleytoſa. Maceda, *Inclinatam ſiue inclinantem, Hiſpanicè* Corua *ſiue* Coruada.

Labana, & Ether, & Aſan.

LABANA, *Hebraicè pronuntiatur* Lebna, *ex multis ſignificationibus, quas præfert hoc nomen, ea à parte ſeligi poſſe videtur, quæ à Populi arboris Etymologia deducitur, Populetum; Hiſpanicè* Alameda. Ether, *denſitatem ſi vertamus, non aberrabimus; Hiſpanicè* eſpeſſura. Aſan *fumum ſignificat, Hiſpanicè* fumera.

Ieptha, & Eſna, & Neſib.

IEPTHA, *Apertoria, Hiſpanicè* Abridera. Eſna *Duplicans ſiue duplex, Hiſpanicè* Doblete *dicetur.* Neſib, *Cumulus, Hiſpanicè* Monte.

Et Ceyla, & Achzib, & Mareſa: ciuitates nouẽ & villæ earum.

CEYLA, *à Iakagh dicta videtur, pro quo Latinè, Pendere, vertimus, Hiſpanicè* Coſtanilla *vocari poſſit.* Achzib *Mendax, Latinè; Hiſpanicè* Falſera. Mareſa *Capitalis, Italicè Teſtara dicetur.*

Accaron cum vicis & villulis ſuis.

ACCARON *vel Euulſam, vel radicoſam rectius dicemus: Hiſp.* Raygon.

Ab Accaron vſque ad mare, omnia quæ vergunt ad Azôtum & viculos eius.

AB *ijs vrbibus, quas in plano ſitas legimus, terminorum Iudæ deſcriptio verſus occaſum ab Accarone ad Azothi vſque agros protendebatur. Erat autem Azotus celebris Palæſtinorum vrbs, qui maritima*

ritima loca, vt iam aliàs edocti ſumus, incolebant, atque ab Azoto ſecundum occaſum is, qui ſubiungitur, finium tractus erat.

Azôtus cum vicis & villulis ſuis: Gaza cū vicis & villulis ſuis, vſque ad torrentem Ægypti, et mare magnū terminus eius.

HABET Azôtus *Hebraicum nomen à Glebarum fractione, vti videtur, factum, quod Latinè non ineptè diceretur Nouale, Hiſpanicè autem* Rompida. Gaza, *Capra, ſiue Caprea Latinè dicitur. Hic autem terminus à Gaza, hoc eſt ab extrema Septentrionalis lateris vrbe ſecūdùm Palæſtini maris littus ad Rinocoluram, ſiue poſtremum Aegypti flumen deſcribitur. Itaque duo latera, Occiduum videlicet & Auſtrale, in Aegypti fluuio coniunguntur.*

Et in monte Samir & Iether & Socoth & Déna, Cariath ſenna, hæc eſt Dabir: Anab & Iſtemo, & Anim, Goſen, & Olon, & Gylo: ciuitates vndecim & villæ earum.

ENVMERATIS *vrbibus & oppidis ijs, quæ in campeſtri planoq́; loco ſitæ erant, montanorum quoque rurſus locorum habenda ratio fuit; quæ & nobis etiam ſignificationis indicandæ cauſa literis ad Cananæam pronuntiationē proximè accedentibus referetur.* Samir *& Vepres, & duriſſimum lapidem ſignificat vox, quem propter indomiti rigoris exemplum Adamanta vertere Latini ſolent. Eſt autem genus hoc lapidis, ex quo nihil expoliti operis gemmarum artifices efficere poſſunt, eodem verò lapillos ceteros omnes, & vitrū & ferrum findunt, rumpunt & perpoliunt. Id Græcis & Latinis, atque adeò linguis alijs nominis Cananæi tria illa elementa ſimplicia conſeruat* S M R. *Græcè namque pariter & Latinè Smiris, Italicè, Hiſpanicè, Gallicè & Theutonicè Smeril dicitur. Atq. ideò hoc nomen vrbs illa ſortita videtur, quòd in ea mōtis parte, qua ſita erat Smiris, excideretur lapis. Namque à lapide potius quàm à vepribus inditum nomen exiſtimare libet, quòd veprium ſentıcoſa natura frequens in alijs atque alijs montibus eſſe ſolet; Smiridis verò rara copia, & quæ locum celebrem reddat. Adſtipulatur & huic rei illud etiam, quòd in quibuſdam Græcis exemplaribus ſcriptum inuenimus Saphir, quod proximum Saphiri lapidis nomini eſt, cui affinis etiam origo eſſe videtur. Legit etiam idem nomen Saphir Euſebius, & locum inter Eleutheropolim & Aſcalonem indicauit.* Iether, *Reſiduum ſiue copiam interpretari licet, atque ita Latinis idem quod Colonia erit: vel Palum,*

lum, vel arcus funiculum, ſiue neruum. Siquidem omnia hæc nomen Iether à redundantiæ ſiue excellentiæ ſignificatione propria refert. Socho *Ramum nobis hoc loco vox indicat.* Denna *, ex proxima literarum figura, vel ex affini D. & R. ſono pro Denna, Græci Renna legunt, vt pro Dodanim Rodanim, vel à iudicio, vel à contentione, nomen hoc deductum videtur: Hiſpanicè, Contienda.* Cariath-Senna, *vrbs hiſtoriæ vel enarrationis, cui tria nomina fuiſſe feruntur eiuſdem ferè ſignificationis:* Cariathſepher, Cariathſenna, *&* Debir: *eandem γραμμάτων, hoc eſt Literarum vrbem Græcè vertentes dixêre.* Anab *ſiue* Ghanab, *ab vua nomen accepit.* Hiſtemo *ex etymologiæ vi Aperturam ſiue apertionẽ* HE *litera in fine adiuncta ſignificat, quod ſolẽne eſt in proprijs nominibus, vt Salomoh.* Anim, *ſiue* Ghanim, *fontes ſiue ſcaturigines: Hiſpanicè quoque fontium inferne ſcaturientium ebullitiones* ojos *dicuntur.* Goſen *à verbo Gus terræ fruſtum, ſiue glebam vertere poſſumus.* Gylo, *circulum, vel rotundum ſi vertamus, ſimile nomen faciemus ei in Bætica oppido, quod vulgò Redondela dicitur.*

Arab & Ruma, & Eſaan, & Ianum, & Beth-taphua, & Apheca, Achmatha & Cariatharbe, hæc eſt Hebron, & Sior: ciuitates nouem & villæ earum.

A R A B, *ab inſidijs nomẽ ſortita videtur: Italicè dici poſſet L'imboſcata.* Duma, *quam Græci ex literarum affinitate* Ruma *ſcripſerunt, Tacentẽ ſiue ſilentem vertimus, Hiſpanicè* callada. Eſaan, *ſiue* Eſghá *ab innixu dicta,* Eſtribo *dici poſſet Hiſp.* Ianum, *à verbo dormitationem ſignificante;* Arullada *vocari Hiſpanicè nihil prohiberet.* Beth-taphua *locum pomorum fertilem indicat, Italicè Caſapomara.* Apheca, *rigiditatem ſiue firmitatem ſignificat, Hiſpanicè* Rezia. Achmatha *Hebraicè pronuntiatur* Hhumtah *à terreſtribus limacib. nomen traxiſſe videtur, Hiſpanicè* Caracolera Cariatharbe *eadem* Hebron, *de qua iã ſuperiùs commentabamur.* Sior, eſtrecho *Hiſpanicè.*

Maon, & Charmel, & Ziph, & Iotha, Iezrael, & Iucadam, & Zanoe, Accain, Gabaa, & Thamna: ciuitates decem & villæ earum.

M A O N *ſiue* Maghon *ab habitandi ſignificatione Hiſpanicè* Morada *dicetur.* Carmel *Vinearum indicat feracitatem, vt nomen*

illud

illud apud Geographos in Aphrica celebre Ampeluſia: Hiſpanis etiã Bæticis oppidum La Parca *vocatur non longè à Parcenſi caſtro, quod vulgò* Xerez *dicitur. fuit autẽ Carmel et montis & oppidi nomen. Idem verò mons Nabalis patriam Iſraelem continebat.* Ziph *huic nomini, quòd nullum certum verbi thema reperiremus, certam etiam ſignificationem reddere non poſſumus, niſi quòd picis ſiue bituminis Hebraico vocabulo proximam pronũtiationẽ agnouimus. Fuit etiam hoc, & vrbi & monti ſiue ſolitudini proximè nomen inditum.* Iothe, *ſiue* Iuttha, *Hiſpanicè* lapretada *dicetur.* Iezrael, *Iudaica vrbs, alia ab ea, quæ Manaſſenſibus contigit, propter ſummam loci amœnitatem & fertilitatẽ diuinæ ſationis nomẽ obtinuit; Italicè Semenza di dio, ſed Belgicè aptius* gotſaet. Iucadam *ſiue* Iocdeghá: *quã vocem et Græci deſcribere conati ſunt, populum ſuccendentẽ, Italicè Populo bruſante vertemus.* Zanoe, *ſic nunc Genuenſes ſuam Zenoam, ſiue Zenam vocitant, haud diſsimili ſignificatione huic Iudaicæ Zanoæ, quæ Hiſpanis à protenſo in longitudinem ſitu,* Zonja *diceretur. Altera huius nominis in campeſtribus recenſebatur.* Accain, *à nido nomen factum videtur, habetq́ litteram Antonomaticam: Ita vt dici Hiſpanicè poſsit,* Elnido. Gabaa *Hiſpanicè* Cueſta. Thamna *Conſtitutam, ſiue præparatam, ſiue enumeratam dicere poßis, vel actiuam potiùs ſignificationem vſurpare Numerantem, conſtituentem; namque hoc pacto aptius Etymon ſequemur.*

Halul, & Bethſur, & Gedor, Mareth & Beth-anoth & Elthecon: ciuitates ſex & villæ earum.

HALVL *à verbo Hbul, manſionem arenamq́ ſimul ſignificare poſſet; quippe nomen ex geminata voce compoſitum eſt: Arenariamq́ manſionem vertere poſſumus, vt Batauorum regio, quæ, quia tota ſabulo arenoſoq́ conſtat ſolo, Holland eſt vocitata: Verùm, ſi vera ſemper Hebræi homiliarum autores narrant, ad auis cuiuſdam, quam diutiſsimè vitam producere aiunt, manſionem eſt referenda vox; eſt autem aui nomen Hbul.* Bethſor, caſa angoſta *Hiſpanicè.* Gedor, *Maceriatam Latinè dicemus: Belgicè verò & Anglicè* park. Mareth, *Antrum, Italicè Grota.* Bethanoth, *Domus occupationis, ſiue vacationum, ſiue vexationum, Belgicè* werckhuys. Elthecen; *Poſſeſſio, vel fundus valentis, ſiue Dei; Hiſpanicè* Granja de Dios.

Cariath-Baal, hæc eſt Cariath-iarim vrbs ſiluarum, & Arebba: ciuitates duæ, & villæ earum.

Cariath-Baal: *Numinis vrbem Latinè dicimus. hanc duobus nominibus vocitatam legimus, quorum poſterius Latinus interpres vertit, &* Arebba *Magnam ex antonomatico Hebraico articulo ſignificat nomen: Hiſpanicè* Lacumplida.

In deſerto Beth-araba, Meddin, & Sachacha, & Nebſan, & Ciuitas-ſalis, & Engaddi: ciuitates ſex, & villæ earum.

DESERTVM *hoc loco, non ſolitudinem, ſed terræ tractũ frutetis & plantis ceteris minus frequentem interpretamur, quales Hiſpanicè* Parainos *dicimus; id autem ſoli natura efficitur ſuccoſi minus minuſq́; pinguis, quod et vrbiũ nomina ipſa hoc in loco arguũt: primũ* Beth araba, *ſolitudinis, vel hîc potius mixtionis domũ vertemus, quòd glebæ non optimus & ſimplex ſuccus, ſed mixtus, iamq́; in ſalſuginis & aluminis ſulphuriſq́; guſtum degenerans, illo in loco deprehenderetur, qui paulò vlterius ſalem demum gigneret, atque ex ea re vrbi Salis nomen daret. Namque nomen Ciuitas ſalis ſuam quoque vrbem ſic dictitatam indicat, quæ quinta in ordine erat, vt ex Hebraica, Chaldaica & Græca lectione, atque adeò ex ſummæ ipſius ratione oſtenditur.* Meddin, *per ſimplex d Hebraicè ſcribitur, biſq́; inuenitur in ſacris libris hoc loco atque altero, in quo viam illis temporibus notam atque celebrem ſignificabat. Videtur autem nomẽ iudicij ſignificationem habere, quamquam non ſatis ex grammatica amuſsi ad verbum Hebraicum nobis referatur.* Sacha, *Hebraicè* Zzechacha, *& Chaldaicè, quod nomen Græcè Schacha, Adoperta, ſic fortaſſe ex ſitu habituq́; vocitata vrbs Hiſpanicè* Cubierta, *non tamẽ vſque adeò paſsiuè. Et* Nebſan: *Rubentem ſiue rubram ſignificat nomen, ex terræ ſoliq́; colore videtur acceptum. Eſt autem rubor hoc loco ſignificatus, non ſanguineus omninò, ſed roſeus qualis erubeſcentium eſt; habetq́; articulum antonomaticum, Hiſpanicè* Zazonroxada. Ciuitas-ſalis, *quintæ vrbi nomen fuit, quòd ille tractus vel ex terra ipſa effoſſa, vel ex lapidibus ſalem gigneret, cuiuſmodi Aloſtanum ſal, & Aragonicum, & Celtibericum in Hiſpania eſt, præter marinum Bæticum copioſiſsimum; & in Britannia etiam puteos vidimus, quorum aqua in ſal concreſcens & compendium & famam oppido ſatis eleganti affert. Præcedentis autem loci nomen Nebſan*

ſalſu

ſalſuginis initium arguebat: plerunq. enim terreſtre ſal rubeſcit, vt ex Africano præcipuè arguitur, qui tamen arte lotus pulchrè ſatis cãdeſcit. Engaddi, *vel* Ghenghedi, *Hædi oculum propter ſummã loci elegantiã interpretamur, Hiſpanicè* ojo de chibo. *Nã hædis maximè caprearum, pulcherrimi eſſe dicuntur oculi, vnde illud apud Arabes natum eſt prouerbiũ: Cholghanphuz ghein lomo goſal: hoc eſt Nefrendis oculus matri ſuæ caprealis videtur. In amatores dictum, quos amicarum etiam turpia vitia delectant, veluti Balbinum Polypus Agnæ. Quod verò oppidum illud propter elegantiæ commendationem Capreoli oculus fuerit appellatum, ſatis cauſæ erat Kopher ſiue Caphuræ copia, precioſiſsimi, inquam, vnguenti, quod in illo loco proueniebat. S. S. E. Botrus Camphoræ dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Atque nos interim, dum certius quippiam edocti fuerimus, Camphoram ſiue Caphuram illo decãtatam loco Carpobalſamum eſſe exiſtimamus, à quo vnguento celeberrimum etiam fragrantiæ nomẽ Hiericho acceperat. Fuit etiam locus ille, in quo Engedi ſita erat, Palmetis pinguiſsimis frequens, vnde & Hhaſſaſon Thamar dictus eſt, in quo Plinius Eſſenos locabat.* Cant. 1.

Iebuſæum autem habitatorem Ieruſalem non potuerunt filij Iuda delere; habitauitq; Iebuſæus cum filiis Iuda in Ieruſalem vſque in præſentem diem.

IEBVSÆOS *vnam ex duodecim gentibus, quæ regionem illam olim occupauerant, fuiſſe ex ſacris Moſis hiſtoriis accepimus, eandémque celeberrimam nomen à regia atque munitiſsima vrbe deduxiſſe, quæ Salem antea, aliàs verò Ieruſalem dicta fuit. Nam quod Hebræi auctores veteri quadam commentatione tradunt, hos alios Iebuſæos ab illis duodecim gentibus fuiſſe, & pacti cum Abrahamo quondam initi cauſa non fuiſſe vrbe illa expulſos; id cùm nulla certa fide illuſtretur, obſcurum adeò nobis fit, vt vero etiam ſimile eſſe dubitemus. Veram autem cauſam quamobrem hos Iudæi eiicere non potuerint, præter loci natura & opere muniti, armis & viris inſtructi rationem, quæ contemni etiam potuit iis, qui tot nationes, gentes, currus, exercitus, duces, reges et bellicos apparatus perdiderant, tot vrbes expugnauerant, dum Dei ſingulari prouidentia ſubſidioq; niterentur, præter hoc inquam, quòd minoris momenti fuerat ipſorum magis, qui oppugnare debuerunt, ſocordiam, negligentiam, & oſcitantiam,*

atque

atque ineptam quandam deſidemq́. laſsitudinem fuiſſe credimus, quæ hominum quieſcendi cupidorum, atq. ijs, quæ iam parta fuerant, vti auentium animos remiſit, & in belli faſtidium tranſtulit; ex quo factum eſt, vt ipſi ſua culpa ab illa illuſtriſsima auxiliatoris ope reiecti, hoſtibus illis & animos, & armorum atque munitionum conſtruendarum commoditatem auxerint, ſicut & alijs multis eandem ob cau-
„ *ſam auxerunt. S.S.E. Quia irritum fecit gens iſta pactum meũ, quod*
„ *pepigeram cum patribus eorum, et vocem meam audire contempſit, &*
„ *ego non delebo gentes, quas dimiſit Ioſue, & mortuus eſt; vt in ipſis*
„ *experiar Iſrael vtrum cuſtodiant viam Domini, & ambulent in ea:*
„ *ſicut cuſtodierunt patres eorum, an non. Dimiſit ergo Dominus om-*
„ *nes nationes has, & cito ſubuertere noluit, nec tradidit in manus Io-*
„ *ſuæ. Itaque hanc maximã ab auctore indicatam Iebuſæi expugnandi atque delendi difficultatem, fidele illud Deo obſequendi ſtudium in Iſraelitis demum deſideratum arguit; quod quia ardẽs poſtea Dauidi Regi conſtansq́. fuit, victoriã de hac gente, quãquam lõgè iamfortiſſima & animis armiſq́. fidentiſsima, certam glorioſamq́. peperit.* habitauitque vſque in præſentem diem. *Non quo hiſtoria hæc legatur, ſed quo ſcripta fuerit, de cuius auctore, quæ legere obſeruaréque potuimus, aliàs commodè Chriſto deducẽte referemus. Illud verò hoc loco indicare non piget, huiuſmodi orationis vſq. in præſentem diem duplicem lectoribus vſum contingere: alterum veritatis confirmandæ, auctoritatiſq́. narrationibus ſtabiliendæ, viuo rei adhuc manentis exemplo, quod negari nullis obtrectatoribus poſsit: Alterum memoriæ rerum atque gentium, quandiu præſtari id poſsit, conſeruandæ. Namque malo hominum conſilio magno perſæpe vitio fieri ſolet, vt alij alijs (perinde atque ſi varijs originibus humanum genus productum fuerit) præferantur: Veriſsimum tamen eſt, omnes ab vno primorum parentum coniugio ortos: quamquam poſteà habitandi orbis cauſa diſperſos deinde odijs, bellis, & migrationibus deductos, nullam tamen nationem ita fuiſſe integram, atque ab aliarum commercijs & conſuetudine atque viuendi communitate ſeiunctam; quin ſi hiſtoriæ omnes extarent, vel, quæ extant, diligentius excuterentur, non alios alijs commixtos, atque temporum tempeſtatumq́. vi, religionum connubiorumq́. ſocietate confuſos reperiamus. Itaque Iebuſæos cum filijs Iuda, & filios Iuda cum Iebuſæis habitatoribus Hieruſalẽ habitaſſe,*

& vſq.

& vſque in diem, qua hæc ſcribimus, habitare fortaßis pro comperto habebitur. Quòd ſi quis digniora his & illuſtriora de ſe familiáque ſua iactabundus prædicet, illius conſultißimi moniti, niſi inſanire prorſus parat, meminerit:

Et tamen vt longè repetas, longeq́ue reuoluas,
Nomen ab infami gentem deducis aſylo:
Maiorum primus quiſquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

CEcidit quoque ſors filiorum Ioſeph ab Iordane contra Iericho & aquas eius ad Oriente: ſolitudo quæ aſcendit de Iericho ad montem Bethel, & egreditur de Bethel Luzam; tranſitq́ue terminum Archi-Atharoth.

HVIVS, *quæ Ioſephi filijs obtigit, ſortis non fines hoc loco exactè deſcribuntur, ſed ſitus tantùm indicantur, terminis tamen ab ortu ſolis & occaſu deſcriptis, quos Iordanis fluuius & Mediterraneum mare conſtituebat. Apparet enim ſcriptori conſilium hoc loco fuiſſe Iudæis, qui primas in illa Repub. tenebant, propria ſede donatis quàm proximè, quaq́; cæli ac ſoli parte Ioſephitæ collocarentur, oſtendere, vt ijs, qui Iacobi fermè iam morientis & Moſis deceſſuri prædictionibus animum aduertiſſent, vaticiniorum veritas & conſtantia probaretur. Igitur Ioſephitarum familijs tractus ille ſorte occupatus adſcribitur, qui Iudæis & Biniaminitis (quos coniunctos eſſe voluit Deus, vt ſuo oſtendetur loco) à Septentrione erat proximus, à mari ad Iordanem fluuium ſecundùm longitudinem protenſus, ea parte, qua Iordanis Ierichuntenſi agro adiacet, quáque agro illo erumpentes atque defluentes aquas excipit, eas præcipuè, quæ ab Eliſæo Propheta magno Dei miraculo in perpetuũ regioni illi beneficiũ emẽdatæ fuère. Namque ita interpretamur verba illa* & aquas eius, *vt pronomen, eius, nomen Ierichuntis referat, non Iordanis. Namque illud ſæpius iam admonuimus, verborum & orationum in ſacris libris quamuis perſimilem repetitionem, ſententiam non eandem, ſed aliam diligenter animum aduertentibus indicare, quidquid alijs hoc & ſimilibus locis videatur; tamen nihil verborum, ſine quibus plena cõſtare poſſet ſententia, ſpiritus ſanctus humanæ loquacitatis more repetere ſolet.*

Mm *Itaque*

Itaque terminum Ioſephi filiȷs Iordanis ab ortu ponebat, ea parte, qua Hierichunti proſpicitur, quaq́; defluit, donec Hierichuntenſes aquas recipit. Solitudo quæ aſcendit de Iericho ad montem Bethel. *Cùm Iericho vrbs in editiore loco ſita fuerit, verbum Aſcendere non tam ad ſolitudinis, quàm ad ſortis nomen eſt referendum, vt interpretes doctè annotârunt. Namq. in deſcribendis terminis agriſq́; dirimendis familiare verbum etiam legitimũ hoc eſſe, ex multis exemplis obſeruamus, & in hoc lectio ipſa apertè indicat. Poſtquam legimus,* Aſcendit de Iericho ad monté Bethel, *ſubiũgitur,* & egreditur de Bethel Luzam, tranſitq́ue terminum Archi-atharoth. *Quippe ſolitudo non egreditur de Bethel Luzam, ſed funiculus ſiue linea terminorum aſcendit, egreditur, & tranſit.* Et egreditur de Bethel Luzam. *Luzæ nomen antiquius fuiſſe ex Moſis hiſtoria accepimus, in cuius agro Iacob arcanum illud humanæ futuræ dignitatis ſpectrum admiratus, perenne monumentum inſigni titulo Bethelisq́; nomine celebrandũ poſuit. Quamquã enim legamus Bethel Luzam prius fuiſſe vocitatam, non ideò conſequitur, Bethelem in ipſo Luzæ oppidi ſitu ſoloq́; fuiſſe ædificatam, ſed in Luzæ agro, qui ob nucum iuglandium copiam & ſibi & oppido nomen fecerat: ſic in aliȷs nationibus & linguis huiuſmodi oppida & nomina inueniuntur, Noghales, Lanogaleda, el Almendral. Arabes etiam nucem Alluz, & officinæ noſtrates Allozam vocant. Videtur autem nobis vocabulum Nux parum variata elementorum pronuntiatione ex Hebraico Luz à Latinis acceptum, n. pro l. & x. pro z. affinibus literis prolatis, quod ad Latinæ linguæ filias Italicam & Hiſpanicam deductum antiquum z. vel proximum illi c. recepit. Quod verò de duplici Luz oppido expoſitores commentantur, id & ſuperuacaneum eſſe, ex ſacra lectione affirmari non poſſe videtur, dummodò conſtet, Luzam oppidum hoc & ſitu & nomine à Bethel fuiſſe diſiunctum. Atqui ſortis huius finis, vbi à Iordane per Meridiem ad Occaſum deflexit in Bethel, deinde Luzam porrectus, ad vrbis Archiatharoth fines tendit, non ad vrbem ipſam, deinde etiam duorum inſigniũ fines contingit Iephletenſis incolæ, & Beth-hhoron inferioris, tandemq́; in mare occiduum deſinit ea parte, qua Daniticæ tribus agro, vt poſteà videbimus, coniungebatur.* Archi-atharoth: *Protenſa ſerta, ſiue coronarum protenſionem exponere Latinè poſſumus. Atque Ghataroth, ſiue coronarum*

nomen

nomen non vni tantùm loco obtigiſſe, in ſacra geographia obſeruaui-mus, ſiue id nomen ex ſitus & ædificiorum forma, ſiue ex amœnitate & fertilitate atque pulchritudine fuerit conciliatum.

Poſſederuntque filij Ioſeph Manaſſes & Ephraim.

D V Æ *illæ Ioſephitarum familiæ Ephraim & dimidia tribus Manaſſes communẽ agrum Iudæorũ regioni proximum à Septentrione occupauère primùm, deinde ſorte ducta diuiſum diſtinctè coluerunt, ita vt iuxta Iacobi aui oraculum minor locum Hieroſolymis ac templo viciniorem obtinuerit. Itaque oratio illa* Poſſederunt filij Ioſeph &c. *eorũ quæ antea dicta ſunt cõcluſio, & eorũ quæ ſubſequuntur ſumma propoſitio eſt.*

Et factus eſt terminus filiorũ Ephraim per cognationes ſuas: & poſſeſſio eorum contra Orientem Ataroth-Addar vſq. Beth-horon ſuperiorem.

O B S C V R I O R *aliquanto deſcriptio hæc eſt, quam tamẽ deſcriptæ nobis in Apparatu ſacro tabellæ elucidabunt, ſi modò illud conſtituamus Beth-hhorõ, quæ ſuperior dicitur, non ad extremũ finẽ orientalem ſolum, ſed ad borealem orientalem terminum fuiſſe ſitam; ita vt quantum ſpatij inter Ghataroth Adar & Beth-hhoron ſuperiorem interiectum fuerit, tantundem Ephraimiticæ tribus ager à Meridie in Septentrionem, qua latiſſimè ad ortum iacebat, latitudinis occuparit: Hoc eſt quod legimus* contra Orientem Atharoth Adar vſque Bethoron ſuperiorẽ. *Ab hac Beth-hhorõ tractus directè ducebatur Occidentalem vſque terminum, quem mare Syris Magnum vocatum, Græcis & Latinis Syriacum conſtituebat; idq́; ſubiuncto declaratur verſiculi initio:*

Egrediunturque confinia in mare.

C O N F I N I A *idem quod terminus hoc loco ſignificat ex Hebraico exemplari, Chaldæa atque Græcis verſionibus, quem terminũ, vbi à Beth-hhorõ ſuperiori, hoc eſt magis Septẽtrionali ad mare vſq. occaſum verſus procurrere ſignificauit auctor, rurſus ad Orientales fines indicandos redit, quòd ij diligentiori animaduerſione indigeant, vtpotè non recta linea, neque ipſis Iordanis fluminis ripis, ſed interius etiam inſtar arcus cuiuſdam auctiſſimum angulum cum meridionali funiculo efficiant. hoc eſt quod ſubiungitur:*

Machmethat verò Aquilonem reſpicit, & circuit terminos

contra Orientem in Thanath-ſilo: & pertranſit ab Oriente Ianoe.

C V M, *inquit, à Bethhoron ſuperiore ortum verſus perrexeris, prima ab Aquilone offenditur Machmath vrbs, à qua terminus molliter veluti arcus flectitur in oppidum, cui Thanath-Silo nomen eſt. Inde verò rurſus extenditur funis, rectoq́ tractu ad extremum vſq. Meridionalis lateris terminum pertranſit; ita vt Ianoah vrbem ab Oriente concludat, à Ianoah verò iam directè in Meridiem procurrit, atque Iordanem fluuium extrema ſui parte attingit, qua videlicet ſeſe Meridionali coniungit termino in Ierichuntino, vt ſuperius deſcriptum fuerat, agro.*

Deſcenditque de Ianoe in Atharoth & Naarátha: & peruenit in Iericho, egrediturque ad Iordanem.

V E R B V M deſcendit *deflexionem à Septentrionali altitudine, ſiue, vt Coſmographi loquuntur, latitudine ſignificat; ita vt anguſtius iam inde ſpatium eſſe incipiat illius agri, & flecti iam terminus in Meridiem videatur. Nominum verò interpretationes huiuſmodi à nobis reddi poſſunt.* Machmetah, *cui ſimplex thema reperire non potuimus, Percuſſoris vel pauperis domum vertebat is qui propriorum nominum interpretationes concinnabat, ex duobus verbis compoſito ſenſu; quæ ſi fundamentum nomini huic iaciunt, Morte percutiam Latinè ſonat, Gallicè Coup de mort.* Thanath, *ficum ſignificat; quod nomen quia alijs etiam oppidis commune eſſe potuit,* Silo *annotatione indicari opus fuit, Hiſpanicè* Higuera de Silo. *Sic etiam nouimus in Bætica tria oppida non nimis longè diſſita adiunctis vel dominorum, vel aliorum oppidorũ, quibus ſubdita vel proxima ſunt, nominibus internoſci, Higuera de Frexenal, Higuera de Vergas, Higuera de ſuffre.* Ianoah *Quieſcentem interpretamur, ſiue quieſcentiam. huiuſmodi in Caſtellæ regione oppido nomen eſt, Las poſadas.* Naaratha, *ſiue* Naghara, *puellam ſiue iuuenculam vertere poſſumus, Italicè Gioueneta, forſitan & huic nomini non diſſimile. celebris apud Hiſpanos locus eſt, vulgò Najara dictus.* deſcenditq; ad Iordanem. *Producitur, inquit, funiculus ille terminalis poſtq̃ Ierichuntis agrum contingit Iordanem vſque verſus auſtrum, ita vt in ipſa Iordanis ripa angulum conficiat cum Auſtrali ab Ortu ad Occaſum producto termino. Hactenus Orientalis ab Aquilone in Auſtrum*

ſtrum deſcriptio finiſq́; fuit: iam deinceps Aquilonare latus repetitur, atque ad Occaſum vſque deducitur.

De Taphua pertranſit contra marē in Vallem arundineti, ſuntq́; egreſſus eius in mare ſalſiſſimum. Hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Ephraim per familias ſuas.

QVA *tribus huius agri latiſſimè porrigerentur, locum inter* Machmah, *ſiue* Machmetha *&* Thaphuá *indicari intelleximus. Iam verò à Thaphua ad mare occidentale, hoc eſt Syriacum, ſiue magnum terminus ſecundùm longitudinem porrectus vallem arundinibus frequentem pertranſit, tandemq́; in mare deſinit, mare inquam quod Mediterraneum vocamus, quamuis ab interprete Latino ſalſiſſimi epitheto hoc ipſum augeatur, quod aliàs Aſphaltitidi lacui adiungi ſolet, qui Hebraicè Mare ſalis dicitur.* Thaphuah, *pomum ſiue malum ſignificat, Hiſpanicè* Mançanares. *Quod verò autor exponendo ſubiungit,* Hæc eſt poſſeſſio filiorum Ephraim per familias ſuas, *illum nobis facit ſenſum, Filios Ioſeph eum qui deſcriptus eſt agrum ſortitos occupaſſe, & nomen poſſeſſionis ad filios Ephraim pertinuiſſe, quamquam etiam filij Manaſſes in ſortis partem fuiſſent vocati; tamen quòd dimidia tribus eſſent, altera dimidia iamdiu trans Iordanem conſidente, in adſcribenda Ioſephitarum ſorte Ephraimitarum nominis primam fuiſſe habitam rationem, maximeq́; eos habitaſſe ſecundùm maris littora ad occaſum; ita vt non ſolùm ſoli ac cœli benignitate, ſed marini etiam aſpectus & multiplicis commodi opportunitate commendabilem regionem ſortitos certã propriamq́; tum Iacobi parentis, tum Moſis fauſta prædicentis vocem ſeſe expertos prædicare poſſent, quorum alter ſic prænuntiabat: Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper, & benedictionibus abyſsi iacentis deorſum, benedictionibus huberum & vuluæ. Alter verò ſic cecinerit, De benedictione Domini terra eius, de pomis cœli & rore, atque abyſſo ſubiacente. De pomis fructuum Solis ac Lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum, & de fructibus terræ, & de plenitudine eius. Hæc omnia illis affatim præſtita fuiſſe præter ſortis agrorumq́; tractum, iam montes, iam Iordanis, iam odorata & ſalubris Ierichuntina regio, denique mare ipſum ſiue abyſſus iacentem deorſum complexum, locorum etiam, oppidorum vrbiúmque nomina probauêre, nempe Ficus, Iuuenca,*

Quieſcentia, Pomarium ſiue Pomona, atque ad has prædictiones illæ etiam referuntur quæ proximè legimus.

Vrbesq́; ſeparatæ ſunt filiis Ephraim in medio poſſeſſionum filiorum Manaſſe, & villæ earum.

ANNOTATIONEM *ſiue emphaſim lectio hæc habet, indicatq́; præter eas vrbes, quæ Ephraimitis in propria regione à fratribus Manaſſenſibus diuiſæ contigerant, certas alias illis iam tum notas communi conſenſu fuiſſe adſcriptas, atque diligenti & accurata cõſignatione traditas, cum viculis & pagis, quibus omnibus diuinorum promiſſorum & illorum vaticiniorum conſtantia atque veritas probabatur, atque harum vrbium nomina poſteà declarantur. Contrà verò cùm diuina promiſſa & oracula ſibi conſtitiſſe apertiſſimè oſtenſum fuerit, hominum ipſorum officia minimè conſtitiſſe arguuntur.*

Et non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitauitque Chananæus in medio Ephraim vſque in diem hanc tributarius.

CVM *in fauſtis tum prædictionibus, tum precationibus moribundi iam ſeniculi illius pientiſſimi illud præter cetera contineretur, Benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, nullam filij Ephraim aſſignatæ ſibi ſortis partem, ſiue in interiore terræ tractu, ſiue in maritimo omittere debuerunt, quin expugnatam atque occupatam ſuis ipſorum vſibus addicerent; namque aliàs quamuis magna tributa ab incolentibus exigerent, tamen non ipſi, ſed incolentes abyſſi iacentis deorſum, hoc eſt maris commodis vti fruiq́; dicendi erant. Atqui prædictio illa Iacobi neq. difficultatem pellendi hoſtis vllam exceperat, cùm pronuntiaret, Deus patris tui erit adiutor tuus, tuus, inquit, non hoſtis tui, neque quemque vſum fructum Cananæo, ſed omnem Ioſephi poſteritati arrogabat. Et omnipotens benedicet tibi benedictionibus, &c. non Cananæo ait, ſed tibi. Porro quid Benedictionis vocabulo ſignificetur, in Apparatu ſacro exponemus. Præterea Moſes Ioſephi familijs & dexteritatem in re gerenda ex diuino auxilio promiſerat, & locum ipſum hoſtibus pulſis occupandum non alio quàm terræ continentis termino, hoc eſt mari, metatus fuerat, & magnam etiam » populi ſobolisq́; illius frequentiam futuram luculentè dixerat. Quaſi » primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua Rhinocerotis cornua il- » lius: in ipſis ventilabit gentes vſq. ad terminos terræ. hæ ſunt multitudines*

titudines Ephraim, & hæc millia Manaſſe. Et tamen illi, cùm ſatis " loci & ſibi & hoſti eſſe per ignauiam exiſtimarent, languori deſidiæq; ſe dedentes diuinorum promiſſorum vberrimum vſum leui tributi compendio ad ſuam perniciem commutauère, vrbemq; opulentam & frequentiſſimam, eandemq; maritimam cum agris, pagis, & ceteris commodis nomine etiam & moribus patrijs, legibus & ritibus, atque antiquis negotiorum vitæq; vſibus & cõſuetudinibus permiſſis; ita vt excepto vnico tributi quotannis conficiendi iure, nihil prætereà Ephraimitæ vel Cananæo exciperet, vel ſibi addiceret, licentia demum facultateq; data commercia negotiaq; ſecum intra vrbes, agros oppidaq; ſua gerendi. Hæc omnia illa oratio ſignificat, ſedit Chananæus (Chananæi nomine & vſu retento.) in medio Ephraim. Hebraica oratio rẽ ipſam exprimit (intra ipſum Ephraim) ita vt videatur intra illius viſcera ad habitandum admiſſus. Chananæus, præterquam quòd gẽtem illam ex Chamo prognatam nomen hoc ſignificat, mercatoris etiam & negotiatoris artem indicat, quòd illa natio in huiusmodi quæſtus genere præcipuè verſaretur. Vſus enim obtinuit in omnibus ferè linguis, vt artium munerumq; nomina ad ipſos, quibus publicè & frequenter vſurpãtur, transferantur. Sic apud Belgas, qui ex fœneratorum quæſtu apertè rem faciũt, Lombardi vocitantur: In regione verò Italiæ, quæ nunc Abruzzo dicitur, idem Lombardorum nomen ad fabros murorumq; opifices, qui ferè omnes Inſubri ſunt, ſignificandos vſurpatur. Itaq. Cananæus mercaturam ſuam exercens, in medio Ephraim habitauit. Multa verò ſignificationis huius in ſacris lectionibus exempla obſeruantur, ex quibus illud: Sindonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. (Prou. 30.) Iam verò ſua ſponte ſeſe arguendum æſtimandumq; offert, quibuſnam eiuſmodi vicini vſu, familiaritate & conſuetudine, moribus, exemplis & vitijs imbui, inſtitui augeriq; poſſet Ephraim: nimirum præter impietatis imitationem & vanorum Deorum cultum, doli mali fraudiſq; magiſtros exercitatiſſimos, auaritiæ & mendacij præceptores ſibi ſtrenuos parauit, cuius mores, diſciplinam & ſcientiam non ſegniter percipiens imitatus eſt. Huiuſmodi probri, cùm magiſtrum, tum diſcipulum ipſum Deus aliquando inſimulabat. Chanaan in manu eius ſtatera doloſa; calumniã dilexit, et dixit Ephraim: " veruntamen diues effectus ſum, &c. "

Et quo-

Et quoniam de tributo mentio hoc loco fit, cuius ratio etiam ad imperium pertinet, pauca de toto hoc genere, quæ lectionis huius interpretationem iuuent, indicare opportunum videtur, reliqua verò aliàs commodè exponenda reſeruabimus. Igitur tributi exigendi ius duplici conſtare poteſt nomine: Alterum quidem eſt, cùm à belli Imperatoribus victoria reportata ſeruitutes imponuntur victis, vel belli extinguendi cauſa ab ipſis, quibus bellum inferebatur, certis conditionibus ſuſcipiuntur, atque hoc bellicum tributum appellare licebit. Alterum verò genus eſt, cùm à populis ipſis & ciuitatibus, quæ iiſdem legibus ſubiectæ ſunt, vel ad bellum, vel ad reipub. ſubſidium ſumptus æqualiter impēduntur, de quo genere nunc nihil explicabimus. Atq. prius illud duobus, aut tribus etiam confici modis poteſt; aut enim rerum, & operum, aut capitum, aut pecuniarum tantùm, aut pecuniarum & capitum pactiones fiunt: Ex quibus modis ſecundus tolerabiliſsimus habetur, maximè cùm æquabiliter penſiones perſoluuntur, quæ cùm in ſingulos annos penduntur, Hebraicè Mazz ghober *vocatur: quam Latinè vel Percurrentem, vel Tranſeuntē, vel etiam Tolerabilem dici nihil vetat; ceteras omnes communi vocabulo* Mazz, *nulla adiuncta nota ſermo ille ſignificat. De hoc verò quod leuiſsimū omniū eſſe dicimus, tributorū genere, tum hoc loco, tum aliis in ſacra lectione mētio fit, vt Iſſachar aſinus, fortis accubans inter terminos:*
» *Vidit requiem quòd eſſet bona, & terram quòd optima, & ſuppo-*
» *ſuit humerum ſuum ad portandum; factusq́; eſt tributis ſeruiens. Et*
» *vniuerſum populum, qui remanſerat de Amorrhæis, & Hethæis &*
» *Pherezæis, & Heuæis, & Iebuſæis, qui non ſunt de filiis Iſrael,*
» *horum filios qui remanſerant in terra, quos ſcilicet non potuerant*
» *filii Iſrael exterminare, fecit Salomon tributarios vſque in diem*
» *hanc. Atqui huiſmodi conditiones pactioneſq́; bellicas cum aliis na-*
» *tionibus, quibus bellum iure aliquo inferri poſſet, conficere Iſraelitis legitimum fuerat; cum his verò duodecim gentibus, quas Deus expulſas deletaſq́; voluit, nullo pacto tranſigere, aut decidere licuit.*
» *S.S.S. Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem; offeres ei pri-*
» *mùm pacem: ſi receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui*
» *in ea eſt ſaluabitur; & ſeruiet tibi ſub tributo: ſin autē fœdus inire no-*
» *luerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumq́; tradide-*
» *rit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea*

eſt ge-

eſt generis maſculini in ore gladij: abſq; mulieribus & infantibus, “
iumentis & ceteris quæ in ciuitate ſunt. Omnem prædam exercitui “
diuides, & comedes de ſpolijs hoſtium tuorum, quæ Dominus Deus “
tuus dederit tibi. Sic facies cunctis ciuitatibus, quæ à te valdè procul “
ſunt, & non ſunt de ijs vrbibus, quas in poſſeſſionem accepturus es. “
De ijs autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omninò permit- “
tes viuere, ſed interficies in ore gladij; Hethæum videlicet & “
Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum, Heuæum & Iebuſæum: “
ſicut præcepit Dominus Deus tuus; ne fortè doceāt vos facere cunctas “
abominationes, quas ipſi operati ſunt dijs ſuis, & peccetis in Domi- “
num Deum veſtrum. Ex quibus rebus non leuis iam culpa Ephraitis tribuitur, qui Cananæū perditiſſimi exempli populum atque nominatim in lege exceptum, tributi communis tantùm impoſita conditione reliquerint, & præter ciuitatis eiuſdem communicationem ferè ſocium ſibi adiunxerint: de quo crimine S.E. *Non diſperdiderunt gen-* “
tes, quas dixit Dominus illis: & didicerūt opera eorum, & ſeruie- “
runt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum. “

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

CEcidit autem ſors tribui Manaſſe, (ipſe enim eſt primogenitus Ioſeph.)

SVPERIORIS *proximæ lectionis de tribu Manaſſe, Ephraitis coniuncta, inceptam rationē narratio hæc abſoluit, indicans quonam loco quóue regionis tractu Manaſſenſium ſedes collocata fuerit, nēpe ſecūdùm Ephraitas à Septētrione, ita vt Ephraitæ Ieroſolymis Regiæ vrbi ſacroq; templo propiores conſederint. Verborum autem propoſitionisq; huius ſententia illa eſt; Proximum à Septentrione Ephraitis Manaſſenſes locum occupaſſe, idq; non caſu, ſed diuinitus ducta ſorte. Namq. vocabuli* Cecidit, *quo Latinus vt Latinam verborum conſtructionem ſeruaret, vſus eſt, ſignificatio non ad caſum, ſed ad narrationem & affirmationem refertur, cùm Hebraicè & Chaldaicè ſubſtantiuum verbum legatur, Et fuit; Græcè verò in omnibus exemplaribus* καὶ ἐγένετο: *ita vt nullum ſorti caſum aſcribere quis poſſit. Atqui in Manaſſenſium rationibus duo miranda conſiderandaq; occurrunt: alterum eſt, numeroſiſſima illa Manaſſe ex vno Machir filio*

ſoboles in ſeptem familias eaſdemq́. frequentiſsimas diuiſa, quarum nomina in hiſtoriarũ appendice, qui Paralipomenõ inſcribitur, ſignãtur; adeò vt non modo inter ceteras tribus trans Iordanem, ſed cis etiam latiſsima loca obtinuerint atque repleuerint. Alterum verò, quòd cùm ille primogenitus fuerit Ioſepho patri, tamen ſecundo loco atque tempore ſedem cum natu minore fratre fuerit ſortitus. Atqui vtrumq. hoc quàm breuiſsimis verbis indicat & abſoluit oratio illa: Ipſe enim eſt primogenitus Ioſeph. cui pater moriens copioſam ſobolẽ propagationemq́. bene precatus promiſerat. S.S. E. Filius accreſcẽs Ioſeph, filius accreſcens & decorus aſpectu. Hac igitur ratione illum duobus in locis ad ſedes obtinendas fuiſſe admiſſum indicat vocula illa Hebraica כִּי*: quæ & rationibus reddendis & aſſeuerationibus etiã præter cetera adhiberi ſolet. Quòd inquit ſecundo poſt Ephraim loco Manaſſenſium familiæ aliquot conſederint, hoc ex eo euenit, quòd quamuis à patre primogenitus agnoſceretur, tamen in prædicendis dignitatibus & prærogatiuis dexter fuit declaratus: Verùm quòd ſola hæc tribus bis fuerit in agrórum partitionem admiſſa, in cauſa fuit quòd Manaſſes Ioſephi accreſcentis filius, idemq́. primogenitus fuit, atque adeò hic ſecundum fratrem locum fuerit ſortitus proximum intra terram maioribus olim promiſſam, quantum pro regionis ipſius ratione, proq́. gentis in ipſa conſidentis portione ſat eſſe diuino iudicio definitum eſt: Cùm tamen cis Iordanem ijs, qui illa loca optauère, collocatis primùm Reuben & Gad intra Seon Amorrhæorum regis terminos, nulli certi fines præſcripti fuerint, ſed duæ ampliſsimæ & fertiliſsimæ regiones Galaad & Baſſan conceſſæ, quantum ipſi qui paſtionibus delectabantur, pecoribus ſuis alendis ſatis eſſe ſuo ipſorum gladio, quippe fortes belloq́. ſtrenui erant, patefactum definirent. Hæc illorum, quæ proximè leguntur, verborum ſententia eſt.*

Machir primogenito Manaſſe patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitq́; poſſeſſionem Galaad & Baſan.

PRIMVM *enim docemur Machirem totam regionem Galaad antea dictam occupaſſe, inq́. eius rei monumentum regionis nomen filio impoſuiſſe poſteritati atque memoriæ propagandum: deinde fuiſſe virum bello ſtrenuum & fortem, qui non contentus Galaad terminis Baſſan etiam obtinuerit, atque à vicinis finitimisq́. hoſtibus cùm defenſione opus foret, defendere ac tueri voluerit. Atque ita de illa poſſeſſione*

poſſeßione nihil hoc in loco agitur, ſed confirmatur ius illud, quo Galaad & Baſſan tenebantur, qui fuit vir pugnator. Relatiuo qui, *ratio & cõfirmatio ex Hebraico adſcribenda eſt: vt Latinæ voci, quippe qui, ſiue vtpotè qui, adſcribi ſolet. Poſtremò hac lectione rationes eædem afferuntur, quas ob res trans Iordanem ad agrorũ etiam partitionẽ integro Tribus nomine Manaſſes fuit admiſſus; nempe quòd ipſe primogenitus fuerit Ioſeph, atq. primogenitum reliquerit Machirẽ, qui fuit vir pugnator; et quia pugnator fuit, ceteros fratres in Cananæorũ expugnãdis regionibus ſtrenuè iuuerit. Atque vbi rationes hæ ab auctore indicatæ expoſitæq́. ſunt, ipſa Machiritarum ſoboles quàm multis fuerit familijs propagata, obiter ſignificatur: ex illis verò quotnam ex maribus, quot ex feminis oriundæ fuerint, indicatur; idq́. certa ex cauſa fit, vti deinceps exponetur.*

Et reliquis filiorum Manaſſe iuxta familias ſuas, filijs Abiezer, & filijs Helec, & filijs Eſriel, & filijs Sechem, & filijs Hepher, & filijs Semida. Iſti ſunt filij Manaſſe, filij Ioſeph, mares per cognationes ſuas.

A DEO *longè lateq́. vna Manaſſenſium ſoboles ex vno Machire propagata eſt in ſex familias maſculorum parentum diſtinctas nominibus, & ſeptimam etiam; quæ quanquam per feminas propagata fuerit, tamẽ et ampliſſima et honeſtiſſima extiterit, quippe cui et paterni auitiq́. nominis & hæreditatis adeundæ præter ceterarum tribuum exempla, ius fuerit conſtitutum.*

Salphaad verò filio Hepher filij Galaad filij Machir filij Manaſſe non erant filij, ſed ſolæ filiæ: quarum iſta ſunt nomina; Maala & Noa & Hegla & Melcha & Therſa.

C AVSA *quamobrem, quæ aliàs in Moſis hiſtoria nominatæ fuerint, hîc rurſus nominatim recenſeantur, illã eſſe exiſtimamus, vt diuinorũ promiſſorũ conſtãtia et veritas ijs manifeſtè oſtẽdatur, quicunq. firmo & fideli animo illa expetentes expectauerint: quæ res omnium temporum, ſæculorum, ætatum, ſexuum, conditionumq́. teſtimonijs inquirẽti conſtare poteſt; inter quæ feminarum etiam harum peti retulerit hiſtoriam, quibus peracta tam iudice Deo, & Moſe interprete, hæreditatis inter ceteros patris fratres capiendæ cauſa, & fides hactenus & vita conſtitit, quoad poſſeßiones ſecundùm præſcriptum dãdi opportunitas acceſſerit. Itaq. eædem illæ ipſæ numero atq.*

nominibus proprijs appellatæ, certiſsimum fidei ſuæ exemplum publicè edidiſſe commemorantur.

Veneruntq; in cõſpectu Eleazari ſacerdotis, & Ioſue filij Nun, & principum.

H o s *omnes in illud conſilium vocatos oportuit, quod de legis à Deo latæ, ac deinceps perpetua conſuetudine ſeruandæ cauſa ageretur. Hebraicè verò ſingulis huius conſilij membris verbum illud apponitur, pro quo Interpres noſter, in conſpectu, reddidit: Ad facies, inquit, Eleazari ſacerdotis & ad facies Ioſue filij Nun, & ad facies principum; ita vt primùm ſacerdotem ſummum adirent, in illa ſacra repub. caput, ad cuius munus legis interpretatio pertinebat; maximè cùm res legitimo conuentu agenda eſſet. Deinde etiam Ioſuan Nuni filium hoc nomine & cognomento Ducem populi, atque regionum il-*
Supr. 1. *larum diuiſorem à Deo conſtitutum. S.S.E. Tu enim ſorte diuides*
» *populo huic terram, pro qua iuraui patribus tuis vt traderem eam il-*
» *lis. poſtremi adeuntur principes viri, id eſt tam ſingularum tribuum tribuni, quàm familiarum proceres qui totius populi vicem gerebant; quorum etiam conſenſu quidquid iniretur, id populo in poſterum ratum haberi oportuerat. Illud etiam obſeruandum narratio hæc indicat, quantum cauſæ ſuæ feminæ illæ fiderint, quam non ambitu, aut gratia, aut propinquorum officio, aut amicorum opera, ſed iure ſuo obtinere conſtituerint; ita vt illæ omnes ſimul magna concordia & ſacerdotem, & Ducem, & principes viros petentes reſponſi pro ipſis à Deo relati admonuerint.*

Dominus præcepit per manum Moyſi, vt daretur nobis poſſeſſio in medio fratrum noſtrorum.

I v s *ſuum ſibiq; iam cauſa dicta & tranſacta conſtitutum, quod pluribus verbis narratum & deſcriptum in Moſis hiſtoria legimus, nunc breuiſſimè relatum, fortes & fideles feminæ poſtulant autoritate dicentis & interpretis & perſonarum atque rerum ratione repetita. Neq. enim cauſam ab illis nunc denuò agi, neq. quicquam de iam peracta atque tranſacta re, vel mutari, vel dubitare oportere aiunt; quippe cùm conſtet, autorem legis Dominum eſſe, qui non priuatè per quemuis hominem, ſed publicè per Moſen ceterarum legum omnium interpretem certiſſimumq; miniſtrum, non rogandam commendauerit puellis illis hæreditatem, ſed cernendam iuſſerit, eamq;*
commo-

commodiſsimo loco, in medio fratrum noſtrorũ, Hebraica lectio Moſem ipſum iuſſum eſſe ſignificat: atque ita verè iuſſus eſt Moſes hæreditatis adeundæ ius illis dare; deinde hac occaſione legem de feminarum, quibus frater mas non fuerit, hæreditate promulgare. S. S. E. "
Retulitq; Moyſes cauſam earum ad iudicium Domini. Qui dixit ad "
eum, Iuſtam rem poſtulant filiæ Salphaad: Da eis poſſeſsionem inter "
cognatos patris ſui, & ei in hæreditatem ſuccedant. Atque ita legis "
autorem atque legem primùm feminæ illæ appellant: deinde perſonam, cuius cauſa lex eſt ſancita. nobis in medio fratrum noſtrorum: *ſe ipſas non alias pro ſe ſuffectas, non filias, neptes vel agnatas ſtatuere aiunt adhuc ſuperſtites & viuentes, atque diuini promiſsi fide nixas, hactenuſq; valentes, vt nihil omninò obſtet, nihil nouam legis interpretationem requirat, cùm eodem iure hæreditas ipſis petatur, quo ceteris contribulibus, quibus tunc cernebatur, obiretur. Cur verò illæ patruos patrueleſq; ſuos fratres hac actione appellarint, cauſam fuiſſe arbitramur, quòd in illa prima regionis partitione patris Salphaad perſonam ſuſtinebant, & gerebant omnes perinde ac ſi pater ipſe in illa cauſa actor è mortuis extaret. Quamquã enim fratrum nomine cognati omnes in ſacro ſermone dici ſoleant, tamen hoc loco, vbi de repræſentationis iure agebatur, forenſi ſignificatione vſurpatum eſt verbum: Itaque non vt hæredes tantùm, ſed vt repræſentantes hæreditatem adiêre, quæ eodem nomine totius conuentus conſenſu decreta illis fuit, nulla exceptione vel autoritatis, vel legis, vel perſonarum, vt ſubiunctis verbis exponitur.*

Deditq; eis iuxta imperium Domini poſſeſſionem in medio fratrum patris earum.

I T A *factum eſt, vt nihil Ioſue, nihil totus cõuentus mutauerit ex ijs quæ interprete Moſe Deus iuſſerat; ſed patris earum nomine in ius, in numerum fratrum, in hæreditatem vocato in medio atq. commodo loco illis agri, oppida prædiaq; data fuerint, iubente etiam Deo, vt in medio fratrum patris agros poſsiderent.*

Et ceciderunt funiculi Manaſſe, decẽ, abſque terra Galaad.

O M I S S I S *ijs quæ ex Hebræorum obſcuro commento ab interpretibus ad hunc locum explicandum afferri ſolent, facilè inueniri numeri ratio poteſt, ſi in memoriam reuocemus ex ſex Manaſſenſis tribus hæredibus quinque marium filios, hoc eſt Abiezer & Helec &*

Ezriel

Eſriel, & Sechem & Semida quinque ſuſtuliſſe portiones, & quinq. familiarum capita ex illis fuiſſe conſtituta; totidem verò ex agro ad Hepher pertinente, qui in quinque filias diuiſus, quinque etiam terminis fuit definitus. Nam cùm filiæ viris ex eadem tribu nuberent, vt paternæ ſobolis nomen tuerentur, effectum eſt, vt decem familiarum agnationibus vniuerſus Manaſſenſium diſtingueretur ſtatus, certis terminis vnicuique familiæ conſtitutis, quos terminos funiculos Hebraicus dicere ſermo ſolet, per Metonymiam figuram omnibus linguis notiſsimam. Atque ita huius loci ſententia erit, intra terram promiſſam decem familiarum agros, & nomina Manaſſenſium accreſcenti ſoboli contigiſſe, præter eas etiam, quæ Galaad & Baſan longè lateq́; patentes regiones trans Iordanem occupauère. Atque ex his decem intra promiſſam terram definitis, vnicuiq. ex filiabus, quæ quinque erant, nomine etiam auito retento, ſuam obtigiſſe regiunculam: hoc eſt quod ſubiuncta expoſitione ſignificatur.

Filiæ enim Manaſſe poſſederunt hæreditatem in medio filiorum eius.

HEMISTICHIVM *hoc duo indicat: quonam loco & quo iure atque nomine feminæ illæ hæreditatem ceperint: Nomine, inquam, filiarum Manaſſes, vt ceteri fratres Manaſſe filÿ; ideo quæ antehac filiæ Salphahad filÿ Machir filÿ Galaad dictitabantur, hoc loco Manaſſe filiæ dicuntur: locus autem illis propter fidem propterq́; Dei idipſum declarantis decretum in promiſſa terra in medio filiorum Manaſſe, qui illic conſederunt, ſitus fuit. Itaque hîc decem familiæ viſebantur eiuſdem tribus, cis Iordanem verò multæ aliæ ſeptem capitibus diſtinctæ, Epheritarum, Ieſitarum, Elielitarum, Ezrielitarum, Ieremienſium, Odoitarum & Iedielitarum: hoc eſt quod altera verſus huius parte, velut per parentheſim, ſignificatur.* Terra autem Galaad cecidit in ſortem filiorum Manaſſe qui reliqui erant. *Hoc loco non ſortitio illius terræ, ſed poſſeſsio ſignificatur, vt ex Hebraico exemplari & Chaldæis Græcisq́; verſionibus conſtat. Igitur enumeratis ÿs qui trans Iordanem hæreditatē obtinuerunt, ex filÿs Manaſſes, hoc eſt decem familÿs, partes etiam quænam fuerint indicantur, ſitusq́; deſcribitur cum finitimis tribubus & vrbibus.*

Fuitq. terminus Manaſſe ab Aſer, Machmathath, quæ reſpicit Sichem: & egreditur ad dextram iuxta habitatores Fontis-taphuæ

tis-taphuæ. Etenim in ſorte Manaſſe ceciderat Terra-Taphuæ: quæ eſt iuxta terminos Manaſſe filiorum Ephraim.

Avstrales *& Orientales termini Manaſſenſiũ deſcribũtur, quibus Ephraimitarum regio contingebatur. Eſt autem nomen vrbis Aſſer hoc loco, quæ ad Euſebij vſq. tẽpora perdurauit, à qua ad Machmah, ſiue Machmetha productus funis Orientalem limitem à Borea ad Auſtrum ſignabat; eſtq́. Machmetha è regione Sichem. Itaque recta via ab Aſſer ad Machmah vrbem per Manaſſenſium fines ibatur; deinde irrumpebat limes per agros, qui olim Taphuæ vrbi fuerant adſcripti, ita vt fontẽ Taphuæ ad dexterã relinqueret, et Taphuæ agrorũ partẽ interſcinderet; cùm vrbs ipſa Taphua, Ephraimitarũ ſit, atq. iam poſthac Manaſſenſibus affinis relinquatur. Certum verò atq. manifeſtũ Meridionalis laterus limitẽ illuſtri nota fuiſſe indicatũ, lectio ſacra oſtẽdit; videlicet torrẽte arundinoſo, qui Manaſſenſib. attribuebatur, tametſi vrbes eæ, quæ ſecũdùm i[illegible]m torrentẽ ſitæ fuerant, Ephraimitarũ in ſorte eſſent. Atq. hæc illorum verborum ſentẽtia eſt.*

Deſcenditque terminus Vallis-arundineti in meridiẽ torrentis ciuitatum Ephraim, quę in medio ſunt vrbium Manaſſe: terminus Manaſſe ab Aquilone torrentis, & exitus eius pergit ad mare; ita vt poſſeſſio Ephraim ſit ab Auſtro, & ab Aquilone Manaſſe, & vtramque claudat mare; & coniunganturſibi in tribu Aſer ab Aquilone: & in tribu Iſſachar ab Oriente.

Paraphrastica *oratione deſcriptio hæc commodè explicabitur: Manaſſenſium, inquit, terminus vallem ſiue torrentem arundineti à meridie cohibebat, eamq́. vallem Manaſſenſibus adſcribebat: ciuitates verò, quæ in illo torrente à meridie iacebant, in Ephraimitarum cenſu erant. Terminus autem Manaſſe eas vẽdicabat vrbes, quæ ab Aquilone torrentis erant: huius tribus ac termini exitus occaſum verſus mare ipſum ſpectabat. Atque duæ hæ tribus Carmelum mõtem ab Aquilone attingebant, ad quem etiam Aſſeritæ ſua in regione pertinebant.*

Fuitque hæreditas Manaſſe in Iſſachar & in Aſer, Beth-ſan & viculi eius, & Ieblaam cum viculis ſuis, & habitatores Dor cum oppidis ſuis; habitatores quoque Endor cum viculis ſuis: ſimiliterque habitatores Tenac cum viculis ſuis, & habi-

habitatores Mageddo cum viculis ſuis, & tertia pars vrbis Nopheth.

ANTICIPATIONE *vſa hiſtoria hac, quinā ex Manaſſenſibus & quàm multi intra terminos etiam Iſſachar & Aſſer conceſſuri eſſent, recenſet; nempe eos quibus Beth-ſean occupanda eſſet, cui vrbi non longè à Iordane atque in plano loco ſitæ nomē quietis eſt factum; ſignificatq́; Domum amœnitatis, ſiue recreationis, Hiſpanicè* caſa de huelga. Ieblaghan: *à capacitate nomen obtinuiſſe videtur: populi voracem Latinè dixerim, ſed aptius Hiſpanicè* Traga pueblo. Habitatores Dor, *& habitatores Ghen-dor à Manaſſenſibus pellendi erant. ſignificat autem* Dor *idem quod Latinis Habitatio.* Endor *verò ab inſigni fonte, cuius riuus forſan Dorā vſque deducebatur, nomen accepiſſe videtur. Præterea* habitatores Tenach *ſiue* Thaghanach, *quod nomē* תענך *ſignificat, &* Magedo. *Quod verò hîc tertia pars vrbis* Nophet *legimus, Hebraicè eſt,* שלשת נפת. *& Trinitas ſiue Triplicitas Nopheth; cumq́; Nophet Regionē ſiue tractū ſignificet, videtur hiſtoriæ auctor tres illas vrbes in tractu illo celebres indicare, nimirū Dor, Thaghanac & Magedo, quæ in Dorēſi regione ſitæ erāt.*

Nec potuerunt filij Manaſſe has ciuitates ſubuertere, ſed cœpit Chananæus habitare in terra ipſa. Poſtquam autem conualuerunt filij Iſrael, ſubiecerūt Chananæos, & fecerūt ſibi tributarios, nec interfecerunt eos.

CVM *in diuinorum promiſſorum atque donorum expectatione fides prima hominum animos armet, eoſdemq́; fidei comes obſequium inſtruat, atq; ad maximas res tum gerendas, tum obtinendas idoneos reddat. S. S. E. Sancti per fidē vicerunt regna, adepti ſunt repromiſſiones, &c. iſtorum imminuta fide atque ignauia effectum eſt, vt multæ vrbes eæq́; opulentiſſimæ, quales hæ fuēre, quæ proximè connumerabantur; in eorum, ad quos pertinebant, ditionem non venerint, ſed antiquos hoc eſt Cananæos habitatores retinuerint, aliosq́; etiam ex eadem gente receperint, qui proximis bellis ex alio atque alio pulſi loco, huc tandem recepti habitare, colere & quietè agere cœperunt. Atque ita fidei & obſequij defectus in cauſa fuit, quo minus Manaſſenſes hos quos debuiſſent, pellere non poſſent. Quod ſi quis interroget cur Manaſſenſes ſoli illud ſuſcipere bellum formidabant nō ſibi cæteris tribubus, vel omnibus, vel quibus opus eſſe videretur aſſumptis,*

Hebr. 11.

ptis,

ptis, hoſtes oppreſſos coniuncta manu pellebant: (namque & hoc facillimum eſſe ex numero & copijs ex partis anteà victorijs ex incuſſo hoſtibus metu probari poterat.) hanc interrogationem apertè illa adiuncta expoſitio excipit, quæ filios Iſrael in vniuerſum auariſſimæ ignauiæ atque ignauiſſimæ auaritiæ inſimulat, quòd ij communi conſenſu, iudicio & ſtudio potior viſa eſt conditio tributi à Deo interdicti tot tamq; infenſorum hoſtium pulſione tantarumq; vrbium & commoditatum vſu. Atque omnia hæc diuino poſthabito iudicio & iuſſu, humanæ prudentiæ rationibus excogitata, inita & acta fuère, quamuis nonnunquã (vt fieri ſolet) Dei nomen auctoritatis, aut diſſimulationis potius cauſa appellatur, vt paulo inferius obſeruabimus.
ciuitates ſubuertere. *Metonymia eſt pro habitatoribus: vel Ciuitatis nomen Latinè pro ciuibus vſurpatur, cùm Vrbis nomẽ muros & ædificia contineat. Hebraicè verbum* HORIS *eſt, quod Pellere & eijcere ſignificat. ſed hanc tributi conditionem viuente Ioſue fuiſſe impoſitam, non eſt cur exiſtimemus. Neque enim ſummus ille dux & populi gubernator Dei iuſſum publicè violari paſſus eſſet, neque hoc ſeniores & primarij illi, quorum integra adhuc conſtabat fides, admitterent. Sed ab eo, qui has hiſtorias ex Ioſue monumentis diuino conſilio concinnauit, huiuſmodi annotationes expoſitionis cauſa interpoſitas exiſtimamus.*

Locutiq; ſunt filij Iſrael ad Ioſue, & dixerunt: Quare dediſti mihi poſſeſſionem ſortis & funiculi vnius, cùm ſim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus?

QVANQVAM *hanc querelam non antè à Ioſephitis expoſitam exiſtimemus, quàm ſingulis tribubus certi fines adſcriberentur; tamen commodè ab hiſtorico narratam arbitramur, poſt illud ſuperius exemplum ignauiæ Manaſſenſium; qui quas vrbes magnas & opulentas ſortiti fuerant, expugnare tamen noluerunt, cuius ignauiæ & imminutæ fidei argumentum cõijci iam obſeruariq; potuit, Ioſue etiã incolumi, & Iſraelitarum victorijs feruentibus, quibus iſti per ſocordiam vti neglexerunt: Quippe vbi eius loci & regionis totius, quam ſorte obtinuerant, ſitum & rationem omnẽ cognouerunt, coniunctæ duæ tribus Manaſſenſium & Ephraitarum (quibus commune filiorum Ioſeph nomen erat) Ioſuan compoſita querela adorti iniqui iudicij & impietatis inſimulant, actionemq; non tam veritate quàm*

arte inſtructam inſtituunt antithetis plenam, qua dignitatem ſuam quàm maximè amplificare poſſunt, amplificant & iactant; diuinumq́ iudicium interponunt, quo rei indignitas auctior maiorē aduerſum Ioſuan inuidiam concitet, ſuamq́ querelam grauiorem honeſtioremq́ reddat: Non qui à Deo ſibi illam aſſignatam ſortem agnoſcant, ſed qui ab ipſo Ioſue priuato iudicio & conſilio anguſtis limitibus definitam querantur. Id quod vt maiori apparatu fiat, vt pertinere ad multos videatur cauſa, vtraq́ tribus coniuncta in actionem prodit, omnium nomine querelam inſtituunt, & dixerunt, non vna tantùm Ephraimitica familia, non Manaſſenſis, ſed vtrique ſimul communem ſibi cauſam faciunt, & communiter tanquam vnum caput agunt. Principio igitur Ioſuan illius, quam ipſi iniuriam fingunt, autorem ſtatuere conantur. Quare dediſti mihi. *Quaſi ſortem illam conſultò à Ioſue in arctum cohibitam ſignificent, nō à Deo, à quo non tantùm numero & multitudine, ſed honore, dignitate, & amplitudine ſeſe auctos iactant; quippe iactatio magis quàm gratulatio hæc fuit. Oratio enim ipſa dicentis animum facilè arguit; dignitatem ſuam verbis amplificant magnis, & diuina auctoritate confirmant. Cùm ſim, inquiunt, tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus; ex Hebraico verborum pōdere ſic penſitari Latinis verbis oratio poteſt: Atqui ego populus multus, magnus, magnificus (ſiquidem verbum* RAB *omnia hæc ſignificat) vſquequaq́ enim hactenus benedixit mihi Dominus: Itaque ſuam amplitudinē magnam, eamq́ perpetuam, atque hactenus conſeruatam, Deo inquam autore, oſtentant; adeò, vt quam modò imminutionem ſibi factam queruntur, Ioſue adſcribant potius quàm Deo tribuant. Qui hactenus nos omni benedictione proſecutus eſt, indignè feret factam à te nobis iniuriam; namq́ non Deus, verùm tu dediſti mihi tam magno populo tamq́ hactenus amplificato* poſſeſſionem funiculi vnius. *Extenuatio eſt rerum omnium artificioſa & inuidioſa, quòd maximus populus & ampliſſimus atque à Deo in duas tribus etiam diuino iudicio diuiſus, autore tamen Ioſue vnam ſortem habeat, eamq́ metatam funiculo. Hactenus nulla in ſuperioribus lectionibus funiculi mentio facta eſt, ſed iſti ad amplificandam querelam rem ipſam, quantum poſſunt, extenuant. Quippe funiculi nomen, quo antiqui fundos & agros priuatos metiebantur, cùm extra metiendi officium vſurpatur,*

patur, grauem & moleſtam ſignificationem habet: ſic Funiculum ſpinarum, funiculum doloris, & funiculum iugi Senacherib legimus. Alijs, inquiunt, qui mecum collati minores & infrequentiores cenſebuntur, ſatis amplæ conceſſæ ſunt ſortes: Tu verò mihi ampliſſimo ſortem vnicam, eamq́; fune metatam, non funibus, dediſti; imò totam funiculum eſſe aptè dixerim. Hũc popularem tumultum querelæ & criminationis plenum, oratione in ſpeciem honeſta, atque pietatem prætexente inſtructum, quanta patientia, prudentia ac dexteritate fortis atque fidelis Dux, Imperatorumq́; exemplar exceperit, & primo impetu ſuſtinuerit, attendamus. Ad quos Ioſue ait. *Primùm animi fortitudinem & conſtantiam, iudicijq́; integram dexteritatem animaduertendam oratio hæc indicat. Quòd optimè ſibi conſcius atque fidens vir neque tantum populum excipere dubitauerit, neque per internuntios, vel optimates, vel ex ipſo eodem populo delectos retinendum, vel auertendum, vel ſedandum curauerit; ſed ipſe tanquam cauſa prior & fide ſuperior expectauerit, ſuſtinuerit, omnes in vniuerſum atque anguſto, prudente & pio reſponſo allocutus correxerit. Hebraicè, & dixit Ioſua ad eoſdem, ad omnes tã Manaſſenſes quàm Ephraitas, qui communi titulo et cognomento filiorũ Ioſeph conſpirauerant, hoc eſt filiorum eius, quem amplificandum, non minuendum antiqua prodiderant oracula.*

Si populus multus es, aſcende in ſiluam, et ſuccîde tibi ſpatia in terra Pherezæi & Raphaim: quia anguſta eſt tibi poſſeſſio montis Ephraim.

E L E G A N T I *atque opportuna conceſſione vſus Ioſephi filios ignauiæ & inertiæ atque imminutæ fidei artificioſè redarguit prudens Dux, ſuamq́; erga Deum fidem, pietatem, atque erga eoſdem ipſos Ioſephitas curam & prouidentiam conſilij optimi plenam probat. Principio autem ſe illius partitionis atque aſſignationis autorem non concedit; quippe falſa omninò obiectio fuerat, et inuidioſa magis quã veriſimili oratione prolata. Nihil enim priuatè aduerſum illos in ſorte ducenda commiſſum fuerat; nihil à ceterarum ſortium ratione diuerſum actum, aut conſultum; atque ideò etiam neque refellit aut depellit, nimirum quia ſua ſponte depulſum remotumq́; conſtabat, et ſi maximè hoc contendere aduerſarij vellent; tamen ſi conſideretur, ipſorum cauſam nihilomagis firmabat. vt vt res haberet; ſortem illã*

optimus Dux et populi pater opportuniſsimam illis contigiſſe ait, quibus magnitudinis, multitudinis, amplitudinis atque adeò benedictionis & felicitatis diuinæ probandæ & confirmandæ cauſa aptiſsima materies, & optanda maximè commoditas oblata fuerit, niſi inertia, ſocordia, ignauia & deſidia, atque contraria fidei erga Deum diffidentia marceſcere & corrumpi libeat: adſcriptum illis fuiſſe, inquam, atque in ſorte concluſum montem, qui ad Ephraitas pertineret; illum occupantibus locum eſſe ad oppida condenda, noualia cædenda, multa etiam commoda capienda, quæ montibus non ingratè colendis cultori contingunt, in eiuſmodi ſtudijs & curis occupandos exercendosq́ eſſe bonos & fortes frequentesq́ populos, quales ſeſe iactabant; ex eiuſmodi negotio non rarum ac mediocrē, nec ſimplicem, imò multiplicem fructum Deo ipſo auctore atque promotore & benedicente ac benefico percepturos: ex quibus vnum genus eſt animorum, membrorum & virium exercitatio, quæ montanos homines, ijs qui in campeſtribus & planis degunt, & loco & dexteritate ſuperiores facere & ſeruare ſolet. Ex ea autem re illud confici poſſe ait, vt Manaſſenſes, qui diuiſam ab Ephraitis ſortem & optabant & poſtulabant, ampliſsimam ad ſeq́ pertinentem obtinerent, neque vno funiculo (vt querebantur) metatam, aut arctatam, ſed duarum gentiū fortiſsimarum & frequentium altricem, Pherezæorū videlicet, quibus tum à laxitate & disiunctione habitationum, tum à graſſandi conſuetudine nomen factum videtur, & Rephaim populi ex gigantum genere oriundi, quem veriſimile eſt nec anguſtam, neque ſterilem regionem in planitie occupaſſe propter gentis antiquitatem & fortitudinem: Atque hanc expeditionem non magni negotij futuram illis, hoc eſt frequentiſsimæ genti & Dei beneficijs hactenus auctæ, et pluribus iuxta promiſſum deinceps augendæ, niſi ſibijpſis deeſſe libeat. hæc reſponſi ſententia eſt, cuius Hebraica verba ſic Latinè ſonant: Si populus multus tu, aſcende tibi in ſiluam, & dilatabis ibi; in terra Phereſæi, & in terra Rhephaim, quia difficilis tibi mons Ephraim.

Ex *his verbis noſtram, hoc eſt Vulgatam verſionem ſic diſpungimus & exponimus, vt primam illam partem ſiue aſſenſionem,* Si populus multus tu, *ad vtramq́ tribum ſimul referamus, ſimul cum illo conſilio,* aſcende tibi in ſiluam, & dilatabis. *Namque hanc dilatationem*

tionem vtrique populo vtilem fore prædicit; Ephraitis ad ædificãdum & colendum, Manaſſenſibus ad ibidem manendum, & imbellem populum cum rebus ſuis ſeruandum, commoditate vtendum expugnandi & occupandi Pherezæorum & Rephaim regiones in campeſtri loco ſitas, illiq; mõti adiacentes: et quamquã mons ad Ephraim pertineret, ſeq; Manaſſenſes ab Ephraitis ſeparare vellẽt; tamẽ illa Ephraim montis difficultate vti in ſuum commodum poterant. Hæc illorũ verborum ſententia eſt, Quia anguſta tibi poſſeſſio montis Ephraim: *ſiue vt Hebraicè eſt,* quia difficilis vel anguſtus tibi mõs Ephraim, *ita vt vtramque ſignificationem nobis illa verba reddant,* anguſtus ſiue difficilis tibi: *Si, inquit, anguſtum tibi putas, & Ephraitis relinquendum arbitraris montem illum, tamen tuis vſibus atque in tua commoda anguſtum & difficilem experiri potes, dummodò ex illo adiacentium gentium agros occupare ſtudeas. Animaduertendum eſt aduerbium Latinum* ibi, *quod hoc loco vertentes vſurpamus pro Hebraico* SAM *redditum eſſe, quod & aduerbium locale eſt, & verbum etiam, pro quo Latinè, Ponere, dicimus. Vtriuſque autem officij vſus hic eſt,* & dilatabis ibi; *in monte videlicet illo, & Pone tibi, ſeu potius appone agros & domos in terra Pherezæi, &c. Tribus itaque partibus, conceſſione, interpretatione, atq. depulſione ex antitheto calumnioſam Ioſephitarum criminationem prudenter, grauiter & humanè refringit, principiſq; viri perſonam atq. ducis ſummi dignum decorumq; exemplũ tuetur ornatiſsimè tum in hac, tum in ea, quæ mox ſubiungitur, actione.*

Et dixerunt filij Ioſeph, Non poterimus ad montana conſcendere cùm ferreis curribus vtantur Chananæi, qui habitãt in terra campeſtri, in qua ſitæ ſunt Beth-ſan cum viculis ſuis, & Iezrael mediam poſſidens vallem.

VT *exceptionis huius apertior conſtet ſententia, Hebraicæ orationis breuitas ex verbo, quoad præſtari nobis poſsit, reddenda eſt.* Non inuenietur nobis ille mons; & currus ferreus in omni Cananæo habitante in terra vallis [ei] qui in Bethſean, & in filiabus ſuis, & [ei] qui in valle Iezreghel.

IOSVE *orationem, quæ tota pio, paterno atque diuini beneficij fide ac ſpe nitente conſilio conſtabat, humanis rationibus refellere co-*

nantur Ioſephitæ, iam in duas partes diducti, qui anteà vno nomine vnoq́; conſenſu agere cœperant. Nunc cùm ad optimi conſilij conditiones ventum eſt, vulgari ſenſu atque inepta oratione laborem recuſant, duobus vſi argumentis; altero ab iniquo, altero verò ab impoſſibili, vt illis videbatur. Sunt autem exceptionis huius duo membra, vt ex Hebraica lectione obſeruamus: alterum, Nō poterimus ad montana conſcendere: *aiunt non poſſe omnes illo monte capi & concludi, qui iā ex ſortis iudicio vni Ephraim debebatur: alterū verò,* cùm ferreis curribus vtantur Chananæi, &c. *Ex quo in concluſione inferunt, ſatis ampli atque fertilis admodum loci ipſis eſſe adſcriptum in illa Cananæorum regione, quam tamen ipſi expugnare non poſſint, propter horrendum & pernicioſum curruum apparatum; quo ſua incolæ defendere & propugnare ſolebant aduerſus eos, qui neque curribus neque equis vterentur, atque hoſtium comparatione nudi, inermes, & manibus cruribusq́; carentes videri poſſent, cùm in plano campeſtriq́; loco equites peditibus multum præſtent, nedum ij qui curribus vtuntur, atque adeò armatis falcatisq́; quadrigis. Itaque concludunt, iniquè ſecum agere Ioſuam, qui vel illos omnes in vnum locum tamquā tribum vnam, eumq́; anguſtum, vel difficilē & montoſum cogat, cùm duæ tribus ſint, vel alteram manifeſto periculo exponi, & perditum iri velit. Atq. ex hoc loco apertè docemur ijs, qui nec piè, nec ſimpliciter viuere, atque diuini conſilij & iuſſi fidei obſequi nolunt, à labore ad otium, à virtute ad ignauiam traductis neque argumenta, neque orationem deeſſe, quibus propoſitum honeſtatis aut vtilitatis prætextu vrgeatur & defendatur: vulgaremq́; illam ſententiam antiquā veteremq́; eſſe; Eum qui ſe periculo cōmittat, perinde agere, ac ſi Deum tentare velit, cùm tamen eos qui Deo obediunt, nullum obiectum periculum frangere poſſit, rectè inquam agentes, & à Dei iuſſione atque fide minimè diſcedentes. S. S. E.* Pſalm. *Non accedet „ ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Ca- „ dent à latere tuo mille, et decē millia à dextris tuis: ad te autem nō ap- „ propinquabit, quoniam angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſto- „ diant te in omnibus vijs tuis: in manibus portabunt te, ne fortè offen- „ das ad lapidem pedem tuum: ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, „ & conculcabis leonem & draconem. quoniam in me ſperauit, liberabo „ eum: protegam eum, quoniam agnouit nomen meum, &c. Secus verò*

ijs ac-

ijs accidit, qui proprio conſilio vel temerario iudicio cupiditatisq́; ſuæ impetu acti ſeſe in diſcrimen conijciunt. de quibus ſcriptum eſt: Qui amat periculum, peribit in illo. ſed hi, qui non ſua, ſed Dei voluntate, electione & ope niti debuerunt, priorem rationem, hoc eſt diuinã abdicantes, poſteriorem, id eſt humanam arripuerunt, qua ſe impares hoſtibus profeßi ſuam illam amplitudinis, multitudinis atque benedictionis diuinæ iactationem timiditatis dedecore contaminauerũt; tantum eſt à vero & firmo gerendarum rerum principio abduci: verumenimuerò ex Dei fide atq. prouidentia pendentibus viris, neque modum neque conſilium deeſſe, quo humanæ ſapientiæ & prudentiæ rationes vincantur; & ſi regi ſeſe patiuntur, regantur etiam. manifeſto documento Ioſue oratio eſt quæ ſubiungitur.

Dixitque Ioſue ad domum Ioſeph, Ephraim & Manaſſe, Populus multus es, & magnæ fortitudinis: non habebis ſortem vnam, ſed tranſibis in montem, & ſuccides tibi, atque purgabis ad habitandum ſpatia: & poteris vltrà procedere, cùm ſubuerteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, & eſſe fortiſſimum.

CALVMNIAM *illam, quam Ioſephitæ ſemel atque iterum repetitam vrgebant, prudenti compellatione depellit Ioſue. Illi enim bis conqueſti fuerant, quòd cùm duæ tribus eſſent, ex Dei iudicio tamen & ſorte aßignanda, & ſuperiore actione, vnico ſermone perinde atque vna tantùm eſſet, ducerentur. nam cùm illi omnes vno Ioſephi filiorum nomine ac titulo conſpiraſſent, atque hoc pacto cauſam tamquam communem egiſſent, eodem nomine & titulo fuerunt à Duce excepti. Sic enim legimus:* Ad quos Ioſue ait. *Itaque vt illi nomine Ioſephitarum venerant, ſic etiam confusè eodem nomine excepti videbantur, quamquam in oratione diſtinctè moniti fuerant, vt ſeſe mutuò iuuantes & ſuas res componerent, & hoſtẽ loco pellerent, ſedesq́; dilatarent. Illi verò hoc ſic cõtrà interpretati ſunt, vt adhuc vno loco cogi viderentur à Ioſue rem factu impoßibilem aggredi monente, ex quo conſequebatur, eos tamquã vnam tribum in Ephraim montem cogendos eſſe, atque ita pro vna tribu cenſeri, quod iniuriæ loco ducebant. Nunc verò ſapiens vir hanc calumniam ita pellit, vt eoſdem ſibi dedecoris auctores eſſe redarguat. Namq. inprimis illos eo nomine compellat, quo primum egerant domus Ioſephi,*

quo

quo ſuæ dignitatis & fidei diuinis promiſsis habendæ admonet; deinde diſtinctis tribuum nominibus Ephraim & Manaſſe ornat, ita vt duas tribus fateatur, & vtramque vel nominis ſui commemoratione, vel ipſo etiam communi Ioſeph nomine ad fortitudinem hortetur. Ait autẽ illos, quamquã primum vno nomine conuenerint, tamen duas tribus eſſe, & eaſdem neque infrequentes, neque imbecillas, aut infirmas, ſed ſanas recteq́ valentes, vtrumq́ verò Deo acceptum referri oportere, quòd & multus populus eſſet, & viribus roboreq́ valens; atque ad hanc fortitudinis laudem ex pluribus ferè Synonymis verbis vnum vſurpauit Ioſue, coahh, *quod Vires à natura potiùs datas quàm exercitatione comparatas & firmatas ſignificat. Itaque Dei beneficio & copias, & vires illis ſupereſſe ait, quibus magna geri poſsint res, modò fides Deo habeatur, & quæ fidẽ conſequuntur, prudens induſtria atque diligẽtia adhibeatur, hoc eſt quod imprimis confirmat, neque copiam neque facultatẽ illis deeſſe, quamlibetq́ ceterarum tribuum ſingularem iiſdem partibus inſtructam, poſſe magna & aggredi & vincere; nedum ipſas, quæ neque vna tribus ſunt, ſed duæ; neque vnam tantùm regionem ſortitæ, ſed duplicem, duabusq́ tribubus alendis ſatis ſuperq́ opportunam: hoc eſt quod ait,* populus multus es, & magnæ fortitudinis. *Quod verò ad cenſum attinet: quanquam vt vna tribus veneris, tamen neque excepti eſtis vt vnica tribus, neque ducenda ſorte vt vnica æſtimati: conſtat namque vobis ampliſſimus locus, ſi vos vt duæ fraternis animis iuuare volueritis, vt fraterno conſilio & ſtudio agere nunc videmini, tantum requiritur in vobis voluntas & conatus. Namque aliàs & ex diuina ſorte, & ex locorum, quæ vobis obtigerunt, opportunitate & commoditate nihil ad veſtras componendas tutandasq́ res, nihil ad reportandam glorioſam ex fortiſsimis, vti arbitramini, hoſtibus victoriam deeſt, præter induſtriam; quam quemadmodum adhibere oporteat, ſi iuuat, ipſe docebo.* Tranſibis in montem, & ſuccides tibi ad habitandum ſpatia. *Duplicem vocabuli Mõtis hoc loco ſignificationem tenere conuenit Latinis expoſitoribus: alteram, quo loci figura indicatur, videlicet editior & ſuperatu difficilior; altera, quæ etiam arbuſtorum arborumq́ ruſticarum copia cõſtat. Nam quod Latinus interpres vnico vocabulo Montis expoſuit, Hebraica lectio duobus explanat;* quia mons erit tibi, quia ſilua [eſt] ipſe, *geminam*

geminis

geminus vobis ſupereſſe ſortem, vel ex hoc oſtendam, quòd mons vobis contingit, tibi inquam Ephraim, & planities etiam ex eodem contingere monte facilè poteſt, modò viribus & copijs veſtris dexterè vtamini: nam quæ commoda ex monte capi vobis poßint, plura ſunt; primùm quòd mons ipſe vobis iam conſtat in habitationem & vſum Ephraitarum, ideò enim dictus eſt mõs Ephraim, à quo per vicinos pelli non poteſtis, quippe cùm multi numero ſitis, magniſque viribus præditi, ſuperiorem locum ſemel iam occupatum colere, tuerią; poteſtis maximè aduerſus eiuſmodi hoſtes, qui curribus vtuntur falcatis, inutilißimis planè ad montem expugnandum; deinde verò mons non eſt ſterilis, neque inutiles habet plantas, vt fruteta & ſenticeta, aut vepres, ſed totus ſilua eſt, quæ & exciſa magnam tibi ad habitandum opportunitatem creabit, magnam lignorũ ad omne ſtructuræ genus materiem ſuppeditabit, magnam fructus ad pecuariam rem ſufficiet copiam, & quæ plurima ex fertili ſolo proueniunt commoda hominum habitationi, tibi præſtò erunt. hoc eſt quod Hebraicè ſcribitur VBERAATHO, *& Latinus interpres vertit*, ſuccides tibi, atque purgabis ad habitandum ſpatia. *Hiſpanicè verti poteſt vnico verbo*, y deſcombraraſſo: *Italicè Tu lo diſgombrarai. Atque hic cum primis vſus ſiluoſi mõtis erit, nempe habitationis ſecuritas, propugnandi tutandíque facilitas, commodorum plurimorum ad habitationem pertinentium copia; deinde vero ad hoſtium inferiori loco conſidentium facilem expugnationem, maxima tum ex hoc, tum ex ſilua opportunitas, quæ fratribus ſeſe iuuare volentibus, vel ſeſe minimè impedientibus conſtare poterat: ea huiuſmodi erat, cùm multus populus tu ſis, viribusq; integris, poteris ex ſuperiori loco, quem tu tibi cædendis lignis callibúſque certis inſtruendis aperueris, hoſtes in campeſtri loco ſecundùm montem ſitos adoriri & vexare, pellere, diripere, & omninò fundere; quos eo maiore cum laude vinces, quo fortiores & ſuperatu difficiliores exiſtimari ais, vtpote curribus falcatis fidentes. Hi enim in curribus, hi in equis, nos autem in nomine Domini ſperamus: ipſi obligati ſunt & ceciderunt; nos autem ſurreximus & erecti ſumus. Atque hoc ipſum ſiluæ ac montis diuina ſorte tibi contingentis commoditate præſtari poteſt; namque ex monte* poteris vltrà procedere, *modò induſtria, diligentia, viribus & copijs, quibus valetis, addatur, videlicet callibus apertis, qui*

vobis peditibus vſui,ÿs verò qui ex curru pugnant,prorſus inepti inutilesq́; ſint, & lignis ex ſilua in planitiem comportatis, atq. ita iniectis,vt curruum vſum prorſus hoſtibus impediant, ipſosq́; aurigas cum ſeſſoribus vel peſſumdent, vel vobis expeditis necandos perdendosq́; tradant;atque ita fortiſſima ſtudijsq; belli aſperrima gente victa,vos aſsignatas diuinitus vrbes obtinebitis, incoletis, & à vicinis,vel curribus equisq́; vtentibus eodem quo cœperitis modo, defendetis;vel peditibus,ſi infeſtari contingat, veſtra virtute & multitudine, atque fratrum in vicino vobisq́; noto monte conſidentiũ præſidio tutabimini,Deo vindice & veſtri nominis ſuiq́; promiſſi atque conſilij aſſertore. hæc illius perorationis ſententia eſt: Poteris vltrà procedere,cùm ſubuerteris Chananæum,quem dicis currus habere ferreos,& eſſe fortiſſimũ. *Hebraica verba Latinè ſic vtcumq. referre poſſemus*;Et erit tibi,exitus eius,cùm pelles Chananæum, quia currus ferreus illi,quia robuſtus ipſe. *Horum verborum ſententiam Latinus interpres reddidit, verùm expoſitoribus explanandam reliquit,hoc modo*; Et erit tibi:*in ſingulari numero verbũ* erit, *per ſyllepſim figurã, & ea quæ antè & quæ pòſt leguntur,cõplectitur. dixerat montem occupari ſiluamq́; cædi poſſe. Hoc, inquit, erit tibi, continget tibi in tuum vſum, quidquid commodi ex monte & ſilua percipi poteſt,hoſti verò minimè continget: deinde & quod mox ſubiungam,erit tibi,hoſti autem oberit.* Exitus eius, *multitudinis numero poſitum aditus omnes ad inuadendum, atque ad ſeſe recipiendum cõmoditates illis ceſſuras,hoſti minimè futuras affirmat.* Cùm pelles *orationis particula*,chi,*in illa lingua tempus & cõditionẽ, & affirmationem,ſiue aſſeuerationem induat,hac ſententia,* Quòd pelles, quandoque pelles, quippe pelles.*cauſa autem quamobrem pelles*,quia currus ferreus ipſi, *cuius nullus erit vſus aduerſum te, montis & ſiluæ opportunitate & cõmoditate vſurum; idq́; ex eo fiet,* quia robuſtus ipſe.*nomen* HHAZAQ *Hebraicum,ita robuſtum ſignificat,vt immobilitatem ferè ſubindicet, & ſitum habitumq́; difficillimum,qualis accidere poteſt currui duobus aut pluribus trabibus,vel arboribus obiectis intercluſo. Atque ita legitur oratio illa,* quia robuſtus ipſe:*vt ad mõtem referre poſſimus, & ad currum, & ad Cananæum. vtvt verò referatur, Ioſue ſententiam & cõſilium pro Ioſephitis confirmat:nos ad omnes ſimul partes referimus, atque*

ita

ita totius huius actionis illa ſumma nobis ſubducitur. Populus multus,*&c.Cùm vnius populi nomine vos veneritis,montis tamen, qui vobis contigit,ratione nunc ſeparamini: Eſto igitur quòd duæ ſitis tribus,tamen & vtrique ſeorſum & ſimul coniuncti, multi & fortes eſtis,& hoc nomine hoſtem facilius perdere, & vobis mutuo auxilio eſſe poteſtis,& tu montem tuum tibi retinebis ad vſum habitationis ac ſiluæ,neq.ex ſilua amborum vſibus cædenda damnũ accipies, imò multa tu tibi capies Ephraim,& illinc tu Manaſſe hoſtes inferiori loco conſidẽtes expugnabis,& amplificaberis,debellata fertili & plana fortiſsimæ gentis regione,vnde & fratrib.in monte degentibus prodeſſe poſsis. Atque hac breuiſsima oratione multa ad belli diſciplinam docemur vtiliſsima,de locorum,rerum,materiæ, copiarum, virium,affinitatum,ſuppetiarum, armorum natura & conſuetudine hoſtium,victoriæ facultate,vſu & cõſeruatione, terrarum & agrorum cultura, quæ ſtrenuiſsimis etiam Chriſtianis ducibus ex tanti Imperatoris ſchola diſcere & imitari expediat. Animaduertendum porrò videtur montem illum Ephraim montem perpetuò appellatum, & Manaſſenſibus planam regionem fuiſſe tributam.S.S.E. In omni* “
Chananæo habitante in valle. “

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

CONgregatiq; ſunt omnes filij Iſrael in Silo: ibiq; fixerunt tabernaculum teſtimonij, & fuit eis terra ſubiecta.

HACTENVS *terrã Chananæorum debellatam, & regionum partitionem inceptam quidem, nondum tamen abſolutam, hiſtoria indicauit, imò vtramq. partem imperfectam notauit,cùm ſingulæ Tribus ſuas ſortitæ eſſent partes; neque eæ, quibus ſors obtigerat, omnes quæ ſibi adſcriptæ erant vrbes expugnauiſſent, ſed quaſdam omninò Ephraimitæ & Manaſſenſes ſub tributi conditione manere paſsi eſſent. Cùm verò Ioſephitæ & Iudæi ſuas iam partes,quanquam non integras,occupaſſent, atque hoc pacto ceteris ea quæ vſui ad vitam ſunt, communicare poſſent; reliquæ tribus regionum ſuarum partitionem minimè vrgere videbantur, ſiue quòd tot tantiſq; hoſtium ſpolijs ditati atque locupletati, præſentibus bonis frui, & ex communi regionis fertilitate,atque adeò ex vicinorum hoſtium labo-*

 re,&

re & induſtria per excurſiones et rapinas viuere potiùs vellet quàm nouum vitæ genus domibus atque agris colendis inire; ſiue, quod lectioni magis conſentaneum eſt, ab illa fidei integritate & conſtantia degenerantes, animoq; fracti potius conſultiusq; ducerent terram omnem communi coniunctaq; manu ab omnibus debellari, quàm à ſingulis partes proprias inuadi & expugnari, atque in hac communi expectatione & cunctatione non exiguum tempus fuerat elapſum, nimirum ſeptem anni integri, vt ex ſuis Chronicis Hebræi ſcriptores confirmant in eo libro, quem Mundi ſeriem inſcribunt, qui totidem expugnationis annis additi quatuordecim conficiunt, ab eo tempore, quo primùm Iordanẽ tranſmiſère. Quòd ſi quis breuius fuiſſe contendat, non tamen multum ex hoc ſpatio contrahet, vt à nobis in ſacro Apparatu oſtenſum eſt: vtcunq; ratio ſubducatur; tamen adeò longo tempore Iſraelitas in Galgalis inertes conſediſſe conſtabit, vt Ioſue Duci optimo atque Dei promiſſorum procuratoris ſtudioſiſſimo faſtidia mouerint, qui demum ex diuino conſilio tabernaculum in Silo transferendum & eodem concilium agẽdum curauit. Itaque longo pòſt tempore poſtquam communiter fuerat à bello ceſſatum, Iuda & Ioſephitis ſua iam loca incolentibus, congregati ſunt omnes filij Iſrael in Silo. *Conuentum hunc ſolennem legitimum publicè indictum communiq; conſenſu celebratum fuiſſe, ipſa lectionis demonſtrant verba, quæ omnia eccleſiaſtica, vt ſic loquamur, religioſáque ſunt, atque in religioſis publicisq; cauſis perſæpe vſurpantur. Ex Hebraico autem ſic Latinè ſonare poſſunt,* Et congregati ſunt omne concilium filiorum Iſrael. *Hæc ex noſtra interpretandi forma expenſa, atque formariter (vt dialectici loquuntur) expoſita ſignificant legitimum concilium fuiſſe coactum eorum, qui omnium filiorum Iſraelis nomen, ius, auctoritatem, perſonamq; gerebant; nempe Pontificis, Imperatoris, ſacerdotum, ſeniorum, ſiue eorum qui ſeptuaginta duûm virorum munus adminiſtrabant; Procerum prætereà, qui tribulium, familiarum ſiue patrum capita dictitantur. denique eorum omnium, quorum erat pleno intereſſe concilio, idq; ſub nomine ac titulo concilij filiorum Iſrael, id eſt, viri ac populi, cuius vis, potentia & auctoritas ex Deo eſt, à Deoq; pendet: atque hoc nomine res omnes, quæ hoc agi tractariq; poſſunt concilio, ad Deum ipſum, & ad Dei populum, vt vtriuſque rationem ſpectant, referendæ ſunt.*

Fuis

Fuit igitur prima actio de transferendo ſacro illo celebríque tētorio, quod Dei Iſraelis numini, nempe proprio patrio, atque tutelari Deo, vti Regi atque Imperatori ſummo inter ipſos agenti dicatum erat: atque actio hæc hoc nomine ex Dei conſilio cœpta, totius Eccleſiæ conſenſu abſoluta compoſitaq́; fuit, vt verba ipſa docent, ibíque fixerunt tabernaculum teſtimonij: *Hebraicè ſic, Et habitare fecerũt ibi. Conſilium prius initum & abſolutum ſignificat verbum in tertia coniugatione Hebraica numero plurali futuri forma præteritũ indicãs. Cui ſignificationi verbum* KAHAL *ſuffragatur, quod in deliberationis, conſultationis, decretorúmque rationibus vſurpatur, atque diuinum illud conſilium non vnius Ioſue, ſed concilij totius voce & conſenſu exceptum, totius populi ſtudio & acclamatione ſubitum, eiuſdem verbi pluralis numerus indicat: quod verbum & diuturnam eo loco tabernaculi manſionem decretam etiam fuiſſe oſtendit: nam cùm in ceteris locis de manſionibus ſtatiuiſque mẽtio fieret, alia verba vſurpata ac perpetuò ferè obſeruata videmus, videlicet* VAIZZAGHV, VAIAHHANV, *pro quibus Latinus Interpres ferè vertere ſolet: Et profecti ſunt: et Caſtrametati ſunt; vel Fixerunt tentoria Hoc autem loco verbum* SACHAN, *quod habitationẽ cum quietis ac diuturnitatis adnotatione ſignificat, id quod diuino conſilio factum fuiſſe apertè docet Pſaltes: Et induxit eos in montem ſanctificationis ſuæ:* „ *montem quem acquiſiuit dextera eius. fuit enim Silo mons editus,* „ *idémque amœniſſimus in ea regione, quæ Ioſephi filijs obtigerat, ex quo genere Ioſue fuit: atque ex eo monte magnus longusq́; in ceteras regiones proſpectus erat, qui quemadmodum omnia iacerent, & quo in loco ſingulæ ſitæ eſſent partes, vtq́; haberent, contemplantibus oſtentare poterat. Cùm alij aliter nomen illud teſtimonij, quod frequenter tabernaculo Dei adiungitur, interpretentur, nos ex verbo* IAGHAD, *quod Teſtari, denuntiare & conſtituere Latinè exponi poteſt, Tabernaculum conſtitutionis, ſiue cõuentionis interpretari poſſumus. Nam Conſtituere, Latinum verbũ inter alia multa, ad quæ transfertur, ad certum etiam tempus locumq́; ex compoſito frequentandum vſurpatur: ſic dicimus, Ad conſtitutam diem. Quoniam verò Deus prouidentiam præſentiamq́; ſuam certis cum Moſe colloquijs & conuentibus etiam populi illo loco frequentandis probatum iri receperat, nomen hoc Conuentionis ſiue conſtitutionis, ſiue, vt Interpres*

terpres rectè vertit, teſtimonij tabernaculo adiunctum eſt. Hebraicè ſic Deus, VAEGHED SAM, *quod Latinè ſonat, Et conſtituar ibidem tibi, Hiſpanicè aptius* y applaſarme he ati alli, *ita vt aptè etiam Tabernaculum teſtimonij* Tienda de plaſo *Hiſpanicè dicatur. Hunc verò totius concilij conuentum, omnibus conditionibus atque circunſtantijs loci, temporis & commoditatis inſtructum indicat deſcriptio ipſa. Siquidem concilij congregandi idonea ratio huiuſmodi ſpectatur partibus, conuenientium frequentia, temporis opportunitate, loci celebritate, ſecuritate & commoditate, quæ omnia in hoc concilio obſeruata ſpectantur. Communis quippe conuentus & frequens indicatur illis verbis* cõgregati ſunt omnes filij Iſrael. *Locus verò commodiſſimus laudatur* in Silo: *opportunitas autem ex eo cognoſcitur, quòd tabernaculum ibidem fixum fuerit, quod ſemper hactenus non niſi à Deo notatis locis figi conſueuerat. Atqui locum illuſtrem & celebrem ipſa tabernaculi maieſtas efficiebat. S.S.E. Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum. atque illa eadem Numinis in tabernaculo colẽdi tutela ſecuritatem illis præſtabat cum magno hoſtium pauore ac ſilentio: id quod ſubiuncta verſus huiuſce concluſio ſignificat,* & fuit eis terra ſubiecta. *Hebraicè ſic,* Et terra ipſa ſubiecta ad facies ipſorum: *ac ſi Latinè pluribus verbis diceremus eos in Silunta conueniſſe, vnde terræ illius omnis ferè tractus & habitus proſpici æſtimariq́ poterat, ante oculos iacentes ac pacatæ. Ex qua re efficiebatur, vt non ſolùm quæ ad illius conuentus vſum commoditatemq́ opus eſſent, peti comportariq́ eò loci poſſent, ſed ad rem etiam de qua agendum erat, cognoſcendam nullus commodior inueniretur locus; concilij verò agendi cauſam & grauem, & piam, & publicam eſſe oportet; cuius exemplum illuſtriſſimum hoc loco editum eſt, vbi de ſacro tabernaculo figendo diuiniſque honoribus inſtaurandis, atque de agris, terríſque à Deo promiſſis & præſtitis populo diuidendis & aſſignandis actum eſt. Principiò autem ea pertractari decuit, quæ pietatem propius ſpectarent, cuiuſmodi erant loci optio ad ſacrum tabernaculum figendum, quod hactenus quamquã pro itinerum ratione tentũ varijs in locis fuerat, nullibi tamen aliàs contigerat eſſe fixum. Prouidendum itaque fuit, vbinam & quemadmodum diutiùs deinceps hæſurum figeretur: atque in illa deliberatione Deo ipſo indicante & monſtrante (quod pontificis officio expoſitum*

poſitum credimus) nullus locus maiores & plures opportunitates habere tunc viſus eſt, quàm ille, ex quo omnis iam pacata ſubiectáque regio proſpiciebatur, quíque à ſingulis tribubus ſuſpici ſalutaríque à longè etiam poſſet, & cùm Iſraelitis pietatis atque cultus cauſa ſubiretur illud tantæ regionis quondam promiſſæ & iam præſtitæ contingentíſque planè diuinum beneficium in memoriam identidem reuocaret, et ſocietatis inter ſe cõmunioniſq; ratione vnà cum ſingularum tribuum & partium obſeruatione repræſentaret. Hanc temporis atq. loci opportunitatem Ioſue ad populi deſidiam & negligẽtiam notaturo, regionum, agrorumq; peragrationem & diuiſionem perſuaſuro quæſitam fuiſſe, & proximo verſu indicatur, & ſubiuncto ferè explicatur.

Remanſerant autem filiorum Iſrael ſeptem tribus, quæ necdum acceperant poſſeſſiones ſuas.

ALTERAM *huius concilij agendi cauſam ad diuinum cultum relatam agnouimus: Alteram vero ad publicam vtilitatem & populi decus pertinere videmus; ita tamen vt Dei etiam honorem ſpectare intelligamus. Indignum enim Iſraelis nomine & amplitudine videri debuit, ſeptẽ integras tribus ex duodecim, adhuc agrorũ, vrbium atque domorum expertes manere. ea namque res diuinorum promiſſorum obliuionem & negligentiam gloriæ Dei, & ſuorum commodorum contemptionem, vel deſperationem arguebat: nimirum maxima terræ totius parte, quæ ſeptem integris tribubus alendis ſatis ſuperq; eſſet, hactenus relicta atque contempta; quod non alio conſilio factum videbatur, niſi quod nulla ex ſeptem tribubus propriam regionem adire, atque hoſtibus qui ſupereſſent, pellendis purgare colereq; antè ſtuduiſſet, quàm omnibus ſimul ſeptem collatis copijs omnis in vniuerſum expugnaretur regio: itaque non ſolùm non adire capereq;, ſed neque partiri hæreditatem, vel vna ex illis voluerat. Hos igitur Ioſue & diuino monitu & Imperatoris officio vſus, publicè in concilio ante ſacrum tentorium allocutus reprehendit, & ad partitionem faciendam hortatur impellitq;.*

Ad quos Ioſue ait, Vſquequo marcetis ignauia, & non intratis ad poſſidendam terram quam Dominus Deus patrum veſtrorum dedit vobis?

SEPTEM *tribus non tam ſingularum quàm totius Iſraelis nomine com-*

ne compellatas relatiuum illud ad quos *Hebraica lectione docente ſignificat. Ad filios Iſrael ſermo fit, vel hoc vno nomine tanta ſegnitiæ nota indignos: quippe cùm Iſraelis nomen diuinitus impoſitum fidei virtutem, vel cum forti Deo, nedum cum hominibus præſtãtem valentemq́ probet; degeneris atque ignaui populi eſt, conceſſam diuinitus amplitudinem, auctoritatem, gloriam & commoditatem negligere. Et quidem Ioſue oratio, quamuis breuis, rerum & argumentorum, verborumq́ neruis & membris pondus momẽtumq́ magnum habet: quippe quæ magnorum & publicorum incommodorum culpã omnem ipſis tantùm Iſraelitis adſcribat. Eſt autem ad hanc rationem antithetôrum vſus aptiſſimus.* marcetis ignauia. *Hebraici verbi figura manuum remiſſionem ob oculos depingere videtur, vt ſi quis rem quam apprehendere, capere, contenteq́ premere debeat & poſſit, tamen per ſocordiam & ignauiam remittat; diuerſo ab Iſraelis, progenitoris, nominisq́ tanti primùm compotis exemplo. Namque ille Dei angelum, cum quo omnem ferè noctem luctatus fuerat, quamuis rogatus & poſtulatus vt dimitteret, nõ antè tamen dimiſit, quàm & tantæ luctæ contentioniſq́ præmia, quæ benedictiones dicuntur, & virtutis laudem mutato nomine reportaret. Iam igitur prima culpa, Iſraelisq́ nomine indignum dedecus eſt, ignauia marcere, ſiue expoſitam ante oculosq́ iacentem & diuina virtute partam prædam negligere, aut omittere; quanquam eiuſmodi negligentia & remiſſio vel vnius diei mora notaretur, nedum tanti temporis cunctatione: quippe ad diuina promiſſa obtinenda omni ſtudio cõtentoq́ curſu properandum eſt. S.S.E. Feſtinemus ergò & nos ingredi in requiẽ ipſius, ne videatur aliquis ex nobis deeſſe. &c.* Vſquequo? *Cùm vel continuò atque victoria nobis conſtitit, Iſraelem de diuinorum beneficiorum vſu ſtudioſiſſimè agere oportuerit: vos tamen ignauia & ſegnitie iamdiu marcetis, neque huius cunctationis terminum tempuſq́ vllum vobis fixiſtis, adhuc deſidentes, perinde atque primis diebus cum hoſte debellato terra vobis pacata aditum ad hæreditatem ineundam patefaciebat: quod ſi hoſtem nondum penitus confractum, aut expulſum vobis obfuturum verebamini, vel tanti temporis interuallo, quo nihil incommodi ſenſiſtis, veſtræ ignauiæ & ſocordiæ argui debuiſtis; atque illud intelligere, nihil vobis aliud ſupereſſe negotÿ, quàm hæreditatem diuidere, adire & poſſidere iam vobis conſtantem*

ſtantem & partam non quidem gladio, arcu, ſtudio aut officio veſtro, ſed parentum veſtrorum Gubernatoris ac Principis Dei quondam promiſſo, nunc verò beneficio ac dono dedit vobis, *ita quod illi vel promiſſum mirati, quamuis longè pòſt præſtandum, fide tamen amplexati, & votis proſecuti ſunt; vos iam vobis præſtitum atque expoſitum, neque præſens tantùm, ſed iamdiu conſtans Dei donum, quod arripere debueratis, nondum tamen adire cogitatis. Hactenus dignitatis, decori, pietatis, & officij ponderibus Ioſue oranti expenſa res ratioq́; fuit: deinceps verò facultatis modulis æſtimata imperij auctoritate atque lege ferendâ peroratur.*

Eligite de ſingulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant atque circumeant terram; & deſcribant eam iuxta numerum vniuſcuiuſque multitudinis: referantq́ ad me quod deſcripſerint.

DIVINORVM *promiſſorum donorumq́; conſtantiam et veritatē, nullis vel temporum, locorum, vel perſonarū difficultatibus impediri, ſed eorū tantùm, quibus experiri datū erat, infidelitate; vel inertia et ceſſatione retardari aut auerti, locus hic manifeſtè docet: cùm Ioſue vno & viginti viris tantùm amandatis periculū facere conſtituat, tū Dei curæ atq. prouidētiæ erga eos qui ipſius dictis promiſſisq́; fidē habent, tū ſecuritatis et virtutis eorū quos fides armat, quos efficax Dei timor ac pietas inſtruit. Conſtante autē animo atque conſilio decernit Ioſue ternos viros à ſingulis tribub. mitti; qui cùm regionē omnē ſtudioſè et accuratè, nec difficillimis quibusq́; locis prætermittēdis peragraturi ſint, nullo tamē vel diſcrimine terreantur, vel hoſte impediantur, aut interturbentur, quominus mādata omnia peragant, et cōmodè peracta atq. expleta tuti incolumesq́; ad ſe in eū locū, vnde miſſi fuerint, referāt. Atq. omnis illa verborū congeries vniuſcuiuſque ſingulari ſignificatione fidei magnitudinem conſtantiamq́; in Ioſue probat, qui paucis illis deſtinandis viris eundi, peragrādi, & peragratam regionem intra extraq́; diligenter deſcribendi, & ad eundem, vnde mittuntur, locum redeundi tempus, ſpacium, opportunitatemq́; omnem & ſecuritatem pollicetur, & certam ſpem facit. Ternos autem ex ſingulis tribubus exhiberi poſtulat, tum vt par vnicuique tribui procuratorum ratio conſtaret; tum etiam, vt cùm ſententiam dicere, iudiciumq́; adhibere, aut aliàs in deliberationem venire, res*

nire, res, ratio, atque occaſio poſtularet, in ſingulis tribubus vel trium virorum pariter, vel ſi diſſentire accideret, ſaltem duorũ legitimum eſſet ſuffragium. Quamquam verò Ioſua Imperatoris auctoritate, & fidei iudicio, et diuturnæ conſuetudinis experimẽto idoneos viros huic obeundo muneri deligere poſſet; tamen vt honorem populo imprimis deferret, atque omnem in poſterum ad exceptiones, incuſationes & reprehenſiones anſam præriperet, ternorum virorũ delectum contribulibus ipſis permittit, ſingulari & probãdo optimi præfecti exemplo populi partes agnoſcentis & ſtatuentis, & ſuas rurſum atq. primorum patrumq́. conſeruantis. Proponit enim populo, ſancitq́. de diuidendis agris metandisq́. regionibus legem, demandandorum numerum præſcribit, facultates & artes ad eam rem opportunas officij faciendi & muneris obeundi expoſitione indicat. Eligite. *Non quòd electionis ius & poteſtas penes populum ſit, ſed nominationis tantùm potius, vt Latinorum Iuriſconſultorum verbis vtamur: Populi enim partes ſunt, ſtrenuos in bonis artibus viros, pietatis atque virtutis aſſiduis exemplis probatos cognoſcere, & vbi publica poſtularit res, laudare: Præſidis verò laudatos obeundo muneri præficere, inſtruere, ornare & promouere: eorum autem, qui præficiuntur, demandatum ſibi reipub. cauſa munus maturè & ſtudiosè obire, ſeduloq́. peragere. quam rationem in noſtro Chriſtiano Dictato, quamquã breuiter & ſtrictim, diligenter tamen tradidiſſe nobis videmur. Quod Latinè legimus* eligite, *Hebraicè eſt* HABV, *pro quo Interpres noſter ſæpe aliàs Dare exhibereq́. vertere ſolet. Virorum autem appellatio hoc lolo idoneos & ſtrenuos ad eam rem, quæ paratur, indicat. Id enim nomẽ* ANASSIM *in antiquiſſima illa lingua ſignificat. Ipſa verò negotij committendi expoſitio, quibusnam artibus illos inſtructos eſſe oporteret, facilè indicat* vt mittam eos. *Auctoritatem & munus à Ioſue, vt à ſummo totius populi duce ac præfecto ad illam rem cõficiendam, commiſſum iri ſignificat: ita enim illo tempore Deus gubernationẽ penes optimates eſſe voluit, vt tamẽ totius auctoritatis ſumma ratio ad duas tãtùm perſonas referretur; Põtificis ſummi, ſiue Sacerdotis maximi in ijs quæ diuinũ cultum, animorumq́. inſtitutionẽ, & ſpiritualium (vt ſic loquamur) adminiſtrationem ſpectarent; & ad Principem præfectumq́. populi, ſiue illum Ducis ſiue imperatoris, vel iudicis, ſiue alio quouis titulo compellari cõtingeret, in temporalibus,*

terre-

terreſtribus politicisq́; rebus. Atque horum duorum ſummus & primus gubernator, omniumq́; Dominus Deus ipſe agnoſcebatur & colebatur; cuius vel lex, vbi ex lege conſtare poſſet, vel reſponſum (vbi nullum in rē præſentem ſcripta lege inueniretur exemplum) petenda erant: ſicut huius initio libri Ioſue ipſi à Deo præceptum legebamus. Hæc itaque illius verbi mittam eos, *vis eſt. Latinus ſermo huiuſmodi miſsiones Amandationes vocat: nunc verò militari verbo Cōmiſſionē & commiſſarios dicimus. Iā verò ijs, qui ſic delecti amandatiq́; fuerint, ad propriū obeundū munus et exercendū, dignitatē auctoritatemq́; ſuam conſtare oportere, quocumq. ex grege delecti, quocunq. è loco ſiue illuſtri, ſiue obſcuro vocati ſint, verbum aliud declarat quod hîc Hebraicè legimus* VAIAKVMV, *Latinè, Et ſurgent, ſiue ſtabunt; verbum aliàs in publicis muneribus apud ſacros auctores frequentiſsimum: vt, Surrexit alius rex in Aegypto: et, Inter natôs mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* & pergant & circūeant terram, & deſcribant eam. *Nec Geographicæ rationis rudes, nec ſoli cæliq́; naturæ cognoſcendæ expertes, nec pingendi, nec ſcribendi ignarum quempiam ex illis eſſe oportuit, quorum diligentiæ, operæ & fidei tantum tribuendum erat, vt quod ad illam rem faceret, requiri poſſet nihil.* iuxta numerum cuiuſque multitudinis. *Lectionem hanc ſic nos explicandam arbitramur, vt qui mitterentur, vniuerſam eam, quæ nondum diuiſa fuerat, regionem dimenſis ſpatijs, cæliq́; regionibus notatis, & locorum ſingulorum obſeruato ingenio & ſitu, deſcriberent; primum quidem, quæ totius forma eſſet, quæ maximæ partes, quo ſingulæ modo conſtarent, vtq́; habitarentur: additis ijs quæ in natura agrorum & locorum memoranda viderentur: atque interim nōnullis prætereà obſeruatis, quæ ex Iacobi teſtamento ac reſponſo ad vnamquamq. tribum pertinere cenſebantur; cuiuſmodi illud eſſe poterat, Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione maris pertingens vſque ad Sidônem. Ita tota regio, quatenus in ſeptē tantùm diuidi partes poſſet, deſcribēda illis erat. Hebraica verba ſic Latinè vtcumq; reddere poſſumus,* ad os hæreditatis eorū, *ſiue* iuxta hæreditatem eorum. *Hoc eſt, ita deſcribendam ſuſcipient, vt intelligant non in plures vel pauciores quàm ſeptem parteis diuidendam eſſe. Nam diuiſio ipſa non tam ab his deſcriptoribus, quàm ab vniuerſo patrum conſeſſu, ſacerdote ſummo & Ioſue præſentibus, conſultoq́; ad eam rem Deo faciēda erat: id quod ſubiuncto orationis*

Exod. Gen. 49.

contextu indicatur, & inferius apertè exponitur. Referantq́. ad me quod deſcripſerint. *Hebraicæ orationis ſenſum Latinus interpres plenè eſt conſecutus. Non antè diſceſſurum ſe illo loco ait Ioſue, quàm iÿ, qui amandabantur, perluſtrata regione atque deſcriptione abſoluta ad ſe redirent: in quo mira & conſtans dicentis probatur fides; quæ „ ſperandarum rerum ſubſtantia eſt, & argumentũ non apparentium.*

Hebr. 10.

Diuidite vobis terram in ſeptem partes: Iudas ſit in terminis ſuis ab Auſtrali plaga, & domus Ioſeph ab Aquilone, mediam inter hos terram in ſeptem partes deſcribite: & huc venietis ad me, vt coram Domino Deo veſtro mittam vobis hîc ſortem.

A D *eos ſermo fit, quorum opera diuiſio facienda erat, videlicet ad ſenatores ac tribuum proceres. Hos autem Pontifex religionis nomine diuinaq́; auctoritate; et Ioſue ipſe imperatoria poteſtate præceſſuri erant: namque his omnibus illius conſiliÿ ſacer conſtabat ſenatus. Loci etiam maieſtas, quæ Dei prouidentiam probabat, partitioniſq́; ſanctitatem obſeruandam commendabat, plurimũ ponderis in ea re habuit. Hoc verò eſt quod ſubiungit,* vt coram Domino Deo veſtro mittam uobis hîc ſortem. *Locus, tempus, & cetera, quæ in oratione ſingillatim exprimuntur, rem nõ ad caſum, nec ad humanum conſilium, ſed ad diuinum iudicium referendam probant. Niſi enim piÿſſimus ille Dux diuinorum promiſſorum niteretur fide, euentumq́; certum animo antè caperet, huiuſmodi ſigna tam exactè & minutim notanda minimè definiret; temporis, in quo nec ſe, nec vllum ex iÿs, qui amandabantur, defuturum pollicetur: loci;* huc, *inquit*, venietis vt mittam vobis hîc ſortem. *perſonarum*: vos venietis ad me; *Atque ego ipſe viuens valensq́;, munereq́; meo vſus, id eſt in ea, qua nunc fungor auctoritate, cõſtans mittendæ ſortis auctor ero. Quamquàm enim per ſacerdotem, vt miniſtrum interpretemq́; Dei, mittenda ſors erat; populi tamen perſonam Ioſue, vt præfectus atque ſummus Dux, procurando ſuſtinebat. Atque euentus ipſe omnibus collatis partibus congruens rem omnem diuina voluntate cõfici declarabat. Hoc eſt quod illis verbis indicatur,* coram Domino Deo veſtro: *miſericorde atque propoſiti tenace, & in promiſſis præſtandis efficaciſſimo, eodemq́. gubernatore veſtro, qui quid vobis communiter, quid ſingulis tribubus expediat, ſapientiſſimè prouidet, opportuniſſi-*

tuniſſimè decernit ac ſtatuit. Huius autem conſilio & iudicio ratum atque conſtitutum eſſe indicat Ioſue, *vt* Iudas ſit in terminis ſuis ab Auſtrali plaga;*non qui terram occupet omnem, ſed qui eam regionis partem obtineat, quam expugnandam optauerat, & vota probante Deo ac propitio expugnauerat: quæ ratio quamquam certos termini agrorumq́; fines figendos admittat, ſitus tamen mutationem iam nullam patitur. Sit itaque in terminis ſuis certis, quorum ratio ab Aquilone poſtea, cùm de alijs tribubus agetur, habenda eſt: tantum illud conſtet iam nunc illum ab Auſtrali totius regionis plaga conceſſurum populum; & Ioſephitarum genus in ijs quæ diuino iam iudicio ſortitum eſt locis à Septemtrione permanſurum.*

V A R I E *ac varia curioſi minutarũ rerum veſtigatores, hoc loco de ſortiũ deſcribendarum magnitudine ac modo opinantur et tradũt, quæ cùm nullo certo ſanctorum ſcriptorum fulciantur teſtimonio, aut argumento confirmentur, iudicio certo diſcernere, aut ſtatuere nec volumus, nec poſſumus: illud tamen tenemus vereq́; affirmamus, aptiſſimam, & ad vitæ ſtudiorumq́; publicorum & priuatorum genus omne opportuniſſimam vnicuiq. tribui contigiſſe ſortem, quam præter idoneam ſoli atque ſitus naturam cæli clementia & vis, & quod maximũ optimumq́; fuit, Dei prouidẽtia ſingulariter fouebat, quamdiu vera ſinceraq́; pietas habitatoribus colebatur. S. S. E. Emittet* Deut. 28. "
Dominus benedictionẽ ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum: benedicétque tibi in terra quam acceperis. Suſcitabit te Dominus ſibi in populum ſanctum, ſicut iurauit tibi: ſi cuſtodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaueris in vijs eius. Abundare te faciet Dominus omnib. bonis, fructu vteri tui, et fructu iumentorum tuorum, & fructu terræ tuæ, quã iurauit Dominus patribus tuis vt daret tibi. Aperiet Dominus theſaurum ſuũ optimum, cælum, vt tribuat pluuias terræ tuæ in tempore ſuo: benedicetq́; cunctis operibus manuum tuarum. Itaque ſiue maior & amplior alicui ex illis ſeptem, ſiue æqua omnibus tribubus terræ agrorumq́; portio conſtitit, nulli tamen vel ingrata, vel cultoribus capiẽdis iniqua, aut alendis minus fertilis, idonea, firmaq́; minus fuerat; id quod præter diuinum iudicium, à quo ſors proficiſcebatur, totius concilij conſenſu atq. auctoritate comprobatũ conſtat. S. S. E. Hæ ſunt poſſeſſiones, quas ſorte diuiſerunt Eleazar ſacerdos, & Ioſue filius Nun, & principes

 fami-

,,*familiarum, ac tribuum filiorum Iſrael, in Silo, coram Domino ad ,,oſtium Tabernaculi teſtimonij: partitíque ſunt terram. Quòd verò à Ioſue Leuitarum tribus excipitur, ad ſeptem partium definitionem pertinet, vt illud etiam,* Gad autem & Ruben &c.

Quia non eſt inter vos pars Leuitarum; ſed ſacerdotium Domini eſt eorum hæreditas.

SIVE *illud* inter vos *ad omnem Iſraelis populum, ſiue ad ſeptem tantùm deinceps collocandas tribus referatur, eadem ſententia conſtat. Nullum, inquit, certum agrum, nullam regionem Leuitis lege concedi, manifeſtum iam & planum fuerat; id nunc à Ioſue repetitur, vt tam ij, quibus partes anteà propriæ conſtabant, quàm ij, quibus nunc deinceps aſſignabuntur ſuæ, meminerint decimas, & cetera quæ in Lege attributa conſpiciebantur, ſacerdotibus deberi, idq; duobus nominibus: altero, quòd cùm fratres ceterorum, & non minus quàm ceteræ tribus frequentes eſſent, tamen ea, quam obtinere potuerũt, parte ceteris omnibus diuinæ in ea re legi obtemperantes cedebant: Altero verò, quòd ceteræ omnes tribus conceſſos agros poſſidere, colere, atque ad proprium vſum exercere et ornare permittebantur; ſoli autem Leuitæ ſacrorum cultus, diſciplinarum ac doctrinæ ſtudium pro ceteris omnibus ſuſcipere, obire & adminiſtrare iubebantur. Atque ita omnium miniſtros publicos publico omnium ſubſidio ali oportuit.*

Gad autem & Ruben, & dimidia tribus Manaſſe iam acceperant poſſeſſiones ſuas trans Iordanem ad Orientalé plagam: quas dedit eis Moyſes famulus Domini.

QVINQVE *tribus eſſe ait Ioſue, quibus diuino conſilio ſuæ ſatis amplæ & commodæ regiones aſſignatæ, & poſſeſſionis vſu iam fuerant obtentæ; nec in illis quicquam mutari fas eſſe, quandoquidem Iudæ ſua pars per fidem optata, lata lege adſcripta bellóque expugnata conſtabat: Ioſephitarum verò hæreditas iacta ſorte attributa erat; Leuitis nulla regio priuatè dabatur; Reuben autem & Gad, & dimidia tribus Manaſſe opportuno conſederant loco trans Iordanem: id quod voluntate Dei factum tranſactúmque fuit, per Moyſem Domini famulum, hoc nomine negotium illud expedientem.*

Cumq;

Cumq́ue ſurrexiſſent viri, vt pergerent ad deſcribendam terram, præcepit eis Ioſue, dicens, Circuite terram & deſcribite eam, & reuertimini ad me: vt hîc coram Domino in Silo mittam vobis ſortem.

HACTENVS *Ioſue decernentis oratio ad omnem Iſraelitarum populum fiebat: nunc verò productis in medium & conſtitutis viris, quibus munus demandandum erat, præſente ſermone ius auctoritáſque conciliatur, muneris obeundi ratio, modus, ac tempus præſcribitur. Vocabulum* ſurrexiſſent, *auctoritatem illis tributam, vt ſuperius adnotabamus, ſignificat; quam legitimam atque publicã auctoritatem Dei, cui obſequebantur, efficientia muniuit, vt non vulgari & communi mente ac ſtudio, ſed maiore virtute, alacritate & ſpiritu viri præditi viderentur, atque magna fide animati nulla cunctatione ad iter opusq́. accingerentur, nullam locorum, vel hoſtium, vel temporum difficultatem, quominus rem expedire poſſent, cogitantes. Eſt autem illud in primis obſeruandum & tenendum, vt qui ab aliquo ad rem quampiam gerendam mittuntur, agendæ rei ſummam rationem formamq́. in mandatis habeant, idq́. ſcripto fiat, præcipuè ſi plures vel pariter, vel diuiſi amandentur; ne vel diuerſi conſilij, vel ſtudij, vel ingenij contentione alij ab alijs diſcrepent, & diſſentiant. Namq. hæc res maxima ſemper priuatis & publicis negotijs incommoda affert, quorum exempla frequentiſsima nos ipſi noſtra tempeſtate Germanicis Italicisq́. peregrinationib. & nunc iſtis Luſitanicis rerum motionibus conſpeximus. Atqui hæc cauſa fuit, quamobrem Iſraelitæ primam illam oblatam à Deo regionis obtinendæ opportunitatem amiſerint, cùm ij, qui explorandi tantùm cauſa miſsi fuerãt, & officij modum prætergreſsi ſunt, & fide opinionibusq́. diſsidentes vulgi animos conturbauerint. Namque illi tantùm iuſsi fuerant conſiderare terram, & renuntiare, per quod iter populus deberet aſcendere, & ad quas pergere ciuitates, & ſiquid prætereà de locorum & incolarum natura & moribus adnotarent, non ad populum, ſed ad Moſem, à quo amandabantur, referre: tamen reuerſi illud tantùm* Deut. I. *Moſi narrauere, "Bona eſt terra, quam Dominus Deus noſter daturus eſt nobis." Verumenimuero maxima illorum pars, peſtilentibus rumoribus per populum ſparſis, metum, tumultum, diffidentiam atq. grauem etiam in Moſen ipſum concitauit inuidiam. S.S.E. Detraxe-* Num. 13.

runtq́.

„ *runtq́ terræ, quam inſpexerant, apud filios Iſrael, dicentes, Terra,*
„ *quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos. Populus, quem aſpexi-*
„ *mus, proceræ ſtaturæ eſt: ibi vidimus monſtra quædam filiorum E-*
„ *nach, de genere giganteo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur.* *Huiuſmodi itaque peruerſa officia fideliſsimum quemq́ nuntiū, vel miniſtrum deteſtari, & prudentiſsimū imperatorem ſiue præfectum cauere oportet: idq́ Ioſue mandatis exponendis curabat & agebat.* Circuite terram. *Hebraicum verbum certæ coniugationis nota, qua Latini carent, plus quàm Circuire ac peragrare ſignificat; videturq́ affini ſignificatione eſſe illi Latino vocabulo, Frequentare, nec longè abeſſe Italico verbo Pratticare. Vna itaque muneris obeundi pars eſt, vt omnes ſimul terram circumeant ſiue peragrent: altera verò, vt deſcribant, id autem lineis in tabula ducendis & locorum interuallis adnotandis & nominibus addendis, ac ſingulorum ſitu depingendo, ſoli et cæli natura, & ſingulari cuiuſq. partis ingenio commemorādis effectum iri, ratio ipſa, atq. Geographiæ topographiæq́ ars vſusq́ docebat. Tertia verò officij pars fuerat, vt quæ deſcriberentur, ad neminem prius quàm ad Ioſuan deferrent.* reuertimini ad me. *Reliqua autem eſt cauſæ expoſitio, quæ in communem vtilitatem ſuſcipiebatur, non ipſius Ioſue priuato ſtudio, ſed publico iudicio, atq. adeò Dei reſponſo auctoritateq́ conficienda.* vt hîc coram Domino in Siloh mittam vobis ſortem. *Vobis, veſtra cauſa, non meo commodo; nec priuato in loco, ſed hîc in publico & ſacro, ſingulariq́ Dei prouidentia illuſtri, & obſeruando; in quo tandiu hæſurum ſe indicabat Ioſue, quoad illi peractis mandatis ſalui incolumesq́ reuerterentur. Atque hoc pacto diuini numinis ac loci ſacri omine fidem ſuam Imperator profitetur, & ſpem viris ipſis confirmat.*

Itaque perrexerunt; & luſtrantes eam, in ſeptem partes diuiſerunt, ſcribentes in volumine.

L I B E T *illud obiter hoc loco expedire, quod à pio nobisq́ deſideratiſsimo Maſio indicatum, non tamen planè omnino expoſitum eſt, quamquam pijſsimis monitis fuerit exornatum. Legimus quidem, inquit ille, viros etiam ſanctiſsimos, quæ à Deo iuſsi fuêre, timidè cunctāterq́ aggreſſos eſſe, imò verò detrectauiſſe tergiuerſatos. Nota eſt enim de Moſe, de Iona, de Anania, de alijs hiſtoria ſacra. Hæc ille breuiter obſeruabat, tanquam horum, qui à Ioſue miſsi fuerant, ani-*

mum

mum fortitudinemq́; admiratus, vtpote quos nihil cunctatos ſurrexiſſe & mandata faceßiſſe legimus. His igitur animum à Deo additum adſcribit, illis propriæ imbecillitatis conſcientiam adnotat, vt vtriuſque tandem partis probandos euentus vni Dei virtuti acceptos referat. Hæc pij viri mens ratioq́; fuit; cui nos aliquid etiam ad noſtræ doctrinæ exemplū atq. vſum addendum arbitramur: id verò vt planè percipiatur, distinctione propoſita repetemus.

Duplici nomine quōdam delectos à Deo viros, & ad aliquid agendum faciendumq́; destinatos, in ſacris hiſtorijs obſeruamus. Quidā enim laboris tantùm ſingulari exemplo ſubeūdi & exantlandi cauſa deliguntur, ſiue res in bello, ſiue in pace, ſiue terreſtri, ſiue marino itinere expedienda ſit. Quidam verò non ſolùm ad laborem ſimplicium ſingulari ſtudio & conatu ſubeundum, ſed ad negotia apud alios homines agenda vocantur. Atque in priori ordine ij fuere, qui per fi- dem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiā, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum: & qui ludibria & verbera experti ſunt, inſuper & vincula et carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuierūt in melotis & in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati & afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, & in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ. In altera autem claſſe illos cenſemus, qui ea cauſa ſecernebantur, vt apud ſuæ gentis populos vel homines aliquos regium, vel imperatorium, vel propheticum munus peragerent, vel alium quempiam gubernationis magiſtratum gererent. Et quidem eos, qui ad laborem tantùm capitis periculo ſubeūdum mittebantur, quamuis ætate vel valetudine imbecillos, quamuis viribus minus natura ſua firmos, tamen diuini iuſsi ſemel certos atque fide conſtantes, nec onus detrectaſſe, nec vllo laboris, aut difficultatis experimento ac ſenſu abieciſſe notauimus; quippe quos fides docebat, ſtudium & conatum piorū probari, vires verò obtemperantibus, quamquam natura non ſuppeterent, diuinitus tamen addi, augeri & promoueri. Quamobrem nec Gedeonem voluntatis diuinæ iam perſuaſum magni belli pondus aduerſus ingentem hoſtium potentiā quamuis exigua manu, ſuſcipere, nec Eliam ſimplici panis & aquæ cibo refectum longum, diuturnum ac difficile, omniq́; commoditate carens

Heb. 11.

iter inſtituere & peragere piguit; nec alium quempiam ex ſanctis viris ſuam tantùm, vel operam, vel patientiam poſtulatum negaſſe, aut diſtuliſſe intelligimus; vt qui vitam resq; ſuas omnes Deo, cui omnia debebant, dicarant & ſacrauerant, quiq; in medijs ipſis laboribus, & rerum ac temporum difficultatibus, in ſummis diſcriminibus illo ſe-ſe carmine verè animare incitareq; poterant. Nam ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Pſal.

Verùm enimuerò diuerſa omninò apud ſacros ſcriptores eorum obſeruantur exempla, quibus vel reip. capeſſendæ, vel regendi populi, vel reprehendendi ad officiumq; reuocandi etiã Deo auctore, monente atque adeò inſtruente, demandabatur prouincia: His etenim non tam propriæ operæ, quàm hominum quibuſcum agendum erat, ingenij varij & ad ſuum ipſorum malum procliuis ac prompti, ad bonũ verò quærendum tardi atq; difficilis ratio æſtimabatur. Senſus enim & cogitatio hominis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. id quod cùm rectè calluiſſent ſapientes & pij viri gerendarum apud homines rerum curam vehementer deprecabantur, dum ſuam alij imbecillitatem, alij infirmitudinem, humilitatem & obſcuritatem alij, nonnulli imperitiam excuſabant: non qui proprium laborem ſubterfugerent, ſed qui ſcirent & metuerent quàm parum in duriſsimo animantum genere, hoc eſt hominibus excolendis quàm plurima opera maximaq; inuidia ſubeunda promoueri ſoleat. Atque hi in huiuſmodi excuſatione ac deprecatione tandiu perſiſtebant, quoad magna demùm Dei iterum iterumq; iubentis & ſingularẽ opem ſpiritumq; promittentis auctoritate impulſi, fortis atq. pij obſequij deliberatum exemplum præſtandum ſibi ducerent. Atque hanc æſtimandæ, refugiendæ, ac denique ſuſcipiendæ curæ rationem, Moſes cum primis, & Saul, et Dauid, & Hieremias inibant. S. S. E. Aha Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Hæc & huiuſmodi ſancti illi et prudentes atque ſapientes viri eo etiam tempore, cùm à Deo laudarentur, ſedulò agebant; non qui ambitioni, aut cupiditati ſeruirent, ſed qui quantum Dei gloriæ, quantum populi commodis & vtilitati tribuendum ſtudendúmque eſſet cognoſcerent; quantum impedimenti ac negotij ab ijs ipſis quorum cauſa deligebantur hominibus parandum faciendúmque ſibi eſſet, intelligerent. Scilicet huiuſmodi rationem diligentius ac melius quàm Moſen, Saulem & Dauidem,

Gen. 8.

uidem, Hieremiam, atque adeò quàm Salomonem ſeſe aſſecutos, putare nobis iſti videntur, qui hac turbulentiſsima hominum humanarumq́ rerum tempeſtate, his ignorãtiæ errorum tenebris, hac iudiciorum diuerſitate, ingeniorum malitia, morum prauitate, ſacrarum profanarumq́ rerum non tantùm diſtinctas & ſeparatas, verùm coniunctas etiam & complicatas habenas, regios, imperatorios, atque omnium magiſtratuum clauos & gubernacula affectant, ambiunt & quærunt, et quocumq. modo arripere conantur & moliuntur, nullo contenti loco, nec in ipſo quoque ſummo, ſi ſedere potuerint, quieti: & quæ olim diuino iudicio & iuſſu demandata iuſtis metuebantur et refugiebantur, nunc ſua horum altè ſapientum ſententia appetuntur, quærantur; magnis conſilijs (quæ nonnulli arbitria intelligentiasq́ vocant) parantur, atque vtinam à nemine etiam coëmantur; quæ vt impenſæ reficiantur, vendi etiam ijſdem moribus neceſſe eſt. Habent nimirum iſti ſacrum aliquod, obſeruandum omniq́ ſtudio tenendum, ſummopere excolendum ex Deo reſponſum, cuius apud ſe magna & nulla ex parte prætermittenda conſtet auctoritas: habent, inquam, ſententiam illam, quæ ſemper in ore omnium verſatur, dijs atque ipſo Ioue dignam diuini iam appellati Platonis: Non tantùm nobis nos natos eſſe, ſed ortus noſtri partem patriam, partem parentes, amicos etiam partẽ ſibi vendicare. Nam et Plato Deus iſtis videtur; & illa qualiſcunque ſententia eſt, ſatis aptè ſatiſque ſapienter ipſis tenetur, ſatiſque piè, ſcilicet ex religionis ratione, & ex reipub. commodo, ad ambitionis defenſionem vſurpatur. Hæc ſatis hactenus indicata nobis videbantur, ad boni viri & ambitione alieni Andreæ Maſij adnotationem abſoluendam.

In ſeptem partes diuiſerunt, ſcribentes eam in volumine.

E x *exemplaris linguæ idiotiſmo intelligimus terram illis viris nõ fuiſſe diuiſam certis regionum lineis ac metis: namque hæc poſteà ſummi ſacerdotis & Ioſue atque ſenatorum futura cura erat; ſed tantùm vrbium, agrorum, oppidorum. & pagorum numerum, nomina, & ſitus diſtinctis narrationibus deſcriptos eſſe, ex qua materia ac deſcriptione futuræ diuiſionis campus conſtabat. Hebraica autem ſic pro tempore vertenda videbantur,* Et abierunt illi viri, & pertranſierunt in terra, & deſcripſerũt eam ad vrbes ad ſeptẽ partes ſuper librum. *Nomen Hebraicum pro quo Librum ſiue volumen*

reddimus, ex verbo deducitur, quod Latinè Narrare ſignificat; itaq; narratorium verti poteſt: idq; indicat non tantùm delineatione ac nominibus addendis, ſed etiam locorum deſcribenda natura fuiſſe rem peractam.

Reuerſique ſunt ad Ioſue in caſtra in Silo: qui miſit ſortes coram Domino in Silo: diuiſitque terram filijs Iſrael in ſeptem partes.

DESCRIPTORVM *fidem, diligentiam, totumq; negotij ſucceſſum ex mandantis animi ſententia; denique fidei ſacræ felicem exitum ſignificat oratio illa*, Reuerſiq; ſunt ad Ioſue in caſtra in Silo. *Nullus omnium qui miſsi fuerāt deſideratus eſt; omnes incolumes reuerſi in præſcriptum locum, vnde Ioſue imperio fuerant amandati, hoc eſt in Silo; quæ res apertè docebat illos ex Dei ſententia & voluntate fuiſſe miſſos, cuius ope & auxilio poſt diuturnam variorum locorum peragrationem peractis mandatis redierant, nec tamen intereà quicquam populo ipſi vel incommodi, vel turbationis accidiſſe repererant; quippe cui eadem caſtrorum ſtatio nihil hoſtium metu, vel cæli inclementia infeſtati manebat. Atque tempus, quo deſcriptio facta eſt, quamquam ſacra minimè exprimatur hiſtoria, tamen peractæ contemplatione rei non adeò breue fuiſſe exiſtimandum eſt: certè Ioſephus grauis cum primis antiquitatum illarum ſcriptor ſeptem huic negotio conficiendo menſes adſcripſit; nec pauciores eſſe potuiſſe, diligentiæ atque operæ poſitæ ratio confirmare videtur. Terra igitur accuratè per illos deſcripta legitimis rationibus ac modis Eleazaro ſacerdote & Ioſue decernentibus per primores populi diuiſa eſt in partes ſeptem: ſortium rationes procurante ac ducente Pontifice, vt aliàs edocti ſumus.*

Et aſcendit ſors prima filiorum Ben-iamin per familias ſuas, vt poſſiderent terram inter filios Iuda & filios Ioſeph.

PRIMÆVÆ *linguæ ſermo verbum Aſcendere cum Sortis nomine coniūgere ſolet, ſiue quòd vrnæ, in quam ſortes mittebantur, ſitus & locus reſpiciatur; ſiue, quod magis nobis arridet, in illo ſacro ac myſtico ornamento, quod Hebraicè* VRIM ET THVMIM *dicitur, conſulentis ſacerdotis animo atque oculis imago aliqua obijceretur eius rei, de qua reſponſum petebatur: id quod lectionis ratio indicat. Nō enim ſimpliciter legimus aſcendiſſe primam Beniaminitarum ſortem, ſed*

cum

cum expoſitione etiam eorum, qui vicinas regiones erant habituri, medioſq́; Beniaminitas concluſuri. Quod ſi à diuiſoribus fuiſſet decretum, nullus fuiſſet ſorti relictus locus. Atqui ex ſorte conſtitutas etiam finitimas huic tribus legimus, vt poſſiderent terram inter filios Iuda & filios Ioſeph. *Igitur cùm ceterarum tribuum imagines in ſacro illo ſiue ſpeculo, ſiue quidquid erat, non apparerent, repentè tribus Beniamin extitit inter duas illas, vt ſortis auctoritate Moſis prædictio firmaretur, qui poſt Iudam & poſt Leui, cui non futura erat in terra poſſeſsio, Ben-iamini nomẽ laudemq́; decãtabat, & huic* Deut. 33. *proximas Ioſephitarum citabat familias. S.S.E. Amantiſsimus Domino habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet. Hanc à Moſe prænuntiatam prærogatiuam, eò pertinuiſſe res docuit, ſicut ſtudioſè obſeruarunt, vt cùm Iudas & Ben-iaminus communes terminos in Solymorum vrbe coniunxiſſent, ſacroſancti illius templi ſitus, & arca intra Ben-iaminitarũ fines viſeretur, cuius rei ſpeciem in Apparatu ſacro* Apparat. ſac. li. Nehemias. *depingebamus, atque ita omnia hæc caſum fortunamq́; omnem atque etiam humanam excludunt prudentiam, diuinamq́; prouidentiam & auctoritatem atque fidem probant.*

Fuitq́ue terminus eorum contra Aquilonem à Iordane pergens iuxta latus Iericho Septentrionalis plagæ, & inde contra Occidentem ad montana conſcendens, & perueniens ad ſolitudinem Betháuen, atque pertranſiens iuxta Luzam ad Meridiem, ipſa eſt Beth-el: deſcenditque in Atharoth-Addar, in montem, qui eſt ad Meridiem Beth-horon inferioris.

INITIO *ducto à Iordane Septentrionalis & Orientalis huius tribûs deſcribitur terminus: quòd vel angulorum cæli, ac terræ Orientalis primus habeatur, vel quòd Iſraelitarum terram quondam occupantium itineris habẽda ratio fuerit: Quippe illi ab ortu tranſmiſſo Iordanis alueo ingreßi occaſum verſus ad Syriacum mare ſeſe propagabant. Itaque non longè à Iericỏuntis proſpectu in Iordanis margine Ben-iaminitarum terminus inchoabatur,* pergens iuxta latus Iericho Septentrionalis plagæ; *ita vt Iericho omnis intra finem ipſum à Meridie includeretur: inde verò productus Borealis terminus occaſum verſus in montem aſcendebat, in quo Bethel vrbs, quæ*

aliàs Luza vocatur, ſita erat. Vlterius etiam petebatur ſolitudo quædam Beth-auen dicta, quæ non longè olim à Beth-el porrecta iacebat; huic propter ſolitudinem & ſterilitatem nomen hoc antiquum quoq. fuerat: indeq; ad Beth-el per ignominiam tranſlatum eſt à prophetis. Quamquam ſint, qui oppidulũ etiam in illo agro hoc dictitatum vocabulo ſtatuant. Hucuſque itaque Beniaminitarum terminus extento, rectoq; fune ab ortu ad occaſum ex Boreæ parte ducebatur: hinc verò molliter Meridiem verſus deflexus iuxta Luzam pertanſibat, quæ eadem Bethel à Iacobo appellata fuit, atque in Ioſephitarum tribu manebat termini linea à meridie vrbis illius excurrenti, atque eodem adhuc tractu vlterius producta in Atharoth Adar, quæ iuxta montem vrbi Beth-horon inferiori imminentem deducebatur. Erat quippe altera Beth-horon ſuperior dicta.

ʘ Bethhorõ ʘ Luza ʘ Beth auen

Et inclinatur circuiens contra mare ad Meridiem montis qui reſpicit Beth-horon contra Africum: ſuntq; exitus eius in Cariath-Baal, quæ vocatur & Cariath-iarim, vrbem filiorum Iuda: hæc eſt plaga contra mare ad Occidentem.

ET inclinatur. *hactenus Beniaminitarum terminus ab ortu per ſeptemtrionale latus occaſum verſus deſcriptus eſt: Nunc verò ab occaſu quantum produceretur deſcribitur. Angulum, inquit, conſtituebat terminus ab occaſu iuxta montem Beth-hhoroni adiacentem, & deinde producto occidẽtali fine ad Kiriath-Baghal vrbem tendebatur; atque hæc Occidẽtalis plaga erat. Porrò Kiriath-iegharim milliaribus decem paſſuum, aut plus etiam aliquanto à Ieroſolymis diſtabat.*

A Meridie autem ex parte Cariath-iarim egreditur terminus contra mare, & peruenit vſque ad fontem aquarum Nephtoa.

BENIAMINITARVM *fines ab occaſu ad ortum, qui iidem Iudæorum ab ortu ad occaſum fuere, recenſentur, mutato progreſſus ordine. Locus igitur extremus Beniaminitici & Iudaici termini Kiriath-iegharim fuit, quæ tamẽ intra Iudææ agros erat.* cõtra mare. *ſic interpretamur, in mari, hoc eſt ab occaſu profectis pertendebatur rectus funis ad fontem aquarum Nephthoah: inde vero productus:*

Deſcen-

Deſcenditq; in partem montis, qui reſpicit vallem filiorum Ennom: & eſt contra Septentrionalem plagam in extrema parte Vallis Raphaim.

QVAMQVAM *huius montis nomen non ſcribatur, ſitus tamen apertè ſatis indicatur, ſimillimumq́; vero eſt nihil illo tempore memorabile monti extitiſſe, cuius cauſa nomen eſſet impoſitum: cúmque tractus ille omnis montibus frequens eſſet: (S.S.E. Montes in circuitu eius) hoc montis ſiue caput, ſiue ramentum fuerit, ex locorum vicinia magis quàm ex priuato nomine fuiſſe cognitum; præſertim cui duæ adiacebant valles, altera Rephaim; altera, quæ ab antiquis & nobilibus poſſeſſoribus filiorum Ennom vallis appellabatur; eadem verò poſterioribus ſeculis adeò infamis euaſit, vt miſerrimo atq. horrendo impiorum poſt hanc vitam loco nomen accommodauerit ſuum, cuius frequens in noui Teſtamenti libris mentio eſt.* Pſalm.

Deſcenditq. in Ge-Ennom (id eſt vallem Ennom) iuxta latus Iebuſæi ad Auſtrum: & peruenit ad Fontem-roghel, tranſiens ad Aquilonem, & egrediens ad En-ſemés, (id eſt fontem Solis) & pertranſit vſque ad tumulos, qui ſunt è regione Aſcenſus-Adommim; deſcenditque Aben-Boen, id eſt lapidem Boen filij Rube n: & pertranſit ex latere Aquilonis ad campeſtria: deſcenditque in planitiem.

AB *aquis Nephthoah ad montem, à mõte ad vallẽ Henom deſcendebat terminus. Interim admonendus eſt lector, ea omnia verba, quæ expoſitiua oratione [id eſt] notantur, vel à Latino interprete ſic explicationis cauſa indicari, vel ex margine in contextum irrepſiſſe: ex quibus alijsq́; exemplis ij qui de Latina vulgata alijsq́; verſionibus curioſius inquirunt, non pauca ad ſuam perorandam cauſam ſumere poſſunt teſtimonia.* iuxta latus Iebuſæi ad Auſtrum: *ita vt linea Iebuſæum ab Auſtro concluſum intra Ben-iaminitarum regionem relinqueret: id quod fieri potuit, quamquam ipſi Iebuſæorũ agri in Iudæ tribu continerentur. Idem verò terminus in directum productus peruenit ad Fontem-rogel. Ab hoc fonte rurſus parum ad Aquilonem reflexus terminus in Solis fontem producitur, indeq́; in Geliloth locum, quem Latinus interpres Tumulos vertebat: at is locus contra viam conſpicuè ſtratam viſitur* aſcenſum Edomim *dictam, hoc eſt Idumæorum, ſiue rubrorũ aſcenſum, ſiue quòd ſoli terræq́; ruber color eſſet,*

eſſet; ſiue quòd Idumæis è Seghir venientibus Iebuſæorum vrbs per illum ſaltum peteretur. Ex Geliloth autem ad lapidẽ Bohen filij Ruben decliui tractu producebatur funis; illinc verò campeſtribus ſiue deſerto à Meridie relicto, in Iudææ regione ad Ortũ adhuc procedens deſerti ſiue campeſtrium tandem partem tangebat.

Et prætergreditur contra Aquilonem Bethhagla: ſuntq. exitus eius contra linguam maris ſalſiſſimi ab Aquilone in fine Iordanis ad auſtralem plagam; qui eſt terminus illius ab Oriente. Hæc eſt poſſeſſio filiorum Ben-iamin per terminos ſuos in circuitu, & familias ſuas.

A PLANITIE *illa ſiue deſerta terræ iacentis plaga productus terminus paulum curuatur in aquilonare latus, atque arcus inſtar ad Bethhagla vſque deſcribit: ex quo loco ad ipſum Iordanis in Aſphaltiten lacum influentis oſtium tandem perducitur. Namque oſtium illud Auſtralis totius termini Beniaminitis finis eſt. Atque ita tota tribus his concluditur terminis; à Iordane vſque ad Atharoth Adar Ephraim confinio: Ab Atharoth Adar vſque ad Kiriath iegharim occiduus tractus fuit. Hinc ad Iordanis oſtium Boreale latus erat, à quo ſecundum Iordanis ripam ad proximum Ierichunti locum latitudo termini, ſiue Orientalis finis tendebatur.*

Fueruntq. ciuitates eius, Iericho & Beth-hagla & vallis-Caſis, Beth-araba & Samaráim & Bethel & Auim & Aphara & Ophera, villa-Hemona & Ophni & Gábee: ciuitates duodecim, & villæ earum.

VALLIS-CASIS, *ſiue* depreſſio, Caſis *Profundam inciſionem vocabulum ſignificat, Hiſpanicè* valtajada. Beth Araba, *Domum deſerti dicere Latinè poſſumus, Hiſpanicè* Caſa de paramo. Samaráim *locus à duobus mõtibus ita appellatus videtur: ſignificat autem geminum vellus, Hiſpanicè* Dos vellones. Auim *obſcurus aliàs locus, Contortos interpretari poſſumus, Hiſpanicè* Tuertos. Aphara, *vel fertilem, vel vaccam vertimus.* Ophera, *à puluere nomen accepiſſe videtur, Hiſpanicè* Poluareda. Villa-Hemona, *ex Hebraico pagũ Amoniticũ dicemus, Hiſpanicè* Aldea Amonita. Ophni, *vitoſam ſiue viticoſam, Hiſpanicè* Parrera. Gabee, *Cliuum ſiue collem, Hiſpanicè* Cueſta. *Quod nomen compluribus oppidis in edito loco ſitis commune fuit, vt Miſpa. Vrbium autem omnium, quæ illo in tra-*

in tractu celebriores habebantur, numerus cum ſuis pagis oppidulisq́; indicari ſolet regionis tum frequentiæ, tum fertilitatis commendandæ cauſa.

Gabaon & Rama & Beroth & Meſpeh, & Caphara & Amoſa & Recem, Iarephel & Tharela & Sela, Eleph, & Iebus, quæ eſt Ieruſalem, Gabaath & Cariath: ciuitates quatuordecim, & villæ earum. Hęc eſt poſſeſſio filiorum Ben-iamin iuxta familias ſuas.

GABAON, Rama & Beeroth: *Horum nominum ſignificationem ſuperius indicabamus.* Meſpeh, *aliàs* Miſpa, *ſpeculam ſignificat, cuius nominis complures fuêre vrbes.* Caphara, *Latinè Leũculam, Hiſpanicè* Leoncilla *dicemus.* Amoſa, *nomen ab exitu ſortita videtur, Hiſp.* la Salida. Recem, *Acupicturam ſignificat, Italicè* Ricamo. Ierephel, *Dei ſiue fortis medicina, Hiſp.* Fuerte cura. Tharela. *Nomen hoc non repertum aliàs, vnde deductum exponam, non teneo.* Sela, *Rupem Latinè, Italicè Rocca.* Eleph, *milliare Latinè, Italicè Miglio.* Kiriath, *vrbem muratam ſignificat, cui aliud nomen expoſitionis cauſa adiungi ſolet: Gallicè* Ville *dicetur.*

CAPVT DECIMVMNONVM.

ET egreſſa eſt ſors ſecunda filiorum Simeon per cognationes ſuas: fuitq́; hæreditas eorũ in medio poſſeſſionis filiorũ Iuda.

IVDÆORVM *regionis non tam definitionem, quàm ſitum in ſuperioribus adnotabamus, idq́; ad diuini promiſſi conſtantiam & veritatem docebamus referendum. Fuit autem adeò amplum regionis illius ſpacium, vt magnæ ac frequenti filiorum Iuda tribui, & Simeonitarum familijs non adeò immenſis continendis & alendis idoneas vrbes præbere, & vberrimos agros abundè ſuppeditare poſſet, aliàs propter locorum amplitudinem, & vicinæ ſolitudinis vaſtitatem minus vtilis, atque tuta minus futura. Diuino itaque decreto ſecunda ſors pro Simeonitis educta eſt; quam ſacerdos in arcano illo ſpeculo contemplatus intra Iudæorum fines aperiri concludiq́; inſpexerat. Atque illius ſortis ductæ decretum à ſacerdote pronuntiatum & proclamatum illam formulam continebat,* Tribui filiorum Simeonis per cognationes ſuas: *ita ex Hebræo oratio habet. Ne verò*

diſpergendi eſſe cenſerentur, additum eſt, Fuitq́. hæreditas eorum in medio poſſeſſionis filiorum Iuda. *Itaque vnius integræ tribus nomine integram hæreditatem ex Dei reſponſo obtinuit optimo loco intra ſpatium antè à filijs Iudæ aſſignatum. Nec verò varijs enarrantium commentationibus eſſe locus debet, vbi ſacra lectio rei rationem vel apertè exponit, vel indicat.*

Ber-ſabee & Sabee & Molada & Haſer-Sual, Bala & Aſem.

Hvic *tribui terminos nullos adſcribi opus erat, cui locus intra Iudææ regionem fuerat conceſſus. Nam terminorum vſus ad dirimendos aliorum agrorum fines inuentus fuit. Numeratis itaque & notatis familiæ huius vrbib. cum agris vniuscuiuſq. proprijs, quibus vrbium ditiones inuicem diſtinguerentur; vel nulli præterea, vel ijdem aliàs termini, qui Iudæis adſcribi poterant.* Berſabee & Sabee: *Duobus nominibus idem locus dicebatur, vt ferè fit contrahendi ſermonis cauſa. Sic Conſtantinopolim vrbem Conſtantinam vocitari, ſæpius audiuimus. Eſt itaque Sabee & Beerſabee vnica vrbs, & coniunctio ipſa expoſitionis obtinet vim, id quod ex ſubiuncta poſtea locorum ſumma cognoſcitur: ſignificat autem ſeptem, ſaturitatem, ſiue puteum ſeptem aquarum, & aquæ copiam. Nominis* Gen. 21. *imponendi ratio ex Abrahâmi hiſtorijs nota eſt.* Molada: *à naſcendo, vel gignendo, ſiue pariundo nomen ſortita videtur: Hiſpanicè* Parida. Haſer-Sual *Vulpis vicus, Hiſpanicè* Rapoſera, *ſiue* coral de zorros. Bala, *idem nomen habet cum nobili illa Rachelis ancilla, à confuſione deductum: Hiſpanicè* Rebuelta. Aſem, *Os ſiue corpus, Ital. Oſſo, ſiue Fermo.*

Et Eltholad, Bethul & Harma, & Siceleg & Beth-Marchaboth & Haſer Suſa, & Bethlebaoth & Sarohen: ciuitates tredecim, & villę earum.

Eltholad, *Fortis genitura, Latinis ſonat, ſiue Genituræ Deus; Hiſpanicè* Fuerte engendro. *Aliud huius loci nomen affini tamen voce legimus* Tholad. Bethul, *quæ in Paralipom. Bethuel, in Iudith hiſtoria Bethulia eſt, Iudæis iam illo tempore adſcripta: ex affini verbo Ceſſantem, ſiue Ceſſatam vertere poſſumus, Hiſpanicè* Baldia *ſiue* Baldada. Harma, *Solitaria Latinis, Hiſpanicè* yerma. Siceleg, *Hebraica vox ſtultũ ſignificat, Italicè Matto.* Bethmarchaboth.

chaboth, *Latinè Domus curruum*; *Hiſpanicè* Caſa caretera. Haſer-Suſa: *equorum domus.* Bethlebaoth, *Leanarum domus*: *Huic in Paralipom. Bethberi nomen eſt*. Sarohen: *Huic nomini certam etymon non inuenimus*: *aliàs verò Saaraim dictam legimus vrbem ſignificatione geminæ portæ.*

Ain & Remmon & Athar & Aſan: ciuitates quatuor & villæ earum: Omnes viculi per circuitum vrbium iſtarum vſque ad Baalath Beer, Ramoth contra Auſtralem plagam.

A I N, *oculus ſiue fons*. Remmon, *Malus punica, Hiſpan.* Granada. Athar, *Vaporem Latinè dicere poſſumus, vnde nomẽ Aether Romanis atque Græcis poëtis familiare deductum videtur.* Aſan *Fumum ſignificat. Illa autem oratio* Omnes viculi per circuitum, *pagorum atque viculorum frequentiam indicat, & ſoli fertilitatem laudat.* Baalath Beer *vnius loci nomen ex Grãmatica ratione fuiſſe videtur*: *ſignificat autem Dominam putei, Hiſpan.* Pozo de duenna, *ſiue* duenna de pozo· *ſiue eadem cum Beerſabagh vrbs, ſiue alius inter viculos illos recenſendus ſit locus.* Ramoth: *Culmina, Hiſp.* Cumbres.

Hæc eſt hæreditas filiorum Simeon iuxta cognationes ſuas in poſſeſſione & funiculo filiorum Iuda; quia maior erat: & idcircò filij Simeon poſſederunt in medio hæreditatis eorum.

R E V B E N *à primogenituræ iure propter inceſtum excluſo atque aliàs etiam citra Iordanem collocato, proximus erat Simeon, cui poſt Iudam & Beniaminum aſſignaretur nomen, vtpote ex Leæ filijs natu maximo. Ratio autem, quamobrem hic intra Iudææ regionẽ agros fuerit ſortitus, ipſa nobis lectione redditur; nimirum quòd vaſta amplaq́; fuerit Iudæorum terræ pars, atque maior quàm vt ab illis occupari, coli & frequentari poſſet.* quia maior erat: *Hebraicè ſic exponitur*: *Quia pars filiorum Iuda multa ab illis. iccircò &c.*

Ceciditq́; ſors tertia filiorum Zabulon per cognationes ſuas: & factus eſt terminus poſſeſſionis eorum vſque ad Sarid.

C V M *antiquis Iacobi & Moſis prædictionibus hæc ſors collata certiſſimum diuinorum promiſſorum euentum exemplumq́; probat. Huic enim tribui iuxta maris littus illis oraculis præfinita fuerat hæ-*

reditas: Carmeli autē montis pars maritima adeò eſt, vt promontorij ferè inſtar habeat; in illa verò parte Sarid locus erat, iuxta quē funiculi huius ſortis initiū ſtatuebatur ab Auſtro ſecundùm mare ad Boream deducendi. Itaque verba illa vſque ad Sarid, *idem ſignificāt nobis, quod Iuxta vel apud Sarid, vnde inceptus eſt terminus.*

Aſcenditq; de mari & Medalaa, & peruenit in Debbaleth: vſque ad torrentem, qui eſt contra Ieconan.

MARITIMVS *occiduusq́; tractus hoc verſu deſcribitur, celebrioribus notatis locis, qui Carmeli montis oram tenebant ad vſque fluuiū illum, ſiue vallem, ſiue vtrumque,* Iecnagham *oppido imminentem, cuius oppidi mentio in ſuperioribus facta eſt. Vrbis nomen, pro quo in vulgatis Latinis legimus,* Medalaa, *aliàs* Merala, *Cananæa, hoc eſt propria lingua,* Marghelah *pronuntiatur.* vſque ad torrentem. *Prophani auctores huic fluuio Beli, aliàs Pagidæ nomen faciūt. Hinc Auſtrales fines ab occaſu ad ortum deſcribuntur.*

Et reuertitur de Sared contra Orientem in finem Ceſeleth-Thabor: & egreditur ad Dabereth, aſcenditque contra Iaphie: Et inde pertranſit vſq. ad Orientalem plagā Gheth-Hepher & Tacaſin: & egreditur in Remmon, Amthar & Noa.

MERIDIANI *termini initium Sarid erat, cui peltæ vel ſcuti nomen fuit: perducebaturq́; funis in partem laterum Thabor montis (ita enim Ceſeleth ſiue Ceſeloth Thabor interpretamur) vt oppido Keſeloth fuerit ex ſitu impoſitum. Erat autem locus ille in Septentrionali latere montis Thabor, à quo in Dabereth, vrbē qua ad dexteram relicta aſcendit in Iaphiam, cui à conſpicuitate nomen factum videtur: inde verò terminus ille Auſtralis Ortum verſus adhuc productus oppida illa inſignia tangebat.* Geth-Hepher *illuſtrem poſteà Ionæ vatis patriam, quod Lacum ſiue Torcular foſſile ſignificat: & Geth-Ketſin, pro quo in noſtris Latinis ita Kaſin ſiue Tacaſin legimus. (quòd propria nomina in alienis linguis perſæpe pronuntiatione aut ſcripto immutentur) ſignificat verò nomen Lacum ſiue Torcular Principis. Ab hac ad oppidum Remon poſtremum in Auſtro orientali ora terminus procurrebat. Erudita profectò ſunt, quæ de Amthar Maſius hoc in loco adnotabat. A Remon porrò occaſum verſus Borealis finis per Noam (cui Latinum nomen delitiam, Hi-*

ſpanicum

ſpanicum Delcitoſa *facere poſſemus) pergebat vlterius per ea loca, quæ proximis indicantur verſibus.*

Et circuit ad Aquilonem Hanathon: ſuntq; egreſſus eius Vallis Iephthael, & Catheth & Naalol & Semeron & Iedala & Bethlehem, ciuitates duodecim, & villæ earum.

TERMINVM *paulatim verſus Auſtrum deflectere atque Hanathon vrbē Aquilonari ex parte ambire ſignificat nobis hæc lectio: Inde verò in Iephthael vallem inſignem confluuio illo ſuperiùs indicato procedere, quæ vallis huius tribus terminum ab Occaſu & Septentrione abſoluebat. Significat verò Vallis nomen Latinis aperturam fortem. Ceterùm vrbes, quæ deinceps recenſentur, interiora loca in illa tribu occupaſſe videntur:* Catheth, Nahalol, Semerō, *à cuſtodia vel obſeruatione ſic dicta, Hiſpanicè* la guardia; *altera ab illa Ioſephitarum Samaria, ſicut & Bethlehem altera à Iudææ Bethlehem fuit, quamquam vtramque panis domum interpretemur.* Iedala, *Dei vel fortis manū vertere poſſumus, Gallicè Main forte. Quòd Iacob in vaticinio Zebuloni filio decantato Sidonis mentionem fecerit, non eo excipimus nomine vt Sidonem vſque huic tribui terminos protenderit, ſed vt marinam negotiationem ad illud orbis totius celeberrimum emporium patefecerit. Atque ita exponimus verba,* Gen. 49. *In ſtatione maris pertingens vſque ad Sidonem: vt à Moſe exponebatur, Lætare Zabulon in exitu tuo.* Deut. 33.

Hæc eſt hæreditas tribus Zabulon per cognationes ſuas, vrbes & viculi earum.

DVODECIM *in deſcriptione recenſitas vrbes eas fuiſſe intelligimus, quæ vel in terminis, vel ſecundum terminos conſpicuæ haberentur, cùm aliàs plures vrbium, oppidorum & pagorum manſiones & commoditates tam frequenti tribui ſuppetere oportuerit.*

Iſſachar egreſſa eſt ſors quarta per cognationes ſuas: fuitq; eius hæreditas Iezrael & Caſaloth & Sunem & Hapharaim & Seon & Anaharath & Rabboth & Ceſion, Abes, & Ramoth, & In-gannim & Enhadda & Bethpheſes.

EANDEM *in his duabus collocandis tribubus diuina ſors obtinuit ſeriem, quam Iacobi & Moſis prædixerant vaticinia: quamquam Iſſachar Zabulonē natali die anteiſſet. Deſcribitur autem ſors initio ducto ab Occidentali Auſtraliq; latere verſus ortum, in quo*

memorabiles fuere vrbes Iezreel, *à ſoli fœcunditate Dei ſatiua, ſiue fortis Satiua dicta, Gallicè* Plante forte. Caſaloth, *Latera Latinè dicemus, Italicè Fianchi*: & Sunem, *Dormiens, Hiſpan.* Sueña. Hapharaim, *Geminam foueam, Gallicè* Double foſſe. Seon, *Sonantem vertunt quidam, Hiſp.* Sonada: Anharath, *Fremitus. At verò occiduus terminus ab Auſtro ad Boream ductus, illas continebat vrbes*, Rabboth, *ſiue* Rabith, *Magnam ſiue Magnificam Latinus vocaret:* Ceſion *ſiue* Keſion, *Dura, dici poteſt: &* Abes *præſepi affine nomen ſortita: &* Ramath, *culmen; Hiſpan.* Cumbre. Enghanim, *Hortorum fontem, Hiſpan.* Fuente de huertos. *Aquilonare latus ab Occidente ad Ortum illis vrbibus muniebatur:* Enhadda, *Nouo fonte:* Bethpheſes, *Domo diſperſionis: & illæ etiam quæ ſubiuncto connumerantur verſu:*

Et peruenit terminus eius vſque Thabor & Seheſima & Bethſemes: eruntque exitus eius Iordanis.

T A N G I T, *inquit, Septentrionalis ille funis Thabora montem, indeq;* Sahhatſuma *vrbem*, & Beth-Semes, *Solis domum; tandem verò in Iordanem deſinit, cuius fluuÿ pars ab ortu tribum hanc terminabat ad Geneſareth, ſiue Kinereth lacum.*

Ceciditque ſors quinta tribui filiorum Aſer per cognationes ſuas.

P R I M V S *Iacobi ex Zelpha Leæ ancilla filius Gad fuit, cui cùm citra Iordanem conſidere contigiſſet, naturæ rationi & antiquorum oraculorum fidei conſentaneum fuit, vt ſecundus ab illo Aſſer ducta ſorte ſuas obtineret partes.*

Fuitq; terminus eorum Halcath & Chali & Beten & Axaph.

H V I V S *tribus regio lata magis quàm longa fuiſſe videtur. Extendebatur enim ſecundum Syriacum mare funis, initio à Halcath ducto in Chali verſus Auſtrum. Significat verò* Helchath *portionem, Hiſpan.* Partida. Hali, *vel Ceſſantem, vel infirmam dici nihil vetat* Beten *Ventris ſignificationem habet. Atque eodem in tractu illæ etiam vrbes erant:*

Et Elmélech & Amaad & Meſſal: & péruenit vſque ad Carmelum maris & Sihor & Labanath.

C A R M E L V M *maris, eam Carmeli montis partem interpretamur, quæ in mare procurrẽs promõtorÿ inſtar habet. In huius late-*

re erat

re erat Sihhor Lebana, *quam vnicam vrbem eſſe, & Hebraica lectio & numeri ſumma docet. Huius verò nominis Latina ſignificatio eſt Lunæ nigredo, Hiſpanicè* Luna oſcura.

Ac reuertitur contra Orientem Beth-Dagon: & pertranſit vſque ad Zabulon & Vallem Iephthaël contra Aquilonem in Bethémec & Nehiel.

DESCRIPTIONEM *hanc ita explicamus. A Sihhor Lebana reflexus paululum funis & vrbem* Beth-Dagan, *hoc eſt tritici domum ab Ortu ambiens, ad Zabulonis confinia atq. ad vallem Iephthaël vſque procurrit, quam ex Boreali parte tangit, atque ad* Beth-émec, *hoc eſt Vallis domum; & Neghiel, pertingit.* Neghiel, *fortem motũ vel Dei motionem, ſiue vagationem ſignificat. Deinde verò Chebul vrbs à læua, hoc eſt à Septentrione relinquebatur. Atque hæc Auſtralis lateris deſcriptio fuit.*

Et Abran & Rohob & Hamon & Cana, vſque ad Sidônem magnam.

IN *termino ſiue funiculo iam ab Auſtro per ortum ad Septentrionem Occaſumq́, in gyri formã reducto has etiam vrbes inuiſi & notari intelligimus, quarum nonnullæ tamen non intra Aſſeritarum agros, verùm Aſſeritis finitimæ fuerint. Quippe* Hamó *in Nepthaliticis vrbibus aliàs cõnumerabatur. Quod verò legimus* redibat ad Sidônem magnam, *illius tribus terminum ab Ortu in Occaſum ex Boreali latere interpretamur. Nam Sidon maritima erat vrbs artiũ, opificiorum & mercaturæ vſu præſtans, & propterea Magnæ cognomentum adepta.*

Reuertiturque in Horma vſque ad ciuitatem munitiſſimam Tyrum, & vſque Hoſa: eruntque exitus eius in mare de funiculo Achziba, & Amma & Aphec & Rohob: ciuitates viginti duæ, & villæ earum. Hæc eſt poſſeſſio filiorũm Aſer per cognationes ſuas, vrbesque & viculi earum.

A *Sidone, quæ in Occidua parte huic tribui vicina erat, Occidentalis finis deſcribitur per* Horman *ſiue* Raman, *inſignem editoq́, loco ſitam vrbem, quod vel nomẽ ipſum indicat. Deinde verò per illud totius orbis celeberrimum emporium Tyron appellatam vrbem, cuius ſitum natura & opere munitiſſimum ſacra prædicant ſcripta. Hanc vrbem Aſſeritis finitimam quidem, nuſquam verò adnumeratam legimus.*

legimus. Hinc porrò ſecundùm maris latus, hoc eſt occiduũ, profertur terminus per Hoſa, demumq́; eò redit vnde primùm fuerat cœptus, hoc eſt ad Aczib. Quæ verò ſubiungũtur, obſcuræ aliàs vrbes Ama, Apher & Rohob, *nõ tam in termino ſitæ quàm ex termino occiduo, non procul conſpici potuiſſe cenſendæ ſunt, intra fines tamen conſtitutæ. Atque* Rohob *hoc in loco enumerata, altera nobis eſt ab ea, quæ in Orientali huius tribus ora notabatur. Harum vrbium nomina ſic interpretamur:* Hama, *feminino genere populus, ſiue popularis, Hiſpan.* Puebla. Aphec, *vallis.* Rohob, *ſiue* Rahhab, *ab amplitudine nomen ſortita,* Ancha *Hiſpanicè vocaretur.*

Filiorũ Nephthali ſexta ſors cecidit per familias ſuas: Et cœpit terminus de Heleph et Elom in Saananim & Adami, quę eſt Neceb, & Iebnael vſque Lecum. & egreſſus eorum vſque ad Iordanem.

DESCRIPTIO *hæc à ſeptemtrione ſecundum Orientalem plagam ducitur primùm, initiumq́; ſumit ex Heleph, quæ non procul à Iordanis fontibus diſtabat: deinde per* Elom *in paluſtribus ſiue humidioribus vallibus iacentem vrbem. (Namq. hæc ſignificatio eſt nominis Saananim.)* Adamai *etiam tangebat, ad quam olim Iordanis ſtagnantis refluxus pertinuit, alio nomine dictitatam.* Neceb, *Latinè foramen, Italicè Pertuſo.* Iebnael, *ab ædificiorum firmitudine dicta videtur: Hiſpanicè* Fuerte fabrica: *poſtremam hoc latere* Lecum *præteribat terminus; inde verò, quod reliquum fuit, Iordanis claudebat alueus. Atque hoc Orientale latus huic tribui fuit.*

Reuerititurq́ue terminus contra Occidentem in Azanoth Thabor: atque inde egreditur in Hucuca, & pertranſit in Zabulon contra Meridiem, & in Azec contra Occidentem, & in Iuda ad Iordanem contra ortum Solis.

AVSTRALE *huius tribus latus his verſib. deſcribitur fune à Iordane Occaſum verſus ducto vſque ad Taboris mõtis partẽ, cui ex forma Azanoth Tabor, id eſt Taboris auriculæ, vel anſæ nomen erat. Inde verò in* Hukuk *ſiue* Hokok *protenditur, cui loco à foro nomen factum videtur, Luſitanicè Foreyro dicere poſſemus. Hinc demum Zabuloniorum affinem tribum à Meridie habet. habet etiam Aſſer in occidua plaga conterminam.*

Quod verò ſubiungitur, & in Iuda ad Iordanem contra ortum

Solis

Solis, *ideò ſubiunctum videtur, vt Nephthalitæ, qui poſtremũ omnium locum verſus Boream ſortiti eſſe videbantur, tamen commodiſsimum habere cenſerentur, vtpote quibus, quæcumq. ex mari maritimisq́; regionibus bona petuntur, ex Aſſeritarum commercio contingebant: Nec minus etiam ab ortu Solis Iordanis alueo, atque adeò magno celebriq́; illo lacu (cui nomen Kinereth fuerat) concluſis nauigiorum vſu ad vſque Iudæam regionem pertendere illa ex parte concedebatur: itaque omnia illis tam ab Ortu & Occaſu quàm à Septemtrione ad excurrendum loca, ſeſe longè lateq́; aperiebant, certúmque reddebant paternorum oraculorum euentum. S.S.E. Nephthali ceruus emiſſus, dans eloquia fortitudinis. Et rurſus Moſes canebat: "Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: mare & Meridiem poſsidebit. Hactenus Nephthaliticæ tribus extremi termini deſcripti; deinceps verò, quæ in his interioribusq́; locis fuerint inſignes vrbes adnumerantur.* Gen. 51. Deut. 33.

Ciuitates munitiſſimæ, Aſſedim, Ser & Emath & Reccath & Cenéreth, & Edema & Arama, Aſſor & Cedes & Edrai, En-Aſor & Elon & Magdalel, Horem & Beth-anath & Beth ſames: ciuitates decem & noué, & villæ earum. Hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Nephthali per cognationes ſuas, vrbes & viculi earum.

NOMINVM *interpretationes ex Cananææ linguæ etymologia ſic haberi poſſunt.* Aſſedim, *Latera, Hiſpanicè* Las laderas. Ser, *Vinculum ſiue compacturam ſignificat, Hiſpan.* Appretada. Emath, *Calda dici poteſt, Hiſpanis duo hoc nomine Alhama oppida ſunt calidis ſalubribusq́; aquis inſignia; alterũ apud Celtiberos, apud Illiberitanos alterum.* Reccath, *à ſputo vel ſaliua nomen habere videtur, Italicè Spumara.* Cenéreth, *Citharam Latinus dicet; à qua vrbe lacui illi nomen factum eſt, quẽ poſteritas Geneſar ſiue Genezareth, aliàs verò Tyberiadis mare appellauit.* Edema: *eadem aliàs Adam & Adamai, Rubentem Latinè dicemus, Hiſpan.* Roxa. Arama, *Excelſa, Hiſpan.* La encũbrada. Aſſor, *Currale, Hiſpan.* Corral. Cedes, *ſiue* Cades, *Segregata, Hiſpan* Santo ô Apartado. Edrai, *compoſitum videtur nomen, pulchramq́; paſtionem ſignificare, Hiſpan.* Fuerte paſtura. En aſſor, *Fons munitus, Hiſpan.* Fuen cerrada. Elon *ſiue* Ieraon, *à timore nomen duxiſſe videtur, Hiſp.* Pauoroſo.

 Magda-

Magdalel, *Turris fortis*, *Torre fuerte.* Horem, *Deſertum*; *Hiſp.* Yermo. Beth-anath, *Domus reſponſionis, vel Echo, Hiſp.* Caſa de Ecco. Beth-Sames, *Solis domus: Ciuitates decem & nouẽ. Omnes hæ, quæ verſibus his numeratæ ſunt, cum illis tribus* Elon, Iebnael & Hukok, *conficiunt hunc numerum.*

Tribus filiorum Dan per familias ſuas egreſſa eſt ſors ſeptima: & fuit terminus poſſeſſionis eius Saraa, & Eſthaol & Hir-Semes, (id eſt ciuitas Solis) Selebin & Aialon & Iethela.

DANITARVM *tribus ſortis partem intra amplum illud Iudæis adſcriptum ſpacium obtigiſſe accepimus, citra vllum tamen Iudææ tribus incommodum vel detrimentum: integram verò ſortem certis limitibus præſcriptam fuiſſe intelligimus, non vti Simeonis diuiſam: id enim prædictionibus congruebat illis, Dan iudicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus in Iſrael. Nec verò omnis tribus hæc intra Iudæorum terminos concludebatur, ſed ab illo agro à Meridie incipiens Boream verſus protendebatur.* Saraa, *à veſpis nomen obtinuiſſe videtur: Hiſpanicè* Abiſpera. Eſthaol, *petitionis etymon habet: Hiſpan.* Pedido. Hir-ſemes, *à Latino noſtro, vel alio quopiam interprete expoſitum eſt nomẽ, Vrbs Solis; quæ ex loci ratione aliàs Beth-ſemes appellatur.* Selebin, *ſiue* Saghalabin: *Hanc interpretes Græci vulpium nomine reddidêre, quòd Soghal, vulpem ſignificet.* Aialon, *à ceruis nomen ſortita videtur: Hiſpan.* Ceruera. Iethela, *Pendentem dixeris, ita fortaßis à ſitu vocatam.*

Elon & Themna & Acron; Elthece, Gebbethon, & Balaath, & Iud & Bane & Barac, & Gethremmon: & Meaiarcon & Arecon cum termino, qui reſpicit Ioppen, & ipſo fine concluditur.

ELON, *arboris nomen eſt, quam Latini Alnum dicunt.* & Themna; *affine nomen eſt ei, quod Auſtrum ventum ſignificat, Hiſpanicè* Abrega. Acron, *Radicalem, Hiſpan.* Raygon ô Raygada. Elthece. *ſi Latinè, Firmiter fixam, Hiſpa.* Bien hincada, *ſiue* Hita. Gebbethon, *Eminens, Hiſpan.* Empinado. Balaath, *Dominam ſiue Patronam Latinè, Hiſpan.* Dueña. Iud, *ſiue Iehod, à laude nomen habet: Hiſp.* Loa, ô Manifieſta. Bene & Barac. *quæ in hac verſione duo videntur eſſe nomina, vnius vrbis nomen vnicum eſt, ſignificatq́ꝫ filios Barak.* Geth-Remon, *Granati hortum,* Huerta de

de granados. Meiarcon, *Aquæ viroris, Hiſpan.* Aguas verdes. *Porrò illud quod additur,* cum termino, qui reſpicit Ioppē, *omnia loca indicat, quæ Ioppe vrbis portu inſignis agro affinia fuère. Atque huic vrbi à ſpecie nomen factum videtur, nimirum propter portus pulchritudinem & ſitus ædificiorumq́ elegantiam.*

Aſcenderuntque filij Dan, & pugnauerunt contra Leſem, ceperuntque eam: & percuſſerunt eam in ore gladij; & poſſederunt, & habitauerunt in ea, vocantes nomen eius Leſem-Dan, ex nomine Dan patris ſui. Hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Dan, per cognationes ſuas, vrbes & viculi earum.

DVAS *regiones Danitis hiſtoriæ ſacræ adſcribunt; alteram ab initio ſorte ductam, alteram poſtea vi armisq́ captam. Apparet namque tribum illam ſiue anguſtis terminis concludi ſe arbitratam, ſiue à vicinis Cananæis arctius compreſſam, loca alia ſibi optantem in extremos totius promiſſæ regionis agros prorupiſſe, ibidemq́ celebrē vrbem Leſem, aliàs Laida dictam expugnaſſe, deductisq́ colonijs occupaſſe; deq́ antiquo parentis nomine vocitatam perpetuum ſtatuiſſe monumentum, ne fraternæ neceſſitudinis memoria & officia inter eos qui Laiſan incolebant, & eos qui in propria hæſerant ſorte, perturbarentur. Hanc ſententiam lociq́ huius explicationem verborum annotatio atque obſeruatio indicat.* Aſcenderuntque filij Dan: *Hebraicè ſic, Et exijt terminus filiorum Dan ex ipſis. vt ſi Latinè diceremus, Non contenti Danitæ ſuis ipſorum terminis noua loca ſedesq́ nouas quærere conſtituerunt: ita tamen, vt qui prodirent, & qui manerent, Danis filij cenſerētur, & nomen, familiam neceſſitudinemq́ tuerentur. Erat verò Leſem inſignis vrbs ad Libani montis radices verſus Auſtrum ſita, non procul à Iordanis fluuij fontibus; cui fluuio nomen ab eadem Laiſa, Dan poſteà dicta, deductum nonnulli autumant, exigua tamen coniectura loci atque vocis tum Græcæ tum Latinæ: Quippe antequā Danitis illa regio capta eſſet, imò ante Abrahami etiam ætatem integrum & celebre illi flumini nomen Iarden conſtabat. Fieri autem potuit, vt idem nomen poſteà cum Danis memoria & celebritate coniungeretur.* Ex nomine Dan patris ſui. *Ea lege atque eo pacto nomen vrbi fuit immutatum, vt vtriſque Danitis, tam ijs qui Auſtraliores erant, quàm ijs qui Libano vicina colebant loca, communis omnium patris Dan memoria & contribulitiæ* Leſem. Iordanis.

Temporum & rerum ratio.

conſuetudo, communeq́; ius atque decus conſeruarentur. Verùm enim verò illud hoc loco animaduertendũ eſt, nõ tam temporũ ſeriem, quàm rerũ rationẽ hac narratione tradi. Nam cùm hiſtoriæ huius cõpilatori ea mens fuiſſe videatur, vt ſingularũ tribuum ſortes certis locis, certisq́; deſcriberentur terminis, conſultũ viſum eſt, quidquid ad vnamquamque attineret, ſemel explicare, ad Moſis exemplum, qui inter numerandum antiquiſsimas hominum ſedes, quarundam etiam meminit, quæ poſterioribus ſeculis fuerant occupatæ. Hanc itaque à Danitis coloniam poſt Ioſue ætatem deductam intelligimus; ab huius verò libri concinnatore, Danitarum omne æuum breuibus tabellis explicare ſtudente, vnica continuata deſcriptione ſortitionis narrationibus fuiſſe adiunctam. Qua ex re intelligimus, non omnem ſcripturam hanc Ioſue auctore nobis conſtare, ſed vel à Samuele vate, vel ab alio, quem diuinus Spiritus antiqui veri notitia imbutum ad hoc exoluendum opus inſtruxerit. Quamobrem ad ſcriptoris eiuſdem ſeculum, illa temporis adnotatio non vno tantùm loco repetita referenda eſt, Vſque ad hanc diem.

Cumq́ue compleſſent ſorte diuidere terram ſingulis, per tribus ſuas: dederunt filij Iſrael poſſeſſionem Ioſue filio Nun in medio ſui, iuxta pręceptum Domini, vrbem quam poſtulauit, Thamnath-ſáraa in monte Ephraim: & ædificauit ciuitatem, habitauitq́ue in ea.

NVLLIS *profectò vel philoſophicis, vel hiſtoricis libris, nullis poëtarum carminibus, legum voluminibus, nullis adeò grauia, certa, æquaq́; de omnium hominum atque ordinum officio præcepta, adeò illuſtria, admiranda & ad imitandum appoſita exempla legi cognoſciq́; poſſunt, atque ea quæ ſacris conſtant ſcriptis, ac ſui tantum ſimplici contemplatione commendantur: S.S.E. Omnia mandata tua æquitas.*

Pſalm. 118.

Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis,
Quo ſit amore parens, quo frater amandus, & hoſpes,
Quod ſit conſcripti, quod iudicis officium, quæ
Partes in bellum miſſi ducis; ille profectò
Reddere perſonæ ſcit conuenientia cuique.

Atqui hæc omnia in ſacra lectione pleniſsimè aptiſsiméq́; diſcuntur. Quantum diuinæ, quantum publicæ ſuorum, quantum hoſpitum

atqu

atque ſociorum res à Ioſua curatæ hactenus fuerint, quantum ad extremum vſque vitæ diem procuratæ, & totis, quæ præceſſere, lectionibus nouimus, & ijs quæ mox adijcientur cognoſcemus. Rurſus verò quàm parcè, quamq́; continenter priuata commoda à Duce optimo, diligentiſſimo atque laborioſiſſimo quæſita fuerint, breuiſſima narratione declaratur. Quippe inter tot bello geſtas, tot pace compoſitas res, tot vrbes captas, & tot regionum pulcherrimarũ deſcriptiones, naturas, commoditatesq́; cognitas, nihil optimus Dux poſterius agendum ſibi duxerit, quàm ſibi vt agros, domum, fundos & cetera compararet, quæ in hac vita vulgò appeti primoq́; inter curas & ſeria loco haberi ſolent. Imò potius exiſtimare libet, optimum virum ab omni cupiditate & ambitione alienum, non niſi diuini conſilij & promiſſi auctoritate inductum de rebus priuatis ſua ſponte vnquam cogitaſſe; quemadmodum neque Moſen egiſſe vſquã accepimus: Et quidem ſanctis illis atque ſapientibus viris omnibus chariſſima gratiſſimaq́; fuit regionis illius obtinendæ facultas, vtpotè quæ Dei promiſſo & beneficio conſtabat; dein eadem ſpiritualium arcanorumq́; promiſſorum imago quædam & vmbra erat; ideoq́; nemo eius portione abdicatus eſſe volebat, præter Leuitas omnes quos Deus ipſe ab hereiſcunda hæreditate exceperat. Quam quidem ob rem & Ioſue etiam, cui ineundæ atque adeò expugnandæ ac diuidendæ terræ ſpes diuinitus facta fuerat, ſuam quoq. portionem & ipſe capit, ſed omnium poſtremus, ſed non vltrò proprióue conſilio aut ſtudio, non libidine, non potentia, imò neque poſtulatione: praetereà non optimo omnium loco, nec cultiſſimo, neque etiam eleganter iampridem exædificato, verùm populo ipſo, atque adeò concilio Iſraelitarum omni cenſente primùm, atque loci optionem dante numine cum primis, omnibus his actionibus per oraculum annuẽte, ipſo verò Ioſue montem in ſuæ tribus regione aſperiore atque incultiore ſitu optante; quẽ familiæ ſuæ gentibus alendis nõ tam natiua fertilitate opportunum, quàm cultorum labore & induſtria comparandum ducente. Hæc ſingillatim doctrinæ noſtræ cauſa obſeruanda eſſe ſacra lectione in hanc ſententiam docemur: Cumq́; compleſſent ſorte diuidere terram, non quòd ipſe ſibi aut expetiuit, aut notauit, ſecreuit & addixit locum aliquem præcipuum, priuſquam diuiſio inchoaretur, quin imò abſoluta iã ſortitione omni, ſingularumq́; tribuũ declaratis & conſcriptis

ſortibus, hisq́; omnibus per ipſum curatis & compoſitis, tamen nulla de ſe ſuiſq́; rebus mentio facta eſt, ſed ipſimet filij Iſrael publica atq. adeò diuina authoritate dederunt poſſeſſionem Ioſue, non tanquam ſupremo Duci, atq. imperatori totiusq́; populi præfecto & patri communi, non vt de omni repub. deq́; gente omni benemerentiſſimo, multis grauibus diuturniſq́; laboribus functo, anxijs continuisq́; agitato curis, atque omnium ferè, qui tunc viuebant, æuum ſuperante, molliſſimè atque honorificentiſſimè excepta tractatuq́; digno; ſed vt filio Nun, vnicuipiam ex ſua tribu eoq́; nomine paternum ius repræſentanti, non ſingulari aliquo priuilegio, aut prærogatiuæ honore poſſeſſionem dederunt, ſed in medio eorum pro ſuæ portionis ratione, tanquam fratri vni ex alijs iuxta præceptum Domini, qui filijs Iſrael hæreditatem promiſerat, & filijs Iſrael diſtribuendam præſtiterat, atque adeò ipſe etiam Ioſue adeundam & poſſidendam pro ſua

Supr. 14. *portione fuerat pollicitus.* S. S. E. *Dominus Deus locutus eſt de me &*

» *de te. Sed tamen huic inter Ephraitas gentilitios ſuos connumerato, cùm ex Dei reſponſo eligendæ peculiariter ſedis daretur optio, vrbis locus optatus fuit, nec planus & fertilis, neque ſua natura habitatu facilis, ſed in monte Ephraim incultus adhuc & inhabitatus, in quo ipſe ſibi atque ſuis labore multo vrbem ad incolendum idoneam, verùm perpetua indigentem cultura conſtruxit; cui ex regionis plaga* Thamna, *hoc eſt, Auſtralis nomen, ab arborum verò graueolentia & ſoli ſterilitate Zzarahh cognomentum factum videtur. Hanc verò vbi exædificauiſſet, nunquam repudiandam mutandámue duxit, ſed* habitauit in ea; *tantum ſibi in ſacra illa regione ex Dei beneficio & publico iudicio contigiſſe lætus, quantum ad vitam honeſtè in fide & ſpe futurorum bonorum traducendam ſatis eſſet: atque ita Duci optimo nihil egregium præter ceteros in hac vita optati nec viuendi commoditas defuit, & cum maxima fortitudinis laude, maximæ etiam continentiæ ac modeſtiæ Dei iudicio & populi plauſu honor atque decus acceſſit: atque propter optimè geſtas res atque pro muneris ſui ratione abſolutas connumeratis partibus omnibus, perpetui monumenti loco ſedes aſſignata eſt vltimo diuiſionis capite, ídque ſingulari mentione & expoſitione. Nam quæ hoc loco legitur, huius rei narratio publicorum monumentorum formulam quandam imitatur, vt ſi Romano modo moreq́; ſcriptum eſſet,*

IOSVE FILIO NVN, S. P. Q. ISRAELITICVS VRBI CONSTRVENDÆ LOCVM EX DIVINO IVDICIO THAMNATH ZZARAHH IN MONTE EPHRAIM OPTANTI PVBLICE DECRE.

Hæ ſunt poſſeſſiones quas ſorte diuiſerunt Eleazar ſacerdos, & Ioſue filius Nun, & principes familiarum, ac tribuum filiorum Iſrael, in Silo, ad oſtium tabernaculi teſtimonij: partitiq; ſunt terram.

ANTEACTÆ *rei omnis ratio ſumma & cõfirmatio his verſibus continetur, cum expoſitione iuris, auctoritatis, formæ ac modi aliarumq; circunſtantiarum, quæ publicis priuatiſq; actionibus fidem, auctoritatem & ſanctitatem arrogare ſolent. Ne quis in poſterum mutare, aut tentare audeat ea, quæ tanto conſilio, ſtudio, iudicio, molimine atque numine compoſita firmataq; fuerint; atq. adeò vt vnuſquiſque eam partem, quam Dei beneficio ſortitus erit, colere, tueri, atque ornare ſtudeat. Cum primis igitur eorũ, qui partitioni faciendæ interfuerant, eorum etiam qui præfuerant, indicatur auctoritas, nominibus quoque fidei ac temporis notandi cauſa appellatis.* Eleazar ſacerdos, *ſacerdotali iure, munere ac nomine.* & Ioſue filius Nun, *qui hoc eodem nomine iam pridem à Deo appellatus, à Moſe declaratus & initiatus, demum ad gerendam rem excitatus & inſtructus, atq. geſtarum rerum perpetuo ſucceſſu & feliciſſimo exitu confirmatus, in hac eadem partiundæ terræ ratione procurator, ſecundo à ſacerdote loco ante ceteros omnes honoris cauſa, & veritatis diuinæ indicandæ conſilio, nominatur. Huic enim reſponſum à Deo fuerat, Confortare & eſto robuſtus, tu enim ſorte diuides populo huic terram illis, pro qua iuraui patribus tuis vt traderem eam. Itaque horum decreto in primis poſſeſſio definita eſt; deinde Principum, familiarum ac tribuum filiorum Iſrael, qui totius populi perſonam & ad deliberandum, & ad conſulendum, & ad rogandas leges gerebant: idq; in Silo ſancto loco, publico cõſilio, ad oſtium tabernaculi, in quo Deus ſeſe præſentem pollicitus fuerat et honeſtis legitimiſq; actionibus ipſorum præſtabat. Duæ autem actionis huius partes fuere: altera regionis atque ſitus ſingularum tribuum aſſignatio, quæ Dei conſilio ac decreto prorſus conſtitit, non ſorte indicante: altera verò agrorum, vrbium, locorumq; partitio & modus, quæ ex ratione*

Supr. 1.

& vſu

et vſu profecta, iudicio atque conſenſu præſidum & principũ conſtituta fuere. & partiti ſunt terrã. *Animaduertendũ verò eſt temporis quo geſta fuerit res adnotationem in nominib. Principum ſiue præfectorum appellandis antiquo more contineri; id quod ad multa aliàs loca explicanda tenuiſſe operæpretium fuerit.*

CAPVT VIGESIMVM.

ET locutus eſt Dominus ad Ioſue, dicens, Loquere filijs Iſrael, & dic eis, Separate vrbes fugitiuorum, de quibus locutus ſum ad vos per manum Moyſi.

CVM *poſt humani generis euerſionem atque ruinam ex primorũ parentum ſcelere profectam, animorum diſſenſiones & ſtudiorum contentiones ortæ plurimorum inter homines malorum & incommodorum matres altriceſq́. extiterint, fieri non potuit, quin vbicunq. hominum frequentia eſſet, odia, inuidiæ, inimicitiæ, rixæ, ſeditiones, duella, bella, homicidia, ſcelera varia & huius generis alia indigna viſerentur ſpectacula. Atque vtinam hoc verum exploratumq́. eſſe, non tam multa ab ipſa tenera conditi mundi ætate exempla docuiſſent, initijs ex illo fraternæ cædis furore & crimine ductis, quo improbiſſimus Cainus innocentiſſimum iuuenem Abelum inſidiosè interfecit: Ita vt non ſatis eſſe viderentur mille & plures etiam ad mortem in ipſis hominum corporibus membriſq́. patefactæ portæ, niſi & plurima quoq. occidendi genera per vim & iniuriã ab iiſdem hominibus generis ſui minuendi ac perdendi libidine adinuenirentur. Tantum illa hominum pectori innata prauitas malorum ſuſcipere, & niſi diuino timore vel vltionis atque legum metu coërceatur, efficere valet. Verùm enimuerò in iis animis, qui vel religione ac pietate retenti, vel diuini Spiritus virtute muniti non fuerint, duplex ad nocendum notatur impulſus: alter infirmior, imbecillior, atque animantum communi naturæ proprior, qui vel ex ignoratione & imperitia, vel ex repentino oritur motu: Alter verò ſolidior, firmior, atque inſolentior, ferarumq́. generi magis affinis ex conſilio, voluntate, atque ſtudio profectus & promotus: atque hic quo ferociõr, atrociorq́. eſt, eo magis hominum coniunctioni ac ſocietati, atque adeo naturæ ipſi noxius, & orbis omnis auctori, gubernatori, malorumq́.*

vin-

vindici Deo eſt inuiſus. S.S.E. Quoniam non Deus volens iniqui- Pſalm.
tatem tu es; neque habitabit iuxta te malignus, nec permanebunt in- "
iuſti ante oculos tuos. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, per- "
des omnes qui loquuutur mendacium. Virum ſanguinum & dolo- "
ſum abominabitur Dominus. Placuit igitur æquiſsimo & clementiſ- "
ſimo optimoq́; legum latori Deo in ſceleribus, facinoribus cum priua-
tim tum publicè iudicandis & vlciſcendis adhiberi regulam, quæ
pœnas non pro facti tantummodo, ſed pro voluntatis ratione atque
animi impulſu æquas irrogaret, ne videlicet ſcutica dignus horribili
ſectaretur flagello. Itaque diſtinctionem adhiberi oportuit, & iudi-
cium, vt inter ea quæ per imprudentiam incidunt, vel per ſubiti mo-
tus vim admittuntur, atque ea quæ per inſolentiam, contumaciam
atque impotentiam animi deliberatè ſuſcipiuntur peccata, dignoſ-
ceretur, de ſingulisq́; generibus ex priuatæ ac publicæ rei & ex hu-
manæ ſocietatis commodo atque vſu ſtatueretur. Huiuſce verò iuris
ex diuino iudicio triplex caput initiumq́; ad ſingulas gubernandas
obſeruatur. Primum quidem, Ne quod peccatum probetur, immunéue
cenſeatur. S.S.E. Nullumq́; innoxium derelinques. Alterum, Ne Num.14.
cui ſonti ignoſcatur, S.S.E. Auferes malum de medio Iſrael. Tertiũ, "
Vt inſons clementiam experiatur iudicij. S.S.E. Non effundatur in- "
noxius ſanguis in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi Num.35. "
poßidendam, ne ſis ſanguinis reus. Atque ad hanc poſteriorem facto-
rum rationem componendam certa loca diuinæ ſapientiæ conſilio in-
ſtituta ſunt, quæ ijs, qui mali doli exceptione quempiam interfeciſ-
ſent, tutamento eſſe poſſent, & ijs etiam ſolamen aliquod, qui ſub-
lati è viuis propinqui dolore ac deſiderio vltionis cupiditate impa-
tientius iuſto flagrarent: ij cùm mentem explere nequirent, interim
tamen dum re penitus cognita conquieſcerent, eum, quem inimicum
arbitrarentur; non præſentem frequenti occurſu in ſua ciuitate of-
fendebant, ſed in aliena latentem & exulantem durius atque inſua-
uius viuere ſciebant. Vſque adeò verò homicidium deteſtatur Deus,
vt ijs etiam, quib. nullum in illo crimine ſcelus adſcribi poſſet, impu-
nè omninò quemquam occiſum eſſe non patiatur, ſed & metum &
fugam & diuturnum exilium & anguſtioris vitæ neceßitatem im-
ponat. Iußit itaque Deus certas ad hãc rem deputari ſecerniq́; vrbes,
quas cum primis commodo loco ſitas eſſe oportuit, nec nimium inter

ſe vicinas, nec ab alijs vrbibus longè remotas; quò effugiendæ vltionis atque fuga ſalutem ſibi conſulendi ſpacium non importunum imprudenti homicidæ conſtaret. Hæc illorum verborum ſententia eſt. Separate vobis. *Hebraica vox Latinè reddi poteſt, date vobis. Communem rem communi ſtudio curandam & conficiendam oratio indicat, pro nomine Vobis minimè otioſo. Porrò illud quod expoſitionis loco additur,* de quibus locutus ſum vobis per manum Moyſi, *complura ſignificat adnotatu digna; cum primis verò Dei prouidentiam & curam circa humana facta quæcunque illa tandem ſint, ſiue rectè ſiue prauè agantur, ſiue inſolenter vel imprudenter, ſiue conſilio ſiue errore admittantur: Eſſe etiã diuino iudicio cõſtitutam regulam, quæ pænas peccatis irroget æquas, ne (vt quidam ex Philoſophis volebant) ſcutica dignum horribili ſectere flagello. Deinde quoque diuini conſilij conſtantiam obſeruamus, quo quæ ſemel dicta decretaq́; fuerint, opportunè repetuntur & præſtantur. Nam diuiſa iam regione omni, ex deſcriptis vrbibus eæ commodè excipiuntur, quæ abſoluendo nunc demum decreto quondam per manum Moſis facto aptæ opportunæq́; eſſent. Vocantur autem Hebraicè vrbes* MIKLATH, *Latinè Euaſionis vrbes diceremus; Hiſpanicè verò* ciudades de eſcaperamiento. *Huiuſmodi loca Aſyla antiqui Romani vocabãt, magno tamen diſcrimine. Namque illa alieno ære oppreſſos & omnium generum ſceleribus inuolutos, etiam facinoroſos recipiebãt, quod ſacroſanctis Dei legibus minimè admitti fas erat. Neque enim vlla impunè peccandi licentia cuiquam mortalium diuino conſilio aut iudicio datur. Porrò locorũ illorum ad inſontes recipiendos inuiolabilem ſanctitatem eſſe debere, declarat ipſa cum primis Legiſlatorum Dei, & legis atque miniſtri auctoritas & amplitudo, idémque ipſa rogati populi conſenſio confitetur.* de quibus locutus ſum ad vos per manum Moyſi. *Nec verò temerè de hac re agendum, nec ſegniter, aut negligenter ſtatuendum eſſe, ſubiuncta expoſitione declarauit Deus, vt cognoſceretur diſtinctè & grauiter ſtudioſeq́; teneretur, quemadmodũ, quatenus, quandiuq́; huiuſmodi tutelæ & perfugia conſtare poſſent.*

Stoicorum ſententia iniquior.

Vt confugiat ad eas quicunque animam percuſſerit neſcius: & poſſit euadere iram proximi, qui vltor eſt ſanguinis.

DVPLEX *tantùm animi impulſio in homicidij vltione excipitur;*

tur; altera impotentia ex ſubita perturbatione, quæ Cananæa lingua SEGAGAH *dicitur: altera verò imprudentia, quæ alterum lædendi voluntatem prorſus excludit; vtraque verò affectio in legibus per Moſen deſcriptis apertè explicatur, ſed à Latino interprete vno tãtùm vocabulo neſcius vtraque indicatur. Atque homicidiorũ ſolummodò crimina aſylorum clementia hæc ſpectabat: cetera verò peccatorum genera, quæ vel alterum minimè læderent, vel rebus leuioribus læderent, vt furta, damna illata, atque alia quæuis alijs vel ignoſcendi, vel vlciſcendi legibus cauebantur, vt in ſacri iuris libris legere eſt. In alijs enim ignorantia & imprudentia non modò iudicis ſententiam effugit, hoſtiæq́. mactatione veniã à Deo ſperat, ſed eius etiam, qui damnum acceperit, iram vel mitigat, vel auertit ſua ſponte: At verò propinqui vel neceſſarij vel amiciſſimi amiſſi deſiderium, quamquàm erroris vel imprudentiæ eius, qui occiderit, cogitatio intercedat, nec facilè nec citò lenitur. Quamobrem qui homicidium fecit, ex vltoris conſpectu ſeſe ſubducit; & qui amiſſum propinquum luget, ad animi emolliendum dolorem tempus ſibi dari natura ipſa cogente poſtulat. Iam verò quemadmodum huiuſmodi cauſa cognoſcenda expediendáque ſit, ſubiunctis verſibus ratio traditur.*

Stabitq́; ante portam ciuitatis, & loquetur ſenioribus vrbis illius ea quæ ſe comprobent innocentẽ: ſicq́; ſuſcipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum.

TRIPLEX *ad hanc cauſam cognoſcendam, iudicandam & abſoluendam terminus præſcribitur: Primus ab eo die, cùm ſe homicida ſiſtit, audiriq́. poſtulat, de innocentia & imprudentia acturum, atque interim recipi, quoad iudicium expediatur. Atque hic primus terminus ſuperiori continetur & definitur verſu. Iudiciorum loca antiquo more ſecundùm vrbium portas erant, quòd ea ciuibus, paganis & hoſpitibus magis expoſita cenſerentur & opportuna, quodq́. vrbana otia & negotia minus hoc pacto interturbarentur. Atque hanc rationem hemiſtichiũ illud ex Pſalmo ſpectat: Non cõfundetur, cùm* Pſal.126. *loquetur inimicis ſuis in porta. Quod verò Latinè legimus,* loqueturq́; ſenioribus vrbis illius quæ eum comprobẽt innocentẽ, *non de cauſæ peroratione, ſed de prima ſui ſiſtendi actione exponimus: ſic enim ex Hebraico verbo vertere poſſumus,* & loquetur in auribus ſeniorum ciuitatis illius verba ſua. *Nec huic diſſimilem ſententiam.*

tiam Græca interpretatio reddit. Prima itaque actio erat, vt is ſeſe ſenioribus ſiſtens verba ſua, hoc eſt, cauſam aduẽtus fugæq́; ſuæ narraret, atque re propoſita intra muros exceptus, veluti in cuſtodia publica auctoritate contineretur, quoad auctore criminante & reo defendente cauſa penitus cognoſceretur, lataq́; ſententia reus aſyli vſu pronuntiaretur dignus; ita vt nullus ad exceptionem actori planè relinqueretur locus. Hæc adeò ſecunda iudicij pars ſuis rationibus & capitibus obſeruanda ſubiuncto exponitur verſu.

Cumq́; vltor ſanguinis eum fuerit perſecutus, non tradent in manus eius: quia ignorans percuſſit proximum eius: nec ante biduum triduúmue, eius probatur inimicus.

ANTIQVO *more homicida quod feciſſet, expectabat, ſi tamen* Gen. *homicidium conſultò perpetratum argueretur. S. S. E. Quicunque* " *effuderit ſanguinem hominis, fundetur ſanguis illius per hominem. Permittebatur verò nonnunquam damnatus occiſi hominis proximo vindici, vt animam pro anima exolueret. Verùm homicidij cõſilium duo animi affectione, vti iam diximus, excipiunt, error ſiue imprudentia, & ſubitus atque repentinus furor, ex noua fortaſſis & improuiſa natus rixa, qui quamquam voluntarius dici quodammodo poſſit, animalis potius atque ex humana infirmitudine profectus exiſtimatur, in quo nullæ inſidiæ, nullæ veteres inimicitiæ, nulla deniq. deliberatio euincitur: qua de re & aduerſarius, ſiue vindex audiendus erat, & iudicum ſententia cõpeſcendus, vel duobus illis nominibus, vel alterutro.* quia ignorans fecit; nec ante biduũ triduúmue eius probatur inimicus. *Ex hac verò diuini iudicij ratione facile cognitu eſt, quantum noſtris peccetur moribus, cùm ſceleſtiſſimis hominibus latronibus, piratis, parricidis, ſanguinarijs atq. aliàs maleficentiſſimis, non modò aſyla apud Chriſtianos populos & principes conſtent, ſed honores etiam deferantur, & ſtipendia ac præmia ad nocendi opportunitatem & commoditatem ſeruatis conſtituantur: ita vt ex alia regione profugis in alia viuere, & ſecurè agere, & interdum graſſari liceat. Atque huiuſmodi monſtra ad gentis & patriæ propriæ, vnde confugerint, proditionem & perniciem aluntur: perinde quaſi diuina iuſtitia, quæ impunitatem ſontibus negat, in ſe diuiſa, ſecumq́; pugnans eſſe exiſtimetur.*

Et

Et habitabit in ciuitate illa, donec ſtet ante iudicium cauſam reddens facti ſui:& moriatur ſacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc reuertetur homicida,& ingredietur ciuitatem, & domum ſuam de qua fugerat.

DVO *termini hoc loco ſtatuuntur; alter agendæ, cognoſcendæ ac iudicandæ cauſæ: quamdiu enim illa durabit, neque quicquam ex iudicis ſententia fuerit definitum, tamdiu ille iudicum tutelæ ac præſidio commiſſus in ea vrbe, ad quam confugerat, impunè verſabitur. Poſtquàm verò cauſa cognita inſons fuerit iudicatus, eandem incolet vrbem, interq́; Leuitas degens ea aget, quæ hominem non inſolentem, ſed pium atque admiſſi erroris cogitatione dolentem diuinamq́; clementiam agnoſcentem, & vitæ in melius correctioni ſtudentem decebunt. Ob eam enim rem ſacerdotales & Leuiticas conſuetudines & familiaritates huiuſmodi hominibus frequentari, & coli voluiſſe videtur Deus, quòd ex eiuſmodi conuictu meliora omnia expectari par eſſet. Nec verò his antè in patriam redire licebat, quàm ſummus ſacerdos, qui eadem tempeſtate ſacris præeſſet, è vita decederet. Atq. hic alter ex terminis nobis nuper indicatis fuit. Atque huiuſce rei quamquam plures à pluribus interpretibus laudētur rationes, duæ nobis videntur aptiſsimæ, altera quidem ciuilis, altera verò arcana, & humanæ ſalutis negotium ſpectans. Et prior quidem ſic habet: ſeculorum atque temporum progreſſus magnas rerum publicarum & priuatarum mutationes afferre ſolent, ita vt præteritarum conſeneſcente & obſoleſcente memoria, de præſentibus agatur, ac de futuris etiam cogitetur. Natura verò atque vſu ita comparatum eſt, vt Principum ſummorumq́; virorum ætatibus temporum rationes ferè æſtimentur, & veluti definiantur ſecula. Nullum autem in illa rep. illuſtrius cunctiſq́; notius & charius caput eſſe potuit, quàm ſummus ſacerdos, penes quem religionis ratio ac procuratio, & legum ſanctitas & communis diſciplinæ & morum corrigendorum & ſceleris expiandi atque numinis populo placandi ſtudium erat. Namque illi patriæ parentis titulus & acclamatio meritò congruebat, quo extincto ætati illi quaſi finis quidam afferebatur, publicoq́; dolore ac deſiderio priuatarum offenſionum ſepeliebatur memoria, perinde quaſi ille munere defunctus ſuo, omnes eos, qui eadem ætate acciderant, errores, pro quibus litauerat, ſecum abſtuliſſet. Atque in omnibus ciui-*

libus obligationibus fines quoſdã ſtatuit lex, quos vbi præteriri contigerit, res in priſtinum locum reſtituuntur, vt in ſeruitutibus capitum, in prædiorum venditionibus atq. domorum emptionibus. Oportuit ergò modum etiam exulibus conſtitui, cui rei nullus terminus aptior eſſe poterat quàm ſacerdotis mors. Nam quinquagenarium iubilæi ſpacium nimis longũ perſæpe foret, ſeruitutis verò nimis nonnunquam breue ad propinquorum occiſi leniendam offenſionem, memoriamq́ obliterandam; neque quicquam his temporibus accidebat, quod communem omnium cogitationem occuparet. Huic verò illa altera adiungitur ratio, quam arcanam dicebamus; quòd ſummi ſacerdotis mors, dum veteribus ſingulorum offenſis ſiue homicidijs, quæ ex errore nata fuerant, ſecum ſublatis, fratrum conciliata pace redeundi in patriam, exulibus faciebat copiam, illius maximi & efficaciſſimi Pontificis Chriſti Ieſu imaginem proponebat; cuius mors quæ ſola pro totius mundi ſanguinibus litauit, eos omnes, qui ſub illius tutela ac præſidio continebantur, Patri æterno reconciliatos & à priſtinis offenſis in mutuam redeuntes gratiam, ad æternæ hæreditatis, ciuitatis domusq́ propriæ, hoc eſt cæleſtis regni vſum gloriamq́ fraterno iure communicando reductura erat. Siquidem omnia hæc antiquis in figura contingebant Itaque homicidis illis imprudentibus tres fuère termini ſiſtendi ſeſe primus, alter verò cauſæ dicendæ ac perorandæ, exilij tertius.

Decreueruntque Cedes in Galilæa montis Nephthali, & Sichem in monte Ephraim, & Cariath-Arbe, ipſa eſt Hebron, in monte Iuda.

QVIDQVID *publicæ vtilitatis cauſa ſuſcipitur, attentè, ſtudioſè & commodè perfici oportere, perpetua in ſacris lectionibus obſeruatione docemur. Vrbium, quas lex ad fugientium ſalutem ſecretas voluit, certa illuſtriaq́ nomina, ſitus conſpicui, & æquabilia commodaq́ ſpatia hoc loco indicantur. Nomina primùm antiqua, & hiſtoriarum monumentis celeberrima, Kades, & Sichem, quæ Dinæ ſtupro & Ioſephi ſepulchro memorabilis fuit: & Hebron ab antiquo Gigantum genere Kiriath Arbagh dictitata. Situs verò in montibus longè lateq́ conſpicuus, quo facilior eſſet fugientibus proſpectus, nec viæ interrogatione ſeſe prodendi neceſſitas accideret. Quin & ad illas vrbes viarum ſtrata ſtudioſè curari voluit Deus. Loca demum,*

ſiue

ſiue ſpatia fuerunt in tribu Nephthali, & tribu Ephraim, & Iuda, quæ æqualibus ferè tractibus diſtabant. Meridiem namque Hebron obtinebat, Septentrionem Kades: Sichem verò medium inter has occupabat locũ, ita vt antiqui ſcriptores paria itinera ab vna in aliam, & ab omni regionis illius fine in proximam vrbem metiantur, cuius rei imaginẽ Tabellæ noſtræ in Apparatu ſacro ferunt, quas etiã huic operi addi volumus. Verbum Hebraicum, pro quo Latinè legimus Decreuerunt, Secernere, ſanctificare, ſacrare ac dicare ſignificat; docetq́ue vrbium illarum ſacram obſeruandamq́ue fuiſſe immunitatem; vt certè eſſe oportet ſacrorum locorum religionem ijs, quibus iura faſq́ue huiuſmodi tutelam adſcribunt; ceteris verò, qui impunitatem, in peccando licentiam & furorem vertunt, & qui malitioſa ſuperbaq́ue inſolentia ſeſe ſceleribus contaminant, ſacra loca nulla conſtare debere lex cauebat. S.S.E. Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, Exod.21. *& per inſidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.*

Et trans Iordanem contra Orientalem plagam Iericho, ſtatuerunt Boſor, quæ ſita eſt in campeſtri ſolitudine de tribu Ruben, & Ramoth in Galaad de tribu Gad, & Gaulon in Baſan de tribu Manaſſe.

QVAMQVAM *tres illæ vrbes ad perfugij vſum Moſe viuente cis Iordanem aßignatæ fuiſſent, non tamen antè fuerant ſacratæ, quàm aliæ intra promiſſam regionem notarẽtur; ideoq́ue opportunè in hoc loco ſumma omnium ratio ſimul abſoluitur. Quæri autem ſolet, cur in tam latè patente regione, quanta fuit ea, quæ in nouem tribus atque dimidiam diuiſa eſt, tres tantùm vrbes fuerint ad hanc rem præſcriptæ, cùm in minori tribuum numero, hoc eſt duarum atque dimidiæ, totidẽ fuerint relictæ? qua de re cùm multa multi commententur, nos quid ſentiamus, breuiter explicabimus: Nempe habitam fuiſſe rationem tribuum, non regionum; atque Leuitarum habitationi vrbes duas & quadraginta fuiſſe datas, quæ omnes ſacræ etiam fuerunt, & recipiendis tutandiſq́ue inſontibus homicidis dicatæ, quãquam ſex illæ ſingulari prærogatiua Aſyla dictitarẽtur; additis autẽ ſex ad illas quadraginta duas, numerus conficitur octo et quadraginta, itaq. ſi in ſingulis tribub. quaternas Leuitarũ, ſiue aſylorũ vrbes excipiamus, & numerus conuenit, & ſingularũ tribuum rationes æquantur. Siquidem in Cananæa regione pro nouem tribubus & dimidia,*

dimidia, octo & triginta ſacræ vrbes relinquuntur; in ijs verò tres præcipuè celebres exiſtunt; cis Iordanem autem ſeptem Leuitis addictæ, cum tribus etiam quæ perfugij lege præcipuè excipiebantur, denarium conficiebant numerum: atque ita duæ tribus cum dimidia pro ratione nouem alijs atque dimidiæ reſpondebant. Placuit verò, quoniam regio illa latè extendebatur, in ſingulis tribubus ſingulas nominari præcipuè vrbes, cùm tamen ſi Leuitarum ſedes, vti par eſt, connumerentur, nulli tribui aut plures aut pauciores, quàm alijs contigerint. Quoniam autem in Reubenitica regione nulla erat illuſtris vrbs editiore loco ſita, delecta eſt Boſſor magna & in campeſtri planiſsimoq́; tractu ædificata, quæ ſui conſpectum longè lateq́; dilatabat. Reliquas duas altius fuiſſe locatas ipſa nomina indicant. Nam Ramoth *culmina, Hiſpanicè* Cumbres: Galon *manifeſtum, ſiue reuelatum ſignificant, Hiſpanicè* Deſcubierto.

Hæ ciuitates conſtitutæ ſunt cunctis filijs Iſrael, & aduenis, qui habitabant inter eos: vt fugeret ad eas qui animã neſcius percuſſiſſet, & non moreretur in manu proximi, effuſum ſanguinem vindicare cupientis, donec ſtaret ante populum expoſiturus cauſam ſuam.

ANTEHAC *ſex illarum vrbium, pro locorum ſitu, intercapedine & opportunitate factus eſt delectus: in his verò poſtremis verſibus, titulus atque vſus declaratur, ita vt repetita rei ratio confirmationis officio fungi videatur, legiſq́; obtinens vim actorum formam quandam referat: quippè huiuſmodi titulo nominatæ atq. cõſecratæ vrbes illæ videntur, quem Hebraica lectio præfert hoc pacto:* Hæ fuerunt vrbes HAMOGHEDAH omnibus filiis Iſrael, & aduenæ aduenam agenti inter eos, ad fugiendũ eodem, omni percuſſori animæ in errore, & non moriatur in manu redemptoris ſanguinis vſque ad ſiſtendum ipſum ad facies HAGHEDAH. *Quamquam verò omnes Leuitarũ vrbes ad huiuſmodi effugij vſum expoſitas paulò antè diceremus (id quod facilè cognoſcetur eas recenſenti, quæ cis Iordanem Leuitis adſcriptæ ſunt) hæ tamen ſex, quæ nominatim appellantur, illud prærogatiuũ habuiſſe præ ceteris videntur, vt profugientium cauſæ in his veluti conuentibus præcipuè agitarentur. Namque hoc vox illa* HAMOGHEDAH *nobis indicat, cui Latinam quærentes interpretationem, nullam nos aptiorem inuenire hactenus*

potui-

potuimus, quam conuentionem, ex qua conuentuum, qui Romanorum lege olim fuere per prouincias conſtituti, nomen factum eſt: cuiuſmodi ſeptem in Hiſpania à ſcriptoribus commemorantur. Atque hoc loco iudicij huius ratio omnis exponitur, perſonis eorum, qui cauſam dicere, qui accuſare, quiq; iudicare deberent, explicatis. Cauſam quippè dicturus erat percuſſor animæ in errore nulla exceptione conditionis, aut perſonæ, ſiue indigena eſſet, ſiue aduena: neq. enim de perſonis, ſed de facti modo & ratione iudicium erat, in ſtatuq; definitiuo verſabatur cauſa, idq; declarant voces, percuſſorem animæ in errore; *quidquid ab Hebræis commẽtatoribus aduenarũ conditioni oppidò infenſis dicatur. Accuſandi verò partes redemptori ſanguinis permittebantur: Iudicij autem exercendi, & ſentẽtiæ ferendæ auctoritas penes legitimum iudicum conſeſſum erat, qui publicè de cauſa pronuntiare poterant; atque hoc poſtremis verbis ſignificatur, ad facies* HAGHEDAH. *Vt* HAMOGHEDAH *conueniendi actionem, ſiue conuentionem interpretabamur: ſic* HAGHEDAH *conuentum ipſum, ſiue frequentiam iudicibus, accuſatoribus, defenſoribus, aduocatis, patronis, teſtibus, atque cetera turba conſtantem exponimus: Ex vno quippe verbi themate vtrumque deductum eſt vocabulum: Itaque apud ſex illas vrbes huiuſmodi homicidiorum iudicia præcipuè factitata videntur; perfugiẽdi verò et latendi opportunitatem in alijs etiam Leuitarum vrbibus conſtitiſſe.* Plin. de Hiſpania.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

ACceſſeruntque principes familiarum Leui, ad Eleazarum ſacerdotem, & Ioſue filium Nun; & ad duces cognationum per ſingulas tribus filiorum Iſrael, locutiq; ſunt ad eos in Silo terrę Chanaan.

ALIAM *illius celeberrimi ac primi in Silo concilij actionẽ non minus ceteris illuſtrem & neceſſariam lectio hæc narrat: nempe aſſignationem vrbium in vſum Leuitarum, quarum numerus, natura, ſitus, habitus & opportunitas diuino oraculo ſancita fuerant Moſe viuente, atque in hoc etiam libro ſignificata. Verumenim verò huius rei expeditio & abſolutio in hoc tempus cõſultò prolata eſt, cùm iam ceteris omnibus tribubus proſpectum fuerat, & ſua cuique ad habi-*

tandum colendumq́; pars decreta ac tradita, itaque opportunitatem magnam narratio hæc probat; cùm nihil iam duodecim ſiue vndecim tribubus agendum curandúmue ſupereſſet præter occupationem ſuarum & vrbium, & regionum nullis hoſtibus impedientibus, aut interturbantibus, ita vt Dei promiſſa planè iam ſibi præſtita obtinerēt, poſt ceteras alias res in illo concilio peractas, quæcunque ad omnem populum pertinebant, poſtrema hæc, quæ Leuitarū ſpectabat tribum, adiuncta eſt, qui propter ordinis ſui modeſtiam & rerum ſeriem ad ipſum vſque concilij finem ſuam cauſam agendam diſtulerunt, eam verò nec tumultuosè, nec illegitimè, ſed conuentis primùm Eleazaro, non tam vt ſuarum familiarum Principe, quàm vt ſacerdote ſummo, quo nomine ac titulo illi concilio actioniq́; præerat, & Ioſue filio Nun, eo nomine quo is à Deo fuerat ad illam expeditionem princeps atque dux maximus decretus & delegatus. Namque illi, alter in ijs quæ religionem præcipuè ſpectarent, alter verò in ciuilibus rebus ac bellicis duo totius populi Principes ac veluti lumina in omni publico concilio primas obtinebant: his verò duodecim viri addebātur, qui quòd duodecim tribuū vice fungerētur, Tribuni dici iure poſſunt; atque hi omnes vnà coniuncti concilij formam rationemq́; complebant in illis præcipuè actionibus quæ tunc tractabantur. Hos Latina noſtra editio duces cognationum per ſingulas tribus appellauit. Oportuit autem & hos intereſſe atque proponendæ rei ſuffragijs conferendis adeſſe, quoniam res ad omnium tribuum vel commodum vel incommodum pertinebat. Nam de quadraginta & octo vrbibus ad Leuitarum vſum concedendis agebatur. Quòd verò & locus & regio notantur, eò pertinet, primùm vt actionis fides proprijs circunſtantijs firmetur, ex quibus vna loci, altera temporis eſt. Loci nomen rem indicat maiore auctoritate peractam, videlicet Silo, vbi publicum & commune totius gentis ſanctuarium erat, oracula edebantur, populus aderat, concilium celebrabatur, idq́; primum omniū, quod hoſtibus victis, quiete obtenta, ex Dei conſilio & voluntate coactum eſt intra regionem iam ſuam, quam antè Canaan fuiſſe, vel nomen ipſum adhuc retentum docebat. His etiā accedit, vt illa vrbium in Leuitarū vſum aſſignatio nec minoris, nec minus antiqui iuris, quàm ceteræ Iſraelitarum poſſeſſiones vnquam exiſtimanda erat, vtpotè eodem tempore, eodem in concilio tranſacta, in terra Canaan, quam

Deus

Deus olim promiſſam, nunc iam tribubus præſtiterat, quibus & nūc hanc ſeparationem imperabat, quam antea in ſolitudine decreuerat; ita vt non videatur hîc relatum, quod illic fuerat ſancitum, ſed vt illic vna Dei actione iuſſum fuit, ſic hoc loco altera fuit actione confectum.

Atque dixerunt, Dominus præcepit per manum Moyſi, vt darentur nobis vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda iumenta.

PETITIONIS *honeſtas & neceſsitas oſtenditur auctoritate cum primis legis & legis latoris atque miniſtri, & earum quæ poſtulabant perſonarum præſentia. Nec verò deliberationi locus relinquitur, vbi Dei præceptum conſtat, idq́ antiquum videlicet patribus elatum per Moſis interpretis & vatis manum; nec plura ſibi poſtulari, quàm ad habitandum neceſſariò eſſent poſtulanda, atque ad alendum iumenta domeſtica. Qua profectò petitione illius tribus pietas, fides, modeſtia ac temperantia atque adeò religio apertè commendatur ea tantùm requirentis, quæ Dei lege ac præſcripto decreta fuerint, hoc eſt vrbes loci ſitu ac natura ad Leuitarum habitationem opportunas, cum ijs ſuburbani agri ſpatijs, quæ eadem diuina lege fuerant definita nobis, Leuitis, ea quæ digna commodaq́ videbuntur ex diuini præſcripti ratione. Hanc igitur petitionem, quæ lege, religione, honeſtate atque æquitate nitebatur, libenter auditam, exceptam & poſtulantibus eueſtigiò conceſſam hiſtoria narrat.*

Dederuntque filij Iſrael de poſſeſſionibus ſuis iuxta imperium Domini, ciuitates & ſuburbana earum.

NIHIL *fuiſſe Iſraelitas in re tam iuſta cunctatos, ſed admiſſæ petitioni quàm primum conſuluiſſe, ex lectione intelligimus, illosq́ rem ipſam diligenter curaſſe, & collatis conſilijs pro ſpaciorum, pro cæli, ſoli atque vſus ratione certas opportunasq́ aſsignaſſe, ac tradidiſſe vrbes, quas ob hanc cauſam demonſtratiuo pronomine Hebraica lectio indicat.* dederunt vrbes has & ſuburbana earum: *quòd tam ſuburbana quàm vrbes ſeligentibus atque accipientibus pariter probarentur.*

Egreſſaq; eſt ſors in familiam Caath filiorum Aaron ſacerdotis, de tribu Iuda & Simeon & Ben-iamin, ciuitates tredecim.

VT Iſraelitarum gentem omnē in quatuor quadrantes, ita etiam Leuitarum tribus in quatuor familias diuidi non caſu, ſed prouidentia videmus: qua etiam effectū eſt, vt ij, qui ſacerdotio functuri erāt, ſecundum ea loca conſiderent, quæ futuro olim templo viciniora, dignitate quoque illuſtriora, denique expectandi Meſſiæ natalibus propinquiora eſſent. Ex hac itaque ratione effectum eſt, vt Iudas & Simeon, quibus eadem regio tenebatur, & Ben-iamin, qui Iudæ confinis atque adeò futuri templi particeps cenſebatur, tredecim vrbes Caathitis ceſſerint; deinde verò aliæ tribus alijs etiam familijs ex naſcendi ſerie locum ſortitis alias attribuerint.

Et reliquis filiorum Caath, id eſt Leuitis, qui ſuperfuerant de tribubus Ephraim, & Dan, & dimidia tribu Manaſſe, ciuitates decem.

TRES fuerant Leui filij; Gerſon, Caath & Merari. Caath verò ſecundus filius habuit Amramum, ex quo Aharon, Moſes & Miriam progeniti ſunt. Ex his verò Aharon ad ſacerdotium diuino iudicio fuit delectus, quod in duorum filiorum Eleazari & Ithamari poſteritatem deriuatum eſt. Igitur omnes ij Caathitæ qui ex Aharone prognati fuerunt, Aharonitæ cognominantur: ceteri verò omnes, qui ad Amram, Iſaar, Hebron & Vziel Caathi filios referebantur, ſimplici cognomine Caathitæ dicti ſunt. His itaque ſecunda hæc portio ceſſit, quæ quanquā ex diuina vrna pauciores quàm ſuperior ſortiretur vrbes, eas tamen obtinuit, quæ loci opportunitate ac magnitudine numeri rationem compenſarent.

Porrò filiis Gerſon egreſſa eſt ſors, vt acciperent de tribubus Iſſachar & Aſer & Nephthali dimidiaq; tribu Manaſſe in Baſan, ciuitates numero tredecim. Et filiis Merari per cognationes ſuas de tribubus Rubē & Gad & Zabulon, vrbes duodecim.

HOS vrbium numeros & loca illa, locorumq́; ſitus, diuina ſortitione Leuitis contigiſſe, ſuperior ſignificauit lectio; cui ſortitioni Iſraelitas volentes atque lubentes obtemperaſſe, inferior confirmat.

Dederuntque filij Iſrael Leuitis ciuitates & ſuburbana earum, ſicut præcepit Dominus per manum Moyſi ſingulis ſorte tribuentes.

REM

REM *primùm in conſilio actã & conceſſam, deinde ſortitionem factam, eam concioni expoſitam, poſtremò totius concilij conceſsione comprobatam, hactenus intelleximus; demum huiuſmodi elogio & nomine diuulgatam audimus;* FILII ISRAEL IVXTA IMPERIVM DOMINI DECRETAS LEVITIS VRBES, CVM SVBVRBANIS SORTE ETIAM IACTA SIGILLATIM INDICATAS IN SILOH IN TERRA CHANAAN TRIBVERVNT.

Iam verò quiſnam aßignationis huius miniſter, executor & nomenclator iure eſſe debuerit, indicatur, nempe Ioſue Dux, penes quem bellicæ atque ciuilis adminiſtrationis cura erat. Hæc enim conciliorum eſſe ratio ſolet, vt quæ publico atque communi conſenſu decreta fuerint, Principes exequantur, exercendaq́. curent.

De tribubus filiorum Iuda & Simeon dedit Ioſue ciuitates; quarum iſta ſunt nomina: Filiis Aaron per familias Caath Leuitici generis (prima enim ſors illis egreſſa eſt) Cariath Arbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Iuda, & ſuburbana eius per circuitum. Agros verò & villas eius dederat Caleb filio Iephone ad poſſidendum.

ANTONOMATICῶS *dicitur patris Enach illa vrbs, quæ inter alias vicinas munitißima, opulẽtißima, princepsq́. fuerat. Hæc quãquam Chalebo contigiſſe ſuperius dictum fuerit, ad agrorum & vicorum poſſeßionem ratio illa referenda eſt. Nam Leuitis vrbes & certa ſuburbanorum portio dabantur; ijs verò, qui in eadem regione habitabant, Iſraelitis & vrbes aliæ & vici & pagi & agri omnes ceſſerunt. Itaque nihil ceterorum hæreditas cum illis vrbibus, quæ Leuitis attributæ ſunt, pugnat; quarum vrbium domus Leuitarum propriè erant, & eodem iure quo ceteris, poßidebantur, & vendi eodem iure poterant. Suburbana verò, quòd publica communiaq́. incolentibus omnibus eſſent, nemini priuatè vendere licebat. Porrò quòd harum vrbiũ nomina in alijs ſacris libris variata reperiamus, in cauſa eſſe potuere vel temporum mutationes, vel variæ eiuſdem loci appellationes.*

Dedit ergo filijs Aaron ſacerdotis Hebron confugij ciuitatem, & ſuburbana eius: & Lobnam cum ſuburbanis ſuis: & Iether, & Eſthemo, & Holon, & Dabir, &

Ain & Ieta & Bethſames, cum ſuburbanis ſuis; ciuitates nouem de tribubus, vt dictum eſt, duabus.

D V A S *has tribus Iudam & Simeonem intelligimus. Namque expoſitio illa* (vt dictum eſt) *à Latino interprete demonſtratiui pronominis loco relicta eſt, cuiuſmodi complura exempla in vulgata editione reperiuntur.*

De tribu autem filiorum Beniamin, Gabaon & Gabae & Anathoth & Almon, cum ſuburbanis ſuis: ciuitates quatuor. Omnes ſimul ciuitates filiorum Aaron ſacerdotis tredecim, cum ſuburbanis ſuis.

G A B A O N, *à ſitu nomen obtinuit, Altariam, ſiue Altam Latinè dixeris, Hiſpanicè* Alteza o altura. Gabae, *quæ Cananæis Gephhagh dicitur, nullam certam vocabulo originem reperimus, niſi compoſitū exiſtimemus ex* פֶּע *&* גֵּי *quod Clamoris vallem ſignificet.* Anathoth, *Hieremiæ vatis ortu celebris locus, is vel à reſponſione nomen habet, quòd pronuntiatæ vocis imaginem redderet, qualis Romæ admirabili exemplo viſitur locus, vel à lenitudine & modeſtia.* Almon, *quæ aliàs Bahhurim dicitur, vtroque nomine iuuenem ſiue iuuentam ſignificat, quæ & Ghalemeth quoque eadem ſignificatione vocatur. Has tredecim vrbes Aharonitis, hoc eſt ſacerdotibus adſcriptas accepimus.*

Reliquis verò per familias filiorum Caath Leuitici generis hæc eſt data poſſeſſio. De tribu Ephraim vrbes confugij Sichem cum ſuburbanis ſuis in monte Ephraim, & Gazer & Cabſaim & Beth-horon, cū ſuburbanis ſuis, ciuitates quatuor. De tribu quoque Dan, Eltheco & Gabathon & Aialon & Geth-remmon, cum ſuburbanis ſuis, ciuitates quatuor. Porrò de dimidia tribu Manaſſe, Thanach & Geth-remmon, cum ſuburbanis ſuis, ciuitates duæ. Omnes ciuitates decem & ſuburbana earum, datæ ſunt filiis Caath inferioris gradus.

H O S *Caath filios, eos interpretamur, qui per Iſaar, Hebron & Vzziel genus à Caath ducebant; quos vt Aharonitis ſanguine proximos, ſic etiā loco ac ſedibus vicinos eſſe voluit Deus. Ceterùm, quod Latinè legimus* inferioris gradus; *non ad comparationem ſacerdotum ſcriptum arbitramur (Nam Leuitarum & ſacerdotū diſtincta*

fuere.

fuere munera) vt à Moſe eſt abundè declaratum, qua de re nihil hoc agitur loco, ſed de ſedibus vrbiumq́; ſitu. Neque hi magis aut minus Leuitæ fuere, quàm Gerſonitæ & Meraritæ. Itaq. tantum apud nos ſignificant verba illa, inferioris gradus, *quantum apud Latinos vocabulum Reliquis, ſiue ceteris: hoc eſt ÿs, qui præter Aharonitas, in Caathitarum cenſebantur genere.*

Filiis quoque Gerſon Leuitici generis dedit de dimidia tribu Manaſſe cōfugij ciuitates, Gaulon in Baſan, & Boſran cum ſuburbanis ſuis, ciuitates duas. Porrò de tribu Iſſachar, Ceſion, & Dabereth, & Iaramoth, & En-gannim cum ſuburbanis ſuis, ciuitates quatuor.

CAATH *ſecundus Leui filius Gerſoni primogenito ad ſacerdotÿ miniſteria prælatus eſt. Atque Leuitis illis ex Caath progenitis, qui præter ſacerdotes numerati ſunt, proximo ſecundum Aharonem loco compoſitis, rurſus ad Gerſonem ſors eſt reuerſa, cuius quàm pluribus familÿs per nepotes ſex diductis tredecim traduntur vrbes.* Iaramoth; *eadem in tribu Iſſachar Ramath vocata, vtrumq. nomen ab altitudine habuit. Nomen* Boſra *in Latinis vulgatis libris pro* Baaſthra *ſcriptum putamus: Namque alÿs literis Hebraicè legitur ab illo Boſra, cuius apud Iſaiam mentio eſt. Animaduertendum verò eſt nonnullas hoc loco appellari vrbes alÿs nominibus atque in ſuperioribus appellatas legebamus, affinibus tamen & nonnulla literarum varietate diſtinctis, vt in diſputatione de nominum ratione & vſu aliquando Deo propitio docebimus.*

Filiis autem Merari Leuitis inferioris gradus per familias ſuas data eſt de tribu Zabulon, Iecnam & Cartha & Damna, & Naalol, ciuitates quatuor cū ſuburbanis ſuis. De tribu Gad ciuitates confugij, Ramoth in Galaad, & Manáim & Heſebon & Iazer, ciuitates quatuor, cum ſuburbanis ſuis. De tribu Ruben vltra Iordanem contra Iericho ciuitates refugij, Boſor in ſolitudine, Miſor & Iaſer & Iethſon & Mephaath, ciuitates quatuor cum ſuburbanis ſuis. Omnes vrbes filiorum Merari per familias & cognationes ſuas, duodecim.

TERTIVS *ac poſtremus naſcendi ordine Leui filius Merari fuerat; qui tertio etiam loco ſortem tulit: Huius familiarū omnium*

patres

patres Mahali & Muſi fuerunt. ſed quòd hîc Latinè legimus inferioris gradus, *einſdem notæ cum ſuperiori eſt. Neque verò ijs, qui diligentioribus delectantur ſtudijs, eam animaduerſionem cenſemus negligendam, quam pius ille nobis, queadmodum deſideratus Andreas Maſius hoc loco indicabat de deſiderato in nonnullis codicibus verſu, in quo Reubeniticarum vrbium mentio fit.*

Itaque ciuitates vniuerſæ Leuitarum in medio poſſeſſionis filiorum Iſrael, fuerunt quadraginta octo cum ſuburbanis ſuis, ſingulæ per familias diſtributę.

ALIAM *Leuitarũ, aliã aliarum tribuũ rationem obſeruatã fuiſſe, hæc diligenter ſubducta & ſigillatim expoſita ſumma indicat, quòd videlicet alijs tribubus vbiq; habitare licuerit, hoc eſt tam in villis, vicis & pagis, quàm in vrbibus ſuis, atque ita propagari nouis etiam condendis oppidis in ſingularum regionibus: Leuitas verò vrbium quadraginta octo numerum non exceßiſſe, nec extra vrbes habitaſſe, imò nec in ſuburbanis ipſis, quæ ad paſcenda domeſtica armenta, pecora atque iumenta adijciebantur. Quamobrem pro exiguæ gentis ratione multas illis contigiſſe vrbes, minimè fuerit mirandum.*

Deditq; Dominus Deus Iſraeli omnem terram quam traditurum ſe patribus eorum iurauerat: & poſſederunt illam, atque habitauerunt in ea: dataque eſt ab eo pax in omnes per circuitum nationes: nulluſque eis hoſtium reſiſtere auſus eſt, ſed cuncti in eorum ditionem redacti ſunt. Ne vnum quidem verbum, quod illis præſtiturum ſe eſſe promiſerat, irritum fuit, ſed rebus expleta ſunt omnia.

TOTIVS *libri huius ſumma ratio, & breuis quædam περιοχὴ tribus hiſce continetur verſibus, quibus diuina fides apertè aſſeritur, & miris extollitur laudibus. Duo namque totius ſacræ diſciplinæ capita ſunt, ex quibus velut fontibus omnes tum communes, tum ſingulares rationes petuntur, alterum ad Dei conſilium, alterum verò ad humanum officium refertur; atque Dei conſilium duo continet obſeruanda, nempe promiſſa erga hominum genus ornandum & amplificandum, demumq; beandum, & beneficentiam ipſam, qua in promiſsis præſtãdis ſpectatur. Humanum verò officium totidẽ etiam membris definitum exoluitur; fide, diuinis eſſatis & promiſsis habenda,*

benda, & vitæ actionumq́; humanarum legitima exercitatione pro vniuſcuiuſque munere & partibus. Atqui perpetuum propriumq; in ſacris lectionibus Spiritus ſancti inſtitutum eſt, oſtendere Deum in promittendis humano generi beneficijs benigniſsimũ ſemper fuiſſe & eſſe, vtpotè ſummè miſericordem: eundem quoque in præſtandis fideliſsimum & conſtantiſsimum ſeſe præbuiſſe, ſuumq́; antiquum illud obtinuiſſe, Ego Dominus, & non mutor. Verumenimuerò ho- Mal.3.
minũ genus in vniuerſum ab huiuſmodi diuinæ virtutis digna imitatione longè aberraſſe, quippe cùm non omnes vt par fuerat, officium ſuum fecerint, imò rari ex tanto numero extiterint, qui ſe vitamq́; ſuam Deo probantes tantorum beneficiorum compotes euaderent: quæ beneficia omnibus liberaliſsimè propoſita promiſſaq́; fuerant, qui à luce ſapientiæ Dei, quam diuinitus inſitam habebant, non degenerarent. S.S.E. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem Ioan.
venientem in hunc mundum. Hoc igitur inſtitutum ſuum & in om- ‘‘
nibus libris alijs, & in hac hiſtoria Spiritus ſanctus perſequitur, ‘‘
oſtendens manifeſtè Deum, qui terrena illa maxima dona (in quibus diuinorum & ſpiritualium vmbra atque imago quædam deſcribebatur) antiquis olim Iſraelitarum patribus fuerat pollicitus, fideliſsimè, ampliſsimè & cumulatiſsimè præſtitiſſe, præſtiturum porrò longè maiora & ſplendidiora, ſpiritualia videlicet; quæ quo altiora ſublimioraq́; eſſent, eo magis & ipſum promiſiſſe deceret & præſtare demum delectaret. Atque hoc pacto & ad acceptorum gratulationis beneficiorum, & ad futurorũ ſpem atque expectationem animare & incendere homines diuina ſapientia parat. Fuerat verò illorum antiquorum donorum ſumma ratio hæreditatis terrenæ ampliſsimæ ac fertiliſsimæ omnibus ad vitæ vſum atque adeò ad delitias honeſtas opportunis rebus & copijs refertæ poſſeſsione definita, cum ſumma etiam tranquillitate, quiete & ſecuritate ab hoſtibus cum finitimis, tum etiam remotioribus. Hanc definitionem planè ac plenè abſolutam docent lectionis huius poſtremi tres verſiculi, Deditque Dominus &c. Dataq; eſt ab eo pax. Ne vnum quidẽ verbum &c. Atq. coniunctio que, in primi verſus initio collectiuæ dictionis vim obtinet, vt, Dedit itaq. Dominus, ille, qui à miſericordia et veritate nomẽ hoc ſibi ipſe impoſuit: ille, inquã, re et euentu Iſraelis filijs, dũ Iſraelis dignitatem, officium, atq. nomen tueri curatum

eſt, dedit terram omnem à Iordane ad mare, à Libano ad Aegypti vſque fluuiū, quam iuramento ſe daturum receperat quondam ipſorum patribus; ita vt nec temporis intercapedo promiſſi memoriam obliterare potuerit, nec eorū quibus factum fuerat promiſſum, mors, promiſſi conſtantiam variauerit, nec vlla alia res impedimento eſſe potuerit, quo minus illis terra contingeret non ſolùm ſubeunda & occupanda, ſed vſu ipſo atque fructu obtinenda. & poſſederunt illam, atque habitauerunt in ea. Quod verò ſecuritatem etiam in promiſſis contentam ſpectat; data eſt ab eo pax in omnes per circuitum nationes: Sidonios, Tyrios, Aſſyrios, Idumæos, Moabitas, atque etiam Iſmaelitas, Arabesq; ceteros & Aegyptios. Vicinorum verò atq. inteſtinorum, vt ſic dicamus, qui nondum fuerant penitus expulſi; nullus hoſtium reſiſtere auſus eſt, ſed cuncti in eorum ditionem redacti ſunt: ſiue vt Hebraica habent, Omnes hoſtes eorum dedit Dominus in illorum manū, quibus vti potuerūt ex animi ſententia, ſi tamē præſcriptis de eadē re à Deo legibus parēre voluiſſent: Namque apertè legimus quo tempore hæreditatis inibatur partitio, terram omnem illis fuiſſe ſubiectam. Atque hæc ſumma imprimis fuerat promiſſorum, quæ ſingularibus etiam amplificata eſt expoſitionibus copiarum, opportunitatum, commoditatum, rerum denique omnium, quibus hominum generi ad vitam ſuauius degendam opus eſt. S.S.E. Dominus Deus tuus introducet te in terram bonā, terram
Deut.
„ riuorum aquarumq; & fontium, in cuius campis & montibus erum-
„ punt fluuiorū abyſſi: Terrā frumenti, hordei ac vinearū, in qua ficus
„ & malogranata & oliueta naſcuntur; terrā olei ac mellis, vbi abſq;
„ vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omniū abundantia per-
„ frueris, cuius lapides ferrum ſunt, & de montibus eius æris metal-
la fodiuntur. Quæ omnia abundè illis præſtita fuiſſe, non modo vſus ipſe docuit, ſed maxima illa vrbium, vicorum, pagorum, villarumq; in illo terræ ſpacio copia demonſtrauit, atque ipſa adeò locorum nomina teſtabantur, ab incolis quondam, ex naturæ ſitu, ingenio, fructibusq; indita. Atque hoc eſt quod poſtremus lectionis verſiculus nobis aſſertum ſignificat, Ne vnum quidem verbum, & cetera.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

EOdem tempore vocauit Ioſue Reubenitas,& Gaditas,& dimidiam tribum Manaſſe, dixitq; ad eos.

INTER *præcipuas boni ac ſapientis Ducis curas vna eſt, temporum opportunitates cognoſcere ad ſingulas agendas gerendasq; res, ne quid præter ordinem aut admittatur, aut omittatur, aut fiat. S.S.E. Tempus & reſponſionem cor ſapientis intelligit. Eſt & illud non poſtremum optimi gubernatoris officium, prouidere quemadmodum vnicuique citra cuiuſquam iniuriam ſua iura ſuáue præmia opportunè tribuantur: nec expectare aliorum vel poſtulationem, vel expoſtulationem ad ea expedienda, quæ ſuarum partium fuerint. Porrò temporum atque rerum commoditas exigere videtur, vt cōfecto iam bello, eorúmque quorum intererat bellum gerere, compoſitis rebus, auxiliorum ac ſociorum honeſta habeatur ratio, & nihilominus amicorum pacta, fœdera, atque commercia curentur, quàm propria commoda curari ſolent. Hoc enim pacto propriæ vires ac res conſeruantur & augentur, & opes etiam cumulantur et firmantur, atque fides, iuſtitia, pietas religioq; ſeruantur, denique omnis excolitur honeſtas. S.S.E Iuſtè quod iuſtum eſt perſequeris. Huiuſmodi curæ, ſtudij atq. officij præclarum exemplum inter alia, quæ præſtantiſſimum iudicem abſoluunt, Ioſue præſtitiſſe hoc loco narratur. Qui confectis intra Cananæam regionem bellis, religione procurata, Iſraelitarum, hoc eſt decem tribuum compoſitis rebus, ſecuritate ex Dei beneficio obtenta, auxiliaribus copijs opportunè honeſteq; dimittendis conſuluit: nec verò id admonitus, vel oratus, verùm ipſemet vltrò faciendum eſſe cognoſcens,* Eodem tempore vocauit Reubenitas & Gaditas & dimidiam tribum Manaſſe, *quos non oratione tantùm laudatos, ſed etiam præmijs, muneribus & ſpolijs ad virtutis ac fortitudinis monumentum ornatos communis religionis, pacis, neceſſitudinis fraternæ & perpetuæ ſocietatis fœdere adſtrictos confirmauit, atque lætos ouantesq; in propriam regionē remeare permiſit. Eſt autem oratio hæc à Ioſue habita mixti generis, demonſtratiui videlicet ac deliberatiui opportunis argumentis conſtans, & ad rerum geſtarum laudem, & ad curandarum deinceps perſuaſionem. Atque perſonarum laus duo præcipua capita obtinet, animi ad agendas res oſtenſionem,*

Eccle. 5.

Deut. 16.

& rerum etiam geſtarum commemorationem. Tunc enim res fortiter & honeſtè dicuntur geſtæ, cùm ex deliberato, libente atque conſtanti animo profectæ ad egregium vſque optatumq́; euentum fuerint productæ. Ideò nulla hoc in exordio inſinuatione, ſed aperta laudatione vſus eſt Ioſue.

Feciſtis omnia quæ præcepit vobis Moyſes famulus Domini: mihi quoque in omnibus obediſtis.

NON *officium modò, ſed officij ſtudium in primis commendandum prædicandumq́; duxit, eorum quos mandati per Moſem fides, religio ac pietas ita obſtrictos tenuerat; vt nec mandantis mors & abſentia vlla ex parte negligentiores ſolutioresq́; reddiderit, vtpotè qui non imperantis caput, ſed perſonam ſpectaſſent, atque hoc nomine ſuſpexiſſent, quòd famulus Domini eſſet, cùm Dominus æternus, & quidquid per illius miniſtrum miniſtrationis nomine ac iure decretum conſtitutumq́; fuerit, ſanctum perpetuò haberi oporteat, vt ab his habitum Ioſue teſtatur, nec vel minima portiuncula neglectum.* feciſtis omnia, *quorum ſumma fuerat, vt fratrum veſtrorum vtilitati, ſaluti & rebus conſtituendis atq. componendis veſtra cùm priuata, tum publica otia, negotia, commoda, ſtudia atque adeò ſalutem poſt haberetis, & periculis atque laboribus ceterisq́; bellorum difficultatibus longo etiam tempore ſubeundis, nihil amplius, aut expetiueritis, aut reportandum exoptaueritis, quàm ſeruatæ cultæq́; fidei teſtimonium: id quod ego cumulatiſsimè etiam præſtitæ ipſa rerum expoſitione officioſè reddere cogor: fateor itaque vos non ea tantùm, quæ à Moſe famulo Domini mandata fuerant, libēter iniſſe, verùm ea etiam quæ à me vobis iniungebantur, attentè & ſtudioſè, fortiter ſeduloq́; peregiſſe.* mihi quoq. in omnibus obediſtis. *Hebraicè ſic,* Et audiſtis in voce mea ad omnia quæ iuſſi vos. *Nam illi à Moſe vrbes domosq́; ſuas relinquere, & fratribus in auxilium ſe præbere iuſſi fuerant, ſed quid vel quemadmodum agendum eſſet, & quatenus, non fuerat à Moſe declaratum, quòd ea ratio ad temporum & ad rerum gerendarum opportunitates referenda eſſet; in quibus illi vel propria conſilia & ſtudia ſequi, vel aliena abijcere, repudiare, incuſare, temperare, aut aliàs excipere poſſent. Verùm ij qui laudantur, omnes prorſus numeros impleſſe dicuntur, & Moſis mandata faceſſiſſe libentiſsimè, quidquid etiam à Ioſue pro tempore iuſſi eſſent ſine vlla tergi-*

tergiuerſatione, exceptione vel cunctatione, dicto tantum audientes fuiſſe executos: In quo ſumma illorum modeſtia, obſeruantia erga Ducem, & quæ militares homines maximè decet, ſumma obedientia laudatur. Itaque duo præclara encomia audiunt, quòd defuncto iam vita Duci fidem religiosè ſeruauerint, quòd ſucceſſoris viuētis dicto perpetuò ac ſedulò obtemperauerint, idq; maxima celeritate ac dexteritate. in omnibus obediſtis. *Nullū profectò militaris diſciplinæ exemplum aut amplius, aut præclarius hominibus vel antiqui ſeculi, vel noſtri, qui militiæ ſacramentum fecerint, edi proponiq́; potuit ad imitandum, quàm hoc duarum atque dimidiæ tribuum, qui cùm non ſuarum, ſed alienarum rerum cauſa propria commoda deſeruiſſent, diuturnorum bellorum labores nulla excuſatione declinarunt, aut recuſarunt, nulla tergiuerſatione diſtulerunt, nullo vel cupiditatis vel libidinis, vel contentionis vitio contaminarunt; quominus Deo imprimis & ſummo duci Ioſuæ & ceteris, quibus operam impendebant, probarent: cùm tamen ſæpius accidere videamus, vt complura à ſummis Ducibus, Regibus & Imperatoribus recto conſilio cœpta, eorum, per quos expedienda fuerant, vitio, & culpa atque diſcordia diſſoluantur: Dum alij atque alij non ad rem ipſam, ſed ad propriam vtilitatem, commoditatem & gloriam cogitandam & quærendam diſtrahantur, & gerendæ interdum rei occaſiones & opportunitates mutuis miniſtrorum cōcertationibus perdantur: cùm hic ea, quæ agere ſuſciperéue iubetur, ſeſe indigna ac minimè ferenda cauſetur; ille ſeſe maioribus antea vſum muneribus, ad minora deinceps deſcenſurum, æſtimationemq́; ſui minui paſſurum negat: alij diſcordias inter alios conſerunt & promouent, atque, vt ille ſapienter ex Homeri lectione obſeruabat,*

Seditione, dolis, ſcelere, atque libidine, & ira, Horat. Epiſt.
Iliacos intra muros peccatur, & extra. lib. 1. 2.

Atque hoc diuturno, nimirum quatuordecim annorum, bello nihil tale vel ſibi, vel publicæ rei tot ſociorum in laboribus, in re verò adquirenda minimè participum vllo vnquam vel motu, vel conatu vel facto incidiſſe teſtatur Ioſue cum ſumma gratulatione. Audiſtis in voce mea in omnibus quæ iuſsi vos, ita vt præter obſeruātiam, fidem atque celeritatem nihil omnino vobis arrogaueritis. Potuítne commune atque certum tantæ multitudinis conſiliū & officium præclarius

rius commendari? Iam verò conſilÿ huius magnitudinem quantā, quàm conſtans ſtudÿ amplitudo fuerit comitata, nominum, perſonarum, temporis & operæ impenſæ momentis expendendis docet.

Nec reliquiſtis fratres veſtros longo tempore, vſq. in præſentem diem, cuſtodientes imperium Domini Dei veſtri.

TANTO *certius atque honeſtius, tantóque laudabilius illorum conſilium fuiſſe, quanto maioribus nominum & officiorum rationibus ſuſceptum aſſerit, videlicet ceteros fratres ſuos fuiſſe exiſtimatos, horum laborem quamuis magnum atque longum, tamen dignum ductum qui ſua ipſorum opera adiuuaretur, atque adeò conſtanter fuiſſe adiutum: Omni prætereà propriorum commodorum, vel incommodorum (quæ diuturna à domibus proprÿs abſentia atque longa bellorum moleſtia afferre ſolet) cogitationi illud vnicum conſiliū fuiſſe prælatum, fratres non eſſe deſerendos, idq́ animo firmiſſimè inſediſſe longo tempore vſque in præſentem diem. Hebraicè cum pronomine demonſtratiuo enuntiantur hæc: His diebus multis vſq. hodie.* Lib. Daniel. *Dies multos, pro annis hoc loco accipimus. Nam vt in ſacro Apparatu rerū ac temporū ſubducenda ratione docebamus, quatuordecim anni præterierunt à tranſmiſſo Iordane ad ſortes iactas. Quàm verò multa illis comparari potuiſſent ſuam regionem incolētibus, aut ſaltem ſubinde reuiſentibus, quis non intelligat? verùm ea omnia & maiora etiam officÿ faciendi ſtudio & conſtantia neglecta ſunt.* vſq. in præſentem diem: *cùm ne vllus quidem ex illis abfuerit, nec de reditu quicquam fuerint vnquam prolocuti, nec nunc quidē ipſi agere de ea re cœperint. Atque in hac laudatione religionis etiam cultus & obſeruantia continetur. Namque illi nunquam à cuſtodia arcæ ſacræ, in qua præſentior numinis maieſtas & vox præſentior credebatur, diſceſſerunt, quoad ſanctum tabernaculum in illo delecto loco fixum eſt, in quo præſens celebrabatur concilium: atque huc illa expoſitio ſpectat,* cuſtodientes imperium Domini Dei veſtri. *Etenim* Num. 32. *illis illud Moſis iuſſum fixum immotumq́ animo inſederat. Si facitis quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam, & omnis vir armatus Iordanem tranſeat, donec ſubuertat Dominus inimicos ſuos, & ſubÿciatur eis omnis terra, tunc eritis inculpabiles apud Dominum, & apud Iſrael, & obtinebitis regiones, quas vultis, coram Domino, hoc eſt Domino probante. Atque*

huiuſmodi

huiuſmodi elogium, cuſtodientes imperiũ Domini Dei veſtri, *teſtimonium etiam eſt fidei illorum, qui hac oratione laudantur. Quippe nec illi eiuſmodi conditionem ſubiiſſent, nec conditionis præſtandæ cauſa tam ſedulam, certam, diuturnam & continuam operam dediſſent, niſi magna fide inniterentur, fore, vt quæ à Deo fuerant patribus quondam promiſſa, & tunc fratribus ipſorum promittebantur, dignos tanto promiſſore haberent exitus; niſi eorum, quibus promittebantur, vitio vel culpa interturbarentur: quam culpam ipſi hi ſua ex parte vitare & cauere ſtuduerunt; atque ita effectum eſt, vt cum promiſſis euentus quadraret. Hunc adeo euentum Ioſue oratione commemorat, ſimulq́ pronuntiat illos ſuam fidem Deo atque ceteris fratribus obligatam liberaſſe, dignosq́ ſe præſtitiſſe non modò dimiſſione ac reditu in proprias domos, ſed communione perpetua omnis Iſraeliticæ amplitudinis, cùm ciuilis, tum ſacræ, atque adeò munerum etiam & ſpoliorum participatione in perpetuum teſtimonium & monumentum honoris & laudis.*

Quia igitur dedit Dominus Deus veſter fratribus veſtris quietem & pacem, ſicut pollicitus eſt; reuertimini, & ite in tabernacula veſtra, & in terram poſſeſſionis, quam tradidit vobis Moyſes famulus Domini trans Iordanem.

CONDITIONIS *præſtitæ iure attributam illis à Moſe regionẽ denuò addicit & cõfirmat lege pronuntiata, validiſſimiſq́ firmata rationibus, ex fide atq. ex Dei conſilio imprimis, ex Moſis decreto, ex ipſorum officio. Namque Moſes operam his ſubſidiumq́ fratrum genti ferendũ imperauerat, quoad promiſſam regionẽ obtinere poſſideréq́ cõtingeret: atque hac lege optatam regionem trans Iordanem cõceſſerat. Quòd ſi vel illi ſubſidiũ non tuliſſẽt, vel negligẽtius, vel breuius tuliſſent quàm belli tempora poſtularent, adſcriptis conceſſiſq́ ſedibus abdicari debuerãt, cùm per ceteros fratres, tũ per Deum, qui perfidos homines pactiq́ proditores, & officij deſertores quietè agere non ſineret, quiq́ nollet id omen irritum eſſe, quod fuerat per Moſen prædictum. Etenim pactum hoc & omine & lege firmauerat Moſes: Omine quidem huiuſmodi (vt Latinis vocibus Latinè loqui*
ſtudentes vtamur) Sin autem quod dicitis, non feceritis, nulli du- Num.32
bium eſt, quin peccetis in Deum: & ſcitote, quoniam peccatum ve- "
ſtrum apprehendet vos. Lege verò illa: Præcepit ergo Moyſes Elea- "

zaro

zaro ſacerdoti, & Ioſue filio Nun, & principibus familiarum per
» *tribus Iſrael, & dixit ad eos, Si tranſierint filij Gad, & filij Reuben*
» *vobiſcum Iordanem omnes armati ad bellum coram Domino, & vo-*
» *bis fuerit terra ſubiecta; date eis Galaad in poſſeßionē. Sin autem no-*
» *luerint tranſire armati vobiſcum in terram Canaan, inter vos ha-*
» *bitandi accipiant loca. Vtroque igitur ominis atque legis vinculo ab-ſolutos pronuntiat Ioſue, ſimulq́; indicat ea, quæ fuerant per Moſen decreta, Deo grata rataq́; fuiſſe, idq́; ex euentu confirmat, cuius euentus horum etiam de quibus agit, fidem adminiſtram fuiſſe ſignificat.* Quia dedit Dominus, *ille miſericors ac benignus promiſſor:* Deus veſter, *cuius numen & nomen vobis cultum, cuiúſque promiſſum certa fide vobis conſtitit;* quietem & pacem, *relaxationem laboris bellici & otium ad res componendas atque ſecuritatem;* fratribus veſtris, *quorum cauſa vos Iordanem tranſmiſeratis, vel hoc vno quietis et otij fratribus contingentis argumento fidem operamq́; veſtram probauit, conditionem et legem de conceſſa vobis vltra Iordanem regione confirmauit.* ite in tabernacula veſtra: *quæ iam diuino ac humano iudicio veſtra eſſe conſtat.* & in terram poſſeſſionis. *Non tantum vſumfructum, vt forenſibus vtamur verbis, ſed dominium, proprietatem integro iure illis conſtare pronuntiat, ex auctoritate Dei primùm, deinde ex pacto Legiſlatoris, qui etiam in illa conuentione Dei conſilium eſt ſecutus, atque ideo hoc in loco* Dei famulus *appellatur; non qui priuato arbitrio, ſed qui vt Dei famulus & miniſter de illa re tranſegerit.* trans Iordanē, *vt omnib. auctoritatis, miniſterij, actionis, cōditionis, tēporis atq. loci circumſtantijs harū tribuum in illam regionem ius declaratum & firmatum demonſtraretur. Illud etiam eſt obiter adnotandum, non eſſe poſtremam optimi imperatoris curam, prouidere quemadmodum compoſitis confectiſq́; rebus publicis, externæ, auxiliares, aut conductæ copiæ quàm citiſsimè honeſsimeq́; dimittantur, ne qui antè fuerant adiumento, oneri deinceps detrimentoq́; eſſe poſsint; ex qua re odij, diſsidiorum, inimicitiarum, ſimultatum atque maximorum incommodorum initia oriuntur. Ideo verò in hac oratione hæc quoque ratio cauetur, commendatione laboris horum eouſque ſuſcepti, quoad fratribus requies cōtingeret, quam & hi vt pariendam curauerant, ſic deinceps fouendam eſſent curaturi, ſuo etiam ipſorum otio quærendo ac repetendo cum*

hono-

honore, atque laude officij optimè præſtiti: id quod duplici teſtimonio faciendum erat; altero elogij ac prædicationis, altero munerum ab optimo & æquiſsimo Duce accipiendorum. Imprimis autem ſocietatem, amicitiam & charitatem, fraternámque neceſsitudinem confirmari oportuit, quæ duabus rebus præcipuè ſtabilitur; videlicet communi religione, quod præſtantiſsimum inter mortales vinculum eſt, quodq́ue varij ingenij varijq́ue ſtudij homines, veluti mēbra in vnū corpus, connectit: deinde ciuilium legum, commerciorum, conuictus, conſuetudiniſq́ue mutuæ vſu. Namque hoc pacto concordia firmatur, cuius munere paruæ res creſcunt, magnæ iuuantur, maximæ nituntur ac fulciuntur. Hanc quoq; partem quemadmodum curauerit Ioſue videamus.

Ita dūtaxat, vt cuſtodiatis attentè, & opere cōpleatis mandatū & legem, quam præcepit vobis Moyſes famulus Domini.

A LAVDATIONE *ad monita & ſuaſionem ſapientiſsimus vir opportunè tranſit, atque ſuum illis officium ſtudiumq́ue probat, ſuadēs id quod illorum ſalutis & felicitatis maximè intererat, pietatis videlicet obſeruantiam & curā; ea verò duabus præcipuè partibus conſtat, diuino cultu, & vitæ, morum, totiusq́ue humanæ conſuetudinis recto vſu & modo. Atque vtraque pars cùm ab ipſa rerum natura, humaniq́ue animi ratione poſtuletur, multiq́ue videatur eſſe conſilij, non aliundè rectè, grauiter; breuiter atque dilucidè, denique ſapienter efficaciterq́ue ſimul petitur, quàm ex diuino iudicio & reſponſo, cuius certam intaminatamq́ue ſummam ſacra continent volumina. S. S. E. Lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimonium Domini* Pſalm. 118.
" *fidele, ſapientiam præſtans paruulis: præceptum Domini lucidum, il-*
" *luminās oculos. Iudicia Domini vera iuſtificata in ſemet ipſa, deſide-*
" *rabilia ſuper aurum & lapidem precioſum multum, dulciora ſuper mel & fauum. Atqui humanarum actionū ratio duplex eſt. Vnum enim conſiliorum & ſtudiorum genus, in priuato vniuſcuiuſque viuendi modo vſuq́ue verſatur. Huius autem ſumma ratio eſt, ne quid prauè, effeminatè, turpiter, inconſtanter atque indecorè, concipiatur aut fiat. Alterum verò genus in communis vitæ conſuetudine atque humanæ ſocietatis cura ſpectatur, idq́ue ſingulari nomine Officium dicitur. Vtramque autem rationē diuinis chartis aptiſsimè, grauiſsimè ac ſapientiſsimè explicari manifeſtum eſt. S. S. E. Quomodo dilexi*

Pſalm.118. *legem tuam Domine, tota die meditatio mea eſt: Super inimicos meos*
,, *prudentem me feciſti mandato tuo, quia in æternum mihi eſt: Super*
,, *omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt;*
,, *Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui. Hanc igitur curam,*
,, *hoc ſtudium ad omnem felicitatem obtinendam, & conſeruandam vnicè idoneum fratribus his commendat Ioſue non ſegniter, aut negligenter, ſed grauiter & ſedulò excolendum:* cuſtodiatis attentè; *quod ad cognitionem:* & opere compleatis, *quod ad obſeruantiam*
Pſalm.1. *exercitationemq́; attinet. S. S. E. In lege Domini voluntas eius, & in*
,, *lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tanquã lignum quod plan-*
,, *tatũ eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempo-*
,, *re ſuo.* Mandatum *præcepta illa, quibus homines in vniuerſum, ſingulíq; ſeorſum tanguntur, docẽtur, monentur & obligantur, mãdati nomine hoc in loco interpretamur: ea Moſes ex Deo geminis deſcripta tabulis acceperat, Iſraelitisq́; tradiderat ſiue reddiderat potius: idẽ à Deo edoctus ceteras deſcripſerat leges, quib. omnis tum ſacri tum ciuilis ratio iuris, atq. adeò ſapiẽtiæ totius exactiſſima cõtinetur ſum-*
Eccl.45. *ma. S. S. E. Dedit illi cor ad præcepta & legem vitæ & diſciplinæ,*
,, *Docere Iacob teſtamentum ſuum, & iudicia ſua Iſrael. Hanc alteram ſacræ diſciplinæ partẽ illo verbo Ioſue ſignificabat,* Et legem, quam præcepit vobis Moyſes famulus Domini. *Non nouam aliquam, inquit, legis normam, vel à me excogitatam, vel à vobis componendam commendo, ſed iam olim acceptam, vobisq́; traditam opera Moſis, qui in ea re miniſtrum tantum ſapientiæ ac voluntatis diuinæ apud vos egit; ita vt eadem ratione cum ceteris vos etiam hac lege & diſciplina teneamini:* quam præcepit vobis. *Nec verò ſatis viſum eſt optimo Duci legis memoriam, obſeruantiam & cuſtodiam fratribus commendare, niſi eiuſdem exercendæ atque obſeruandæ modũ & rationem breui commonitione præſcriberet. Id autem non tam ex propria mente, quàm ex legis ipſius argumento atque ſententia expoſuit, iacto in primis fundamento ad omnem vitæ partem ſtruendam firmiſſimo. Namque humana vita atque ſocietas legis expers nec durare, nec eſſe poteſt: verùm ea rectiſſimè inſtitui vitæ & communionis ratio, quæ optimis legum præceptis conſtat, & ſtudioſè ab hominibus ſuſcipitur, non tã pœnæ formidine, quàm vir-*
Horat. *tutis amore: aliàs enim, vt ille dixit, Sit ſpes fallendi, miſcebis ſacra*

pro-

prophanis. Quamobrem duo certiſſima fundamenta ipſius diuinæ legis initio iacta ſunt; alterum fidei, ſine qua Deo placere eſt impoſſibile: Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus vnus eſt. Alterum verò, amoris atque ſtudij integri: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omni mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Hanc verò dilectionem, doctrinæ ſtudium, & recta vitæ in omnem partem inſtitutio exercitatioq́; ſequitur, ſiue id in priuatis moribus, ſiue in communibus officijs & muneribus, ſiue in ſacrorum cura atque cultu ſit expectandum. Nec enim vera virtus verbis examinatur, ſed ſtudijs, actionibusq́; omnibus ad veræ ſapientiæ, hoc eſt ad diuinæ legis normam compoſitis. Hæc itaque omnia per Ioſuan, vt totius ſacræ diſciplinæ argumentum & compendium commendata ſunt. Siquidem fundamenti loco illud propoſuit, vt diligatis Dominum Deum veſtrum: *deinde omnem vitæ inſtitutionem illa oratione eſt complexus,* & ambuletis in omnibus viis eius, & obſeruetis mandata illius. *Vias hoc loco omnem actionem & cōſuetudinem cùm priuatam, tum publicam interpretamur: vt, Vias tuas Domine demonſtra mihi. quod nec à Latinæ linguæ obſeruatione alienum eſt: Cùm animaduerterem quàm plurimos homines errare in via morum. Atqui errorem ignoratio parere ſolet: oportet igitur eum qui errare nolit, viam nouiſſe ac tenere: id verò attentionem ſtudiumq́; poſtulat, quod quàm diligens illis eſſe cupiat, ipſa ſua oratione ſignificat Ioſue;* ambuletis in omnibus viis eius: *quæ ſi ignorentur, inambulari non poſſunt. Oportet enim vt id cū fructu fiat, non ſolùm vias noſſe, ſed exploratum habere omnes illas vias eius eſſe. id autem rectè demum fiet, ſi eò mens atque animus conuertatur, vnde totius vitæ propoſitum profectum eſt: nempe in amorem Dei, cuius dicta & ſenſa ita teneri oportet, vt ab illis ad propriam prudentiā, ad humanam opinionem, ad ſuam cuiuſque libidinem & mentem explendam minimè declinetur. S. S. E. Sicut ablactatus ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea. Atque hoc eſt quod in ſumma Ioſue perorauit,* Adhæreatisq; ei, & ſeruiatis in omni corde, & in omni anima veſtra. *Duo verba hæc, alterum ad ſtudium, alterum verò ad cultum & exercitationem ſunt referenda. Namque ſtudium opportunam exercitationem, & exercitatio certum atque legitimum ſtudium poſtulat; Alterius ſic altera poſcit opem res, & coniurat amicè. Quippe ex ijs,*

Exod. (margin, beside "impoſſibile")

Catonis lib. (margin, beside "Cùm animaduerterem")

Pſalm. (margin, beside "Sicut ablactatus")

Epict. Enchirid. (margin, beside "Alterius ſic altera")

quæ in nobis eſſe dicuntur, primum & præcipuum locum tria obtinent, intellectus, voluntas & conatus: intellectum & voluntatē orator hic illo coniungit verbo, adhæreatisq́; ei: *conatum verò illo ſignificat* & ſeruiatis, *quod omnem tum cultus diuini, tum humani officij rationem cōplectitur. Porrò duplex animi noſtri vis eſt, ex qua actio omnis humana proficiſcitur: altera ea eſt, qua intelligimus & ſapimus, qua appetimus & volumus; alteræ priori nomen Latini intellectum impoſuere, poſteriori verò voluntatem: Has Hebraicus ſermo, atque hunc imitatus Interpres noſter, cor & animam appellant.* in omni corde veſtro & in omni anima veſtra. *Quidquid, inquit, ad vitam rectè inſtituendam cognoſcendū arbitremini, id ex Domini diſciplina petite; nihil vt quod ille nolit, volueritis, cōtrà etiam nolite nihil, quod ille velit. Atque hactenus optimi Ducis relata oratio eſt. Deinceps verò reliquæ omnes actiones vſque ad illarum tribuum dimiſſionem narrantur. Namque id quod ſemel cæptum fuerit, omnibus modis ac numeris abſolui oportet; atque ita rerum tempora diuidi, vt nihil propter cunctationem, vel corrumpatur, vel infectum maneat, vel offenſionem vllam pariat. Illud autem ſecundùm laudationem & gratulationem in promptu erat curare, vt qui laudibus ornati fuiſſent, muneribus etiam decorarentur in teſtimonium rei præclarè geſtæ, & in pignus ac monumentum amicitiæ fraternæq́; neceſſitudinis, & ſocietatis conſeruandæ. Id enim & æquitatis ratio cum primis & gentium ius poſtulare videtur, antiquisq́; exemplis eſt*
Gen. 14. *comprobatum. S. S. E. Exceptis his quæ comederunt iuuenes, & parti-*
" *bus virorum, qui venerunt mecum, Abner, Eſchol, & Mamre, iſti*
Iuuen. Sat. 15. " *accipient partes ſuas. Ipſius certè Ducis hoc referre videtur,*

Vt qui fortis erit, ſit feliciſſimus idem,
Vt læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

Huius quoque exemplum curæ vt nulli bono viro prætermittendum hoc in loco Ioſue edidit; muneribus per ſingulas tribus diuiſis, ex opima illa hoſtilium ſpoliorum præda: id verò pro munerum & ſtudiorum ratione factum exiſtimamus, vt alij pecora, armenta alij, hi veſtem, hi monilia, aurum illi, argentumq́; vel cuſum, vel cælatum, vel rude, nonnulli arma armorumq́; acciperent ornamenta. Hæc illorum verborum ſententia eſt:

Benedixitque eis Ioſue; & dimiſit eos. Qui reuerſi ſunt in tabernacula ſua.

EX *pluribus rebus atque actionibus, quas Benedicendi & Benedictionis ſignificatio complectitur, vna eſt præmiorũ, munerum & ornamentorum ob res ſtrenuè geſtas indictio & adſcriptio, quæ nunquam ſine laude atque elogio fit. Quam in ſententiam omnem illam hiſtoriam explicamus, quæ de Iacobi cum angelo luctantis exitu deſcripta eſt. Non dimittam te, inquit, niſi benedixeris mihi. Ait ergò: Quod nomen eſt tibi? reſpondit, Iacob. At ille, Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael &c. Quin & Iacobi claudicationem, vt illius admirandi certaminis cum victoria monumentum perpetuum, tanquàm ornamentum illuſtre ad hanc rationem referendum cenſemus. Itaque Ioſue tribubus illis vltra laudem & gratulationem, huiuſmodi benedictionẽ impertitus, redeundi in proprias domos copiã fecit. Tabernacula verò domus et familiæ appellantur, tum ex priſcorum hominum vſu, qui vitam ſub tentorys degiſſe dicuntur, tum ex ipſorum Iſraelitarum ſermone, qui tot annos per ſolitudines et agros peregrinati & vagati perpetuò vſurpatum Tabernaculi nomen conſeruarunt; vt nunc militibus noſtris quodcunque hoſpitium Allogiamento, quodcunque iumentum, Bagage vocatur. Sed & interim admonemur peregrinationis noſtræ, hoc eſt, vitæ huius, in qua nihil fixum, nihil ſtabile, perpetuum eſſe poteſt nihil: imò quidquid id fuerit, quod in terris colatur, ametur, & teneri videatur, vel mutandum quam citiſsimè, vel certè eſſe relinquendum:* Gen. 32. " " "

Cæmentis licet occupes Horat. lib. 3. Car. Od. 24.
Tyrrhenum omne tuis, & mare Ponticum.

Nulla certior tamen Idem lib. 2. Car. Od. 18.
Rapacis Orci fine deſtinata
Aula diuitem manet
Herum: quid vltrà tendis? æqua tellus
Pauperi recluditur,
Regumque pueris: *& cetera.*

Hactenus quæ ad duas atque dimidiam tribus dimittendas communiter ſpectabant, narrata ſunt: qua narratione rei geſtæ monumentum poſteritatis memoriæ conſecratur, & eorum, de quibus ſcripta eſt, ius auctoritatemq́; firmat, vtpotè ex ÿſdem verbis petita, quibus ipſa olim res acta, deliberata, decreta atque tranſacta fuerat. Quamobrem huiuſmodi narrationes ad eas res, de quibus inſtituuntur,

tur confirmandas, legis vim auctoritatemq́ in ſe continent. Quod in pleriſq́, imò in cunctis ferè prophanis hiſtorijs minimè vſu venit. Nam ad hiſtoriam ſcribendam cum primis maximam veritatis notitiam adhibere oportet, deinde orationis ſimplicitatem & fidem: atq; hæc omnia ad iuris & iuſti atq; æqui laudẽ, vel ad iniuriæ deteſtationẽ, atq. adeò ad præteritorum temporũ imaginẽ conſeruandam, et ad agendarũ poſteritati rerũ exemplũ ſumma cum religione, diligentia ac modeſtia, referẽda ſunt. Contrà autẽ in pleriſq. euenit. Nã maxima hiſtoriarum earũ, quæ circumferuntur, pars vel ſcribentium inſcitiam & audaciã, vel ambitioſam gloriæ cupiditatẽ, vel contentionem, vel adulationem & leuitatem, vel inuidiam, denique ineptiam ac temeritatem prodit, atque hominum ingenium moresq́ verè arguit; de quibus ſcriptum eſt, Pſalm. *Mendaces filij hominum in ſtateris ſuis, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum: Ex quo efficitur, vt quæ ad iuris conſtituendi vſum ab huiuſmodi ſcriptoribus narrationes petuntur, firmitudinis habeant parum: &* Iuuen. Sat. 9. *quidquid Græcia mendax Audet in hiſtoria, dixit ille.*

Dimidiæ autem tribui Manaſſe poſſeſſionem Moyſes dederat in Baſan: & iccircò mediæ quæ ſuperfuit, dedit Ioſue ſortem inter ceteros fratres ſuos trans Iordanem ad Occidentalem plagã. Cumq́; dimitteret eos in tabernacula ſua, & benedixiſſet eis, dixit ad eos.

PRIVATI *beneficij prærogatiua huic tribui per Ioſuã facta ſingulari narratione indicatur hoc loco poſt abſolutã communiter duarum atq. dimidiæ tribus rationem. Atq. huius rei vt explicatior teneatur ſumma, paulo eſt altius repetenda. Expugnatas Imperatore Moſe Seonis & Hoggi regiones pecuariæ rei curandæ & faciendæ aptiſſimas duæ tribus, Reuben & Gad, ſibi exoptantes, propoſuerant, & certis, vt narratum iam fuit, conditionibus impetrauerant: in illis autem bona agrorum pars adhuc Amorrhæorum expugnata relicta erat; eademq́. non minus quàm aliæ felix & optanda, cui nomen antiquum fuerat Galaad. Hanc non apertè (quod ex ſcripto conſtet) petitam, ſed vt res ipſa indicare videtur, expetitam, Moſes (qui cetera omnia duabus tribubus Reuben & Gad ſatis ſuperq́ eſſe ſciebat) Manaſſenſium dimidiæ tribui vltrò eſt largitus, nec id ſine diuino conſilio cum Iacobis morientis teſtamento ſingularibus elogijs & com-*

et commendationibus Ioſephi familiæ fuiſſent ornatæ.S.S.E. Filius Gen.49.
accreſcens Ioſeph, filius accreſcens & decorus aſpectu; filiæ diſcur-
rerunt ſuper murum &c.& paulo poſt: Deus patris tui erit adiutor
tuus, & omnipotens benedicet tibi, Benedictionibus cœli deſuper,be-
nedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus vberum &
vuluæ. Atque hiſce poſtremis verſibus Ioſephitas etiam paſtioni-
bus felices fore ſignificatum eſt: hæc verò cùm Moſes præſen-
ti animo & ſenſu recoleret, illam quæ adhuc Amorrhæo conſta-
bat regionem huic dimidiæ tribui adiudicauit: eandemq́ prouinciam
Machirus & Iairus illarum familiarũ primates diuini beneficij no-
mine continuo ſubitam ad debellandum ſuſcepêre & breuiſſimè ex-
pugnauêre, expugnatamq́ non modò coluerunt, ſed ſuis etiam atque
filiorum nominibus ad beneficij diuini memoriam & gratulationem,
appellauerunt. Qua de re ſic ſcriptum legimus: Præcepit ergò Moſes Num.32.
Eleazaro ſacerdoti, & Ioſue filio Nun, & principibus familiarum,
& dixit ad eos, Si tranſierint filij Gad & filij Ruben vobiſcum Ior-
danem omnes armati ad bellum coram Domino, & vobis fuerit terra
ſubiecta: date eis Galaad in poſſeſſionem. Cùm autem decretum à
Moſe factum narratur, ſic lectio habet: Dedit itaque Moyſes
filijs Reuben & Gad & dimidiæ tribui Manaſſe filij Ioſeph regnum
Sehon regis Amorrhæorum, & regnum Og regis Baſan. & paulo in-
ferius: Porrò filij Machir, filij Manaſſe, perrexerunt in Galaad, &
vaſtauerunt eam, interfecto Amorrhæo habitatore eius. Dedit ergò
Moyſes terram Galaad Machir filio Manaſſe, qui habitauit in ea.
Iair autem filius Manaſſe &c. Hanc Moſis mentem & rationem ſe-
cutus Ioſue, eandem hanc Manaſſenſiũ dimidiam tribum vnà cum
altera dimidia, quæ intra Cananæorum fines locum ſortita fuerat,
ſingulari donorum largitione honeſtandam curauit, ſimul vt patris
Ioſephi de ceteris fratribus omnibus bene merentis memoriam com-
mendaret: ſimul etiam vt diuidendæ iam nunc tribui mærorem ex
diſceſſu concipiendum ſolaretur, & amicitiam, fraternæq́ neceſſi-
tudinis fidem illa munerum communione & partitione confirmaret,
more eorum, qui migraturi aliquò fratribus, propinquis, neceſſarijſq́
ſuis conuiuio celebrato valedicunt, mutuaq́ inter ſe munuſcula in
perpetui amoris pignus impertiũtur. Vocula illa Iccircò *in hac, quam*
commentamur, verſione pro copulatiua coniunctione vſurpatur. Nec

enim

enim cauſam indicat, ſed commemorat vtriuſque dimidiæ tribus neceßitudinem, ad diſceßionis narrãdæ opportunitatem. Ex Hebraicis verbis ita locus hic verti poteſt, quamquam non ita Latinè atque ab Interprete noſtro verſus eſt: Et dimidiæ tribui Manaſſe dedit Moyſes in Baſan: & dimidiæ illius dedit Ioſue cum fratribus ſuis, trans Iordanem verſus mare, & etiam cùm dimiſit eos Ioſue in tabernacula ſua, & benedixit eis. *Non tantũ adſcripſit ſortẽ dimidiæ tribui illi, quæ intra promiſſam terram manſit, ſed etiam cùm alteram dimidiam ab altera iamiam diſceſſuram videret, vtramque muneribus inter ſe diuidendis ornandam curauit, hoc addito elogio.*

In multa ſubſtantia atq. diuitiis reuertimini ad ſedes veſtras, cum argento & auro, ære ac ferro, & veſte multiplici: diuidite prædam hoſtium cum fratribus veſtris.

HÆC *dona per Ioſuan huic tribui honoris cauſa & prærogatiua tributa, nulli ceterarum tribuum incommodo fuiſſe, ſed ex ærarij publici rationibus excepta arbitramur. Oportuit namque in diuidendis ſpolijs certam quoque partem fiſco fuiſſe ſepoſitam ad publicos bellorum & pacis ſumptus, vt in omni rectè inſtituta repub. fit. Ex his verò quæ honoris cauſa donantur, honeſtiſſima cenſentur, quæ ex* PVB. PEC. *vel, ſi regium eſt munus, ex ærario Regis producuntur. Iam verò, quibus donarijs aucti contribules illi fuerint, Ioſuæ oratione exponitur:* In multa ſubſtantia. *Rem omnem familiarem in duo genera Orientales partiuntur: alterum eſt quod paſtione excolitur; alterum verò quidquid præterea in vſum fructumq́; referri poteſt. poſterius hoc ſacra lingua* NECHEZZIM, *illud prius* MIKNEH *vocatur. Honoraria autem diſtributio hæc vtroque conſtabat genere. Interpres noſter pro* NECHEZZIM *plurali nomine, ſubſtantiam reddidit, pro* MIKNEH *diuitias: has verò, quia pecuaria re ac iumentis tantùm conſtare notum erat, non indicauit Ioſue: ſubſtantiæ verò, quoniam plures eſſe poterant partes, quæ illis præcipuè tribuerentur, expoſuit,* Argentum, aurum, æs, ferrum & veſtem multiplicem. *Atque vocabulum* multiplici, *non ad veſtem tantùm, ſed ad omnia quæ exprimuntur genera referendum eſt: etenim Hebraico ex verbo legere poſſumus,* permulto valde. *Hanc verò prædam ex hoſte captam dimidiæ tribui Manaſſe ex illa regione mox migraturæ cum fratribus diuidendam tradit Ioſue, vt his veluti pignoribus*

fra-

fraternitatis documentum ac monumentũ poſteritati etiã conſtaret; eo modo quo fieri ſolet, cùm relictã à parentib. rem fratres diſceſſuri, atque ſua ſinguli deinceps acturi partiuntur; huic enim ſcyphus, illi poculũ aliud, alij lectus, alij veſtis, cuidam gladius placet. quæ ab illis deinde familiaris pignoris nomine ſeruantur et oſtentantur, ac temporis illius, quo acta hæc fuerint, memoriam tuentur: atque pertinebant quondam ludi & certamina, victoribusq́; propoſita præmia, quæ tam eorum, qui vincerent, quàm illorum, quibus feſta dicata fuerant, monumentum conſeruarent.

Munera principio ante oculos, circoque locantur
In medio, ſacri tripodes, virideſque coronæ:
Et palmæ pretium victoribus; armaque & oſtro
Perfuſæ veſtes; argenti aurique talenta. Aeneid. 5.

Atque horum donorum perpetuum nomẽ elogiumq́; eſſe Ioſue voluit;

PRÆDÆ HOSTIVM CVM FRATRIB. DIVISÆ.

Reuerſique ſunt, & abierunt filij Ruben & filij Gad, & dimidia tribus Manaſſe, à filiis Iſrael de Silo, quæ ſita eſt in Chanaan: vt intrarent Galaad terram poſſeſſionis ſuæ, quam obtinuerant, iuxta imperium Domini in manu Moyſi.

MEMINISSE *oportuerit lectorem nobis identidem admonitum, nullam in ſacris libris ocioſam repetitionem eſſe eiuſdem ſententiæ, tametſi eadem verba bis aut pluries eodem capite legantur: Atque ſententiarum variam rationem ex loci, temporis, perſonarum ac rerum obſeruatione peti debere. Hoc pacto permulta profectò ſingulari ſignificatione variare cognoſcentur; quæ ab expoſitoribus ad poëticam eteroſin referuntur. Vt verò ad noſtram explicationem redeamus; in omni publica actione tria præcipuè ſpectantur; cõſilium ſiue deliberatio, decretum, & executio (vt forenſes loquuntur) Atq. omnes huius capitis verſus à primo vſque ad ſextum ad conſilium referuntur: Sextus verò*, benedixitq; eis Ioſue, & dimiſit eos: qui reuerſi ſunt in tabernacula ſua, *decreti rationem, formulamq́; refert. Hic verò nonus executionem (quæ etiam literarum monumentis mandari debuit) narrat. Huius veritas vt conſtaret, temporis, loci ac perſonarum, cauſæ, iuris, atque auctoritatis circunſtantijs ornanda fuerat. Executio ipſa illis indicatur verbis*, reuerſi ſunt, & abierũt: *perſonæ appellantur* filij Ruben & filij Gad, & dimidia tribus Manaſſe. *Tempus*, à filiis Iſrael de Silo. *quo tempore primùm Iſrae-*

litæ omnes in Silo conuentum conciliumq́ celebrauerant. Locus, quæ ſita eſt in Chanaan. *Cauſa*, vt intrarent Galaad terram poſſeſſionis ſuæ. *Auctoritas & ius*, quam obtinuerant iuxta imperium Domini in manu Moyſi. *Atque ita vnica eademq́ breui lectione harum tribuum dimiſſio, ornatio ac diſceſſus narrantur. Deinde verò hiſtoria adiungitur conſilij ab illis in itinere initi, egregioq́ cõmento & facto confirmati, vt pium gentis illius ſtudium certiſſimo manifeſtaretur argumento.*

Cumq́; veniſſent ad tumulos Iordanis, in terram Chanaan, ædificauerunt iuxta Iordanẽ altare infinitæ magnitudinis.

NON *vnius alteriúſue diei ſpacio ea quæ ſuperius narrata ſunt, breui tamẽ tempore facta intelligimus; ita vt dum tribus illæ ab alijs diſcederent, & militaribus itineribus ad Iordanem vſque deuenirent, aliæ, quæ intra Canaanitiden regionem conſeſſuræ erant, à Silunte profectæ ſuam vnaquæq́ poſſeſſionem peterent. Interim verò illi alij priuſquam flumen tranſmittunt, locum optauerunt propter tranſeuntium frequentiam celeberrimum, ſitu ipſo notabilem, in quo congeſtis compoſitisq́ ſaxis editiſſimum conſtruxerunt altare, quàm longiſſimè vt eſſet conſpicuum, idq́* intra terram Chanaan. *Quæ verò ex facto ipſo citra vllam declarationem ſiue rationes, ſiue coniecturæ capi poſſent, facile indicatu erat. Principiò operis magnitudo rem non vnius alteriúſue priuata ac ſingulari voluntate & opera, ſed communi multorum, imò omnium deliberatione, conſilio & ſtudio cæptam & confectam: quippe opus tantum diſcordãtibus animis & operis conſtrui & manere non poterat: Itaque publicum opus publicum ſtudium arguebat. Locus etiam celebris & frequens, idemq́ editus teſtimonij & monumenti publici ac perpetui indicium erat clariſſimum, iuxta Iordanem celeberrimum regionis totius amnem, atque magnorum Dei miraculorum teſtem, deinde etiam Canaanæorum regnorum ab ortu terminum. Quòd verò intra ipſam Canaan terram conſtructa moles viſeretur, ius aliquod in eadem regione obtentum, conſeruandum ac defendendum ſignificabat. Poſtremò cùm fabrica ipſa altaris formam ſpeciemq́ præberet, ſacram eſſe docebat cauſam, quamobrem fuiſſet conſtructa. Hæc ſumma eſt eorum, quæ ex operis ſpecie probari cognoſciq́ poſſent. Verùm enimuerò vulgare hominum ingenium atque inuidum, aliena conſilia & facta damnandi ſtu-*

di ſtudium, tum diſceßionis, contentionis ac nouarum rerum cupiditas, ÿs etiam rebus, quæ ex natura ſpecieq́; ſui improbari non poſſunt, inſidiatur, rumoribus primùm ſparſis, malignis alienorũ conſiliorum interpretibus, ex quibus inuidia primùm, deinde diſcordia, demum peßima omnia etiam inter neceſſarios excitantur.

Quod cùm audiſſent filij Iſrael, & ad eos certi nuntij detuliſſent, ædificaſſe filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe altare in terra-Chanaan, ſuper Iordanis tumulos, contra filios Iſrael.

HEBRAICE *bis in duobus verſibus verbum repetitur, Et audierunt filÿ Iſrael: quod Interpres noſter immutata aliquantulùm Latina oratione indicabat*, & ad eos certi nuntij detuliſſent.

Prius verbum famam populari rumore, vt accidere videmus, ſparſam ex re non viſa, ſed narrata, depingit. audiſſent filij Iſrael. *Qui hoc nomine iam tumultuabantur, quòd ipſi filÿ Iſrael eſſent parati nomen ſuum vindicare ac tueri: atque ita filiorum Iſraelis nomẽ populariter & confusè iactabant, vt ferè iam duas illas tribus ac dimidiam filios Iſrael non cenſerent appellandos, ſed* filios Ruben & Gad & dimidiam tribum Manaſſe. *Ante non multos annos cùm nondum Portogallenſes cum ceteris Hiſpanis vno ſub rege coniuncti eſſent (vt nunc hac ipſa, qua hæc ſcribimus, tẽpeſtate manifeſto Dei conſilio coniunguntur) ceteros omnes Hiſpanos, ſeſe verò ſingulari nomine Portogallenſes appellitabant, quaſi ipſorum Prouincia non vna ex Hiſpaniæ regionibus eſſet, nullo interiecto mari, imò neq. præcipuo aliquo mõte ſeiuncta; at ita Regem tunc ſuum Portogalliæ, Philippum verò Catholicum Hiſpaniæ Regem nominabãt, inani quadam & vulgari contẽtione, quæ inter finitimas gentes verbis magis quàm rebus foueri ſolet. Hanc porrò deinceps nullam futurã diuino in primis beneficio Philippi, totius iam nunc Hiſpaniæ Regis, prouidentia & humanitas curabit. Itaq. iam hoc loco vulgus illud omne filiorum Iſraelis nomen atque decus vni ſibi arrogabat; alios verò à quibus nuperrimè magna gratia, concordia & ob auxilÿ atque fraterni officÿ confeßionem, magna gratulatione diſceſſerant, iam hoſtium & inimicorum loco habere incipiunt, fraterni ac paterni nominis communione abdicant: atque hæc diſcordiæ ſemina inuidioſa facti interpretatione ſpargebantur.* altare in terra-Chanaan. *Verum quidem*

erat, altare in terra Canaan fuiſſe conſtructum, ſed non æquis verbis rumor ſpargebatur; imò ex malitioſo vel conſilio, vel iudicio ſeditioſo nomine iam diuulgata res publicè etiam deferebatur. Vt verò delationis melius cognoſcatur ſententia, prius ea verba quæ in facti narrationem adhibita ſunt, deinde verò quantum ea à delatoribus, vel à vulgo inuerſa fuerint, ex Hebraica oratione videamus. Narrationis oratio ex verbo verti ſic poteſt: Et venerũt ad confinia Iordanis quæ in terra Chanaan, & ædificauerunt filij Reuben & filij Gad ibi altare iuxta Iordanem, altare magnum ad proſpectum. *altare, inquit, adeò magnum, vt conſpici procul poſſet. Delationis verò illa verba ſunt:* Et audierunt filij Iſrael ad dicendum, *id eſt his verbis,* Ecce ædificauerunt filij Ruben & filij Gad &c. ETH HA Altare è regione terræ Chanaan ad confinia Iordanis ad trans filios Iſrael. *Magna in verborum figura emphaſis eſt, vltra Hebraiſmi proprietatem, quæ ſic Latinè molliri poteſt. Primùm vox* Ecce *animaduerſionem attentionemq́; molitur ad rem grauem audiẽdam. Duæ voculæ* ETH HA, *quas Latinè reddere non eſt, adnotationem habent rei ſingularis & certæ, atq. altera accuſatiuũ caſum plærumq. indicat, altera nomen, cui adiungitur, ſingulari obſeruatione oſtendit, & in ſacrorum religioniſq́; ſermone, cum altaris nomine perpetuo cõiungitur: altaris, inquã, illius quod hoſtijs ac victimis adolendis deſtinatũ dedicatumq́; fuerat. Quamobrẽ vocula ſiue litera illa in hac etiam oratione vſurpata altare illud altaris à Moſe inſtituti æmulum inſimulabat eſſe; idq́; ad ſacra ab illis tribub. faciẽda cõparatum: Iam verò hoc nomine ſuperſtitionis & ſchiſmatis crimen adſtruebatur, quod ad religionem pertinebat. Quod verò fraterni fœderis ac pacti violationem ſpectabat, ſic fuit commentum,* è regione terræ Chanaan ad confinia Iordanis. *Illud primùm in hac parte crimen erat, quòd cùm Iordanis fluuius ex antiqua deſcriptione, atq. ex ea etiam, quæ Moſis lege notata ſanctaq́; fuerat, totius Canaanææ regionis atq. promiſſæ ac præſtitæ à Deo Iſraelitis terræ terminus haberetur certiſſimus: tamen ab illis illo altari conſtructo ſummoueri exiſtimabatur, ita vt totus Iordanis alueus extra terræ Canaan terminos relinquendus eſſet; neque alueus tantùm cum ripa illa occidua, ſed locus etiam ipſe vltra ripam illam, in quo altare fuerat erectum, nõ in terra filiorũ Iſrael, ſed vltrà etiam eſſe cenſeretur.* ad trans filios Iſrael.

itaque

itaque vnica delatione triplex crimen ſtruitur religionis, fœderis, ac terminorũ ſanctitudinis atque maieſtatis violatæ, quod niſi maturè ac legitimè expiaretur, ſeuera publicaq́; vltione digniſſimum cenſebatur. contra filios Iſrael, *ita vt illo conſtructo altari ſe non Iſraelis filios, ſed proprij nominis vſurpatione, ſingulari ab alijs communione & ſocietate, loco, termino, ſacrorum religione atque vſu deinceps diuidendos profiterentur. Huiuſmodi peruerſorũ vulgi indiciorum non rara omnibus, frequentiſſima noſtris exempla notata ſunt ſeculis. Igitur ſiniſtra huiuſmodi fama commoti omnes, vt ad iram, tumultus atque rixam maximè procliue vulgus eſt;*

Conuenerunt omnes in Silo, vt aſcenderent, & dimicarent contra eos: *Hebraicè ex verbo ſic,* Et audierunt filij Iſrael, & conuenerunt omnis cœtus filiorum Iſrael Silo ad aſcédendum contra eos ad exercitum.

INITIO *quidem tumultuariam & inconſtantem, vt fit, narrationem rumoribus variè ſparſis audierant: Deinde verò nõ facti modò, ſed conſilij etiam delationem audierunt ij, qui filiorum Iſraelis nomen profiteri ac tueri iactabant; quo nomine inuicem ac tributim concitati omnes in eundem conuenere locum, Silunta, cuius ſanctitatis atque maieſtatis vindices ſeſe omnes eſſe dictitabant; vt qui ſoli iam filiorum Iſraelis nomine cenſerentur. Atque conuentus ille eo loco, qui iam ſacer, publicus communiſq́; habebatur, factus eſt, quod de religione, de publica re ac dignitate acturis legitimus commodiſſimúſque eſſet; nec alio quàm pugnæ vltioniſque conſilio cœtus illi conueniebant, quod vt pararent atque inſtruerent, opus erat eiuſdem loci communione ac frequentia, ne alij ex alijs oppidis, agris & regionibus diſperſi, confuſi temerèq́; diſcurrentes, vel ab hoſtibus fuſi, aut intercepti perirent, vel re infecta redirent. Conueniendum itaque in certum locum fuit ad copias cõponendas, acies ſtruendas, & itinerũ atq. conſiliorum omnium, & vt militari oratione rem explicemus, à faire la place d'armes: hoc eſt quod exponitur, Ad aſcendendum contra eos in exercitũ, quodq́; Interpres noſter ex re vertit,* vt dimicarent contra eos. *Hæc enim illorũ omnium vna mens, vnáque fuerat vox. Verùm enimuerò diuina prouidentia, & imperatoris Ioſue, optimatum cordatorumq́; virorum prudentia, dexteritate & conſilio effectum eſt, vt res illa, non quo cœperat tumultu, ſed quo par erat iudicio inſtitueretur, ac demum cauſa ſapienter & maturè in-*

quiſita & cognita, eum, quem ratio æquitasq́; postulabat, haberet exitum. Atque hoc loco antiquorum hominum ſapientia nobis ad exemplum propoſita diligenter eſt conſideráda. Fieri enim nequit, quin is animus, idq́; conſilium Ioſue, Eleazaro, alijsq́; optimis viris fuerit, qui re ipſa atque communicato conſilio fuit oſtenſus, cognoſcendæ, inquam, prius rei, atque certo more modoq́; examinandæ cauſæ. Verùm initio opus fuerat populari tumultui ac furori tantiſper cedere, quoad publicè conueniretur, atque interim æſtus ille efferbeſceret, coniunctisq́; ſimul optimatibus & populo daretur locus ad cognoſcendum an vltionem cauſa poſtularet, & ſi poſtularet, deliberandum & conſulendum, quemadmodum tutò & maturè geri poſſet res. Siquidem huiuſmodi feruores æſtuantis vulgi nec ſatis bene, nec ſatis tutò vnius alteriúſue Principis vel capitis etiam ſapientiſſimi auctoritate, aut oratione cõprimuntur, donec pluriũ qui dignitate & gratia etiã plurimum valere credãtur, collato conſilio, ſubſidio & ſtudio res componatur. Cùm verò ad cõmouendos turbandoſq́; vulgi animos rumor principio ſparſus (quo factum ſcilicet narrabatur) ſatis eſſet, deinde idem repetitus, ac delationis atque offenſæ veneno infectus, iram furiasq́; incendere potuiſſet, atque etiam pios homines viroſq́; prudentes aliqua ex parte tãgere, nimirum ſatis eſſet ad impetum leniendum populi arma capientis & conſilium in vnum locum congregandum, non tamen ſatis fuit ad expeditionis faciendum initium. Namque exercitus componendi, ducendi atque gubernandi ſeries & ratio omnis, non ad populum, ſed ad duces & primates, atque adeò ad imperatorem pertinebat. Hos verò rem ipſam tenere, belli cauſas cognoſcere, vitia cauere & modos definire oportebat. Atque hactenus de reipſa nihil certi ſtatui potuit, cùm nemo ex principibus rem exploratam haberet; nemo ex iiſdem, nec ex populo etiam certo nuntio quicquam veri ac certi accepiſſet: ideò bis anteà in hac hiſtoria ſcriptum eſt, & audierunt filij Iſrael: & audierunt filij Iſrael. *Semper anteà auditum fuerat, idq́; populariter nihil hactenus viſum, nihil exploratum, nihil etiam obſeruatum earum legum, quæ legitimo etiam cum hoſte, antèquàm manus conſereretur, ſeruandæ erãt.*

Deut. 22. *Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm*
" *pacem &c. Igitur prima in illo conuentu actio fuit, decernere legatos, per quos belli inferendi cauſa primùm inquiratur & expoſtule-*

tur

tur; aut ſi nulla eſſe intelligatur, vel ſi mitigari res aut corrigi aliàs legitimè poßit, armis ſuperſedeatur.

Et interim miſerunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari ſacerdotem, & decem Principes cum eo, ſingulos de ſingulis tribubus. Qui venerunt ad filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe in terram Galaad, dixeruntque ad eos.

H*Æ*C *vt ſuis partibus ſingula explicentur, ex Hebraico verbo ſic verti poſſunt:* Et miſerunt filij Iſrael ad filios Reuben & filios Gad & dimidię tribus Manaſſe in terram Galaad Phinees filium Eliezer ſacerdotem [illum] & decé principes cum eo, principem vnum, principem vnum domus patris omnibus tribubus Iſrael, & vir caput domus patris eorum, ipſi miliaribus Iſrael.

Cauſam prius cognoſci atque agi, quàm bellum indicatur aut inferatur, diuina lege ſancitum erat, idq́; totius modo concilij ſententijs eſt decretum, delectuſq́; eſt adhibitus vndecim virorum, quorum propter munus id agere et cognoſcere maximè intererat, vt qui & apud ſuos auctoritate plurimum, & apud ceteros vel gratia valerent, vel auctoritate & opinione ſuſcipiendi eſſent, quíque munus ſuum non niſi grauiter, ſapienter ac maturè agere apud vtramque partem poſſent. Erat verò duplex Iſraelitarum aduerſus fratres querela, duplexq́; intendebatur crimen; alterum religionis per ſummum nefas violatæ, alterum fraternæ ſocietatis ac neceßitudinis diſciſæ atque deſertæ, Iſraelis nomen vtroq́; facinore fœdatum & contaminatum, idq́; ſtudio ſingularis & priuatæ gloriæ, atque tuendi nomina ſua, neque in illo communi Iſraelis inuoluerentur. Quamobrem qui Iſraelis filios ſe profitentur, ijs qui ſeparata nomina filiorum Reuben & Gad & dimidiæ tribus Manaſſe affectare videbantur, communi conſenſu legatos ac diligentiæ ſuæ vicarios decernunt Phinees Eleazari filium, ſummum illa tempeſtate ſacerdotem, cuius præcipuè intererat violatæ religionis cauſam curare & procurare, ac legitimo officio & ritu expiare, cuiúſque in huiuſmodi ſeditionibus componendis dexteritas, prudentia, auctoritas & ſedulitas memorandis exemplis ſpectata exploratáq́; iam pridem atque Dei iudicio probata fuerat. Ad eundem quoque tanquam ad patriæ patrem ciuilis ac fraternæ ſocietatis cura pertinebat. Igitur hic præcipuè vtramq. partem

actu

acturus deligitur, cui decem viri additi ſunt, decem tribuum proceres, non auctoritate, conſilio atque munere modò in rerum gubernatione ciuilium præſtantes, ſed in bellicis etiam expeditionibus tribunitia poteſtate inſignes, atque etiam in ijs quæ iam commemoratæ ſunt aduerſus Cananæum hoſtem expeditionibus, virtute, fortitudine dexteritatéque ſpectatiſsimi. Vir domus patris eorum: ipſi in miliaribus Iſrael. *Militaris apud illam gẽtem diſciplinæ conſuetudine ac lege Præfectorum appellationes ac tituli ex numeris eorum quibus praeeſſent, petebantur, Decuriones, Quinquagenarij, Centuriones, Millenarij & Millenariorum capita, hoc eſt conſcripti Patres, qui ſingulis tribubus, tum in bello, tum in concilijs, conuentibus actionibusq́. publicis omnibus præibant. Atque huiuſmodi ſupremam in ſingulis tribubus auctoritatem hi decemuiri obtinebant: quos de tanta re legari oportuit, vt ſingularum tribuum ſummam poteſtatem repræſentantes. Atq. ita in horum actis nullus priuato cuiquàm quicquam excipiẽdi relinqui poterat locus. Ab his igitur, qualis actio inſtituta, & cuiuſmodi oratio fuerit habita, attendamus.*

Hæc mandat omnis populus Domini.

LEGATIONEM *non priuato cuiuſquam iure, vel munere, vel cõſilio, ſed Eccleſiæ omnis iudicio decretã fuiſſe, exordium profitetur ipſum ſacroſancto Dei nomine appellato, cuius præcipua in hoc negotio cauſa verſaretur. Itaque auctoritatem in primis cõciliat ſibi oratio, vt ab omni concilio profecta nomine Eccleſiæ Dei. Namque Hebraica vox* GHEDATH IEHVEH *huiuſmodi interpretationem Græcam poſtulare videtur, Eccleſiæ videlicet: Latinam verò Cœtus vniuerſalis, quod idem cum Eccleſia ſignificat. Quamquam verò ij etiam, qui compellabantur, eiuſdem Eccleſiæ pars eſſent, & in Dei cœtu conſcripti, tamen ab eo titulo nunc excipiuntur, vt rei acti, & ſi non diſceſſus & ſchiſmatis, attamen ſuſpicionis crimen, quoad diluerent, ſuſtinentes. Magnæ verò prudentiæ plenum initium hoc fuit, ad percellendos eorum, qui compellabantur, animos. Etenim bonis & pijs viris grauiſſimum malum eſt, non ſolùm ſentire, ſed cogitare ſeſe à populi Dei, id eſt ab Eccleſiæ communione eſſe abdicatos, cùm veriſſimum ſit nullam hominibus extra Eccleſiam conſtare ſalutem. Itaque illi extra cœtum Dei eſſe, ſaltem cenſeri, principio audiunt: atque eiuſmodi cenſuræ cauſam & culpam ſibi vel eſſe præſtan-*

ſtandam, vel ſuſtinendam, intelligunt. Hactenus legationis titulus auctoritáſque oſtenſa eſt: quæ diuini nominis maieſtate religionem, auctorum grauitate attentionem atque fidem parat, cauſæ quoque agendæ dignitatem commendat; eam enim ab omni cætu & concilio Domini profectam, maturo conſilio, intento ſtudio & opportuna oratione initam credere oportet. Verbum mandat, *hoc loco ex Hebraico* AMAR, *orationem rerum ac ſententiarum conſiliíq; plenam indicat: quæ cùm ex facti conſtitutione & conſilij ac voluntatis oriatur ſuſpicione, mixtum ſtatum præfert, definitiuum ſimul ac legitimum; duplexq; crimen continet: alterum contaminatæ religionis, & ſuperſtitionis admiſſæ: alterũ verò fœderis rupti, fraternæq; neceſſitudinis ac fidei violatæ. Atque prius quidem duabus etiam partibus iiſdémque grauiſſimis conſtatur, vt inter exponendum indicabitur.*

Quæ eſt iſta tranſgreſſio? cur reliquiſtis Dominum Deum Iſrael, ædificantes altare ſacrilegum, & à cultu illius recedentes?

MAGHAL *in ſacra lingua ſcelerum omnium caput & ſummam continet, grauiſſimumq; cenſetur: nam diuini humaniq; iuris contemptionẽ & violationem atq. officij omnis defectionẽ amplectitur: hoc Latinus interpres verbi ſecutus etymon, Trãſgreſſionem dicit, vt omne facinoris exemplum ſupergreſſam: id in duas formas diuiditur; altera Dei timorem ac religionẽ excludit; altera verò ius inter homines obſeruandum, honeſtiq; officij genus omne peruertit. Atqui religio duobus contaminatur modis, neglectione & ſuperſtitione. Eſt autẽ Neglectio auerſio à veri numinis timore & adoratione, vt religioſis vtamur verbis. Superſtitio, eſt alieni hoc eſt vani cultus numinis, vel veri numinis non legitimus cultus. Igitur totum in ſumma crimen hoc, grauiſſimo illo atque horrendo* MAGHAL, *id eſt, tranſgreſſionis nomine definitur: idemq; ſuis partibus omnibus numerandis confirmatur, quæ tum ex facto, tum ex cauſæ ſuſpicione arguuntur. Criminis itaq. propoſitio illa eſt,* Quæ eſt iſta tranſgreſſio? *Partitio verò illa,* reliquiſtis Dominum Deum Iſrael. *Dei nomen hoc loco gubernatorem, prouidentem, iudicemq; ſignificat, cuius in Iſraele creando, educendo, ornando, atque amplificando nomen & numen tot tantiſq; fuit documẽtis declaratum. Quòd ſi nullum aliud numen*

obſeruare & colere voluiſſent, tamen MAGHAL *erat eum relinquere Dominum, quem ipſi patres, aui, maioresq́, denique Iſrael omnis regem, iudicem, aſſertorem & gubernatorē perpetuò experti laudauiſſent, nedum cùm non modò illum reliquerint, ſed etiam religionis cultu imminuto, vel per ſummum nefas immutato, grauiſſimè offenderint.* ædificātes altare ſacrilegum. *Hebraicè eſt, In ædificare vos vobis altare. Quamquam enim non alij numini, quàm illi noſtro ſingulari omnium gubernatori ac Domino, tamen cùm vos, præter conſilium conſenſúmq́ noſtrum, imò præter legitimum ſacrorum ordinem atque ritum ab eodem præſcriptum ædificauiſſetis etiam in noſtrum vſum & commune nomen, maxima tranſgreßio eſſet. Quid quòd non nobis omnibus? ſed vobis tantum ædificaſtis: atque hæc prima ſocietatis noſtræ conciſio fuit. Vt verò huic pleniſſimo ſceleri cumulus adderetur, non Deo ipſi Iſrael, qui præterquam in communi vnica Eccleſia non ritè colitur, nec templum, aut altare ſibi dicari, præterquam in loco ipſius voluntate optionéq́ ſignato, probat, ſed & vos non hoc ſtudio feciſtis vt vobis et nobis ædificaretis illius nomini conſecrandum; quo quidem pacto tametſi peruerſam, tamen aliquam pietatis erga ipſum & erga nos obiecißetis ſpeciem. verùm hoc animo ac ſtudio feciſtis* à cultu illius recedentes. *Hebraicè,* ad rebellare vos hodie in Domino: *Hoc eſt, conſultò, data opera, publicè, communiter, impudenter, nulla dilatione, nullo colore, nullo tēpore vſi, ſed palàm, breuiter, apertè hodie profitemini vos aliū Deū vobis cōſecraturos & culturos. Ita genus ipſum criminis, hoc eſt trāſgreßio, in accuſatione propoſitum, duabus partibus expoſitū eſt, deſertione et ſuperſtitione: atq. hæc omnia vno facti argumento cōfirmata, altaris videlicet cūſtructi. Obiter verò alterius criminis fundamenta iacta ſunt; nempè diſceſſus, & fidei fraternæ violatæ. Iam verò criminis reprehenſio ad legitimum ſtatum producta amplificatur: Namque hactenus in definitiuo verſabamur, dum tranſgreßionis nomen ſceleri impoſitum firmabatur; nunc deinceps vltionis grauißima dignum facinus, non tantùm ex lege, quæ definitionem conſequebatur, ſed ex exemplis & præiudicijs oſtenditur: atque adeò ex ipſorum qui accuſantur contumacia, quibus non nouum aut recens huiuſmodi ſcelus admiſſum, ſed malo animo anteà obitum, malis moribus firmatum*

tum nunc denuò repetatur, tanto grauiori pœna dignum, quanto maiori ſtudio peccantibus obijcitur admiſſum.

An parum vobis eſt, quòd peccaſtis in Beel-Phegor, & vſque in præſentem diem macula huius ſceleris in nobis permanet, multiq́ue de populo corruerunt?

AMPLIFICATIO *criminis à definitiuo ad legitimum ſtatum tranſlati, ſuperior orationis pars ſcelus definierat tranſgreßionis nomine primùm, idē verò deinde ſingularis ſuperſtitionis genere ſiue forma concluſerat, duplici culpa, quòd relicto Deo nefarius cultus ſuſciperetur. Nunc iam duplici etiam ratione amplificatur: quòd repetitum ſit idē ſcelus iam aliàs admiſſum turpißimo exemplo. Nam quod ſemel ſuſceptum fuerit, id opprobrio illis eſſe debuit ac pudorem afferre, quem non niſi longißima pœnitentia & correctio dißimulare poſſet. Atqui illis contrà adhuc recenti nondumq́; elutæ turpitudinis macula eiuſdem flagitij repetitum exemplum ignominiam perpetuam apud homines cum diuina vltione moliebatur, grauißima illa profecto & contumaciæ atque impudentiæ peccantum dignißima. Si enim vel ſemel ſuſceptum ſcelus inultum euaſiſſet, tamen nefarij flagitij eſſet ignoſcentis aut dißimulantis Dei miſericordia abuti: quāquam humani ingenij peruerſitas eiuſmodi Dei clementis expectationes, indulgentiam vel negligentiam ſæpe interpretata nouis etiam flagitijs cumulandis in ſupplicij maturationem mutari, vel tarditatem grauitate compenſari faciat. S.S.E. Hæc feciſti, & tacui: Exiſti-* Pſalm.49.
maſti inique, quòd ero tui ſimilis: arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Itaque magnum ſcelus nefariumq́; eſt ſemel à Deo etiam impunè diſceßiſſe: Maius non ſolùm non reſipuiſſe, verùm idem flagitium impudenter repetijſſe, idq́; publicè & communiter. Lōgè verò maximum, id commiſiſſe poſt iudicij atque pœnarum experimentum, quod vel furioſam idolomaniæ rabiem, vel improbam deteſtandamq́; contemptionem arguit. Hāc omnem rationem criminis amplificandi ex re ipſa, & ex hiſtoriæ recentis cōmemoratione legati proſequuntur. Quamquam verò ex Latina noſtra lectione cauſa illa Baghal-Peghor his tantùm duabus tribubus ac dimidiæ adſcribi videatur, tamen ab oratoribus vt communis cōmemoratur ac lugetur, vt ex Hebraico verbo primùm, deinde ex re ipſa conſtat:

An parum vobis prauitas Paghor, quòd non mundati fuerimus

mus ex eo vſque in hunc diem, & fuit plaga in cœtu Domini.

Huius argumenti hac ſumma ſententia eſt: Vel ſemel à Deo deſciuiſſe, atque vanos & impios iniſſe cultus, turpe, probroſum, nefariumq́ eſt, etiam ſi nullum conſecutum fuerit ſupplicium; idem verò iterum admiſiſſe, turpius & ſceleratius: omnẽ autem turpitudinem ſuperat, grauißimamq́ expectat vltionem, id quod iam fuerat à Deo non modò iudicatum, ſed ſeuera etiam animaduerſione vindicatum denuò animaduerſionis plagis adhuc recentibus & calentibus, tamen publicè per multos, imò per magnam Eccleſia partẽ magis etiãnum furioſo exemplo redintegratum. Vt verò argumenti huius põdus aptius examinetur, hiſtoriam illam hoc loco referri non pigebit. Mora- Num.25.
,, *batur autem eo tempore Iſrael in Setim, & fornicatus eſt populus cũ*
,, *filiabus Moab, qua vocauerunt eos ad ſacrificia ſua. At illi comede-*
,, *runt, & adorauerunt Deos earũ: Initiatusq́ eſt Iſrael Beel-Phegor:*
,, *& iratus Dominus ait ad Moyſen, Tolle cunctos principes populi, &*
,, *ſuſpende eos contra ſolẽ in patibulis: vt auertatur furor meus ab Iſ-*
,, *rael. Dixitq́ Moyſes ad iudices Iſrael: Occidat vnuſquiſque proxi-*
,, *mos ſuos, qui initiati ſunt Beel-Phegor &c. & paulo inferius: Ceſſa-*
,, *uitq́ plaga à filijs Iſrael, et occiſi ſunt viginti quatuor millia hominũ.*
,, *Dixitq́ Dominus ad Moyſen, Phinees filius Eleazari filij Aaron*
,, *ſacerdotis auertit iram meam à filijs Iſrael: quia zelo meo commotus*
,, *eſt contra eos, vt non ipſe delerem filios Iſrael in Zelo meo. Quo in exemplo non omnem Iſraelitarum populum, non principes omnes viros facti reos fuiſſe legimus, ſed ex tanta multitudine ac frequentia quoſdam fuiſſe initiatos nefarijs illis cultibus ac ſuperſtitionibus, & tamen à Deo Moſen iuſſum primores populi ſuſpendere, vtpote illius flagitij vltionem minimè curãtes; Moſen verò egiſſe, vt qui re ipſa initiati fuiſſent occiderentur, occiſaq́ fuiſſe quatuor & viginti millia: quod niſi factum, atque hoc pacto ſcelus expiatum eſſet, certißima totius populi internecio expectanda erat. Quamquam verò pauci, hoc eſt viginti quatuor millia, qui aliàs ſatis multi, ſed pro tanta multitudine pauci iudicari poterant, occiſi eſſent, tamẽ flagitij turpitudo & macula in omnem Iſraelem permanauit, & vltionis dolor omnem populum pupugit. fieri quippe non potuit, quin ſingula tribus interemptorum contribulium neceßitudine*

dine

dine tangerētur, atque illius etiam ſceleris pœna complures, quos eodem tempore ceſſante plaga prætermiſerat, ponè tamen deinceps præmeret nouis aſſiduisq́; ſingulorum notandis exemplis. Nam temporalem, quam vocant, pœnam, non ſemper quamuis condonata culpa condonari, doctorum virorum communis ex ſacra diſciplina ſententia docet. S.S.E. Et initiati ſunt Beel-Phegor, & comederunt ſacrificia mortuorum: Et irritauerunt eum in adinuentionibus ſuis, & multiplicata eſt in eis ruina. Et ſtetit Phinees, & placauit, & ceſſauit quaſſatio. Hoc itaq. exemplo maximi & grauiſſimi atque communi ſupplicio vindicandi ſceleris tribus illæ ab oratoribus arguuntur, atque ceterarum tribuum ſtudium defenditur, vtpotè quarum eiuſmodi exemplum vel ne edatur, impedire & auertere, vel ſi id non conficiatur, ferro atque igni expiare interſit; alioquin in eandem diuinam ſententiam corripiendorum: Adeò (inquiunt) deteſtanda illa ſceleris Baghal-Peghor turpitudo et macula nobis inhæſit, vt huc vſque nondum ſit vel pœnitentia eluta, vel obliuione deleta, ſed nunc denuò fœdior etiam extare incipiat, nullo metū vltionis illi ſimilis, quæ Iſraelitarum Eccleſiam omnem tetigit, & parum abſuit quin obrueret. & vſque in præſentem diem plaga huius ſceleris in nobis permanet. *Res ipſa & Hebraica lectio ſuſpicionem facit in Latinis, quibus vtimur libris, affinem literis vocem Vobis pro Nobis eſſe ſcriptam, quod & ſex etiam Latinorum exemplarium fide Plantiniana Biblia oſtendunt.* An parum. *Huiuſmodi ſchemate deteſtari ſolemus ea, quæ magna cum pernicie cœpta cū fuerint, peiori etiam porrò vrgentur exemplo: vt:*

Pſal. 106.

Hor. Epod.

Quò quò ſceleſti ruitis, aut cur dexteris
 Aptantur enſes conditi?
Parúmne campis atque Neptuno ſuper
 Fuſum eſt Latini ſanguinis?

Eſt itaque reprehenſionis huius argumentatio, à ſimili, à pronuntiato, à iudicato. A ſimili, quòd ob paucorum noxam & ſcelus in omnem Iſraelem turpitudo permanauerit. A pronuntiato, quod ex indicata hiſtoria apparet, Deū offenſum de ſuſpēdendis iudicib. cum Moyſe egiſſe. A iudicato verò, quòd quamquam clemēter in illos animaduerſum fuerit, tamen viginti quatuor millia fuerint deſiderata, quorum nece Iſraelitas omnes oportuit eſſe pertactos, quibus rebus

omnibus efficitur, vt ſcelus hoc maiori hominum turbæ, hoc eſt duabus tribubus cum dimidia ſuſceptum turpiori nota, grauiorig; pœna dignum cenſeri debeat, atque ex conſequenti ceteris tribubus maiori ſtudio vel impediendum, vel vindicãdum ſit. Quòd verò culpæ huic maius atque deliberatius conſilium fuerit adhibitum, ipſo arguitur facto. Siquidem in Baghal-Peghor vulgaris ac repentinus impetus excuſari potuit populi mulierum alienarum illecebris & artibus inuitati, præſentium ludo, & conuiuiorum epularumq; inſano apparatu & ſplendore præſtricti, ſtupentis, & corrupti, cùm accliuus animus falſis meliora recuſare ſoleat, prauaq; alieni exempli conſuetudine facilè in vitiũ impellatur. At verò his cùm nullũ præſens exemplũ conſtaret, nuper à Dei tabernaculo profectis, tamen ſacrorum communionẽ violandi nõ ſolùm libido inceſſit, ſed ſacrilego exædificato altari expleta eſt. Grauiſſimæ profectò argumẽtationis propoſitio hoc verſu continetur, cui deinde aſſumptio complexióq. adiungitur.

Et vos hodie reliquiſtis Dominum, & cras in vniuerſum Iſrael ira eius deſæuiet. *Ex Hebraico ſic Latinè verbo hæc reddi vtcunque poſſunt:* Et vos reuertimini hodie de poſt Dominum, & erit, vos rebellabitis hodie in Domino, & cras in omnem cœtum Iſrael iraſcetur.

ARGVMENTATIONIS *aſſumptionem cum partium exaggeratione primum huius verſus membrum habet. Namque in exemplo illo, quo propoſitio continebatur, tria illa verba vſurpata ſunt,* Prauitas Baal-Peghor *magnam intulit nobis labem: non quòd omnes deprauati fuerint, ſed quòd quorundam prauitate labes in omnes deuenerit. Hîc verò extrema ipſa aſſumptionis grauiorem ſignificationem referunt:* Vos reliquiſtis hodie Dominum. *Nec enim vel tam ſtudioſè, vel tam grauiter, vel tam contumelioſe & probroſè illi peccaſſe dicuntur, ſed prauè egiſſe, non qui Deum reliquiſſe, ſed qui mortuorum ſacrificia comediſſe, qui nefarios ludos ſpectaſſe, & partim libidini ſuccubuiſſe accuſentur, idq; ſubito atque inſano ſpectaculo illecti admiſiſſe: & tamen ita puniti fuerint, vos verò ſimul omnes, tãtus populus, primi ac poſtremi, tanto conſenſu, apertè & in media luce, poſt illius exempli & aliorum notitiam* hodie, *ita vt quamquam decem aut pluribus etiam abhinc diebus patrata res fuerit, tamen hodie fouetur & conſeruatur. Neq.*

verò ſolummodo prauè egiſtis, ſed dereliquiſtis Dominum, *ita vt illius numini & cultui nuntium remiſeritis. Quòd ſi prauè egiſſe magnum ſcelus eſt; omninò derelinquere, quantum fuerit nefas? Maximè cùm non tantum dereliquiſſe cenſeamini, ſed nefario etiam ſuperſtitionis flagitio magis magisq́; offendere ſtudeatis: quippe altare illud non modo Dominum derelinquendi cauſa factum videtur, ſed vanis etiam cultibus ad inuidiam in vos prouocandi, atque vtroq. pacto ab illius cultu & ab Iſraelitarum communione diſcedendi, ſicut Moſis vaticinio præuiſum ſcriptumq́; fuerat: Dereliquit Deum fa-* Deut. 32.
ctorem ſuum, & receßit à Deo ſalutari ſuo; Prouocauerunt eū in dijs "
alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt. Ex hac "
aſſumptione duplici parte conſtante, hoc eſt (vt logici loquuntur) hypothetica, nimirum, quòd reliquerint, & rebellaturi ſint, complexio conficitur neceſſaria. & cras in vniuerſum Iſrael ira eius deſæuiet. *Nam ſi ob prauitatem Baghal Peghor, in qua non dicitur Iſrael ſacrificaſſe, tantùm epulis illis mortuorum conuiuas quoſdam ſeſe præbuiſſe, tamen plaga in cœtu Domini fuit, eo quòd partim communicauerint epulis, partim cōmunicantibus non obſtiterint, atq. id eadem die factum fuit; quidnam ex hac auerſionis & rebellionis culpa expectandum erit, quam tametſi præſens non comitetur pœna, tamen celerrima eademq́; grauißima, niſi legitima expiatio interceſſerit, conſequatur neceſſe eſt. S. S. E. Vidit Dominus, & ad iracundiam* "
concitatus eſt, quia prouocauerunt eū filij ſui & filiæ. & ait, Abſcon- "
dam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouißima eorum: generatio "
enim peruerſa eſt, & infideles filij: ipſi me prouocauerunt in eo qui "
non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus ſuis: & ego prouoca- "
bo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos. Ignis "
ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouißima. "
Cur verò oratores hi dixerint, patrati ab illis tribubus ſceleris vltionem non eadem die, ſed paulò poſt, cras inquam futurā, illa ratio eſt; quòd, cùm illæ, non in terra dum cum alijs Iſraelitis erant peccaſſent, ſed poſtquam fuere ſeparatæ ab alijs, priuato conſilio à Deo receßiſſent, diuini iudicij æquitas expectationem poſtulabat exempli à ceteris Iſraelitis edendi, vel expiationis procurationisq́; publicæ, vel neglectionis; quod ſi expiatio maturè non procuraretur, proxima erat neglectio, atque hanc conſecutura fraterni ſceleris imitatio. Etenim

dum

dum non omnes in eodem cœtu idem ſapiunt, facillimè ac breuiſſimè, ſtudiorum, conſiliorum, cultuum & opinionum æmulationes contentionesq́ exiſtunt, quæ & diſcordias inter homines pariunt, & illam ſimplicem Dei ſapientiam, bonitatem ac maieſtatem offendunt ac lædunt, & ad pœnas cumulatè inferendas prouocant. S. S. E. Et irritauerunt eum in vanitatibus ſuis, & multiplicata eſt in eis ruina. Et cras in vniuerſum Iſrael ira eius deſæuiet. *vel quòd nefario ſceleri veſtro non obſtiterint, vel quòd corrupti etiam alij ſuis ſinguli altaribus erigendis impuriſq́ ritibus & cultibus ad faſtū et cōtentionem in ſuo cuiuſque loco exercendis veſtro peſſimo exemplo obſecundauerint; id quod vſu vel abuſu potiùs venire vulgò videmus, vbi improbandi exempli licentia à potentioribus ad populum demanauit. Sic enim peſtilentiſſimæ ſuperſtitionis ſcelus à Ieroboamo cœptum, reges omnes poſteri vrgendo & amplificando in omnem Iſraelitarum populum proſeminarunt.*

Pſal. 105. (margin: l.105.)

Quod ſi putatis immundam eſſe terram poſſeſſionis veſtræ, tranſite ad terram in qua tabernaculum Domini eſt, & habitate inter nos: tantum vt à Domino, & à noſtro conſortio non recedatis.

DVPLEX *in hac oratione crimē Cis-Iordanēſes Iſraelitæ Trās-Iordanenſibus obijciebant; alterum diſceſſus à ſacro legitimoq́ Dei vnius cultu, alterum verò ſeiunctionis à communione tum ſocietatis, tum dignitatis Iſraeliticæ, quam cùm integram cōſtare ac perſeuerare oporteret, iſti diſſecare & contaminare videbantur, atq. ex altero alterum neceſſariò conſequebatur. Sed ne reſponſione aliqua eleuari crimen à reſpondentib. poſſet, partitione accuſatio inſtruitur membris propoſitis & reprehenſis duobus. Quippe accuſatores hi confirmare volunt, ſuperſtitionis ſiue nefarij cultus ſcelus à reis fuiſſe ſuſceptum, altareq́ illud ea cauſa fuiſſe conſtructum. Nefas namque erat dijs alienis ſacra inſtituere, ſiue id in Cananæa regione iam tum Deo vero vendicata & adſcripta, ſiue alio in loco fieret. Siquidem Domini eſt terra & orbis terrarum et vniuerſi qui habitant in eo. Nefas item Domino Deo vero cultum aliquē alibi ſacrare, quàm in eo loco qui ipſi eſſet delectus. S. S. E. Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine. Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.*

(margins: Pſalm. — Exod. 15.)

tuæ. Igitur vtrumuis conſilium à cis-Iordanenſibus cœptum fuerit, tamen improbatum damnatumq́; trans-Iordanēſes volunt. Vel vos, inquiunt, eo animo feciſtis, vt alium Deum vobis intra terram nobis tributam optaretis & conſecraretis, atq. iſtud MAGHAL *flagitioſiſsimum eſt: vel vt eundem nobiſcum coleretis Deum, ſed altero à nobis loco ſingulari ſtudio nominis priuatè vobis comparandi: verùm quòd regionem veſtram duxeritis immundam (vtpote nec antiquorum promiſſorum, nec recentiorum præſcriptionum finibus contentam) in noſtris agris aram iſtam conſtruere voluiſtis, qua Deum communi ſtudio & conſilio atque opere colendum vobis priuatè arrogaretis, vel ſeparato cultu diuideretis; ſiue id propterea factum ſit, quòd commune illud & ſacroſanctum omnibus nobis tabernaculum nimis longè diſtare putaretis, & propinquiorē vobis optaretis aram, ſiue certè diuiſam à nobis vt regionem, ſic etiam religionē maluiſtis, quàm eandem vnicam & cōiunctam. Vt vt res habeat, duplicis omninò ſceleris crimen effugere poteſtis minimè, religionis primùm, deinde cōmunis ſocietatis atq. fraternæ violatæ neceſsitudinis. Nā ſi vos hoc nomine fraudatos exiſtimaretis, quòd regio veſtra, et ſi aliàs capax admodum atque commoda ſit, minus tamen vobis pura ac ſacra cenſeatur: idquod nullis rationibus euinci poteſt, cùm perinde illa vobis atque altera nobis Dei beneficio contigerit, qui de immundo ſolus mundum & purum facere poteſt, quiq́; terram habitatorum, non habitatores terræ cauſa conſecrat: tamen ſi ita iudicaretis, optandum potius & vobis & nobis fuerat, ea, quam vobis cupieratis et poſtulaueratis, reiicta regione, ad nos migrare, locaq́; vobis probanda deligere & occupare noſtro etiam incommodo, quod quamuis magnum nos potius vltrò pati poſſumus ac debemus, quàm vel minimum in religione diuortium, vel in nominis, neceſsitudinis ac ſocietatis communione & ſanctitudine ferre diſsidium. Grauiſsima profectò oratio, atque bonis, fortibus, & pijs viris digna optio hæc fuit, quæ alteri parti non ſolùm proponebatur ac dabatur, ſed etiam deliberato conſilio denuntiata imperabatur.* Tranſite ad terram in qua tabernaculum Domini eſt, & habitate inter nos: *non vulgaribus ac deſpectis in locis, ſed vt Hebraicè eſt,* intra nos, *quàm commodiſſimas vobis deligite ſedes. Huiuſmodi ſignificationem habet vox* תוך, *pro qua Interpres noſter reddere ſolet, In medio: vt, In medio populi* 4. Reg. 4.

mei ego habito, id eſt, commodè ago, nullâq; re indigeo. Satis verò grauis & multis inſtructa numeris accuſatio hæc fuit, criminis non modò ex coniectura conflati, ſed argumentis à re ipſa, à genere, à forma, à circumſtantijs locorum & perſonarum productis, cui additum eſt etiam examen ponderum, legitimi ſtatus, exemplis atq. præiudicijs communitum, quod ne qua ex parte vel ſingulari exceptione infirmari poſſet, nouo atque recenti adhuc amplificatur exemplo.

Nónne Achan filius Zare præteriit mandatum Domini, & ſuper omnem populum Iſrael ira eius incubuit? & ille erat vnus homo: atque vtinam ſolus perijſſet in ſcelere ſuo!

IN *generis huic facto aßignandi definitione verbum & nomen* MAGHAL *reprehenſores hi vſurpauerant, quod propterea grauiſſimum cenſetur, quòd eius mulcta non auctorem ſolùm, ſed omnem cœtum etiam corripiat. Nunc ne qua declinandi criminis excogitari poſſet alteri parti ratio; quænam & quàm amplæ huius generis formæ ſint, exponitur, atque ex duobus exemplis certa conficitur definitio. Prius, vti adnotauimus, exemplum ſceleris apud Baghal Peghor admiſſi, quod non omninò vanorum Deorum cultus fuerat, ſed quòd vani cultus redolebat ſtudium, ſub ratione* MAGHAL *comprehenſum eſſe, ipſa cõſecuta pœna ſatis apertè edocuit. Verùm, nequis ea tantùm, quæ ſimulacrorum prophanum cultum ſpectant, hoc nomine comprehendi, reſpondere poſſet, Gachani etiam exemplum producitur penè recens, & nulli eorum, qui tunc viuerent, ignotum, nempe ante non multos annos editum, in quo homo ille ob exiguam anathematis particulam clàm ſecretiſſimeq; ſublatam, non tantùm ſibi domuiq; ſuæ exitium, ſed omni Iſraelis nomini labẽ, et genti etiam, niſi matura interpellaſſet expiatio, perniciem molitus eſt. Atque hoc ipſum facinus nomine* MAGHAL *notari, comes declarauit pœna. Quibus exemplis illud ſtatuitur videlicet: Facinus omne quod aduerſus legem cœtui communiter latam admittitur, Maghal appellari, eiuſdemq; quamuis ſingulariter, quamuis ſecretò patrati pœnam in omnem cœtum permanare; debere ergò communiter procurari & expiari. Atque diſputatio omnis hæc recitata amplificatione continetur: argumentum verò ad amplificandum ex comparatione ſumitur, hoc*

tur, hoc modo: Ne quis Baghal-Peghor exemplum antiquius eſſe dicat; néue an eadem diuinæ prouidentiæ in animaduertendo ſeueritas conſtans, perpetua ſibiq́ ſimilis perſeueret, in dubium vocare poßit, quamquàm illius ſceleris macula adhuc in nobis hæreat, extat tamen exemplum penè heſternum Ghachani, quod non in ſimulacrorum cultoribus modò, non in publicis & patentibus flagitijs, non in ijs quibus, qui non ſeſe contaminauere, tamen conniuere ſolent, ſed in omni communiter vetitæ rei ratione, quamuis occultißimè, quamuis paucißimis fuerit ſuſceptum ſcelus, publicè tamen luitur, niſi diligenti ſtudio inquiſitum, & ſeuero iudicio cognitum expietur: Nedum nos accuſare & vindicare in vobis debeamus grauißimum MAGHAL *facinus publicè, communiter, ſtudiosè, magna frequentia magnaq́ conſtantia ſuſceptum, ac tanto molimine, tanta opera non ſolùm commiſſum & perpetratum, ſed publicatum etiam & monumentis ad poſteritatis memoriam conſecratum, nimirum altari hoc grãdi & operoſo conſtructo. Iam verò verba ipſa ſingulariter expendimus,* Nónne Achan filius Zare pertranſijt mandatum Domini? *Verbi ipſius vim Latinus interpres Latinè expoſuit. Nam Præterire mandatum Domini (quod videlicet omnibus mandatũ erat) reddidit pro nomine ac verbo Hebraicis* MAGHAL MAGHAL? *Trãſgreſſus eſt tranſgreßionẽ: vt ſic dicamus. Quod verò* MAGHAL *nomine et ratione etiam alia ſcelera præter ſimulacrorum cultum contineantur, declaratur Hebraicè* BAHHEREM: *& Græcè ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος, in anathemate. Totum verò cœtum pœna* MAGHAL *vnius ob noxam obligari, quamuis occultam, ipſo cum domus domeſticorumq́ illius ſupplicio, tum eorum exemplo, qui apud Hay occubuerant, manifeſtum eſt.*

Et ſuper omnem populum Iſrael ira eius incubuit.

DEI *nempe ira, qui de publicæ calamitatis & ignominiæ cauſa conſultus, reſpondit: Peccauit Iſrael, & præuaricatus eſt pactum meum &c. Atque initio narrationis facinoris illius legimus: Filij autem Iſrael præuaricati ſunt mandatũ.* MAGHALV MAGHAL. *Eadem illic atque hîc nomina & verba ſunt. Quod vero non tantùm iudicio & ſententia, ſed etiam ſupplicio & pœna publicum peccatum illud eſſe declaratum fuerit, exitus ipſe docuit.* Et ille erat vnus homo, atque vtinam ſolus perijſſet in ſcelere ſuo! *Hebraicè:* et ille Supr. 6.

vir vnus non perijt in prauitate ſua. *magna diſtinctione vocabulorum: ſiquidem* MAGHAL, *vti diximus, commune peccatum & facinus eſt, cōtra publicam communemq́ legem ab vno vel pluribus peractum.* GHAVON *verò, quod Latinè Prauitatem vertere poſſumus (vt Interpres noſter perſæpe vertit) Peccatum eſt ſingulariter à ſingulis patratum & luendū. Verbum verò* GHAVAGH, *pro quo hîc Perire legimus, in ſacra lingua vitæ exitum ſignificat communem, et ſine ſtrepitu, aut celebritate aliqua, vel notatione, ignotamq́ mortē: cuiuſmodi obſcurorum hominum eſt, qui nati morientesq́ fefellerunt, & eorum etiam, qui non tam mori quàm ſolui exiſtimantur, qualem valdè ſenibus accidere videmus, & ijs etiam qui aquis demerſi extinguuntur. In huiuſmodi exemplis verbum hoc vſurpari obſeruauimus. Vtinam, inquiunt, ſcelus illud vt ſingulare hominis illius peccatū, & non potiùs totius populi crimen, diuino iudicio atq. exitu ipſo declaratum fuiſſet. Si hæc per negationem exponantur, vt Hebraicè leguntur, eadem omninò ſententiæ vis atque ratio fuerit. Hactenus grauiſſima accuſatorum accuſatio, omnibus cauſæ numeris & ponderibus abſoluta perorataq́ fuit, cum multarum ad attendētium vtilitatem rerum ſignificatione, quas nobis explicare vtinam per commentationis breuitatem licuiſſet: verùm illam antiquorum piorumq́ hominum modeſtiam & humanitatem ſilētio præterire non poſſumus, qui quamuis fratribus admodum ſuccenſentes, atque adeò publicæ priuatæq́ ſalutis cauſa infeſti, nullo tamen ignominiæ genere contumelioſi fuerint: & quamquam in exiſtimatum vitium grauiſſimè perorarētur, nominibus tamen probroſisq́ appellationibus omninò pepercerint, manifeſto veræ pietatis, communiſq́ decoris ſtudio, atque exemplo noſtra tempeſtate ſatis deſiderato, quod profectò nec minus prudēter, nec ſapienter minus altera pars eſt proſecuta, crimine, non querimonijs, iurgationibus aut reprehenſionibus, ſed veri conſilij, ex quo actionum qualitas æſtimari debet, expoſitionibus depellendo.*

Reſponderuntque filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe principibus legationis Iſrael.

DVPLICES *partes ab accuſatoribus in ſuperiore criminatione ſuſceptas & actas cognouimus, Dei videlicet; alteras quas Phinees vt ſummus ſacerdos, & ceteri omnes vt Eccleſiæ Dei corpus ac*

membra

membra referebant: alteras verò ſuas ipſorum, hoc eſt totius Iſraeliticæ reipub. vtraſq; autem probare & confirmare potuerunt, & cauſam ex Dei legibus ac verbis cum hominibus, tum Deo ipſi probare. Nam quòd vtrarumq; partiũ nomine veras afferrent rationes, apertè docere poterant ex manifeſta diuinorum librorum lectione, & legibus atque exemplis in medium productis. Verùm animaduertẽdum eſt, Dei partes ad Phinees, quo iure vnctus ille, Pontifexq; erat, propius pertinuiſſe. Igitur vtrarumq; partium ratio ab accuſatoribus agitata, certior & manifeſtior eſſe potuit, argumentis ex ſacro arcanoq; volumine petitis. Erat verò cauſa cum de facto, tum verò maximè de facti ſtudio & conſilio, ex quo definitio iuſq; peti debuit, atque iudicij ſententia pronuntiari. Atqui reis ipſis ſua depulſio vtriſque partibus probanda erat; Deo videlicet ac populo: ſed an Deo probaretur, nulla quamuis longa oratione & redargutione oſtendi publicè poterat: quæ verò populum ſpectabant ipſum, vera ſiue vero ſimillima atque honeſta defenſione probari ſatis erat: Quippe cùm Deus non modò res & facta, ſed animi etiam ſenſus & cogitata penitus cognoſcat, neque vlla etiam vera ad cognoſcendum oratione ab hominibus facta indigeat, (ſcit enim ille quibus egeamus, antequam oremus, vt Chriſtus affirmat.) neq. veri ſimili vlla ſeduci poteſt, ſcrutans corda & renes Deus. Quamobrem defenſores hi breuiſſima oratione Dei partibus ſatisfacere contenti, præcipuam & maximam orationis vim in depulſione apud populum inſtituenda & abſoluenda conſumunt: id verò agunt non commiſſa defenſione vni cuipiam, vel pluribus patronis, qui per excogitatos colores fucum facere & crimen argutis rationibus declinare & ſubterfugere poſſent. Namq. huiuſmodi officia non tam rudi populo communia, quàm Rhetoricæ artis eloquentiæq; compotibus propria ſunt. Verùm enim verò cùm oratio factorum ac rerum veritate nititur, à quocunque conſtruatur, quacunque forma & ſpecie ſiue ornata, ſiue nuda proferatur, ſiue tenuis ac ieiuna, ſiue redundans atque copioſa fuerit, in vnicam demùm ac certam veri normam quadrat. Hinc certè eſt quòd eandem rem & vnus & plures ſimul ac ſeparati ijſdem ferè verbis, etiam minimè præmeditati, dicere poſſunt, atque ita deſcribere, vt actam et factitatam cognouerant. Nam vt ille præcipiebat, Verbaq; prouiſam rem non inuita ſequentur. Eſt enim verum huiuſmodi natura & ſim- Hor. in [illegible] .rt.

 plicitate

plicitate, vt cùm probè perceptum fuerit, ijſdem ferè, vel idē ſignificantibus narrari à pluribus poſſit. Quamobrē ſæpiſſimè ab Apoſtolis monemur, vt idem ſapere contendamus omnes : ex eo enim efficietur vt idem ſentiamus eloquamurq́; idem : atque huc illud ſpectat, quod quidam ex Latinis poëtis canebat,

Martial. in Amphit.

Vox diuerſa ſonat populorum, eſt vox tamen vna,
Cùm verus patriæ diceris eſſe pater.

Igitur omnes ij ſimul, qui à legatis rei fuerant conſtituti, vno ore & conſtanti atque ſibi ſimili oratione reſponderunt, nō Phinees tantùm ſacerdoti, apud quem Dei partes præcipuè agendas intelligebant, ſed breuiſſimè hanc rem abſoluentes ad eos, qui populi vice fungebantur, orationem ferè omnem intenderunt. Principibus legationis Iſrael, *Hebraicè, quod idem ſignificat, Et loquuti ſunt capitibus millium Iſrael. Hæc nobis ratio reddenda fuit, quamobrem omnis populus reſpondiſſe dicatur, quòd videlicet veritate niteretur oratio, non arte.*

Fortiſſimus Deus Dominus, fortiſſimus Deus Dominus, ipſe nouit, & Iſrael ſimul intelliget: ſi præuaricationis animo hoc altare conſtruximus, nō cuſtodiat nos, ſed puniat nos in præſenti: Et ſi ea mente fecimus vt holocauſta, & ſacrificium, & pacificas victimas ſuper eo imponeremus, ipſe quærat & iudicet.

PRIOR *criminis pars, quæ religionem ſpectabat, atque in definitiuo ſtatu à legatis perorata fuerat, ea ratione depellitur, qua maximè, cōmodiſſimè, breuiſſimeq́; depelli potuit. Erat enim ſtatus huiuſmodi: A vobis* MAGHAL *eſt admiſſum, Maghal verò ab omni cœtu, niſi legitimè expietur, pœnas Deo poſcente exigit; igitur vel vos factum corrigitote, vel illud nos vobis puniendis expiabimus, vel Deus & vos & nos mulctabit, idq́; quàm citiſſimè, ſicut productis exemplis fuit oſtenſum. Hanc partem rei negatione interpoſita atque ſanctiſſimo iure iurando confirmata depellunt. Qua in actione initio ſe Dei cultores omnibus nominibus ijs, quibus ille Iſraeli præcipuè notus & cultus erat, profitentur, quorū nominum vim efficacitatemq́; pro cauſæ ratione atque iudicio ſe experturos eſſe & experiri velle ominantur & optant. Nam quiſquis iurat, ſi verè atque ex animo iurat, ei cuius nomen iurando vſurpat, vel numen, ſanctitudinē, efficacitatemq́; eſſe credit & tribuit, vel religionem aliàs illi iureiu-*

rando attribuit, vt qui per caput alterius iurare ſolent. Atque priorem huiuſmodi iuriſiurandi rationem benè ac luculẽter pius ille Maſius expoſuit in huius loci commentario. Iam verò cùm iuriiurando imprecationes adduntur, quod genus arcana lingua ALAH, *Latina verò Diras vocat, hæ religionis metum atque ſenſum in iurantis arguunt animo. Sunt verò tria nomina, quæ in hoc iureiurando appellantur:* EL, *pro quo nunc Interpres noſter vertit Fortiſsimus, quod ad potentiæ, virtutis & efficientiæ rationes;* ELOHIM, *quod ad Dei in omneis prouidentiã et iudiciũ, et* IEHVEH, *quod ad miſericordiam & promiſſorum conſtantiam veritatemq́; refertur. Horum igitur diuinorum nominum vim efficacitatemq́; in ſe experiri petũt, pro facti ſui ratione & iuriſiurandi religione. Nam ſi id de quo accuſantur factum,* MAGHAL *à Deo iudicatum fuerit, non dubitant quin ſit publicè vindicandum, idq́; quàm citiſsimè, atque adeò pœnarum exemplum eodem ipſo die in ſe ſtatui poſtulant, tantum abeſt vt deprecentur: Sin verò ipſorum & conſilium & factum probatum Deo fuerit, ſperant & credunt id oſtendendum, nullo ſupplicio vel eodem tempore, vel in poſterum inferendo. Quamobrẽ diuinæ tum virtutis & efficientiæ, tum æquitatis & prouidentiæ, tum etiam benignitatis & efficacitatis numen obteſtantur, appellant & poſtulant, vt quæ hominibus aliorum ſenſum ac mentem ignorantibus occulta ſunt, nec niſi diuinitus cognoſci poſſunt, ipſe teſtis ac iudex inquirat, & grauiſsimis pœnis quamprimùm repetendis, vel contrà tranquillitate conſeruanda & prorogãda patefaciat. Obteſtationis verò repetitio, præter vehementem & conſtantem aſſeuerationem, quam indicat, duplici etiam reſpondet crimini. Nam facti quidem veritas conſtabat, hoc eſt altaris moles, idq́; duplici nomine fuerat ab oratoribus accuſatum: altero Maghal, hoc eſt conſilij deficiendi à Deo vero & vnico, altero verò ſocietatis communis diſcindendæ. Vtramq́; verò culpã vbi euiciſſent ſibi expiandum altera pars, hoc eſt inſontes affirmabant: Altera verò contra factum quidem non inficiatur (quod inficias iri non poterat) ſed facti tamen culpam diluit: priusq́; crimen, quod religionis puritatem & ſanctitudinem ſpectabat, hoc pacto depellit. Deus fortiſsimus iudex, idemq́; benigniſsimus, æquiſsimus, & conſtantiſsimus, nouit vt teſtis, nouitq́; vt gubernator iudéxq́; ſapientiſsimus & integerrimus: Nouit, inquam,*

quo

quo animo, quo ſenſu erga ſe fuerimus & ſimus : idem Deus iyſdem nominibus appellatus nouit, quo conſilio atque iudicio erga Iſraelis dignitatem & amplitudinem conſeruandam ſtemus; nec verò vllis verbis aut expoſitionib. opus illi eſt, vt facti ratio cognoſcatur, quippe cui occulta cordium & mentiũ abditiſsima, perſpicua ſemper apertaq́; ſunt. At verò Iſraeli vt, quæ ad eum pertinet, facti huius pars pernoſcatur, nos veriſsima expoſitione efficiemus. Nec verò illud modò præſtabimus vt Iſrael conſilij noſtri rationẽ in præſentiarum noſcat, ſed in poſterum etiam ſpectatam exploratamq́; habeat. Igitur quod ad MAGHAL *attinet, cuius vos nunc accuſatores præbetis, & niſi ſatisfacere curemus, vindices minitari videmini, in hac criminis parte vos deinceps culpa omni liberamus, nẽpe partes iam veſtras diligenter exequutos. Nam ſi id à nobis admiſſum fuiſſet, vobis expediebat non negligere, aut diſsimulare, ſed monere, & liberius etiam accuſare, ac nos ab inſtituto abducere, aliàs niſi id curatum eſſet ſedulò, eodem nobiſcum ſupplicio inuoluendis, Deo vindice & vltore, quem nos teſtem, & iudicem atq. tutorem appellamus. Cùm verò vos perſonam veſtram rectè geſſeritis, reliquum eſt vt nos noſtram, hoc eſt defenſorum ſuſtineamus, Deus autem ſuam teneat iudicis & gubernatoris ſupremi omnium, & vindicis ſcelerum, atque innocentium tutoris. Verùm enim verò cauſam noſtram hac in parte alio pacto quàm verbis & orationis officio manifeſtare vobis nõ poſſumus; Deo autem iam manifeſtam affirmamus, eundemq́; precamur & obteſtamur, vt ſi* MAGHAL, *hoc eſt* præuaricationis animo hoc altare conſtruximus, *ipſe ſuam gloriam, dignitatem & amplitudinem nobis puniendis manifeſtet ac probet. Atque vt* MAGHAL *quàm citiſsimè vindicari ſolet, ita ipſe nobis nec ſalutem ferat, nec pœnarum repetendarum tempus differat, ſed* puniat nos in præſenti:*vt hoc pacto & nos puniti, et vos immunes euadatis, & ipſe ſuam prouidentiam iuſtitiamq́; aſſerat. Itaque quod ad alterum criminationis caput facit, ſolicitudinem omnem vobis Deo auctore, nobiſque procurantibus ademptam eſſe exiſtimatote.* Iſrael intelliget. *Atque hæc poſtrema imprecationis pars per Apoſtrophen figuram à defenſoribus pronuntiata eſt ſua ipſorum lingua, in hunc modum:* Si in rebellione & ſi in præuaricatione in Dominum, ne ſerues nos in die hac. *Quo dicendi ſchemate, & ſuum affectum indicant, & quem*

vbique

vbique eſſe credunt Deum, præſentem ſtatuunt & adloquũtur, certiorem & propinquiorem ſibi eſſe aſſerentes, quàm illi erant quibuſcum diſceptabant. Namque Iſrael tertia, Deum verò ſecunda perſona appellant: Ne (inquiunt) ſerues nos in poſterum, nec etiam hac die in qua te præſentem, potentem, fortem, prouidentem & iudicem fatemur, ita vt qualiſnam fuerit nobis animus, qualiſq́; tibi ſit erga impios atque pios mens, hodiè vel nobis ſeruandis, vel contrà puniendis declarare apertè poßis. Nam ſi in poſterum ſceleris noſtri vltio differatur, ea iudicij tui ſeueritatem & culpam noſtram non adeò clarè oſtendet: maximè cùm grauitas MAGHAL *cunctationem non patiatur, ſicut productis iam exemplis fuit oſtenſum. Nec verò illud ſolùm modo negamus, nos à Deo deſciſcere voluiſſe, ſed nec hoc eo conſilio egiſſe, vt ſacrificaremus Deo vero, vllo ex tribus ſacrificiorum generibus ipſius lege inſtitutis. Quòd ſi aliter quàm exponimus actum fuerit, ipſe cordium humanorum ſcrutator & cognitor, inquirat, & vt vindex requirat, & vlciſcatur. (Hæc ſignificatio eſt verbi* DARAS.) *Quamobrem nullo pacto volumus altare hoc in eam partem accipi, quæ religionis cultum propriè ſpectat. Siquidem ipſa operis magnitudo & moles nulli ſacrificiorum generi commodam aram præbet. Reliquum igitur eſt, monumenti cauſa conſtructam interpretari: Quod ſi ita eſt, vti verè eſt; ad alterã criminis partẽ refellendam eſt nobis deueniendum, in qua tãtum à culpa abſumus, vt etiam in ea non aduerſum nos, verùm aduerſùm vos cauenda potiores & conſultiores vobis fuerimus. Ea quippe hominum inconſtantia eſt, vt inter quos concordia, ſocietas, cõſuetudo ac familiaritas coli & conſeruari maximè debuerit, quamuis firmißimis fundamentis innixa, tamen non modò leuibus ex cauſis, ſed verbis ac ſermonibus temerè ſparſis, vulgariq́; leuitate exceptis tentari perſæpè & labefactari ſoleat. Hoc verò nos non tantùm cogitauimus, ſed magno ſtudio magnaq́; ſolicitudine cauendum duximus, non qui vllam dißidij occaſionem vnquam vobis datum iri à nobis exiſtimaremus, ſed qui nullam vel leuem, vel vulgarem anſam vobis ad dißidium præbere vellemus. Nam cùm reapſe vos & nos vnus populus atque eadem ſimus gens, iiſdem orti maioribus, iiſdem legibus, iiſdem ſacris, iiſdem iudicijs vſi & vſuri, eidem Deo vero atque vnico dicati, communi tum noſtro, tum veſtro conſilio atque Dei noſtri iudicio & voluntate factum eſt, vt in habitationum ratione Iordanis*

tantùm alueo diſiuncti viuamus. Hæc verò cùm omnium diſiunctionum minima ſit, cauendum diligenter nobis fuit, ne ad maximã olim diuiſionis cauſam vſurparetur, non à nobis filiíſue noſtris, ſed à filijs veſtris, quibus cùm templi locus vltra Iordanem contigerit, ea mens aliquando atque ea oratio eſſe poſſet, vt poſteros noſtros tãquam prophanos, atque vt aliarum gentium populos à ciuitatis & ſacrorum communione alienos ducant & repellant.

Et non ea magis cogitatione atque tractatu, vt diceremus: Cras dicét filij veſtri filijs noſtris, Quid vobis & Domino Deo Iſrael? Terminum poſuit Dominus inter nos & vos ô filij Ruben, & filij Gad Iordanem fluuium: & idcircò partem non habetis in Domino. Et per hanc occaſionem auertent filij veſtri filios noſtros à timore Domini.

EXPLICATIONIS *commentíque cauſa locum hunc tametſi minus Latinè, tamen ex verbo Hebraico Latinis vocabulis vtcunq; exponere operæpretium fuerit:* Et ſi non prę ſolicitudine à verbo fecimus hoc ipſum dicendo, Cras dicent &c. Et ceſſare facient filij veſtri filios noſtros ad non timendum Dominum. *Humani ingenij leuitate & quadam diſcordiæ atque contentionis libidine ex illo per primorum parentum ſcelus inſito malo orta, accidere non rarò ſolet, vt vera rerum cognitio vel negligatur omninò, vel in falſam opinionem & mendacem famam permutetur: præcipuè cùm ſibi quis laudem, dignitatem, vel decus arrogare ſtudet, idq; niſi aliorum deſpectione & contemptu aſſequi commodè non poſſe putat. Ex* Mela lib. 1. Plato. Ariſtot. Herodot. *hoc fonte illæ Aegyptiorum atque Scytharum de antiquitate contentiones, aliarumq; gentium diſſidia & ſimultates promanauerunt. Hinc etiam illæ profectæ ſunt fabulæ, quæ antiquarum rerum notitiam, quam conſeruare poſſe putabantur, adeò obſcurarunt, vt penitus ferè omnem ſepelierint indulgentibus linguæ hominibus, & orationis fucum ac vanitatem meram pro ſolido vero venditantibus. Et enim verum ipſum vnicum ſimpléxq; cùm ſit, æternum ſua natura conſtat, nec mutari reapſe, nec inuerti, aut corrumpi poteſt: veruntamen hominum ignorantia, negligentia, vel peruerſitate occultari, atque temporis interuallis maximis à mente atque notitia hominum quàm longiſſimè relinqui, proq; ipſo mendacium aliquod obijci ex hominum cogitatione natum, quod ab alijs hominibus non minus*

etiam

etiam leuibus exceptum vulgò celebretur, & eoſdē cum poſteris etiam ſuis in fraudem deducat. Huiuſmodi verò hominū inuenta & commenta, quibus nulla veri ratio ſubeſt, cùm diligenter fuerint excuſſa, nihil aliud quàm verba eſſe deprehenduntur. Quantum verò inter verba mera atque rem interſit, Latinorum prouerbium planè indicare videtur, VERBA DARE; *quæ non niſi imprudentibus, vel leuibus, vel ſtultis, vel etiam negligentibus excipiuntur. Hæc vtiliter nobis præfari placuit prudentem harum tribuum conſiliiq́; plenam orationem admiratis. Hi enim nō ſolùm in concordia communioneq́; conſeruanda fortes, fideles conſtantesq́; fuiſſe, ſed in aliorum à quibus accuſabantur, fraude cauenda ſeſe prudentes oſtendebant. Qui cùm intelligerent fraudem ex re ipſa nullam fieri poſſe, verbis tamen vanis atque fabulis concipi ab aliis, ab aliisq́; admitti poſſe ſciebant; id verò ne ſibi vnquam officeret, omni cura & ſolicitudine prouidendū duxere.* Pręſolicitudine à verbo fecimus hoc. *Quamquàm vocabulū* DABAR, *quod Verbum ſiue loquelam ſignificat, ab interpretibus perſæpè pro re atque ratione exponatur, tamen hoc loco ſimplicem genuinamq́; ſignificationem nobis retinet huiuſmodi ſententia. Vos curare videmini, ne ſocietas cōmunioq́; noſtra vlla re dirimatur, aut labefactetur: nos autem idipſum nobis ac poſteris noſtris per vos poſteritatemq́; veſtram, ne accideret, vnquam metuimus. Neque verò rem vllam intercedere poſſe timebamus ex parte noſtra, quæ anſam ad huiuſmodi præberet diſsidium. Namque iidem & nos & vos ſumus eandem religionem & cultus rationem eodē, quo vos, ritu profitemur: verùm enimuerò illud veriti ſumus, ne ex leuis atque vani ſermonis à poſteris olim veſtris diſſeminādi temeritate occaſio illis arriperetur poſteros noſtros abdicandi à ſacrorum communione & ſocietate, qui cùm nihil rei nanciſci potuerint, quod obiiciant, ad verba demum recurrent, atque ad commenta, quorum varia & infinita ſpecies produci ſolet. Hinc verò contentioni cauſa daretur, ex qua odium & diſsidia, ex iis verò diſiunctio, ex diſiunctione alienatio à vero legitimoq́; Dei cultu, & priuati mendoſiq́; cultus inuentio atque inſtitutio manaret. Itaque ſolicitudine noſtra non modò rem, quæ nulla intercedere verè poſſet, ſed orationem etiam fictam ac temerè à filiis veſtris effutiendam vitauit. Nullo autē pacto verborum vanitatem certius & commodius confutari poſſe cenſuimus, quàm*

repræſentatione rei ipſius, cuius exemplo verborum argueretur mendaciũ. Itaque præ ſolicitudine à verbo fecimus hoc: *Hoc, inquam, quod non verbum, ſed res eſt, eademq́ lõgè admodum conſpicua cunctíſque notabilis, altare videlicet ingenti molimine extructum. Quippe verbum eiuſmodi fieri aliquando poterit, vt cras dicant filij veſtri filijs noſtris, poſteri veſtri vel propter temporis interualla veri cognoſcẽdi minus ſtudioſi, vel inuidia moti, vel temeritate aliqua inducti dicent poſteris noſtris nullam eſſe ſecũ communionem, nõ ſolùm locorum ac regionũ munerúmq. publicorũ, quæ leuior quidẽ iniuria, minimè tamen ferenda eſſet, ſed etiã religionis & ſacrorũ, atque adeò promiſſorum, beneficiorum, honorum diuinorum, quæ Iſraelitis, eadem ſacra purè ſanctéq. colentibus, eandémque veræ pietatis diſciplinam obtinentibus communia eſſe Deus voluit. Atque eam orationem leui & parum expenſo argumento adſtruere conabuntur, Iordanis nimirum interlabentis alueo, quem illi à Deo ea cauſa interiectum fabulabuntur, vt filij Reuben & filij Gad ab hac Eccleſiæ ſocietate excluderẽtur: cuiuſmodi leuiſsimis coniecturis, grauiſsimas aliquando cauſas declamari magis quàm perorari, & aduerſarijs nonnunquam per iniuriam tradi accidit. Atqui in huiuſmodi exceptione filij Reuben & Gad compellari poſſe putabãtur, quibus nullum certum pignus & monumentum intra Cananæam regionem relictum extaret, cuius auctoritate & pondere huiuſmodi fabulæ & orationis vanitas eluderetur: non autem dimidia Manaſſe tribus, cui altera dimidia eodem omninò nomine ac iure citra Iordanem hæſerat: huius enim ope ſeſe altera à mendacio & iniuria facilè vendicare poterat.* Et per hanc occaſionẽ auerterent filij veſtri. *Hebraicè eſt, Ceſſare facerent. hoc eſt, eueniret vt hi contentionis tædio ad negligentiam prolapſi, tandem diuini veriq́ cultus remitterent ſtudium, atque inde à vera pietatis notitia & conſuetudine degenerarent: quæ miſeriarum omnium miſerrima in vita fuerit, & hominibus ſummi mali cauſa, atq. adeò grauioris periculi noſtris filijs, qui ab hoc felici nulliſq́ conditionibus mutando ſtatu in illum calamitoſiſſimum & maximè horrendum deciderint locum.* filios noſtros, *quibus eandẽ, quæ nunc nobis eſt, conditionem expedierat, æquumq́ fuerat.* à timore Domini, *à certæ & veræ pietatis ratione, ſtudio atque vſu, & incomparabili fructu. Hæc omnia hoc loco verbum* IERO *ſignificat.*

Puta-

Putauimus itaque melius, & diximus, Extruamus nobis altare, non in holocauſta, neque ad victimas offerendas; ſed in teſtimonium inter nos & vos, & ſobolem noſtrã, veſtramq́; progeniem, vt ſeruiamus Domino, & iuris noſtri ſit offerre & holocauſta, & victimas, & pacificas hoſtias: & nequaquam dicant cras filij veſtri filiis noſtris, Non eſt vobis pars in Domino.

DISERTE *admodum hoc loco Latinus interpres noſter Hebraici ſimplicis verbi* NOMAR *ſignificationem duobus ſimul Romanis reddidit*, putauimus melius, & diximus. *Namque Hebraica vox vtrumque pariter ſignificat; ſimulq́, rem illam deliberato maturóque conſilio factam indicat. Atque hæc conſilij ratio ſic explicatur*: Faciamus agè nobis ad extruendum altare. *Cùm dixerint ſe ſolicitos fuiſſe à verbo, hoc eſt à fabuloſo aliquo commento, quod apud poſteros extare poſſet; verborum verò vanitatem nullo melius aut commodius examine, quàm rerũ ipſarum oppoſitione argui intellexerint, ſapienter illi dixerunt*, agè faciamus: *re nobis opus erit ad præcauendum, ne nobis illi verbo negotium faceſſant: illi poterunt dicere, nos à ſacris excluſos eſſe; nos verò faciamus rem, qua cauſam noſtram tueri poſſimus. Itaque contra verbum illud* dicent filij veſtri, *oppoſitum eſt verbum* Faciamus nobis, *in noſtrum ius, commodum & vſum; in vſum, inquam*, non in holocauſta, *&c. qui vſus altaris eſt vnici à Deo inſtituti, cuius ritus nos agnoſcimus, & vobiſcũ pariter profitemur, certam etiam rituum rationem, certumq́, numerum edocti; quæ ideo ſæpius repetimus, quia nobis curari etiam & frequẽtari perinde atque vobis expedit, atque vt eadem facta, ſic etiam eundem ſacrorum faciendorum locum vnà vobiſcum cognoſcimus & obſeruamus, obſeruaturosq́, nos recipimus. Sed quiſnam altaris huius eſſe nobis poſſit vſus, qui non idem vobis eſſe poſſit, ipſa operis moles declarat. Primum quidem adeò altè ſtructum eſt, vt à nemine ſacrificante contingi poſſit, & ſic manifeſtè indicat monumenti ac teſtimonij cauſa fuiſſe hoc loco hac mole conſtructum. Atque ita profectò eſt*, in teſtimonium inter nos & vos, *nunc in præſentiarum hoc ſeculo, atque hac hominum ætate cùm res & nobis & vobis integra manet, & nulla cauillatione veritas eludi, nullo mendacio, aut fuco obſcurari poteſt, iuris noſtri fuerit altare hoc tueri, quod cùm optimo iure à nobis ex-*

bis extructum ſit, à vobis tentari nullo pacto debet: cùm verò noſtra ætate intactum permanſerit, præſcriptionis & publicæ conſenſionis iure noſtram cauſam apud poſteritatem etiam tuebitur. & ſobolem noſtram veſtramque progeniem. *Erit verò teſtimonium communionis ſacrorum atque cultus legitimi nobis pariter atque vobis eodem loco conſtituti.* vt ſeruiamus Domino, *eo pacto quo ab ipſo declaratum eſt, hoc eſt iiſdem legitimis ſacris, ritibus & ceremoniis, quorum illa ſunt genera,* holocauſta, victimæ & pacificæ hoſtiæ, *idq́ in loco ſancto ab ipſo delecto. Hebraicè eſt,* Ad facies eius: *Eſtq́ templi ſiue tabernaculi periphraſis frequens in Leuitico libro. Atq. ita, inquiunt illi, hoc à nobis effectum eſt exemplo ac teſtimonio minimè vobis improbando.* Vt nequaquàm dicant cras filij veſtri filiis noſtris; Non eſt vobis pars in Domino. *Non quidem hi verebantur filios ſuos à communi ac publica adoratione, à nuncupatione & exolutione votorum excludi poſſe. (nam nec gentium populi ab ea ratione excludebantur;) ſed ab illa ſingulari ac præſtanti veri vnicíq́ Dei notitia & cultura, quæ vnà cum arcani nominis interpretatione Iſraelitis tradita fuerat, quæq́ humanæ ſalutis myſteriũ continebat, & promiſſorum miſericordiam atque veritatem ſignificabat. Cuius rei olim abſoluẽdæ ratio illis ſacrificiorum toties repetitis generibus, vt in vmbra inuoluitur.*

Quod ſi voluerint dicere, reſpondebunt eis, Ecce altare Domini, quod fecerunt patres noſtri; non in holocauſta, neq. in ſacrificium, ſed in teſtimonium noſtrum ac veſtrum.

VERBORVM *vanitati ac vulgaribus fabulis certæ rei teſtimonium & monumentum ſapienter ac prudẽter opponi poſſe intelligebãt illi. Namq. Iordanis interiecti commentũ ſolido rei præſentis argumẽto obiecto diruebatur. Atq. argumẽtatio hoc pacto texitur: Oportuerat vos, qui nos à cõmunione ſacrorũ auertere ſtudetis, argumentũ afferre, quod cũ re ipſa cõueniret. Nam quod affertis, longiſſimè petitũ à vero nimium diſtat. Siquidẽ Iordanis alueus non fuit à Deo interiectus inter nos et vos, quo tempore locorum agrorumq́ partitio facta fuit, verùm antè quàm diuideret Dominus gentes, antequam ſepararet filios Adam, antequã vllæ eſſent regiones, quas interflueret Iordanis, eum quem modò tenet occupauerat locum, & curſum inſtituerat. Quare manifeſtum fit illũ ad nos religionemq́ noſtram diri-*

dirimendum non fuiſſe à Deo poſitum, vt vos fabulamini, ſed ad ea loca riganda, quæ à principio irrigauerat, quæq́; nunc etiam illabitur, quorumcunque hominum illa futura eſſent. Si enim Iordanis eo tempore, quo maiores noſtri diſceſſerunt ſuasq́; ſinguli hæreditates inierunt, repentè extitiſſet, videri fortaſſe poterat eiuſmodi diſiunctio diuino miraculo facta aliquid portendere, quod vos vt velletis interpretaremini, nos verò aliter interpretari poſſemus. Nunc verò Iordanis nihil vobis rei rationíſue ſuggerit, quod ponere in cõtentione poßitis, vt nos de communi ſacrorum atque antiqua poſſeſſione dimoueatis: quam nos vt teneamus, grauiſſimum habemus monumentum, & certißimum ac perpetuum teſtimonium, quod refutari non poßit: nempe parentum noſtrorum omnium, qui antehac fuere, publicum communémque conſenſum, eundemq́; continuata annorum ſerie conſtantißimum, quem altare hoc teſtatur & indicat non à nobis nunc primùm extructum; ſed quod fecerunt patres noſtri: *ſiue noſtros intelligatis etiam cum veſtris, quo tempore hæreditatum partitio ſiebat, quóque omnes vnus Iſrael erant; ſiue noſtros tantùm, qui duarũ atque dimidiæ tribuũ nomine cenſebantur. Conſtat enim hoc opus fuiſſe extructũ vel ab omnibus, qui yſdem tum ſacris communicabant, vel à noſtris, vt res ipſa hàbet, à quibus tamen vltra Iordanem eſt extructum; alteris hoc eſt Tranſiordanenſibus videntibus & conſentientibus. idq́;* non in holocauſta &c. *quod nec admittere poteſt operis moles, nec vnquam factitatum docere poteſtis:* Sed in teſtimoniũ noſtrũ ac veſtrum, *hoc eſt monumentũ perpetuum vtriſque futurum noſtræ vobiſcum ſocietatis, in ſacro cultu atque in omni ratione ad illud diuinum arcanúmque nomen pertinente. Ideóque non aliud monumẽti genus, quàm altare maiores noſtri eſſe voluerunt, quod in ſacrorum monumentum ſtatueretur; nec priuatum altare hoc fuit alia videlicet forma aliúdue ſignificante ratione, ſed altare Domini, Hebraica lectio rẽ ipſam exprimit* THABNITH MIZBEAHH ADONAI. *Latinè vix poſſumus totidem verbis: vtcunq autem Exemplar ſiue exemplum dicetur, ſiue, vt Architectorum vtamur vocabulis, ſymmetriam, vel proportionem dicemus, Hiſpanicè dici poteſt* traça, *Italicè modello. Nam quamquam altare hoc maximum longéque conſpicuum eſſet, eandem tamen membrorum et modorum atque menſurarum & ſimplicitatis etiam rationem ſeruabat,*

bat, atque illud quod Deo dictante fuerat per Moyſem in lege deſcriptum, id quod ipſo ſui aſpectu, vel longè contemplantibus exhibebat, atque hoc demonſtratiuo etiā vocabulo indicatur, Ecce: *Hebraicè eſt,* Videte exemplar altaris Domini. *Itaque rei ipſius oculis obiectæ imagine & obſeruatione, ſeſe duæ tribus atque dimidia nō ſolùm defendebant, ſed prouidentiæ pietatíſq; ſtudio, atque diſſenſionis, quæ incidere aliquando poſſet, metu et cautione meliorem etiam probarent cauſam. Quippe qui norant, quantum procliues ac prompti hominum animi ſint ad diſsidiorum diuortiorúmque cauſas quauis vel leui vel inepta arrepta anſa capiendas; maximè vero in religionis communione ac ſocietate, quam omnibus modis, conſilijs, actionibus, voluntatibus demum ac ſtudijs intaminatam, ſanctam, ſolidam tueri oportuit: cùm contrà non modò fluminis cuiuſpiam, vel montis, vel regionis interiectio, ſed pallij philoſophici, aut peræ baculíue diuerſitas, hos Cynicos, illos Peripateticos, Cyrenaicos alios, alios verò ſtoicos conſtituerit: & cùm cetera ſimilia pariaq; fuerint, ſaltem infectæ lanæ diuerſus color, ſatis ponderis ac momēti habere quibuſdam exiſtimaretur ad magnas contentiones alendas & fouendas.*

Alter purpureum non expectabit amictum,
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,
Perſonamq́ue feret non inconcinnus vtramque:
Alter Mileti textam cane peius & angue
Vitabit chlamydem, morietur frigore, ſi non
Rettuleris pannum.

Igitur nihil mirum ſi quidam propter interiectum vel montem, vel flumen dicere audeant, Quid vobis & Domino Deo Iſrael? Ex hoc humanorum morum corrupto ac putidiſsimo fonte illæ ſuperbæ & in ceteros homines contumelioſæ Phariſæorum, Scribarum, Saducæorum & huiuſmodi riuulorum deriuationes manabant; quorum il-
Ioan. 7. *læ arrogantiæ atque deteſtationis plenæ orationes eſſe ſolent: Nunquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex Phariſæis? ſed turba hæc quæ non nouit legem maledicti ſunt. Itaque conſilij factiq; ſui rationem, cùm honeſtiſsimam defenſores hi reddiderint, primum ac præcipuum criminationis caput deteſtatione ac deprecatione iugulant.*

Abſit

Abſit à nobis hoc ſcelus vt recedamus à Domino, et eius veſtigia relinquamus extructo altari ad holocauſta, & ſacrificia, & victimas offerendas, præter altare Domini Dei noſtri, quod extructum eſt ante tabernaculum eius.

IN *religionis ratione idem ſentire, idem ſapere, idem intelligere, expetendæ atque fouendæ concordiæ ſymbolum eſt, qua diuinus ſpiritus cultores ſuos perpetuò inſtructos eſſe vult. S.S.E Si qua ergo consolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſiqua ſocietas ſpiritus, ſiqua viſcera miſerationis, implete gaudium meum vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes vnanimes, id ipſum ſentientes, nihil per contentionem, nec per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes: non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum. Quam Chriſtianæ ſimplicitatis rationem & normam nos contemplatos, noſtræ profectò vitæ exemplorum pudet ac tædet. Deteſtatione itaque mali conſilij præmiſſa, quod eam religionis partem ſpectat, quæ ritualem cultum definiebat, fidei, mentis, ac ſententiæ ſuæ ſymbolum tribus hæ profeſſæ pronuntiant. Non modò, inquiunt, religio, ſed execrabile nobis nefas atque in ſummorum malorum deteſtatione poſitum eſt*: vt recedamus à Domino, & eius veſtigia relinquamus: *quem ſalutis, vitæ, omniſq́; felicitatis auctorem atque ducem hactenus ſecuti ſumus; an verò nunc iam in quiete ac trãquillitate conſtituti diſcedemus ab illo? abſit à nobis hoc ſcelus, à quo vehementer abhorremus primùm: deinde & illud alterum criminis in nos veſtri caput adeò longè ab animo et conſilio noſtro diſtat, vt nihil minus cogitauerimus, quàm altare vllum vſquam conſtruere ad ſacrificiorum & hoſtiarũ vſum, quippe cùm nullum aliud agnoſcamus, & fateamur ad eam rem legitimũ & ſanctum, præter id quod à Domino ædificari iuſſum eſt & collocari ante tabernaculum eius. In hac deteſtatione duo pronomina Hebraicè ſunt, Prophanum & execrabile, Nobis à nobis; quæ non otioſè, vt aliquis opinari poſſet, ſed cum præſenti ſignificatione poſita eſſe credimus. Nam ſæpè aliàs monebamus, nullam ſacrorum ſcriptorum partem ſuperuacaneam nobis eſſe. Itaque prius pronomen, Nobis, in acquiſitionis caſu familiarem conſtructionem cum verbo* HALILAH, *hoc eſt profanum, turpe et nefariũ eſt nobis, pro quo ſæpè Latinus reddit, Abſit. Profanum, inquiunt, & nefarium nobis*

Phil. 2.

atque infauſtiſsimum cenſetur, idq́, non modò vobis admonentibus, ſed à nobis ipſis, quorum præcipuè res agebatur, ſceleſtum exitialeq́, exiſtimatum & iudicatum. Atque hoc pacto cauſa perorata eſt, & crimen fortiter depulſum cum conſtanti communionis & ſocietatis atque ſolidæ pietatis profeſsione, quod totius cauſæ caput erat.

Quibus auditis, Phinees ſacerdos, & principes legationis Iſrael, qui erant cum eo, placati ſunt: & verba filiorũ Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe libẽtiſſimè ſuſceperunt.

EORVM, *qui publicas adminiſtrant res, animos ab omni contentione ac ſimultate alienos, & veri tantùm atque æqui amantes eſſe oportere, hoc exemplo cum multis alijs docemur. Namque horum ſtudium, pacem, tranquillitatem & communis vitæ ſocietatem perpetuò ſpectare debet, idq́, omnibus rationibus ac modis agere, & vbi nullo diſpendio, nullo incommodo contigerit, totis, vt dicitur, vlnis amplecti, & quoad eius fieri poſsit, omnia in meliorem partem interpretari, maximè verò cùm altera pars vera, aut probabili ratione ſuam cauſam defendit, vel culpam declinat, cuius rationis honeſtatem non niſi argutijs & cauillationibus deformare quiſquam poſsit.*
1.Cor.13. *S.S.E. Charitas patiens eſt, benigna eſt; charitas non æmulatur, non
» agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ
» ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia
» ſperat, omnia ſuſtinet. Manifeſta itaque relinquitur virorum illorum probitas, qui & rem ex fratrum reſpõſione diligenter cognoſcere voluerunt, & cognitam humanè, piè, amanterq́, probarunt, atque eos, quos vel alienatos exiſtimauerant, vel grauiori fortaſſe criminatione pupugerant, exceptæ defenſionis comprobatione retinuerunt, & arctius etiam deuinxerunt, nemine ipſorum vel reſponſionem recuſante, vel auditam improbãte; ſed vnà omnes Pontifex vt pontifex, cui pars, quæ ad religionem pertinebat, præcipuè curabatur, & principes qui cum eo erant, totiusq́, Iſraeliticæ ciuitatis & communionis partes agebant, aliorum verba libentiſsimè ſuſceperunt. Hebraicus idiotiſmus, iudicium cum aſſenſione ad orationis honeſtatem comprobandam adhibitum fuiſſe ſignificat: & bonum fuit in oculis eorum. Id vero quod ſenſerant, non modo nutibus & ſignis, aut plauſu indicauerunt, ſed graui, læta & ſuaui gratulatione*

tione

tione declararunt, nominibus etiam tribuum, honoris & charitatis cauſa appellatis.

Dixitque Phinees filius Eleazari ſacerdos ad eos.

HEBRAICE *nomina ipſa duarum tribuum & dimidiæ exprimuntur, vt ſalutationis atque gratiæ cauſa appellata fuiſſe intelligantur. Atque gratulationis actio, vti decuit, vni ſacerdoti cõmiſſa eſt, qui Dei & populi partes ex officio ac munere aptè obtinebat.*

Nunc ſcimus, quòd nobiſcum ſit Dominus, quoniam alieni eſtis à præuaricatione hac, & liberaſtis filios Iſrael de manu Domini.

DILIGENTEM, *conſtantem & certam pietatis colendæ rationem cum ſummo animorum in ea conſenſu, magnum ſibi illi argumentum eſſe affirmabant, ad cognoſcendum ſeſe ſub Dei Iſraelis tutela etiamnum manere nullo modo abalienatos à tanti numinis præſidio & ſingulari prouidentia. S. S. E. Ecce quàm bonum & quàm iu-* Pſal. 133.
cundum, habitare fratres in vnum: Sicut vnguentum in capite, quod "
deſcendit in barbam, barbã Aaron, ſicut ros Hermõ, qui deſcendit in "
montem Sion. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & "
vitam vſque in ſeculum. Igitur illo die illa fratrum defenſione non "
ſolùm ſeſe metu liberatos affirmant, ſed edoctos etiam Dominum inter ſe habitare, atque vt proprium Iſraelitarum Principem ſuum fouere populum. Quoniam alieni eſtis à præuaricatione hac. *Hebraicè,* Qui non præuaricati eſtis in Dominum iſtud maghal. *Quod vero ſubiũgitur,* & liberaſtis filios Iſrael de manu Domini, *ad ſatisfactionẽ ab ipſis acceptam referimus. Nã quamquàm alterius partis factũ dolo malo vacaret, tamen altera pars interim dũ dolum adeſſe ſuſpicabatur, nec rem penitus cognoſcebat, conſenſionis vel diſſimulationis conſcientia laborabat, quam diligenti cognitione rei adhibenda remouere debebat, aliàs vel negligentiæ in tanta cauſa pœnas daturi. Nunc verò ſapiente fratrum reſpõſione id effectum fuiſſe Phinees ait, vt omnis Iſrael ex eiuſmodi eximeretur culpa. Ita piorũ et proborum hominũ Deus acta & facta atq. dicta temperat, vt etiã ex incepta in ſpeciẽ controuerſia maior apertiorq́; rerum oriatur cognitio, cõcordia creſcat, maximeq́; cõfirmetur. Atq. gratulatio hæc Dei nomine cœpta eodem etiam nomine fuit abſoluta; illuſtri exẽplo*

huiuſmodi actiones ad diuinam laudem prorſus referendi.

Reuerſusq; eſt cum principibus à filiis Ruben & Gad de terra Galaad, finium Chanaan, ad filios Iſrael, & retulit eis. Placuitq; ſermo cunctis audientibus & laudauerunt Deum filij Iſrael, & nequaquam vltrà dixerunt vt aſcenderent contra eos, atque pugnarent, & delerent terram poſſeſſionis eorum.

BONORVM *Principum ſtudio atque officio efficitur, vt populus & factum probet, & omnem agitationẽ ad pacis & amicitiæ cultum intendat. Locum autem, vnde alteri ab alteris diſceſſerint, & quò peruenerint, notari iure oportuit, vt constaret conſenſionem illam vtriuſque partis in altera regione factam, in altera etiam extitiſſe, nullamq; iam porrò deinceps locorum exceptionẽ in illa cauſa datum iri, quippè cùm non tantùm Principes, qui legati cum alijs in terra Ghilghad tranſegerant, factum probauere; ſed ij etiam, ad quos in Cananæam relatum eſt, & ſtudioſè comprobarunt, & comprobationẽ ſuam ſacra et legitima gratulatione celebrarunt, cõmuniq; ſuffragio et ſentẽtia ſeſe quicquã poſtea de hac re tentaturos negarũt. Illius verò oratio, quam hoc loco legimus, & nequaquam vltrà dixerũt, vt aſcenderent contra eos atque pugnarent &c. expoſitio nobis eſſe videtur mentis atque conſilij Iſraelitarum, qui quamquam ſuperius dicti ſunt cogitaſſe arma ſumere aduerſus duas & dimidiam tribus, tamen non id egiſſe narrantur, vt delerent fratres ſuos: quippe nec voluerant, nec etiam conſultum duxerant, regionem illam vaſtatam hoſti vicinis occupandam relinquere: hoc enim ingentem ipſorum rebus calamitatem allaturum eſſet: ſed vel eos corripere & ad ſanitatem reuocare, vel nolentes vi armiſq; cogere, atque diuinam offenſionem in ſceleris auctores vlciſci. Nunc verò demùm cùm intellexerint nihil ab illis eſſe peccatum in illa re, imò contrà potiùs commune de religione & ſocietate conſilium atque vinculum magis etiam confirmatum, & conſtrictum; magno perfuſi gaudio publicáq; exultantes lætitia gratulationem Deo habuerunt. Atque locus hic ex Hebraico verbo, ſic Latinè legi poteſt:* Et non dixerunt ad aſcendendũ ſuper eos ad exercitum ad vaſtãdum terram, qua filij Reuben & filij Gad habitantes in ea: *Quod ſi verbum, dixerunt, vertamus plusquam perfecto, quo illa caret lingua, manifeſtam expoſitionem habe-*

habebimus conſilij & animi Iſraelitarum, atque illius narrationis, quæ initio huius actionis cœpta quidem fuerat, ſed non abſoluta. Conuenerunt omnes in Silo, vt aſcenderent & dimicarét contra eos: & interim miſerunt *&c. Nunc vero illius conuentus cauſa ratioq́; explicatur, ne quis in alterius partis animis offenſionis reſideret ſcrupulus, quaſi ille conuentus inimicitiæ hoſtilitatíſue ineũdæ, ac non potiùs fraternæ correptionis cauſa fuiſſet celebratus, qui nunc re iam explorata, legitima cum gratulatione dimiſſus eſt, omnia verò hæc principibus optimisq́; viris curantibus ac temperantibus. Hactenus verò Iſraelitæ in Silo allegatorum reſponſum opperientes hæſerant.*

Vocaueruntq́; filij Ruben, & filij Gad altare quod extruxerant, Teſtimoniũ noſtrum, quòd Dominus ipſe ſit Deus.

NON *modo ſocietatis retinendæ et cum trans-Iordaninis conſeruandæ, ſed etiam veræ pietatis cognoſcendæ et colendæ monimentum ſuis quoque poſteris ſacratum, ſanctum atque celebre duæ illæ tribus, quarũ res præcipuè in illa ratione agebatur, voluerũt. Id verò monimentum publico præconio nomine titulóque indicto atque celebri conſecrarunt, quod inſcriptionis vicem ſortiretur quidem, celebrius tamen inſcriptione eſſet. Namque inſcriptio ijs tantùm vſui eſt, qui legere poſſunt, quiq́; inſcriptionis ſtylum norunt, non omnibus etiam literas ſciẽtibus peruium, vt ex antiquis & noſtris exemplis collatis arguitur. Quotus enim quiſque eſt, qui antiquorum lapidum, aut numiſmatum, aut ſimulacrorum epigrammata explicet? Quamobrem quoniam ſibi poſterisq́; ſuis & fratribus etiam illo monimento conſultum eſſe duæ illæ tribus voluerant, decreuerũt nomen imponere, atque id publico præconio denũtiare ac tradere. Eſt autem oratio hæc conciſa & intra inſcriptionum leges coacta, ideoq́; Hebraicis & Latinis enarratoribus negotium fecit, atq. ſupplemento egere viſa eſt, non animaduertentibus epigrammaton, vti dicebamus, rationem. De quo genere nos aliquando ex Dei beneficio diſputabimus, breuem & apertam, nullisq́; ſtudioſis, vt opinamur, ingratam inſcriptionum rationem tradentes. Sed ad hunc locum exponendum illud vnum præponere ſatis fuerit: In antiquis ritè poſitis inſcriptionibus nihil eorum, quæ opere ipſo oſtendi poſſunt, literis deſcribi aut nominari: namque id ſuperuacaneum cenſetur. Quiſquis*

enim altare, ſepulchrum, turrim, obeliſcum, columnā, ſtatuam, ſimulacrumq́; videt, quid videat, vtq́; id nominetur, nouit. At verò, quod ab artifice præſtari non potuit nec oſtēdi, cuiuſmodi eſt operis auctor, vel cauſa, vel artifex, id indicatur in ſcriptis notis, iiſdemq́; quàm breuiſsimis & aptiſsimis, quo & legentis tædio & memoriæ proſpiciatur. S. S. E. Vt percurrat qui legerit eum. quod à nobis fuſius in Hab.2.
Prophetarum commentariis eſt aliàs declaratum. In publicis verò monumentis primas inſcriptionis partes cauſa obtinet. vt VOTVM X. VOTVM. XX. PRONAVIGANTIB. *& huiuſmodi complura, quæ in libris, marmoribus & æneis ſignis obſeruantur. Igitur cùm illud à Reubenitis & Gaditis exſtructum opus altaris formam præferret, altaris nomen aut ſcribi, aut præconio pronuntiari non opus erat, ſed cauſam tantùm addi, quamobrem fuerit poſitum: ea verò ſic reddita fuit præconis voce primùm, deinde publica celebritate frequentata, memoriæq́; ad poſteros etiam mādata:* TESTIMONIVM NOSTRVM, QVOD DOMINVS IPSE SIT DEVS: *Hebraicè ſic ex verbo,* QVIA TESTIS IPSVM INTER NOS QVOD IEHVEH SIT DEVS. *Verùm quod Latinè ſoluta oratione verſum eſt, Hebraicè hemiſtichio concluditur, numerisq́; ipſis commodius percipi & retineri diutius poteſt. Quod verò legimus* vocauerunt, *non ſolùm inſcriptione vel communi orationis vulgò vſurpatæ frequentatione factum exponimus, ſed etiam publici præconis præeunte voce. Namque hæc etiam verbi Hebraici* KARA *ſi-*
Gen.41. *gnificatio vulgatiſsima eſt: ſic in Ioſephi auctoramento legimus cla-*
Iuuen.Sat.1 *mante præcone, & apud Latinos, Iubet à præcone vocari Ipſos Troiugenas. Itaque altaris nomen vulgari appellatione hoc modo fuit deinceps vſurpatum,* QVIA TESTIS IPSVM INTER NOS, *id eſt monimentum ac documentum noſtrum: & cuiuſnā rei:* QVOD IEHVEH DEVS. *Igitur ſiue Reubenitæ & Gaditæ Iordane tranſmiſſo cum ceteris tribubus agerent, iure illud vſurpare poterant, Teſtis ipſum; ſiue teſtimonium ipſum inter nos, quòd qui nos regit, gubernat & tuetur, vnicusq́; habetur et ſingularis, verus Deus, idemq́; iudex omnium eſt* IEHVEH *nobis atque vobis pariter colendus. Siue illi citra Iordanem ſuis in locis, regionibus vrbibuſque verſarentur, tamen teſtimonium ſiue documentum habebant vltra fluuium, eundem eſſe ipſorum Deum, gubernatorem, cuſtodem ac tu-*

telarem,

telarem, verum & vnicum iudicem prouidentem, (& cetera, quæ nomine ELOHIM *continentur,) qui ijs, qui vltra fluuium habitabant, colebatur & appellabatur: nempe* IEHVEH. *Atque hoc pacto & ſuos in vera religione, & trans-Iordaninos in religionis communione retinendos curarunt.*

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

EVOLVTO autem multo tempore, poſtquàm pacem dederat Dominus Iſraeli, ſubiectis in gyro nationibus vniuerſis, & Ioſue iam longæuo, & perſenilis ætatis, vocauit Ioſue omnem Iſraelem, maioreſque natu, & principes ac iudices ac magiſtros. Dixitque ad eos.

REIPVB. *conſeruandæ non minorem quàm conſtituendæ curam eſſe debere, ipſa rerum natura ipſáque ratio mortales omnes docet: Atque ſummorum Principum & maximorum Ducum prudentia, animiq́; fortitudo & virtus, magis in retinendo & ſtabiliendo rerum ſtatu, quàm in occupando perſpecta eſt. Magna enim breui tempore vinci atque comparari poſſunt aliquando, dexteritate aut felicitate eorum, qui aggreßi fuerint; ſeruari verò & propagari, non niſi multa prudentia, cura, ſedulitate ac diligentia contingit. Plura namque ſunt, quæ victoriæ vſum, quàm quæ victoriam impediunt & interturbant. Vincere ſcis Hannibal, victoria vti neſcis, audiuit ille. Et quidem Iſraelitis nequaquam ſatis fuiſſet hoſtium regiones expugnare, niſi etiam poßidere & in ſuos vſus conuertere contingeret: illud enim hoſtium ſupplicium magis videri poterat; hoc verò ipſorum felicitatem attingebat: quare vtrumq. in diuinis pollicitationibus acceperunt: Nullus poterit vobis reſiſtere cunctis diebus vitæ tuæ: confortare & eſto robuſtus: tu enim ſorte diuides populo huic terram, pro qua iuraui patribus tuis, vt traderem eam illis: & in Pſalmis illud identidem celebratur, Qui percußit gentes multas, & occidit Reges fortes, Seon regem Amorrhæorum & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaan: Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatē Iſrael populo ſuo. Hanc itaq. hæreditatem Ioſuas diuino beneficio populo conceſſam, atque opera officioq́; ſuo traditam, quemadmodum conſeruare expediret, ſtudioſè ac diligenter*

Sup. 1.

Pſalm. 135.

ter prouidiſſe oſtenditur hoc in capite, quo magna viri prouidentia & cura commendatur, qui temporum atque rerum opportunitatibus obſeruatis, omnes quæ ad ſuum pertinebant munus, res egerit. Principiò igitur adnotatur tempus, quod diutius productum ab hoſtibus victis ac debellatis regione obtenta & culta, præteritarum rerum & antè acti laboris obliuionem inducere populo poterat, vt ferè accidit; maximè verò vicinis hoſtibus quieſcentibus, rebus domeſticis & publicis in pace florentibus, quarum vſus conſtantiæ ac perpetuitatis opinione non raro homines deſipere facit. His etiam Ioſue ducis ætas accedebat iam grauior, & ad bellum gerendũ laboremq́; vel ſubeundum, vel alijs excitandum minus apta, quæ omnia populo quietem alere, voluptatem ac delitiarum amorem incendere, ac demum vitiorum genus omne, præcipuè verò ſuperſtitionis licentiam largiri tandemq́; ruinam exitiúmque dari. Atque hæc mala opportunè ſibi cauenda publicæ ſaluti conſulendum eſſe duxit Ioſue. Quamobrem concilium ille coëgit, non populi totius, verùm eorum omnium, quorum aliqua apud populum erat auctoritas propter magiſtratuum & publicorum munerum ius. Hi enim totius Iſraelis perſonam gerebãt, tueriq́; debebant: quorum quadruplex ordo erat. Maiores natu, *hoc eſt Senatores omnes, qui in magnum & publicum conſeſſum, nempè in ſeptuaginta duos patres ab ipſo iam Moſis tempore conſcriptos, & in ſingularũ vrbium tribunos diuidebantur.* Et Principes. *Hi erant ſingularum tribuum proceres & anteſignani.* Iudices, *qui in ſingulis vrbibus & locis ius dicere ſolebant.* ac magiſtros. *Horum erat munus, quæ à ſuperioribus ordinibus decernerentur exequi, efficiendáque curare; Hebraicè Soterim vocantur, cuiuſmodi Apparitorum munus in Romano exercitu fuiſſe accepimus. Hos omnes pro Iſraelitarum gente ac publica communiq́; cauſa conuocauit Ioſue. Cùm verò comitij huius certus non adnotetur locus, in ipſa vrbe, in qua Ioſue moraretur, hanc rem peractam fuiſſe exiſtimamus, maximè cùm verbum Vocationis hoc indicare videatur. Neque enim hoc loco legimus verbum* AZZAPH, *quod Cogere ſiue congregare ſignificat, idq́; fieri ſolet in communem locum publici concilij, quo & ij, qui coguntur, & qui coëgit, conueniunt. Verùm hic verbum eſt* KARAH, *quod Vocare Latinus vertit, ſiue id propria vocantis, ſiue præconis voce, ſiue literis & mandatis fiat. itaque orationem illam* vocauit Ioſue,

priuatam

priuatam vocationem mihi ſignificat, ac ſi diceretur, Vocauit Ioſue in eum locum, in quo tunc erat, ſiue vocauit ad ſeſe: vocatos verò grauiſſima & vtiliſſima oratione allocutus eſt, monuítque ſui ipſorum muneris & officij ac potius pietatis, cuius diligens cura & ſtudium florentem iam & quietam rempublicam illam, Deo gratam atq; ex conſequenti florentiſſimam & feliciſſimam conſeruare poterat. Verſatur autem oratio omnis in deliberatiuo ſiue ſuaſorio genere; grauiſſimamq́; continet ratiocinationem huiuſmodi.

Quidquid rectè & commodè inſtitutum & perfectum eſt, ijſdem quibus effectum eſt, cauſis rectè ſeſe habentibus conſeruari poteſt: Reſpub. hæc Dei prouidentia et ſingulari tutela hunc, quem videmus, obtinuit & retinet ſtatum: Igitur eiuſdem Dei beneficio ac tutela conſeruanda eſt, nec alio pacto poteſt hoc obtineri. Rurſus verò, Dei erga rempub. hanc ſingularis prouidentia atque tutela propter ipſius bonitatem fide & obſequio noſtro conciliata hactenus & retenta eſt; quare vt perpetua certaq́; nobis permaneat, ijſdem noſtris officijs nobis eſt porro procurandum. Hanc ratiocinationem, quæ duplici argumẽtatione conſtat, ſyllogiſmo integro et enthymemate, grauiſſimis verbis et pulcherrimis cõmodiſſimiſque ornamẽtis inſtruit: Exordio primùm à ſua ipſius perſona & cura ducto, quod & orationem magis commendat, & argumentorum fundamentis inſtruit. Dixitq́; ad eos. *Hanc etiam magiſtratuum & ordinum illorum compellationem magnum momentum ad cauſam commendandam habuiſſe intelligimus. Deuinctiores namque ex illa actione euaſiſſe patres illi credendi ſunt, quibus tantum Ioſue tribuit, vt quæ poſtea publicè ac magis diffusè omni populo ſuadenda erant, prius cum ipſis certo tempore ac loco conuentis & honorificè compellatis communicarentur; atque ita facilior poſteà et efficacior peroratio apud omnes eſſet, principibus primùm viris in ſententiam adductis & perſuaſis: Interim tamen ſi quiſpiam illorum aliquid aliter, vel ſua ſponte, vel ex eorum, quibus præeſſet, ingenijs, conſilijs vel iudicijs ſentiret, declarari tutius poterat, aut indicari, aut etiam cognoſci à Ioſue in his priuatis comitijs, & maturiùs caueri, quàm & primores populi, et populus ipſe imperati vnica actione conuenirentur. Hanc ſignificationem ineſſe arbitramur in illa notatione* ad eos, *vt pronomẽ perſonas et ordines honoris cauſa adnotet.*

Ego ſenui, & progreſſioris ætatis ſum.

NOMINIS, *muneris & ætatis laborumq́ ſuorum commemoratione ſua illis officia tum præterita, tum præſentia commendat, & argumentationi futuræ fundamentum ſubſtruit, cuius ille ſcopus eſt; Vno Deo eiuſdemq́ cultu legitimo eſſe ijs innitendum, qui rempub. ſuam quàm firmiſsimam & feliciſsimam eſſe cuperent & curarent. Nam cùm dicit* Ego, *perſonæ à ſe hactenus geſtæ imaginem refert Ducis ſummi Præfectiq́ gentis totius, & patris atque conſulis perpetui, longiſsimi temporis officijs abundè ſpectati, quod non ætas modò iam centeſimum excedens annum, verùm & ipſa corporis & membrorum grauitas & laſsitudo apertè oſtenderent. Namque maximis curis & aſsiduis laboribus confectum, vltra ætatis etiam rationem, declarat prius verbum* ſenui, *quod ſummis ijſdemq́ optimis rerum publicarum Principibus magno rerum geſtarum atque actarum pondere preſsis accidere ſolet, vt de Dauide legimus. Alterum verò verbum,* & progreſſioris ætatis ſum, *annorum vitæ ſatis magnum numerum indicat. & cùm vtrauis re ſeorſum ſatis premi mortalium membra ſoleant, quid vtraque ſimul effectum fuerit, manifeſtum fiet ipſa hominis ſpecie. Quamobrem non exigendam eſſe ab eo parē operam ijs, quibus viribus annisq́ integrioribus vltrò præſtitā conſtabat: nec verò deſiderandam illis eſſe; quippe eam, quam nūc ipſe præſtare poſſet, ac deberet, ſedulo ſe nunc præſtiturum reciperet, nec in ea re vel ſuæ gloriæ conſulturū, vel ipſorum vtilitati & commoditati inuiſurum, ſed ingenuè, liberaliter ac piè curaturum, vt quas partes per ætatis auctoritatem & virtutem agere poſſet, eas illi ſtrenuè ac fortiter actas intelligant, & ſi experiri velint, ſentiant & cognoſcant. Optimorum enim ſenū eſſe prudentia, conſilio, iudicio atq. exhortatione eos promouere, quos virib. iam anteà ipſi iuuerint et fouerint. Hoc verò ipſum ſenē tanto æuo, tantaq́ experientia & maturitate, quantam & ætas & antè actorum recordatio atque vſus laborum ſatis in mēbris ſuis ſpectabilis probat, apprimè curare, docereq́ velle quibúſnā artibus effici poſsit, vt non modò deinceps ipſius nunc ſenis, vel poſt modū vita defuncti ſingularis virtus et induſtria ad agendam, gerendam, et amplificandā rempub. non requiratur, ſed nullius mortaliū auxilio, ope, vel ſubſidio egeatur. Atq. ita verum & arcanū rei ſtrenuè gerendæ myſteriū, quod duces alij famæ atq. gloriæ cupi-*

cupiditate occupati nec liberis proprijs reuelare ſolent, ſe illis omnibus ad curandum atq. adeò populo ipſi ad exercendũ eſſe manifeſtaturum; tanto illud certius, plenius, melius atque præſentius ceteris quæcunq. vſquam ſtrenuiſſimi viri nouerint & exercuerint, quanto illuſtriora ſuo ipſorumq́; tempore exempla, quàm in terris aliàs extiterint, edita ſunt. Itaque ex breuiſſima commemoratione, nominis, muneris, æui, laborisq́; ſui aptiſſimum ad conciliandos excitandosq́; ad attentionem & permouendos docilesq́; reddendos illorum animos; atq. etiam ad rem ipſam, quam perſuadere ſtudet, inſtruẽdam exordium duxit, ſibiq́; fidem comparauit, vt ſeni atque multis iam experimentis multisq́; periculis perfuncto, & in publicæ ſalutis curandæ rationibus fideliſſimo ac diligentiſſimo crederetur.

Voſque cernitis omnia quæ fecerit Deus veſter cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro vobis ipſe pugnauerit.

VERISSIMA *& manifeſtiſſima commemoratione rerum paulò antè geſtarum, quæ propoſitionis vel narrationis vim in deliberatiuo genere habet, certam & propriam conſeruandæ amplificandæq́; reipublicæ ac priuatæ rationem, quam perſuadere parat, iam nunc inſtruit. Eſt autem huiuſmodi argumentatio: Nulla eſt humana vel virtus, vel ars, quæ ad res præclariſſimè gerendas & celerrimè conficiendas cum diuina efficientia vlla ex parte comparari poſſit: Veſtra autem refert, rem non conſeruare modò, ſed etiam amplificare; igitur diuinam prouidentiam & efficacitatẽ ſingulariter propitiam vobis eſſe curare expedit. Atque propoſitionis probatio non longè petitis rationibus & argumentis excogitatis, quæ orantis ingenio deferre aliquid poſſent, ſed manifeſto ſenſuum experimento, quo nullum ex humanis documentis præſentius, facilius atque ad communem captum accommodatius adſtruitur. Siquidẽ prima demonſtrationum omnium principia à ſenſu proficiſcuntur: inter ſenſus verò principatum viſus obtinet, certiſſimusq́; eſſe exiſtimatur, ad eas præcipuè res quæ in actionẽ cadere, humanisq́; teſtimonijs doceri poſſunt: quare quæcunque videntur, alia probatione vel ratiocinatione ad faciendam fidem minimè creduntur egere. S.S.E. Aurem audientem &* Prou.20. Gen.18.
oculum videntem Dominus fecit vtrumque. & alio in loco: Clamor “
Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, et peccatum eorum “

 aggra-

,, aggrauatum eſt nimis: Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, qui
,, venit ad me, opere compleuerint; an non eſt ita, vt ſciam. Sic Ioſue inquit: Quæ & quanta Deus ad cultorum ſuorum vtilitatem efficiat; imò quantum ſoleat efficere, docturo mihi vos, nullis alijs opus eſt argumentis, quàm veſtro ipſorum teſtimonio, vtpotè qui ſpectatores fueritis eorum, quæ fecerit Deus cunctis per circuitum nationibus. Ea autem non à me facta ſunt, ne morte néue ſenecta mea turbemini; ſed à Domino Deo veſtro ſunt facta. Neque enim ab alio hæc fieri potuerunt non ab homine vllo, non à populo, non à vobis veſtra virtute. Nam quid minus credibile eſſe poteſt, quàm tot nationibus tantum exitium tam breui tempore humanis viribus & opera fuiſſe allatum, quamuis multi eſſent à quibus bellum fuiſſet illatū; nedum cùm vnicus tantùm populus fuerit hoſtis, nempe vos, qui victoriarū Dei ſpectatores magis quàm adminiſtri fuiſtis. Hebraicè ſic hunc locum legimus: & vos vidiſtis omnia, quæ fecerit Deus veſter omnibus gentibus iſtis ad facies veſtras: ita vt ipſe vos præceſſerit, ipſe rem confecerit, vos verò ſequeremini teſtes magis quàm oppugnatores: hoc eſt quod explicationis cauſa ſubiungitur, Quomodò pro vobis ipſe pugnauerit. Non ego non vos, ſed ipſe, id quod nemo hominū in aliam partem interpretari poſſit. Nam cùm hic vnicus verusq; Deus is ſit, qui à vobis colitur, res ipſa in veſtram vtilitatem confecta manifeſtè cognoſcitur. Quippe nationibus iſtis allata ruina eſt, nō agentibus alijs, verùm diuinitus. At verò neque à dijs vel ipſarum nationum, vel aliarum, ſi qui eſſent dij, vt ab illis putantur, cùm nulli ſint: Nam ſi eſſent, non omnes ſimul ſuis populis tantam calamitatem eodem tempore velut coniurati attuliſſent. Nec enim omnium illorum deorum ſimilem paremq; aduerſus gentes ſibi dicatas iram eodē tempore fuiſſe, vero ſimile erat. Quòd ſi maximè vlli dij illis eſſent, qui ſuas perdere gentes vellent, illorum tamē res alijs ſuis cultoribus, quibus magis fauerent, tradidiſſent, non autem vobis, qui præter Dominum Deum veſtrum, non modò alios deos deteſtari, ſed omnino inficiari edocti eſtis. Itaque res ipſa omnibus partibus expenſa manifeſtè indicat totius huius de hoſtibus victoriæ, pacis, quietis atque felicitatis auctorem Dominum Deum veſtrum eſſe; me verò ipſius miniſtrum procuratoremq; veſtrum, tam in ijs curandis, quæ iam poſſidetis, hoc eſt in re veſtra conſtituenda, quàm in augenda deinceps, id

eſt

eſt in aſsignandis ijs, quæ occupare, tenere, & poſsidere poteritis eodem auctore donatoreq́; Deo, modò ipſum vobis propitium retinere ſtudeatis, modò non obliuiſcamini earum artium, quibus ad hãc rem, quam vobis & opto & ſuadeo, opus eſt.

Et nunc, quia vobis ſorte diuiſi omnem terram ab orientali parte Iordanis vſque ad mare magnum, multæq́ue adhuc ſuperſunt nationes, Dominus Deus veſter diſperdet eas, & auferet à facie veſtra, & poſsidebitis terram ſicut vobis pollicitus eſt.

VERSVS *hi ſic Hebraicè incipiunt:* Videte diuiſi &c. *Pietatis veræ prima fundamenta fides iacit: quæ eò facilius & cõſtantius exigitur ab ÿs, quorum eam præſtare intereſt, quo præteritorum vel præſentium beneficiorum experimento niti poteſt. Maximam gentium illarum partem expugnatam, maximam etiam terræ illius occupatam, manifeſto documento oſtenderat Ioſue; reſiduam, quæ longè minor erat, non ſecus ſperandam, exſpectandam & opportunè adeundam. Vt, inquit, vidiſtis & videtis maiorem partem eorum quæ vobis Deus pollicitus fuerat iam præſtitam, non minus vobis certa propriaq́; credetis quæcunque reliqua ſunt per me vobis iam diuiſa & adſcripta; perinde ac ſi expugnata eſſent. Ea verò omnia totis regionibus & agris continentur, quæ inter Iordanem ab ortu & mare magnum ab occaſu iacent. Siquidem non minori fide ea vobis partitus fui, quàm quæ iam occupata poſsidetis. Nam partitio à me facta non ex mea optione, non ex priuata opinione & arrogantia, ſed ex eadem auctoritate deducitur, ex qua ea vobis conſtant, quæ iam poſſidentur: hoc eſt ex Dei efficaciſsimo promiſſo pari veritate & efficacitate, cùm res tempusq́; poſtulauerit præſtando.* Sicut vobis eſt pollicitus. *Atque hoc pacto certam & conſtantem ad res veſtras tuendas et in poſterum valde amplificandas virtutẽ non modò oſtendo, ſed etiam trado præſensq́; propono nũquam vobis defuturã, quidquid de me, déque alia omni auctoritate & commoditate fiat. Supereſt conſtatq́; vobis vnicum atque immenſum & æternum numen, in cuius tutela omnia veſtra præſidia latere poſſunt. Atque ita ego, quas ab illo accepi partes, vobis fideliter ſeduloque præſto. Nunc verò deinceps eas peragam, quas veſtro nomine tanquam procurator transigere debeo.*

Tantum confortamini, & eſtote ſolliciti, vt cuſtodiatis cuncta quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moyſi: & non declinetis ab eis nec ad dextram nec ad ſiniſtram.

POSTQVAM *proprium verum & efficaciſsimum illis demonſtrauit Principem atque Ducem minimè ſeneſcentem, immortalem, æternum, eumq́, ſibi certum fore pollicitus fuerit, nunc veram docet rationem, quemadmodum certum perpetuumq́, experiri contingat. Eam autem duabus partibus conſtare ait; Fide, & obſequio. Fides circa Dei dicta & pacta credenda verſatur: Obſequium in duo etiam diuiditur capita; alterum eſt ea quæ Deus nolit nolle & fugere; alterum ea velle, amare & ſequi, quæ Deo probari cognoſcantur. Hæc verò cognitio ne ex humanis opinionibus pendeat, diuinæ legis præſcripto definitur, in qua lege non nulla ſunt præcepta, quibus id indicatur & prohibetur, quod fugiendum eſt: quædam verò quibus id oſtenditur, quod eſt agendum & expetendum. Atque omnia hæc à nobis hic per ſummam & partitionem diſtincta hoc vnico verſu breuiter ac dilucide continētur.* Confortamini. *Fidem poſtulat hæc admonitio diuinis eloquijs præſtandam, quam obſequiū ſiue obediētia efficax comitatur.* eſtote ſoliciti. *Ex vno verbo Hebraico* HHAZAK *Interpres noſter duo Latina vertit valdè doctè: nam vtramque rem, nempe Animi ſenſusq́, attentionem et ad res agendas voluntatem et dexteritatem illud verbum ſignificat. Iam verò quænam huius dexteritatis & fortitudinis exercendæ materia ſit, exponit Ioſue:* vt cuſtodiatis quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moyſi. *Namque illo in libro, quidnam Deo probetur quidue improbetur, apertè definitum eſt, veraq́, virtutis ac pietatis via oſtenſa: ita vt non opus ſit*
Deut. 30. *nunc diuinare quà ſit eundum. S.S.E. Mandatum hoc quod ego præci-*
" *pio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſi-*
" *tum, vt poſsis dicere, Quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, vt*
" *deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere compleamus? Neque*
" *trans mare poſitū; vt cauſeris, & dicas, Quis è nobis poterit tranſ-*
" *fretare mare, & illud ad nos vſq. deferre; vt poſsimus audire, & fa-*
" *cere quod præceptū eſt? Sed iuxta te eſt ſermo valdè, in ore tuo, & in*
" *corde tuo, vt facias illum. Ne quis verò in tā aperta, ſimplici & grauis, planèq́, diuina diſciplina vel ſtultè erret, vel ambitioſè ingenioſus eſſe velit, diligenti admonitione cauetur.* & non declinetis ab

eis nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram. *Tranſlatio hæc à viatoribus vijſq; ſumitur, quibus conſultiſſimum ſemper fuit regiam viam & orbitam nunquam deſerere, quamuis illis videri poſſit, hac vel illac compendium fieri, tamen prudentem viatorem nunquam regiæ pœnituit viæ. Iam verò cùm omnia, quæ in lege præcepta ſunt, obſeruanda omninò Ioſue commendauerit, tamen quædam nominatim exponit quæ præſentem rationem, vel conſtituendam, vel euertendam propius quodammodo ſpectant.*

Ne poſtquam intraueritis ad gentes, quæ inter vos futuræ ſunt, iuretis in nomine deorum earum, & ſeruiatis eis, & adoretis illos.

PRIMA *cautio eſt conſuetudinem vitare eorum, qui ipſos à veri Dei cultu paulatim abalienare poſſent. Namque bonos mores praua corrumpunt colloquia. Eſt enim hominum animis quodammodo inſitum cupere, vt quam ipſi colunt religionem, alij etiam ſubeant & colant: id autem iurandi frequentia inſinuari ſolet. Nam dum alius ei quod iurat, numen eſſe credit, alium ad fidem ſibi habendam prouocat, atque ita paulatim in errorem inducit. Quare nec per iocum etiam vel irriſionem ludibriúmue vanorum Deorum nomina iuranda ſunt: neſcio enim quo pacto vulgus vel ipſa mentione commouetur: & apertè comperimus eueniſſe, vt ex huiuſmodi conſuetudinibus & ſermonibus & communicationibus appellationum atque inuocationum iuríſque iurandorum, puræ ac veræ religionis contaminetur ſinceritas. Quamobrem omnem in vniuerſum huiuſmodi conſuetudinem certo præcepto vetabat Deus: Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis: non ibitis poſt Deos alienos cunctarum gentiũ, quæ in circuitu veſtro ſunt, quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui, nequando iraſcatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de ſuperficie terræ. Eſt autem gradatio in hoc Ioſue monitu obſeruanda; quòd ex paruis initijs ad maxima mala deueniri ſoleat: nemo enim repentè fuit turpiſſimus, ſed ex leuiſſima turpitudinis nota fœdius aliquid ſemper audetur.* Ne, *inquit*, iuretis in nomine deorum earum, & ſeruiatis, & adoretis. *Hebraicè ex verbo*, Et in nomine deorum earum non commemoretis, nec iuretis, nec ſeruiatis eis, neque incuruetis vos eis. *Nam ſi primum admittatur, cetera etiam grauiſſi-*

Deut. 6.

ma committentur: quare à primo ad poſtremum prohibitio procedit. Eſt autē manifeſta prohibitionis ratio ab inutili deducta. Namque gentiū dij vel aliquid ſunt, vel nihil ſunt, quod maximè verum eſt. Si ſunt, vel poſſunt quicquam, vobis vtiles nunquam erunt, quippe quos Deus veſter oderit, quorumq́; regiones incolis maxima ex parte pulſis & occiſis, vobis tradiderit: itaque Deum veſtrum ex propitio infenſum reddetis, illorum opem nullam experturi. Sin verò, vt res habet, nihil omnino ſunt, nihil poſſunt, ſed inutilia ſimulacra & opera manuum hominum, vel figmenta & nomina tantùm vana, quînam vobis proderūt à vero, viuo, æterno, potentiſſimo et vobis antea beneficentiſſimo Deo abalienatis? Quòd ſi veſtrum verū quæritis bonum, veſtrúmque commodum & adipiſci cupitis, & adepti tueri ſtudetis, vnica vobis conſtat ratio, certiſſimis experimentis comprobata. Ea verò eſt,

Sed adhæreatis Domino Deo veſtro, quod feciſtis vſque in diem hanc.

P L V R I B V S *& ſapienter inductis antithetis ſuaſio hæc inſtruitur. Nā verbo* intraueritis, *illud aliud ſolidæ ſignificationis opponitur* adhæreatis: *nomini vero* Deorum illarum *ſiſtitur contra* Deo veſtro, *et omnia referuntur ad illud ſuperius,* confortamini & eſtote ſollciti vt cuſtodiatis, &c. *Demum concluditur monitum exemplo ipſo non ſolùm præterito, ſed etiam præſenti.* quod feciſtis vſque in diem hanc: *tum quòd difficile, imò ſtultum quoque ſit eam viuendi aut agendi rationem mutare, quam certam fueris expertus, & ipſa conſuetudine facilem familiaremq́; tibi reddideris: tum verò quod ex eadem via eundem perpetuò euentum, ex diuerſa autem diuerſum omninò expectare par ſit: atque hoc eſt quod ſubiunctis verſibus exponitur.*

Et tunc auferet Dominus Deus in conſpectu veſtro gētes magnas & robuſtiſſimas, & nullus vobis reſiſtere poterit.

V I Æ *hactenus notæ & celebratæ vtilitatem illis commendat, vt ab vſu ipſo perſeuerantiam perſuadeat, maximeq́; amplificat locum à dignitate auctoris: Non, inquit, vos auferetis, verùm* Dominus *ipſe, promiſſi ſui tenax,* auferet gentes magnas & robuſtiſſimas, *idq́; in maius decus maiusq́; commodum vobis cedet, atque adeò in argumentum ſingularis erga vos prouidentiæ Dei, qui ea præſtet, quæ*

præſtari ab hominibus non poſſunt. Nam magnas & robuſtiſſimas gentes tollere viribus humanis non contingit. Eueniet itaque ex legitima obſeruatione pietatis anteà à vobis exculta, idipſum vt experiamini, quod hactenus manifeſtis continuisq́; exẽplis experti eſtis. Et nullus vobis poterit reſiſtere. *Erunt, inquit, vobis futura ad præteritorum inſtar feliciſſima & honeſtiſſima. Didiciſtis namque vſu ipſo quid vobis aduerſus hoſteis præſtare Deus poſſet. hæc eſt huius hemiſtichij ſententia, quam Hebraica aperit lectio:* Et vos non ſtetit vir in faciebus veſtris vſque in diem hanc. *Vos, inquit, manifeſto experimento noſtis neminem vobis hactenus obſtitiſſe. Iam verò vtilitatis atque honeſtatis rationibus deductis, facilitatis locus aditur valdè ad ſuaſionem opportunus. Nam quæcunque magna ſunt, difficilia eſſe ſolent, & nihilominus propter vtilitatis opinionem & ſpem fortibus animis petenda exiſtimantur. Quòd ſi ad magnitudinem rei propoſitæ obtinendi facultas adiungatur; nemo ſanè niſi prorſus iners & ſegnis, omninoq́; ſui negligens fuerit, qui conditionem recuſet.*

Quis circum pagos & circum compita pugnax
Magna coronari contemnat olympia, cui ſpes,
Cui ſit conditio dulcis ſine puluere palmæ? Horat. epiſt. a. 1.

Maximam igitur gerendi & conficiendi maximas res, felicitatem cum facilitate maxima promittit Ioſue ex diuina ope & efficacitate profecturam. Vnus è vobis perſequetur hoſtium mille viros. *Facultatem hanc maximam, non quibuſlibet contingere poſſe ait Ioſue, ſed ijs tantùm quibus promiſſa eſt fide & pietate conſtantibus.* vnus è vobis, *vera pietate inſtructis. Eam verò non naturalem aliquam vim, non cœlorum, aut aſtrorum virtutem, vel incantamentorum efficacitatem, non humani ingenij, conſilij, vel argumenti excogitationem, vel bellicarum artium peritiam exquiſitam putare, ſed* Quia Dominus Deus veſter pro vobis ipſe pugnabit: *cuius virtutem tot atque tantis argumẽtis cognouiſtis vobis fuiſſe præſentem. Itaque quantum ad hoſtiũ frangendas vires opus eſt, ipſe abundè præſtabit, vt nullam præterea vobis negotium relinquatur præter inſectationem hoſtium, qui adeò vos formidabunt, vt ab vno fugentur mille, & à duobus decem millia, vt in Cantico ſcriptum extat. Quo verò fundamento hanc prædictionem facultatiſq́; pollicitationem* Deut. ‹‹ ‹‹

tationem Ioſue firmare poßit, continuò exponit. Sicut pollicitus eſt:
quod promiſſum ante quadraginta annos factum, reapſe certißimum
experti fuerant Iſraelitæ, poſtquam in maxima rerũ & animorum
Exod.14. *trepidatione reſponſum illud interprete Moſe retulerunt: Nolite ti-*
,, *mere: ſtate, & videte magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie: Ae-*
,, *gyptios enim quos nunc videtis, nequaquam vltrà videbitis vſque*
,, *in ſempiternum. Dominus enim pugnabit pro vobis, & vos tacebi-*
,, *tis. Cuius promißi periculum eadem nocte factum ſic narratur: Et*
,, *ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Aegyptiorum per columnã nu-*
,, *bis & ignis, interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum,*
,, *ferebantúrque in profundum. Dixerunt ergo Aegyptij, Fugiamus Iſ-*
,, *raelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Hanc tantam vir-*
tutem, tantamq́; rei gerendæ facultatem non ſibi propriam, ſed pla-
nè diuino beneficio conſtantem, quibus rationibus aut artibus illi cõ-
ciliatam conſeruare ac retinere poſſent, vnico docentur monito, vi-
delicet fidei Dei promißis habendæ, & obſequij eiuſdem iußis præ-
ſtandi, idq́; omne vnico pietatis nomine ſiue amoris Dei continetur.

Hoc tantum diligentiſſimè præcauete, vt diligatis Dominum
Deum veſtrum.

PRÆCEPTVM *hoc ea conditione conſtat, quæ ipſis quibus pro-*
ponitur, honeſtißima, facillima, vtilißimaq́; eſt. Quid enim ex hu-
mani animi facultate magis eſſe poteſt, quàm amare? Nam intellige-
re aut agere, non omnibus æquè fortaſſe contingit: poſſe verò ama-
re, ſiue velle & nolle, commune omnibus pariter hominibus eſt, idq́;
Gen.3. *liberi arbitrij, quod vocant, rationem ſpectat. Sicut ſcriptum eſt,*
,, *Et ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Iam verò*
quid honeſtius, quàm eum, quem bonum cognoueris, amare? quid
dignius, quàm bonum eum diligere, quem tui amantißimum, ti-
bi beneficentißimum fueris expertus? quid porrò iuſtius quàm
optimum eundemq́; in te beneficentißimum, ſalutis, commoditatis
dgnitatiſq́; tuæ auctorem, denique Deum tuum tibi proſpicientem,
eo amore proſequi, quem præſtare poßis maximum? Quid demùm
facilius minoriſq́; negotij exigi poteſt ab hominibus (niſi vitioſa na-
tura malaq́; conſuetudo obſtet) quàm amor, qui vnus, quia plurima
(ſaltem voto ac ſtudio) ſufficere poteſt, plurimorum inſtar habet;
atque ideò à Spiritu ſancto perfectionis vinculum appellatur. Ita
Deus, qui nullius humanæ rei indiget, qui omnium humanorum, qui
diui-

diuinorum bonorum vnicus auctor eſt, qui ipſe ſummum bonum eſt, ſui amorem præcipuè ab hominibus exigit, vel potius repenſionem nunquam ſatis magnam immenſi illius amoris, quo ipſe homines excipit, quo amore animi ad pietatem informati felicitatis maximæ ac ſummæ capaces reddi poſſunt eodem auctore. S.S.E. Et nunc Iſrael, Deut. 10.
" *quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum*
" *tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eũ, & ſeruias Domino Deo*
" *tuo in toto corde tuo & in tota anima tua, cuſtodiasq; mandata Do-*
" *mini, & ceremonias eius quas ego præcipio tibi, vt bene ſit tibi? En*
" *Domini Dei tui cælum eſt, & cælum cæli, terra & omnia quæ in eis*
" *ſunt: & tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amauit*
eos, &c. Hoc igitur amoris debitum, ex quo officium omne, quodcunq; oritur, benè cedit, conſectatur Ioſue, & vt exoluatur Iſraelitis ſuadet: tantùm diligentiſſimè præcauete. *Hebraica verba ſic habent,* Et cuſtodimini valde animabus veſtris ad diligendũ Dominum Deum veſtrum: *magna ſignificatione & conteſtatione conſilij, ſiue arbitrij liberi. Nemo enim quamuis multis artibus vel viribus impetatur, cogi inuitus poteſt ad amandum, niſi planè in dementiam impelli ſe ſinat, aut magicis incantamentis inuertatur: ſed vt prudens cogatur, fieri nequit. Eſt enim libera hominis voluntas, in qua & amoris & odij officina eſt: quæ niſi perſuaſione, vel opinione, aut ſpecie boni vel mali ad amorem aut odium nunquam inducitur. Itaque quiſquis in alterum horum affectum rapitur, ſuo primùm animo adſcribat oportet: nunquam impellitur, niſi ipſe ſenſuum illecebris, aut alia cogitatione capi ſe ſinat. S.S. E. Fruſtra iacitur rete ante oculos* Prou. 1.
pennatorum. Atque hominum ipſorum teſtimonia & confeſſione res hæc aperta explorataq; eſt.

Qui videt, is peccat; qui non te viderit, ergo Proper. lib. 2
Non cupiet, facti lumina crimen habent. *& illius,* Virg. Eclo.
Vt vidi, vt perij, vt me malus abſtulit error.

Eleganter verò Lemoſinus poëta hoc ipſum decantabat:

Qui es lo foll, quim repta, ſi no am?
Qui es lo foll reptant me de amar?
Tal paſſio ningu la pot forçar,
Perque de algu, ſi ben nom vol, nom clam.

Accidere verò nonnunquam poterit, vt aliquis in deſipientiam et ſtultitiam, vel in morbum animiq; ægritudinem inducatur, ex qua

vehementis amoris, aut odij brutarum animantum motibus perſimilis oriatur affectio, ſiue id veneficijs & incantationibus fiat, vt quidam poſcebat:

At vos deductæ quibus eſt fallacia lunæ,
Et labor in magicis ſacra piare focis;
Propert. lib. 1.1. En agedum dominæ mentem conuertite noſtræ,
Et facite illa meo palleat ore magis. & illa,
Virgil. Eclog. 8. Efferaquam, & molli cinge hæc altaria vitta:
Verbenaſque adole pingues, & maſcula thura:
Coniugis vt magicis ſanos auertere ſacris
Experiar ſenſus: nihil hîc, niſi carmina deſunt.

ſiue illecebris, & blanditijs, & nequitiarum huiuſmodi generibus efficiatur, vt ille aiebat, Iuuen. ſat. 6. *Vox blanda & nequam digitos habet: ſcriptumq́; eſt,* Prou. 2. *Si intrauerit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ „ placuerit; conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te, vt eruaris „ à via mala, ab homine, qui peruerſa loquitur; qui relinquunt iter re- „ ctum, & ambulant per vias tenebroſas: Vt eruaris à muliere aliena, „ & ab extranea quæ mollit ſermones ſuos, & relinquit ducem pubertatis ſuæ, & pacti Dei ſui oblita eſt. Igitur humani erroris atq. adeò* Iacob. 1. *„ ſceleris omnis origo in homine ipſo eſt: Vnuſquiſque verò tentatur à „ concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cùm „ conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm conſummatum fue- „ rit, generat mortem. Atque hæc ratio eſt, quamobrem Ioſue, cùm de conſtantia & perſeuerantia in fide, amore & pietate erga Deũ ageret, adeò attentè certis ac ſignificantibus verbis dixit,* Tantùm diligentiſſimè præcauete vt diligatis Dominum. *ſiue,* Et cuſtodimini valde animabus veſtris ad amãdum Dominum Deum veſtrum. *Namque criminis omnis initium vobis adſcribetur ipſis, qui non niſi voluntate veſtra in culpam abſtrahi poteſtis, cuius pœna tandem in vos recidet. Itaque veſtra res à vobis agi poteſt ſiue in bonum, ſiue in malum veſtrum. Nam ſi Deum veſtrum veſtriq́; amantem vos etiam amaueritis, ipſe Deus veſter permanebit, qui prior dilexit vos, diligiq́; à vobis poſtulat: nec per illum ſtabit quo minus à vobis diligatur is qui in veſtrum diligetur commodum. Qui Hebraicè ſciunt, facilè intelligunt omnem hanc interpretationem in illis vocibus reciprocis contineri,* Animabus veſtris.

Animaduertendum hoc loco duximus, orationem in tranſlatione

verſari ſumpta ex pactorũ ac præcipuè neceßitudinis fide, cuiuſmodi ſunt coniugij pacta & ius officij erga regem, cuius legitimũ regnum eſt, non tyrannicum. Vtrumque enim fœdus ſanctißimum eſſe oportet, vxoris cum viro & viri cum vxore: eorum quoque qui ſub rege ſunt, cum rege & regis cum populo: atque huius tranſlationis conſeruandæ cauſa verbum illud adhæreatis, *paulo antè vſurpabatur, quod in coniugij et regni rationib. ac ſermonibus frequẽs eſt: vt, Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ. & illud, Viri autem Iuda adhæſerunt regi ſuo à Iordane vſque ad Ieruſalem. Atque argumenta omnia, quæ in ſuperiore orationis parte allata ſunt, partim ab honeſto, partim ab vtili, nonnulla ab vtroque ducebantur. Namque generoſi animi homines & prudentiores viri, honeſtate maximè afficiuntur; vulgares verò vtilitate capiuntur, vel rapiuntur potius. Quod ſi quis vtrumque miſceat, punctum omne tulerit, niſi planè cum corruptis ac perditis hominibus agat, aut cum ijs, qui ex voluptatis vel erroris deprauatione in conſuetudinẽ malam venere. Omnibus his vt caueret Ioſue, dicebat, Cuſtodimini valdè animabus veſtris. Nunc verò alteram humani animi portionem alijs è locis tentat, ratiocinationibus ex comminatione conſtructis, vt metum incutiat pœnarum pro deſerto officio ferendarum. Hæc etenim ratio adhiberi etiam ſolet ad coërcẽdos vel deterrendos, qui melioribus modis deduci ſe non ſinunt. S.S.E. Flagellum equo, & camus aſino, & virga in dorſo imprudentum. Igitur quos vtilitas pellicit, eoſdem & metus tangit, vel commodi amittendi, vel incommodi ferendi. Atque hæc vis ad quamplurimos pertinet: quippe longè pauciores ſunt, qui vtilitatem nudam atq. ab vtilitatis opinione ſeiunctam perſpiciunt & amant, quàm qui vtilitati ſeruiunt, vel pœnarum terrentur metu.*

Gen. 3. 1. Reg. 20.

Prou. 26.

Quòd ſi volueritis gentium harum quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miſcere connubia, atque amicitias copulare: iam nunc ſcitote quòd Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram.

DIXIMVS *in grauißimarum ſuaſionibus rerum non tantùm ab honeſto & vtili, ſed ab incommodis etiam futuris, ſi altera ſententia mensq́; inſederit, argumenta duci. vt illud,*

Si te nulla mouet tantarum gloria rerum, Aeneid. 4.

Nec ſuper ipſe tua moliris laude laborem:
Aſcanium ſurgentem, & ſpes hæredis Iuli
Reſpice, cui regnum Italiæ Romanaque tellus Debentur.

Vtilitatem itaque & honeſtatem in ſuperiore orationis parte promiſſam, hoſtium, inquam, ex diuina auctoritate pulſionem & euerſionem, nullam fore minatur; imò contrà in turpiſſimum dedecus atque grauiſſimum incommodum conuertendam, ſi eorum, quorum conſuetudinem auerſari omninò iubentur, aſciſcere amicitias et fouere parent. Nam quiſquis aliam vitæ ac rerum agendarum rationem, quamuis ſpecioſam, quamuis probabilem inire ſtuduerit ab ea quam diuinis legibus & monitis fuerit edoctus, neceſſe eſt vt in maximas difficultates contra opinionem delapſus miſeros tandem habeat exitus. Prouer. 1. *S.S.E. Qui enim recti ſunt, habitabunt in terra, & ſim-*
» *plices permanebũt in ea: impij verò de terra perdentur; & qui iniquè*
» *agunt, auferentur ex ea. Eam itaque viam, quam ſibi commodam ad ſuas res promouendas illi perſuaderent, incommodiſſimam infeliciſſimamq́; euaſuram minatur Ioſue. Etenim vt bellum gerere difficultatis ac laboris plenum opus homines exiſtimant, ſic contrà pacem amicitiamq́; cum vicinis inire, iucundius hi vtiliusq́; ducere poterãt communicatione & commercio rerum, connubiorum etiam fœderibus. Verum enim verò cùm vicinorum mores corruptiſſimos eſſe declarauerit lex, præciſam penitus cum illis conſueſcendi licentiã nullo prætextu patere oportuit. Namque aliàs eundem Deum, quẽ ſibi propitium aduerſusq́; gentes illas infeſtum ſperare iubebantur, in ſe animaduertentem expectare par erat. Atqui ille eodem, quo ipſi pacto ſe felices fore arbitrabantur, eos perdi ſineret, & gẽtes illas relictas & conſeruatas vellet in ipſorum incommodum & malum.* iam nunc ſcitote, quòd Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram. *Nam ſi deletas videritis, id beneficio diuino acceptum feratis oportet, vobis collato, quãdiu fides pietatisq́; officia culta fuerint; nec veſtris id viribus deferatis. Sin verò eaſdem conſeruari, creſcere & propagari accidat; non veſtri boni, ſed mali atque ſupplicij cauſa id fieri interpretemini, Deo impietatis veſtræ vindice eas manere ſinente: ita quarum conſuetudines & commercia vobis profutura eſſe ſperabatis, quàm noceant, demum ſentietis.*

Sed erunt vobis in foueam ac laqueum, & offendiculum ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris.

OMNIA *verba hæc per tranſlationem vſurpata omnem conſiliorum & factorum rationem ab illis gentibus euertēdam, atque in magnum Iſraelitarum malum conuertendam ſignificant. Nomina Hebraica, quæ hoc loco leguntur, laqueum, offendiculum & flagellum interpretari Latinè poſſumus:* ſudes *verò idem quod ſpinas dicere. Illarum itaque gentium aſtutijs & callidis conſilijs Iſraelitas corruptum primùm, deinde artibus captum, demùm viribus & armis agitatum & pulſum iri, eos denique omnis conſilij expertes futuros minatur, vt qui ab eo principe, cuius opem, conſilium & prouidentiam fuerant experti, perpetua hæc eadem obſeruatione experturi ad peſſimarum ſibiq́; inimiciſſimarum gentium cōſuetudinem, ſocietatem, familiaritatem & neceſſitudinem deſciuerint. Atque ita omnia illis euertenda in deterrimumq́; mutanda ſtatum, atque inimicis, quos fouerant ipſi tradenda Dei iudicio, illorum impietatem punituri.*

Donec vos auferat atque diſperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.

PRÆSENTIS *boni imaginem ab oculos ponit, ipſa contemplatione obſeruandam commendans. Habet enim oratio hæc* πάθος, *curamq́; audientibus auget. vt illud,*

Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en quò diſcordia ciues
Perduxit miſeros, en queis conſeuimus agros! Virg. Eclog. 1.

Duplici verò argumento amplificat rem: altero ex regionis ipſius natura & præſtantia; quòd indignum ſit eam perdi, & ſua ipſorum culpa hoſtibus tradi, à quibus fuerat ablata. Alterum verò argumentum eſt ingrati animi & facti iniquiſſimi exprobratio: quòd terrā ſuam non ſua virtute expugnatam & captam, ſed Dei beneficio ac dono acceptam contra Dei ipſius voluntatem & imperium ſuis ipſorum atq. Dei inimicis gentibus reddiderint, imò prodiderint; digniſſimi prorſus qui omni quiete omniq́; vitæ commoditate in terris careant. Quanto verò ſtudio, quanta cura & ſolicitudine adductus fuerit Ioſue, vt hoc pacto ſingulorū priuatæ & publicæ omnium ſaluti conſuleret, ipſa peroratione declarat, qua ſuam erga Deum fidem & erga ipſos voluntatem grauiſſimè profitetur.

En ego hodie ingredior viam vniuerſæ terræ, & toto animo cognoſcetis quòd de omnibus verbis, quæ ſe Dominus

præ-

præſtiturum vobis eſſe pollicitus eſt, vnum non præterijt in caſſum.

HEBRAICI *idiotiſmi circuitione extremum vitæ diem ſibi inſtare ſiguificat. Namque diuina ſententia decretum ſtatutúmque eſt, vt humanum corpus ex terra factum ob ſuam illam dignitatem initio ipſo mundi proditam in terram demùm reuerteretur, atque hoc* Gen. 2. *pacto mors hæc corporis inuecta fuit. Cur autem hoc loci ſuæ iam proximum vitæ exitum repræſentauerit Ioſue*, hodie ingredior viam *&c. quaſi idem ille dies poſtremus vitæ ſibi eſſet, plures nobis rationes in breui hac oratione ſubeſſe videntur: prima quidem aſſeuerandi & confirmandi ſententiã cauſa fuit; deinde ſeipſum extra ſuſpicionem ponendi: prætereà ſtudium ſuum erga illos apertius declarandi: demùm fidem erga Deum ſuam publicè oſtendendi & profitendi. Atque huius repræſentationis illa nobis fuerit expoſitio: Vt verò ſciatis omnia hæc, non mea, ſed veſtra omnium, hoc eſt publica cauſa mihi fuiſſe acta & perorata: primùm hoc prædico vobis, quod iam cunctis fere cernitur, mihi adeò proximam mortem eſſe, vt hãc diem, qua perfunctus ſum meo apud vos officio, vltimam mihi eſſe exiſtimem; eam verò breui futuram ſcio, idq́; ago vt nihil ante ipſam erga Deum pietatis & erga vos officij prætermiſſum mihi ſit; vtq́; Deo omnium iudici, cui quàm citiſsimè rationem ſum redditurus, actiones omnes antè meas & has etiã poſtremas probem. Quamobrem id quod verè ſentio, vobis verè prædico: non vt mihi rebusq́; meis externis conſulam, quæ cras vita ac munere defuncto mihi nullæ erunt. Non etiam hoc metuo, ne florentiſsimus hic rerum ſtatus, in quo conſtituendo diuini conſilij ac beneficij miniſter fui, meo tempore conuellatur, aut labefactetur cum meo maximo dolore ex tam miſerabili ſpectaculo. Nam id breui tempore ex hac vita migraturo mihi non accidet. Conſequitur igitur me omnia hæc veſtra, hoc eſt publica cauſa agere, vtpotè qui ſecundum Dei gloriam, vnica ſalutis ac felicitatis veſtræ in cura verſor; eaq́; cogor, vt manifeſtam vobis meæ prædictionis rationem exponam, ſtudeamq́; non ſecus à vobis diuinam impoſterum offenſionem & iram auertere, quam gratiam, & beneficentiam vobis promiſſam, quantum meæ tulere partes, conciliare, confirmaréque ſtudui: id quod vos conteſtari maximè poteſtis periculo facto frequentiſsimo diuinæ veritatis & conſtantiæ*

ſtantiæ in beneficÿs promiſsis omnibus in vos collocandis. Nec enim ex his quæ pollicitus eſt Deus quicquam hactenus vel ſingulare, vel minimum vobis non præſtitum requirere poteſtis. Vt verò hæc vobis permaneant, curare & agere non meum deinceps, ſed veſtrum poſteritatisq́; veſtræ munus & officium fuerit: mihi ſatis eſt ſi vos admoneam ſeueritatis ac iuſtitiæ Dei, qui nō minus veracem ſeſe præbebit in impietate, peccatis, ſceleribuſq́; veſtris vlciſcendis, quàm in donis beneficÿsq́; ponendis præbuit; quæ beneficia vt conferrentur vobis, omni erga vos officio & ſincera erga Deum pietate ipſe curaui: vt verò firmentur & permaneant, vos curatote; imò diligenti ſtudio cauete, ne vti Deum in beneficentia fideliſsimum hactenus fuiſtis experti, rurſus in pœnis ex impietate repetendis certiſsimum & ſeueriſsimum ſentiatis: præſertim cùm non obſcurius pœnas illas perſecuturum ſe prædixerit, quàm beneficia & præmia pÿs promiſſa præſtiturum ille vltrò receperat. Itaque præmiorum ac beneficiorum exempla meo tempore, meq́; miniſtrante edita, fidem quam habeo de ſupplicÿs in impios prædictis quamquam nondum omnino ſpectatis, futuris tamen confirmarunt. Atque ita iam fermè moriens vobis affirmare poſſum, non minus mihi credenti impietatis veſtræ pœnas iamiam velut præſentes ſpectari, quàm pietatis hactenus cultæ ex diuina benignitate præmia & munera ſunt reapſe conſpecta.

Sicut ergo impleuit opere quod promiſit, & proſpera cuncta venerunt: ſic adducet ſuper vos quicquid malorum comminatus eſt, donec vos auferat atque diſperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.

PROVIDENTIAM *Dei non minus mulcta in impios dicta & irrogata, quàm beneficÿs in pios collatis probari ſæpe aliàs diſſerendo docuimus. Atque hoc argumentorum genus, quod ab impiorum & improborum hominum ſupplicÿs ducitur, non rarò à ſacris auctoribus quæri oſtendimus. vt, Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum tuorum. Exurge Domine Deus in præcepto quod mandaſti, & ſynagoga populorum circundabit te. Et propter hanc in altum regredere: Dominus iudicat populos. Et ſapientiſsimus ille gentium doctor Paulus vtriſq. his argumentis diuinorum dictorum conſtantiam & veritatem, diuinamq́; prouidentiam antiquis ſeculis innotuiſſe ait: Qui per angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus,* Pſalm. Heb. 2.

 & om-

& omnis præuaricatio atque inobedientia iuſtam accepit mercedis retributionem. Breui itaque commemoratione minarum ac prædictionum repetita, ad pœnas omnes in lege Moſis præſcriptas mente & cogitatione recolendas et animo metuēdas hortatur Ioſue ſuos, affirmatq́; ſingillatim omnes exolutum iri vſque ad ipſorum internecionem, eamq́; ſingulari modo obſeruandam; non quòd perdendi funditus, eq́; hominum memoria penitus tollēdi ſint, ſed illis iiſdem ſingulariter acceptis beneficiis abdicandi, priuandique. Vt quemadmodum vitam ſuauem, lætam, tranquillámque traducere potuerunt cum ſumma ſecuritate, ſic rurſus in miſerrimam conditionē transferantur, adeò vt per alias regiones peregrinaturi, vagi, inſtabiles, aut ſemper hoſpites omnium hominum infeliciſsimi, illam, quam non propria virtute, ſed beneficio Dei cum gloria ac decore obtinuerant, et poſſederant regionē, ſemper deſiderare cogantur, nunquam amplius recuperaturi: de terra hac optima, quam tradidit vobis. *Singula verba ſingularem ſignificatianem & πάθος habent. Atque oratio hæc omnis ad ſingularis prouidentiæ & conſilii Dei argumentum refertur. Nam quòd illa natio ex promiſſo & pacto antè, deinde ex beneficio diuino in illius regionis poſſeſsionem tam breui tempore nullo ipſorum effuſo ſanguine miſſa fuerit; quid aliud quàm Dei voluntatem & efficientiam declarabat? Quòd eadem rurſus ob conditiones pactionesq́; turbatas & violatas ita eiecta pulſáque ſit, vt nunquam amplius deinde in eundem locum redire potuerit, eiuſdem Dei numen, iram & animaduerſionem in illos clariſsimè oſtendit. Omnis namque euentus, certis prædictionibus conſentiens, caſus atque communis temporum & rerum immutationis opinionem contemplantibus excutit, & conſilium atque prouidentiam aſſerit; vti ſæpè aliàs docebamus. Huc ſpectant demonſtratiua pronomina, ac ſingulares circumſtantiæ & notationes omnes in hoc quem exponimus, verſu comprehenſæ, & ea quoq. omnia, quæ deinceps adduntur.*

Eo quòd prætereritis pactum Domini Dei veſtri, quod pepigit vobiſcum, & ſeruieritis diis alienis, & adoraueritis eos; citò atque velociter conſurget in vos furor Domini, & auferemini ab hac terra optima, quam tradidit vobis.

VT *ſcripta diuina omnia Deum iniquum eſſe, aut vltrò iram inferre negant; ita rurſum iudicem iuſtum, fortem & patientem aſſeuerant*

uerant,ſcelerumq́; vltorem, & fœderis ſui vindicē acerrimum tradunt, diſsimulantem quidem peccata hominum propter pœnitētiam, verùm in rebelles, contumaces atque impios omnes tandem ſeuerum, æquiſsimum etiam, & eum denique, qui iudiciorum à ſe editorum cauſas hominibus ipſis exponat, atque manifeſtiſsimis in quoſdàm ſceleratos animaduerſionū exemplis cetera omnia, quæ non ita aperta fuerint, non minus iuſta eſſe confirmet. Atqui hoc loco Ioſue gradatione vſus oſtendit ſupplicÿ in Iſraelitas, qui officium deſeruerint, edendi exemplo, diuinam iuſtitiam, æquitatem, ſeueritatem, atq. adeò certam prouidentiam probatum iri. Quippe quòd illi in illam regionem inducti eſſent, non ipſorum vel virtutis, vel artis, vel potentiæ fuerat, ſed beneficio Dei adſcribendum, qui pulſis ob ſcelera & impietatem primis incolis hos colonos ſuffecerat certis legibus adſtrictos, nempe vnum ſeſe Deum, Dominum ac regem credendi, habendi & colendi: cultus verò ratio ac modus celebribus conſtabat præceptis. At verò ea omnia illis per ſummū nefas perturbata, labefactata, tandemq́; inuerſa fuerint, primum officium prodentibus propriū. quòd præterieritis pactum Domini Dei veſtri: *Qui vobis vnicus Deus miſericors, efficax, beneficentiſsimus atque prouidentiſsimus cognitus, acceptus iuratusq́; fuerat, fœdere etiam ferito. Itaque non expellemini, inquit, ſine culpa veſtra, ſed quòd multis magnisq́; criminib: admiſsis indignos vos reddideritis, qui tanta poſsideretis bona. Primùm quòd à pactione receſsiſtis antequam expelleremini: Erat autem pactio obſeruandæ legis diuinæ, quam vos ſceleribus veſtris mutaſtis. Atqui cùm alter ex paciſcentibus pactionem perturbarit, altera pars nullo pactionis iure obſtringitur, imò, vt violatam vlciſcatur fidem, ius iudiciumq́; eſt. Scelerum verò veſtrorum non vna ſimplexq́; forma fuit, ſed poſt violatam legem,* ſeruiſtis dijs alienis. *Hoc ad morum conſuetudinumq́; ex alÿs gentibus petitam imitationem pertinet. Cùm enim ab illa legis ſanctitudine receſſum eſt, in promptu erat, vt in gentium opiniones & mores prolaberentur; deinde etiam ad inſaniam deducerentur, eos pro dÿs colendi, quorum diuinitatis vel efficacitatis opinionem imbibiſſent. Nam ſiue aſtris, ſiue alÿs vllis vel ſpiritalibus, vel corporeis naturis numen eſſe crederetur, proximum erat cultū impendere placandi, vel conciliandi cauſa.* & adoraueritis eos. *Hoc pacto à primis initÿs diſcedendi à Dei cul-*

tu ad nefariam inſaniam homines impelluntur ſuo ipſorum vitio. Atque hoc non adeò obſcurè fieri potuit, vt non publicè conſtaret ſi non oratione ac profeſsione, at factis ipſis, vt aſtrologorum quorundam errore deprehenditur, qui Deum rerum auctorem præfati vim efficacitatemq́; omnem in tempora & corpora ſideribus tribuunt, quæ nihil, neque id etiam quod commune omnibus, aut proprium quibuſdam eſſe dicitur, niſi ex præſente Dei voluntate poſſunt efficere. S.S.
Pſalm. 118. *E. Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi. Quiſquis verò quicquã ſtellis arrogat, quid futurum ſit, non Deum, ſed ſtellas conſulendas putat & monet; atque ita ad naturam omnia refert: Verùm ne id vlla ex parte firmari vobis poſsit,* citò atque velocitet conſurget in vos furor Domini. *qui nec prædici poſsit ex aſtrorum inſpectione, nec prædictus caueri; & cùm vos in hanc terram optimam non merito veſtro, non terræ natura, aut ſoli cælíue ingenio conſentiente cum natura veſtra, non mutatione terræ ipſius, quæ nunc cùm vobis traditur bona eſt, ſed conſilio iudicioq́; diuino fiet,* vt auferamini, *tanquam pulſi hoc beneficio, quo vos ipſi per impietatem indignos reddideritis. Atque ita ſubita illa ac repentina mutatio, quàm velociſsimè expedienda, iudiciũ & iudicij cauſam declarabit. Duæ Latinæ voces,* citò & velociter, *quas Interpres noſter ex vna Hebræa doctè reddidit, altera ad improuiſam inchoandæ rei breuitatem, altera verò ad conficiendi celeritatem eſt referenda: atque vtraque omnem naturæ aut aſtrorum, aut caſus efficientiam excludit; ſingularemq́; Dei in ea re auctoritatem aſſeuerat.*

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

CONgregauitq; Ioſue omnes tribus Iſrael in Sichem, & vocauit maiores natu, ac principes & iudices & magiſtros: ſteteruntque in conſpectu Dei.

IMPERATORIÆ *curæ atque operæ omnis poſtremum officium hoc loco à Ioſue factum narratur: vt cùm vitæ finis, qui iam inſtare videbatur, adeſſet, optimus & pijſsimus Dux munere perfunctus proprio & ſibi ipſi ſatis feciſſe videretur, & miniſtrationis ſuæ rationem Deo probaret; & populo, cui maximè conſultum eſſe cupiebat, ad extremam vſque actionem optimè & ſtudioſiſ-*

dioſiſſimè conſuleret. Fuerat quidem ſatis concilij ſuperioris exemplum, quo ſummus Dux optimatibus primoribusq́; populi conuocatis fidelem operam dedit, vt pietatis religionisque conſeruandæ & totius reipub. ſtabiliendæ amplificandæq́; rationem doceret, & curam deferret, ac perſuaderet; denique ſui ipſorum officij omnes commoneret. Officij verò illa ſumma ratio erat, curare atque agere, vt diuina lex, quæ purum Dei cultum continebat, ſeriò, grauiter, diligenter atque ſtudioſè obſeruaretur: id verò cùm illorum partes maximè ſpectaret, atque certis tam præceptis & inſtitutis, pro ſingulorum ratione muneris notum exploratumq́; ipſis eſſe oportere intelligeret, commonitione tantùm vſus eſt, & perſuaſione, nulla delabendi exceptione data: ideoq́; nec omnium, nec vllius ex illis vel rogauit, vel expectauit ſententiam. Verùm enim verò cùm non raro accidere ſoleat, vt miniſtri magiſtratusq́; publici culpæ ſuæ partem nõ exiguã, imò perſæpe omnem populo peruerſis iudicijs & moribus corrupto ac deprauato adſcribant, atque hac vnica excuſatione ſibi ignoſcant, vel Deo ſatisfacere, & hominibus honeſta hac ſeſe oratione probare poſſe putent, huic etiam parti fortiſſimus vir optimusq́; Dux proſpiciendum curauit, omnium ordinum hominibus omnibus in cõcilium vocatis & adductis, vt coniunctis omnium, qui reipub. aliqua in parte inſeruiebant, auctoritatibus, dignitatibus & ſententijs & plebis etiam capitibus vniuerſis diſpiceret quo in ſtatu reſpub. illa tempeſtate eſſet, & ſi quid corrigendum videretur, curaret; tum etiam, vt non ipſi tantummodò, ſed omnibus alijs conſtaret id quod ipſe cognoſcere ſtudebat, videlicet quænam qualisq́; mens principibus viris populoq́; eſſet: tum verò vt ſancitum in ſolitudine fœdus hic denuò in patria ipſa inſtauraret: denique vt eiuſdem rei teſtimonia ac monumenta ſi probanda euaderent, exemplaris nomine futuris proponerentur ſeculis, ſin verò varia & improbanda, ijs modis emendarẽtur, quorum etiam modorum ad poſteritatem manaret exemplum. Cur verò apud Sichem vrbem concilium hoc celebrari voluerit Ioſue, facili & aperta coniectura nobis ratio exponetur: Quòd priſci illi optimi ac ſanctiſſimi viri omnem rationem eam libenter, imò ſtudioſè etiam ſequebantur, quam in ſimilibus actionibus olim per antiquos initam atque diuino iudicio commendatam ſciebant. Duo autem illius, quam hoc loco inſtituebat, actionis Ioſue illuſtria exempla, quæ imitaretur, habuit: alterum Abrahæ primi ipſorum generis parẽtis (à cuius commemo-

memoratione,vt poſtea videbimus, inchoandum erat) ille enim quo tempore è patria Dei vocatione ac monitus eductus eſt, eodē loci primùm conquieſcens, Dei veri nomen, religionem atque cultum non ſolùm profeſſus eſt,ſed publicè etiam tum familiaribus proprijs, tum
Gen. 12. *alijs omnibus,quicunque audire voluiſſent,prædicauit.S.S.E.Cumq́;*
" *veniſſet in eam [terram Chanaan] pertranſiuit Abraham terram*
" *vſque ad locum Sichē, & vſque ad conuallem illuſtrem: Chananæus*
" *autem tunc erat in terra. Apparuit autem Dominus Abraham, &*
" *dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc: qui ædificauit ibi altare Do-*
" *mino,qui apparuerat ei,&c. Itaque hìc primùm Abraham veri Dei cultum ſibi ſuſceptum profeſſus eſt, ſeq; à patrio ritu & errore abalienatum declarauit. Alterum exemplum fuit Iacob celeberrimi facti,cuius inſtar habet id,quod hac die à Ioſue inſtituitur. Nam cùm Iacob apud Sichem à Deo monitus Bethelam commigrare pararet,altare illo in loco poſiturus familiam omnem ſuam alieno cultui nun-*
Gen 35. *tium remittere iuſſit. S.S.E.Intereà locutus eſt Deus ad Iacob; Sur-*
" *ge, & aſcende Bethel,& habita ibi,facq́; altare Deo,qui apparuit ti-*
" *bi quando fugiebas Eſau fratrem tuum. Iacob verò conuocata omni*
" *domo ſua ait: Abijcite deos alienos,qui in medio veſtri ſunt, & mū-*
" *damini,ac mutate veſtimenta veſtra Surgite,& aſcendamus in Be-*
" *thel,vt faciamus ibi altare Deo,qui exaudiuit me in die tribulatio-*
" *nis meæ,& ſocius fuit itineris mei. Dederūt ergò ei omnes deos alie-*
" *nos,quos habebant, & inaures,quæ erant in auribus eorum. At ille*
" *infodit eas ſubter terebinthum, quæ eſt poſt vrbem Sichem. Opportuniſſimus itaque locus hic fuit ad eam,quam Ioſue parabat agendam rem,locus,inquam,duorum (ex quibus gens illa deducebatur) patrum cōſimilibus factis celebratiſſimus,quæ ſi ab his imitatione referrētur, res eueniebat ex animi ſententia:Sin aliter ſentire viderētur,quàm patres illi ſenſerant,& egerant,ex loci monumento & facti exemplo degeneres arguerentur. Diximus autem ſuperiorem Ioſue actionem cum optimatibus tantùm fuiſſe habitam;hanc verò cum omni populo aſcitis omnium ordinum hominibus,proceribus,inquam,& optimatibus ac plebe, quod vel ipſa verborum & orationis forma ac diuiſio declarat. Nam ſuperior lectio ſic Latinè habet,* Vocauit Ioſue omnem Iſraelem, maioreſque natu & principes ac iudices ac magiſtros. *cuius orationis coniunctio, que, expoſitionis vim Latinè nobis reddit,*

reddit, cũ Hebraicè hæc per appoſitionẽ legãtur, Et vocauit Ioſue omnem Iſrael, ſenes eius & capita eius & iudices eius et præfectos eius. Hoc verò loco ſic Latina habet lectio: Congregauitq; Ioſue omnes tribus Iſrael in Sichem. *Superius nulla tribuum mentio; hic verò omnium fit, quæ congregatæ dicuntur, deinde etiam ſingularibus mandatis.* & vocauit maiores natu & principes & iudices & magiſtros. *Quoniam ſuperior actio ad admonitionis genus referebatur, hæc verò rogationis formam ſpectabat: Quippe actionis cauſa ad fœdus renouandum & confirmandum pertinebat: quamobrem populi ſententiam rogare Ioſue inſtituit, atque ita quiſnam ſenſus, quæ mens eſſet, cognoſcere, principibuſq; patefacere, & in poſterum teſtari & cauere. Voluit autem hanc rem omni ſolemni ritu adornare, atque diuinæ dignitatis maieſtate & auctoritate communire. Nam verba pro Deo facturus, arcã eò loci deferendam curauit, in qua ſingularis erga illum populum præſentiæ atque prouidentiæ Dei exempla multa conſtiterant, propter ſacras legis tabulas atque fœderis antea initi autoramenta ac diplomata in arca illa contenta. Fas namq; fuit arcam illam aliquando ex tabernaculo in altum locum ex religionis atque publicæ rei cauſa ad tempus transferri & circumferri etiam; quod & Heli Pontifice ſemel et Dauid rege bis factum cõſtat. Atque ita vbicunque arca erat præſentior, quodammodo Dei illi populo credebatur eſſe maieſtas. S. S. E. Qui regis Iſrael intende, qui* Pſalm.
deducis velut ouem Ioſeph: Qui ſedes ſuper Cherubin, manifeſtare coram Ephraim, Beniamin & Manaſſe. Loci igitur, perſonarum & apparatus ratione explicata, actionem ipſam, quemadmodum Ioſue inſtituerit, attendamus. & ad populum ſic eſt locutus. *Non plebem tantùm ſed vniuerſam Eccleſiam omnibus ordinibus & conditionibus conſtantem hac oratione conuentam & appellatam intelligimus, & Hebraicè ita legimus,* & dixit Ioſue ad omnem populum. *Obſeruatione dignum duximus hoc loco duplicem à Ioſue ſuſtineri perſonam, alteram ducis, ſiue imperatoris ac præfecti ſummi; alteram verò prophetæ, qui Dei mandata totidem ſententijs ac verbis populo perferret. Namque ex illo munere & officio verba facere, & de communibus ac priuatis rebus deliberare, conſulere, imperare, vel aliàs agere poterat. Verùm huiuſmodi initium, Hæc dicit Dominus, vſurpare dicendo non poterat, niſi verè propheta & ad eandem*

actionem

actionem ſingulariter legatus eſſet. Poteſt quidem miniſter quiſpiam Dei ſermonem ex ſacris chartis exceptum recitando admonendoq́; referre atque auctoritatem etiam allegare diuinam, Hæc dicit Dominus, ſi tamen Dei dictum, quod recitatur, eſſe conſtet. Non tamen fas eſt cuiquam ſe miſſum & allegatum profiteri præſentis cuiuſpiam rei cauſa, quamuis honeſtam, ſacram, veram atque ex diuinis libris deprōptam rationem afferenti, ita vt ſignificetur eam rationem nunc ſibi ſingulariter eſſe mandatam, quæ tamē non ſingulariter demādata fuerit, verùm vel ex officio ſuſcepta, vel ex priuato conſilio, aut propria libidine præſumpta. Permagni enim intereſt, ſe publicum miniſtrum quemquam præbere legitimè, vel ſingulari
Hier. 14. *mandato vatem legatum profiteri. S.S.E. Et dixit Dominus ad me,*
„ *Falſo prophetæ vaticinantur in nomine meo, non miſi eos, & non*
„ *præcepi eis, nec locutus ſum ad eos: viſionem mendacem & diuina-*
„ *tionem fraudulentam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis. Itaque quicunque non miſſus fuerit ſingulariter, mandatis à ſe exponendis auctoritatem hoc modo concilians, Hæc dicit Dominus, nefarium ſacrilegumq́; ſcelus admiſiſſe argui poteſt, cùm ſibi non fuerit locutus Deus: ſecus verò eſt, vt iam diſſeruimus, de eo qui, quæ antea per vates à Deo dicta fuerint, recitator commemorat & repetit. Verùm enim verò Ioſue hoc loco, qui anteà non ſolùm publicus atque ſummus Dux, ſed Dei etiam vates fuerat ſignis manifeſtis commendatus et confirmatus, prophetarum initium populum nunc alloquuturus vſurpat, atque eo pacto actionem hanc ſingulari ac præſenti mandato ſibi datam profitetur, ſeq́; in ea quam inſtituit oratione, tanquam vatem Dei perſonam tenere ſignificat: Atque ita optimo iure ac merito Ioſue inter prophetas, quos priores vocant, recenſetur;*
Hebr. 1. *idemq́; illa etiam diui Pauli declaratione continetur, Multifariam*
„ *multisq́; modis olim Deus loquens patribus in prophetis, &c. Itaque oratio hæc quamquam à Ioſue habita, à Deo tamen inſtituta atq. informata eſt, ad omnem populum nemine excepto, inſtar earum quæ Moſe quondam miniſtro perorata fuerant. Cauſæ genus in quo oratio verſatur, deliberatiuū eſſe dicimus. Eò namque ſermo omnis tendit, vt in vnicum verum Deum fides & pietas populo perſuadeatur. Artificium verò orationis pro rei opportunitate atque vſu mixtū eſt. Namque initio definitiuum ſtatum tenet, eúmque illa artis parte,*
quam

quam diuinationem Rhetores vocant, tuetur: continetq́ in ſe ſummam omnium tum quæſtionum, tum argumentorũ, quæ ad naturam prouidentiamq́ erga homines diuinam docendam & confirmandam produci poſſunt, vſque adeò exactè, plenè, eleganter, decenter & grauiter, vt nos qui longiſſimis cõmentarijs ſequi ex Dei beneficio poſſemus, cùm aſſequi tamen pro dignitate minimè poſſe fateamur, admiratione & adoratione magis ſuſpiciendam quàm tantæ maieſtati imparibus viribus ſuſcipiendam ducamus; eas tantùm partes attingere contenti, quæ ad rudem cùm artis tum ſententiæ cognitionem facere poſſunt. Summa itaque quæſtionum, quæ hac oratione tractantur, illa eſt: Num Deus ſit, Quis nam verè ſit Deus: qualisnam ſit erga homines, & quales homines erga illum eſſe oporteat. Atque vt rerũ, verborum, ſententiarumq́ ratio plenius et commodius lectori cõſtet, orationis huius auditor populus per ea omnia, quæ cõmemorantur tempora deduci fingẽdus eſt, perinde ac ſi vnicus homo eſſet, cui ea omnia, quæ hîc recẽſentur beneficia, collata narrarẽtur. Quidquid enim ad patres refertur, ad filios hæredes poſterosq́ pertinet. Nã quæ poſteris collata ſunt, patribus promiſſa et cœpta fuerãt. Igitur cùm hîc de ſingulari electione, vocatione, educatione, promotione atq. amplificatione populi huius agatur, conſtituendus nobis eſt populus cũ parente ſuo, cuius hæres eſt, vt ſi in illo primo electionis tempore extitiſſet, atq. adhuc permaneret. Nã reuera populus hic cum Abrahamo patre, quod ad vocationem beneficiaq́ cetera diuina attinet, vnus idémq. cenſetur. S. S. E. Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram quæ peperit vos: quia vnũ vocaui eũ, et benedixi ei, et multiplicaui eum. itaq. ſtatuendus eſt populus hic qualis in patre ſuo Abrahamo ante vocationẽ illam ſingularẽ fuerat, vt diuinorum beneficiorum commemoratio ac ſeries à principio repetatur ſuo: quod Ioſue, vel Deus potius, cuius hic vates agit parteis, facere inſtituit. Isa.51.

Hæc dicit Dominus Deus Iſrael. *Dicentis nomen & titulus, profeſſionem & auctoritatem primùm, deinde totius argumentationis propoſitionem continent, maximamq́ eſſe rem de qua agitur, atq. omni attentione & ſtudio excipiendam docet, vtpotè quæ agatur non ab homine quopiam vulgari, vel à ſummo aliquo & principe viro, ſed à Domino, hoc eſt ab illo numine, cuius adorandum nomen* IEHVEH *huic populo primùm ſingulari beneficio eſt patefactum, certiſſimisq́ documentis ac ſignis declaratum. Itaque ſi nihil amplius auctoritatis*

oratio hæc apud illum populũ haberet, quàm quòd à numine illo profecta fuerit, maxima tamen cũ attentione, reuerentia & obſeruantia excipienda eſſet. Nam ſi virum quempiam vel ſapientia, vel virtute & probitate, vel potentia magnum verba facientem audire contingeret, nulli dubium eſt illum magna aurium animorumq́. attentione auditum iri, nedum numinis eloquentis ſermonemq́. habentis verba omnia attentiſsimis auribus atq. animis hauriri oporteat. Iam verò cùm non modò nomen illud ſanctiſsimum veri atque vnici numinis appelletur, ſed titulus quoque interponatur ſingularis auctoritatis & rationis, quamobrem hæc nunc inſtituta fuerit actio, pleniſſimo iure attentio & obſeruatio dicẽdis exigitur. Habetur enim actio hæc à IEHVEH, *non ſolùm vt* IEHVEH, *ſed vt Iſraelis Deo, hoc eſt, cui Iſrael omnis quidquid eſt, quidquid habet quod ad Iſraelis nomen attineat, id omne huic vni* IEHVEH *acceptũ referre debeat, tanquam auctori, educatori, promotori, redemptori, conſeruatori, amplificatori, iudici, gubernatori, vindici, principi, regi, numini denique efficientiſsimo, maximis, frequentibus atque ſingularibus beneficijs non modò agnito, verùm, vt ita dicamus, ſatis ſuperq́. ſpectato, atque apud alias etiam nationes ijſdem nominibus ac titulis celebratiſsimo. De quo quidem titulo declarando & aſſerendo omnis actio hæc conſtituitur. Itaque ipſius actionis titulus & profeſsio auctoritatem dicendis facit, atque eandem auctoritatem obtinendam ſtatuit. Nam ſi ex ijs quæ dicentur, conſtet hunc Iſraelis eſſe Deum, peroratum profectò fuerit id, quod attinet ad confirmandas orantis partes, quodq́. ad ſuum ius apud gentem illam tenendum, vel aliàs poſtulandum faciat. Itaque exordium ipſum duplici parte conſtare dicimus; aperta attentionis petitione,* Hæc dicit Dominus, *& cauſæ totius propoſitione,* Deus Iſrael. *Nam de hoc ipſo agit, quòd Iſraelis Deum ſe eſſe aſſerat, ac de officio vel potiùs pietate Iſraelis erga Deum ſuum præſtitum nécne hactenus fuerit, & quemadmodum deinceps præſtandum ſit, inquirat. Eſt autem argumentationis totius illa ſumma ratio:* *Omnem populum Deo ſuo pietatem præſtare oportet; Eſt verò* IEHVEH *Iſraelis Deus: Oportet igitur Iſraelem* IEHVEH *pietatem præſtare.* *Prior argumentationis propoſitio tanquam notiſsima, nullis non conceſſa & conſtans, in hac oratione omiſſa eſt: quam confirmare ſupervacaneũ foret; cùm vel ex contentione & comparatione brutarum & ratione carentium animantium confir-*

confirmari poßit. Siquidem illæ in eos, à quibus beneficium accipiunt, gratæ eſſe ſolent. S.S. E. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus Iſa. 1.
præſepe domini ſui; Iſrael nõ cognouit, populus meus non intellexit. "
Itaque prior ſiue Maior, quam vocant, propoſitio pro notißima omittitur, & Aſſumptio, quam Dialectici noſtri Minorem dicunt, in enthymemate ſtatuitur. IEHVEH *Deus Iſrael; hæc Aſſumptio eſt: Ad quam confirmandam beneficia omnia à Iehueh in illam gentem publicè & communiter quidem, ſingularis tamen prouidentiæ argumento diuerſis temporibus opportunißimè collocata & fixa in ſummam rediguntur.*

Trans fluuium habitauerunt patres veſtri ab initio, Thare pater Abraham & Nachor: ſeruieruntq; dijs alienis.

OMNIVM, *quæ ad humanam felicitatem referuntur & pertinent, rationum diſputationumq; caput fidem eſſe, diuinis eſt confirmatum ſententijs. Sine fide enim placere Deo eſt impoßibile. Ei au-* "
tem, qui fidei initiationibus imbuitur, duplicem propoſitum ſcopum "
ſtatui conuenit, quò & mentis aciem & actionum ſuarum neruos intendat: Alterum eſt credere Deum eſſe, alterum verò eundem humanis rebus prouidere. Atqui hæc prouidentia duabus potißimùm rebus ſpectandis obſeruatur; beneficentia erga pios & probos homines; rurſumq; iudicijs atque pœnis aduerſus improbos exercendis. Quamquam enim mundi totius fabricæ & diſcordis rerum concordiæ contemplatio primus ad prouidentiam obſeruandam gradus exiſtimetur. S.S.E. Inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta Rom. 1.
ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; eius virtus & diui- "
nitas: tamen efficacißima diſputationis huius pars bonorum & "
malorum finibus inſtruitur. Atque hæc cùm rectè iacta fuerint "
fundamenta, nihil humanis animis & mentibus, quod ad pietatis firmiter conſtituendam ædificationem requiratur, eſt reliquum. S.S. Heb. 11.
E. Credere oportet accedentem ad Deum quod eſt, & inquirentibus "
ſe remunerator eſt. Vtrauis etenim fundamenti huius parte deſide- "
rata, nec pietatem, nec humanum vllum officium rectè ac perfectè conſtare poſſe, omnium qui de hac re ſcripſerunt auctoritate exceptum eſt. S.S.E. Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Corrupti ſunt Pſalm.
& abominabiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque "
ad vnum. "
& rurſum: Firmauerunt ſibi ſermonem nequam: Nar- Pſalm. 64

rauerunt vt abſconderent laqueos, & dixerunt: Quis videbit eos? *Huc illa etiam apud poëtam paſtoris querela pertinet:*

Virgil. Eclo.

O digno coniuncta viro, dum deſpicis omnes:
Dumque tibi eſt odio mea fiſtula, dumque capellæ,
Hirſutumque ſupercilium prolixaque barba,
Nec curare Deum credis mortalia quemquam.

Et illud:

Iuuen. ſat.

Sunt qui in fortunæ iam caſibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moueri,
Natura voluente vices & lucis & anni;
Atque ideò intrepidi quæcunque altaria tangunt.

Omnium igitur huiuſce rationis rerum ianua in his duobus præcipuè cardinibus verſatur, cognitione videlicet initij atq; finis rerum, ita vt mens illud verè concipiat, omnium rerum atque adeò hominum ipſorum principium à Deo, cauſam etiam, quò omnia referantur, Deum ipſum eſſe (Atque cauſam hoc loco Latinè locuti eum eſſe dicimus, qui à philoſophis agẽdarum rerum poſtremus finis appellatur) Quòd ſi conſtiterit Deum eſſe, eundemq; humana curare, humanarum actionum finibus proſpicere, manifeſtè conſequitur ipſum religione & pietatis officijs eſſe colendum. S.S.E. Exurge Deus in præcepto quod mandaſti, & ſynagoga populorum circundabit te. Et propter hanc in altum regredere, Dominus iudicat populos. His illud etiam alienigenarum, qui de Deo inquirebant, adſtipulatur:

Pſalm.

Virg. Eclog.

Ab Ioue principium Muſæ, Iouis omnia plena,
Ille colit terras, illi mea carmina curæ.

Iam verò ſtatuamus homines rudes, & ſuæ ipſorum originis diuinæq; naturæ ignaros, quales poſt gentium diſperſionem longè à Noahhi ſeculis fuiſſe credimus; diaboli, humani generis accerrimi hoſtis, fraude et præſtigijs excæcatos, et paternæ illius ſanctæ diſciplinæ oblitos, qui tamẽ naturæ impetu ac Dei inſtinctu ad veri inquiſitionẽ indagationemq; impulſi, de diuinis humaníſq. rebus cognoſcendis agant. Atqui his cùm primæ efficacitates nulla cõmodius ratione cognoſci poßint, quã ex effectis ipſis, Dei naturã veritatemq; inquirẽtibus prima effectorũ conſiderãda obſeruatio eſt. Fieri enim nequit, vt natura aliqua otioſa atque efficientijs vacua alienaq; eſſe putetur: quare ſi Deus eſt, eũ eſſe oportet agentẽ: ex effectis itaq. cognoſcetur

Deus.

Deus. Hinc variæ de rebus, quibus diuina virtus & efficacitas exerceri poßit, quæſtiones obortæ, varias in orbem de diuina natura opiniones inuexere. Verùm ſumma omnium ratio vtilitate definita fuit. Namque vt eſſet haberetúrque Deus, orbi & orbis habitatoribus commodus vtiliſque, vel aliqua vel omni ex parte cognoſcendus erat. Primum itaque ex vtilitate argumentum ad diuinam naturam probandam petebatur. Nam quod nulla rationem vtile efficaxq́; ſtatueretur, nec cultu nec cognitione quidē dignū exiſtimabatur: cuius ſententiæ impiam Epicureorum ſcholam fuiſſe quidam ex eadem teſtatur.

——— Credat Iudæus apella, Horat. Ser. lib. 1. Saty. 5

Non ego; namque deos didici ſecurum agere æuum:
Nec, ſi quid miri faciat natura, deos id
Triſtes ex alto cæli demittere tecto.

Contrà verò vbi diuinæ humana maioris atque hominibus ipſis vtilis efficientiæ exempla conſtarent, diuinam naturam, virtutem, auctoritatem & dignitatem agnoſci & agnitam coli oportuit.

Deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque maris, cælumq́ue profundum. Virg. Geor.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.
Scilicet huc reddi deinde, ac reſoluta referri:
Omnia nec morti eſſe locum; ſed viua volare
Sideris in numerum, atque alto ſuccedere cælo.

Atque hanc diſputationem omnem idem ille Epicureus poëta, cùm tandem reſipuiſſet, eleganter pertractauit.

Parcus deorum cultor, & infrequens,
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro: nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos: namque Dieſpiter
Igni coruſco, nubila diuidens;
Plerumque per purum tonanteis
Egit equos, volucremq́ue currum:
Quò bruta tellus, & vaga flumina,
Quò ſtyx & inuiſi horrida Tænari
Sedes, Atlanteuſq́ue finis
Concutitur, valet ita ſummis
Mutare: & inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens.

Ex his omnibus illud conficitur, non poſſe hominibus humani ingenij ac iudicij ope vſis vllo pacto diuinam naturam commodius indicari, quàm ex effectus vtilitateq́ ex eadem diuina natura in orbem hominumq́ genus dimanante. Atque omnis de natura Deorum apud Ciceronem diſputatio eò tandem redit, vt Deos ex vtilitate ab hominibus definiri oſtendat. Sed quænam illa natura ſit, quæ vtilitatis omnis origo dici iure poſſit, num ſimplex an multiplex, quibus modis agnoſcenda, indaganda, quibus nominibus appellanda ſit; deinde verò quo cultu, quibus pietatis officijs veneranda, adeunda & oranda ſit, cognoſcatur; hoc & callidiſſima malorum dæmonum fraude, & humanorum ingeniorum ſuperbia & inſolentia ita turbatum impeditumq́ olim fuit, vt primùm in ignorationis tenebras, deinde in diuerſa monſtra, demum in maxima inſaniæ deliramenta atque in innumera ob eam rem flagitia vniuerſum hominum genus impulſum fuerit, alijs alias res diuinitatis expertes deorum loco habentibus, & colentibus, nimirum ſidera, elementa, plantas, animalia, atque adeò homines ipſos, ex quibus aliquis perciperetur vſus, quamquam mortales, quamquam aliàs corruptis moribus infames. Atque ita Plinius ad vnam vtilitatem diuinitatis rationem retulit omnem. Deus, inquit, eſt mortali iuuare mortalem. Porrò hanc, quam hactenus ſecuti ſumus, de humano erga diuinam naturam iudicio expoſitionem diuus
Rom. 1. *Paulus breui oratione ſapienter cõplexus eſt: Qui cùm cognouiſſent*
,, *Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratũ eſt inſipiens cor eorum,*
,, *dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis*
,, *hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum. Propter quod*
,, *tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt*
,, *contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis, quia commutauerunt*
,, *veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ*
Sil. Italic. ,, *potiùs quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Hanc humani iudicij prauitatem Poëta quidam ex gentibus aptiſſimè deplorabat,*

Heu primæ ſcelerũ cauſæ mortalibus ægris Naturã neſcire Deum.

In hoc errore inuolutas fuiſſe gentes omnes, vt quæ diuinam naturam negare non poſſent, ea tamen pro dijs haberent & colerent, quibus nulla eſſet diuinitas, niſi à Poetis vel à philoſophis & ſophiſtis

alijsq́

alijsq́; impoſtoribus ficta & tributa; atque ita rudi & ad errorem ſugendum procliui populo inuecta & tradita.

Quid foret Iliæ,
Mauortisque puer, ſi taciturnitas
Obſtaret meritis inuida Romuli?
Ereptum ſtygijs fluctibus Aeacum
Virtus, & fauor, & lingua potentium
Vatum diuitibus conſecrat inſulis.
Dignum laude virum Muſa vetat mori:
Cælo Muſa beat: Sic Iouis intereſt
Optatis epulis impiger Hercules,
Clarum Tyndaridæ ſidus ab infimis
Quaſſas eripiunt æquoribus rates.
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

Ita omnis de natura deorum, ratio vel cognitio, vt falſa omninò, vel multis partibus mendoſa, ad bene beateq́; viuendum, atq. adeò ad felicitatem nullius eſſe poterat vſus gentibus illis poetarum mendacio et aliorum vanorum hominum auctoritate deceptis ac ſeductis. S.S.E. Scitis quoniam cùm gentes eſſetis, ad ſimulacra muta, prout 1.Cor.12. *ducebamini, euntes. Quamobrem dum plures deos colerent, atque in his colendis laboris, ſtudij atque operæ nimium ponerent, Deum verum vereq́; beneficum ignorabant; cuius quanquam beneficia ſentirent, tamen ijs, qui dij non erant, accepta referebant. S.S.E. Viri* Act.14. *quid hæc facitis? & nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas, & quidem non ſine teſtimonio ſeipſum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias, et tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda &c. Igitur cùm in tantis tenebris verſaretur mortalium genus, vt iam quiſnam verè Deus eſſet, quis adeundus, quis adorandus & colendus, quis in vota vocandus, nihil certi exploratiq́; haberet; primus ad felicitatem gradus veri Dei notitia fuerat: Verùm notitia hæc vnde petenda? ex hominibusne? Atqui totum iam ſeculum ſecularibus in tenebris ita iacebat, vt qui oculos aliquantulum aperire vellet, cùm nullam in ijs, quæ pro dijs colebantur & metuebantur, diuinitatis rationem aut partem inueniret, ideoq́; nihil de vero Deo audiſſet, religio-*

religionem omnem potiùs ab hominum animis remoueret quàm tantis deorum monſtris, tot flagitioſis nominibus adulterorum, ebriorum, homicidarum, parricidarum, libidinoſorum atque latronum, furum, impoſtorũ, maximis inter ſe diſcordÿs & contentionibus diſſidentum diuinos honores deferendos cenſeret, indignúmque duceret hominem ÿs ſubeſſe, qui tot flagitÿs nobilitati infamesq́. celebrarentur.

Humana ante oculos fœdè cùm vita iaceret
Lucret. lib. 1. In terris depreſſa graui ſub religione,
Quæ caput è cæli regionibus oſtentabat
Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans:
Primùm Graius homo mortales tollere contrà
Eſt oculos auſus, primusq́ue obſiſtere contra,
Quem nec fama Deûm, nec fulmina, nec minitante
Murmure compreſſit cælum.

Huiuſmodi exitus erat eorum, qui Deos ex hominum doctrina petiiſſent. Quòd ſi ex effectis diuinæ cognitio naturæ inueſtigaretur, omnium rerum, quæ ſub cælo fiunt & eduntur, auctoritas omnis vel cælorum motibus, vel aſtrorum efficacitatibus, vel naturæ viribus tribuebatur: Ex qua etiam doctrina nulla certæ religionis conſtare poterat ratio. Atque ob hanc rem, qui videbantur eſſe ſapientiſſimi, & virtutis veræ cuſtodes atque ſatellites, diſciplinã ſtoicorum profeſſi, vota precesq́. hominum tanquam ſuperuacanea ſuſtulere. Quibus ex rebus omnibus conſtituitur opus fuiſſe noua aliqua & ſingulari eademq́. certiſſima ratione, qua homines de diuina natura edocti & rectè ſentirent, & quid credendum, quid ſperandum, quid quærẽdum atque expectandum, quid & quo pacto poſcendum ſapienter ſtatuerent. Verùm hoc hominibus tanto tam errore imbutis & captis, niſi diuino ſingulari beneficio cõtingere nequibat: cuius beneficÿ magnitudo nulla oratione ſatis prædicari & celebrari poteſt. Nam cum duplici parte hominis animus conſtet, intelligendi vi & volendi facultate, atque prior poſterioris lux, dux & princeps ſecundùm naturam ſit, nihilq́. à poſteriore rectè agi inſtituiue poſſit, niſi idem à priore probatum commendatumq́. fuerit; ſi prior pars in errore ac tenebris verſetur, omnem humanam actionem incertam, perturbatam, atque adeo obſcuram & multis modis fœdatam euadere neceſſe eſt, ita vt nihil recta ratione actum dici poſſit, quod ab incerta & cæca ſit profectum

fectum mente. S.S.E. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus: quòd ſi ocu- Mat. 6.
lus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit; ſi autẽ ocu- "
lus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergò "
lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? Præ- "
*ſtantiſsimum igitur beneficium illud cenſendũ eſt, quo humanis ani-
mis cæcitate remota, lux videndiq́; facultas confertur. Atq. hæc pri-
ma erga homines vtilitatis pars quaſi ceterorum beneficiorum fun-
damentum exiſtimanda eſt, maximæq́; miſericordiæ opus dicendum,
velle Deum hominibus à ſe abalienatis id quod minimè fuerant pro-
meriti præſtare: hoc eſt, ſe ipſum oſtendere, & non tantùm ſpecie
aliqua, quæ Deum eſſe euinceret, ſeſe conſpiciendum præbere, ſed al-
locutione ac ſermone manifeſtare & probare; atque omnem de diui-
na natura dubitationem tollere, & de eiuſdem naturæ ingenio & ra-
tione atquẽ exiſtimatione errorem eripere. Quòd ſi hoc beneficium
omnibus gentibus eodem tempore collatum fuiſſet, tamen ſingulas na-
tiones atque inter eas Iſraelitas maximis nominibus deuinctas tene-
ri oportuit, vtpotè ex tanto ignorationis ac cæcitatis morbo ad ſani-
tatẽ lucemq́; tranſlatas: Nedum ſingularis gratulationis atq. obſequij
& cultus legibus tenerẽtur Iſraelitæ, qui primi ex omnibus nationi-
bus adeam rẽ ſegregati fuerant, vt et ipſi verum Deũ in ſuã ſalutem
agnoſcerẽt, & alijs gentibus ad communem felicitatem indicarent.
S.S.E. Dedi te in lucem gentium, vt ſit ſalus mea vſque ad extre-* Iſai. 49.
*mum terræ. Num non maximi beneficij nominibus apponendum fue-
rit, non modò è tantis tenebris ereptum populum primum veri ag-
noſcendi Dei lumine illuſtratum & ductum atque ceterarum natio-
num euaſiſſe doctorem? Nónne vel hoc vno nomine Deum ſeſe Iſ-
raelis appellare, Iſraelémque ſibi deuinctum allegare ſummo iure
IEHVEH poteſt? Hoc itaque primum à ſe beneficium ſingulariter in
Iſraelitas profectum Deus commemorat, atque ad complura alia ma-
xima deinceps recenſenda paraſceuen inſtruit loci, temporis, perſo-
narum, & conditionis, quæ genti huic ante primã illam vocationem
cum alijs gentibus communia fuerant. Atque hanc paraſceuen ad
omnem quæ mox inſtituenda eſt tum humanorum, ſiue terrenorum,
tum diuinorum, ſiue ſpiritualium beneficiorum diſputationem mente
recoli, memoriáq́; teneri operæpretium fuerit.* Trans fluuium habi-
tauerunt patres veſtri ab initio. *Vt omnia quæ illis iam conſtabant*

bona, commoda atque ornamenta ab auctore IEHVEH *atque Principe Deo profecta & accepta euincerentur, primus & antiquus illorum ſtatus, communiſq́; cum ceteris gentibus, & anguſtior etiam conditio deſcribitur, ob oculóſque ponitùr ÿs, qui nunc in Cananæa regione beatas, tutas omnibúſque commoditatibus inſtructas incolebant ſedes. Eſt autem argumentationis illa nuda, ſimplex, rudíſque formula: Deos ex vtilitate et beneficentia definire humanum ſolet genus, Vnus* IEHVEH *atque idem ſolus vobis ſeſe vtiliſſimum & beneficentiſſimum ſingulariter præſtitit: Ergo vnus ille Deus vobis definiendus habendúſque eſt. Propoſitio confirmationem nullam poſtulat, cùm ipſum* ELOHIM *nomen curam, prouidentiam, iudicium, gubernationem principatúmque ſignificet. Aſſumptio verò hoc eſt; quòd vnicus* IEHVEH *in vos fuerit beneficētiſſimus, hûiuſmodi ſtatuitur argumento: Quidquid vobis vel animi vel corporis bonorum conſtat, id omne ex* IEHVEH *beneficio ac dono profectum eſt. Hoc ſi demonſtratum euictumq́; fuerit, omni ex parte abſoluta diſputatio Deíque cauſa confirmata euadet. Omnia verò quæ hominum generi contingere poſſunt bona, vel ad animi actiones, vel ad corporis vſum pertinent, hoc eſt vel rectam animorum inſtitutionem, vel commodam & iucundam vitæ huius mortalis vſuram ſpectant: Oſtendam autem manifeſtè vtrumq. bonorum genus vobis tum præſtantiore natura & copia, tùm etiam diuerſis pactis, modis & rationibus, & melioribus quàm vlli alÿ genti contigiſſe: atque ex eo conficietur vos non habere communes cum alÿs gentibus deos, aut eodem quo gentes aliæ modo, vel Dei cuiuſpiam, vel naturæ, vel temporum & ſeculorum efficientÿs & mutationibus obnoxios videri poſſe; vel ingenio, induſtriæ virtutiq́; veſtræ id quod eſtis debere; ſed vni* IEHVEH *deditos eſſe oportere, cuius auctoritate & efficacitate omnia veſtra conſtant. Atque omnia hæc amplificatione confirmantur, & exornantur enumeratis vtriuſque generis commodis ac bonis & narratione altiùs, hoc eſt, à communi antiquo illius gentis & populi ſtatu repetita & à notioribus incœpta raciocinatione. Primùm enim, quod ad vitæ huius mortalis vſuram commoditatemq́; facit, nihil ſingulare vel propter naturæ, vel propter inſignem parentum veſtrorum virtutem arrogare vobis poteſtis. Namque illi à quibus originem ducitis, nec reges, nec principes,*

nec aliàs magna aliqua dignitate, aut virtute celebres, nec etiam maximis et antiquis diuitijs aucti fuerunt, ſed trans fluuium habitauerunt, *cum alijs Chaldæis nullò ordinum genere præ ceteris præſtãtes, non regno, imperio aut opibus pollentes, tantum* habitauerunt, *ſiue, vt Hebraici verbi vis indicat, ſederunt; quæ ſignificatio communis priuatæq́ traducendæ vitæ rationem vſumq́ ſubindicat: cùm contrà verbum Stare, ad ſummos, inſignes & publicos viros referatur. Atque huiuſmodi communis priuatæ & obſcuræ vitæ vſum antiquum illi genti fuiſſe vox* ab initio, *oſtendit, ſiue vt Maſius acutè ac doctè annotat, ab olim: Hebraicum verbum* GHOLAM *apertiùs rẽ ipſam depingit. Eſt enim* GHOLAM *nomen à verbo deductum, quod Abſcondere, occultare, obſcurumq́ tenere ſignificat: id Latinus interpres non rarò aut inconcinnè, Seculum vertit. Iam verò Seculũ in ſacris ſermonibus non ſolùm Centum vel quinquaginta annorum curriculum ſignificat, ſed etiam communem ſenſum, & vitæ vſum non penitius quàm ex humana vel ratione, vel libidine, vel ignorantia productũ, atq; ea quæ homines vt homines ſunt, agere tractareq́ ſolent, vnde filij huius ſeculi à filijs lucis diſtincti Ieſu Chriſti præceptoris noſtri doctrina ſtatuũtur. Significat etiam Antiquitatem plurimorũ annorũ, cuius nec explicata nec certa notitia habetur, ſed obſcura quædam eademq́ ſemifabuloſa velut vmbra in hominum mentibus ſermonibusq́ oberrat, vt illud, Iſti ſunt gigantes viri famoſi, potentes à ſeculo. Omnem verò hanc ſeculi ſignificationem illi voci ab initio tribuimus. Patres, inquit, veſtri priuati, ignobiles, & ceteris omninò ſimiles, quod ad vitæ commoda attinet, ab initio tum temporum, tum communis conditionis, ingenij & ordinis nihil præ ceteris egregium habuerunt, ſed tantum* ſederunt trans flumen, *tantumq́ obtinebant quantum ad ſedendum, hoc eſt habitandum ſatis eſſe potuit: quippe regio omnis illa nec latiſſima, nec infrequens erat, vtpotè hominum ferax, atque inter Perſidem, Arabias, Meſopotamiam & Armenias concluſa. Atque Fluminis nomen antonomaticῶs illis in regionibus celeberrimum amnem Euphratem ſignificat. Itaque quod ad externorum honorum ſummam rationem facit, patres ab initio, hoc eſt, ex ſeculorum præteritorum obſcuritate & confuſione trans flumen habitauerunt, nullis titulis inſignes, nullis dignitatibus opibúsue præſtantes, ſed qui nomina tantùm tuerentur ſua.* Thare pater Abra-

Gen. 6.

 ham

ham & Nachor. *Neq. enim Thare vlla alia vobis dignitate celebrari poteſt, quàm quòd fuerit duorum liberorum pater Abrahami, à quo paternum; & Nachoris, ex quo maternum ducitis genus. Quod vero ad animi bona attinet, cùm eos præſtare dicamus, qui & cognoſcendi magis compotes, & vitæ totius inſtitutionibus & rationibus aucti magis fuerint, nulla ex parte ceteris illorum ſeculorum hominibus excelluiſſe patres veſtros, oſtendere poteſtis, vtpote quos nec meliore de diuina natura opinione, ſcientia, vel fide præſtitiſſe, nec ſanctioribus actionibus religionis cauſa operam dediſſe conſtat. Namque illi perinde vt ceteri ab initio ſiue à ſeculo* ſeruierunt diis alienis. *Neceſſe autem eſt eum cultum improbandum ſtatui, & à virtute certaq; religione alienum duci; qui alienis impenditur dijs. Vocabulum Hebraicum cui Latinum* alienis *reſpondet, ſic poſitum eſt, vt non ſolùm deos alienos, hoc eſt à vera Dei natura remotos, varios & præpoſteros ſignificet, ſed ad ipſos etiam cultores referatur; nam & accuſatiui & genitiui formam obtinet, ita vt verti ſimul poßit,* aliis alienis aliorum: *Atque in omnes has rationes intendiſſe Ioſuan credimus. Cum primis verbum* ſeruierunt, *quod non tantùm cultum, ſed ſeruitutem quoque ſignificat, ſua ſponte graue eſt, & ſtudij, laboris atque operæ adfert adnotationem; quæ ſi rectè impendantur, & laudem & operæ tandem pretium afferunt; ſin verò perperam, aut vanè, aut fruſtra ponantur, magnam profectò fraudem cum pudore & probro ferunt. Sapientißimè itaque vocabula hæc à Ioſue coniuncta ſunt,* Seruierũt diis alienis variis præpoſteris aliorum. *Hominum nimirum aliorum, qui exuctum à ſeculo errorẽ ipſis nil melius ſapientibus obijciebant, prout ducebantur euntibus: itaque nec mente ac diſciplina, nec animo, nec moribus, nec ſtudijs meliorem ceteris conditionem ſequebantur. Atque hæc ſumma & viua imago bonorum cùm corporis, tum animi, quibus patres veſtri & Abraham & Nachor apud ipſorum parentum Thareh inſtructi ab initio fuerant. Multa quidẽ hoc loco atque in his verbis* cõmorati, ſeruierũt diis alienis, *ex antiqua de dijs apud Chaldæos & Babylonios diſciplina cõmentaremur, nec indigna cognitu ad plures ſacros ſermones explicandos, & ad vanitatem illam confutandam, ſi nobis tantum adſcribendum otij, & lectori ad legendum patientiæ, quantum par eſſet, impetrare poſſemus. Namque omnis Chaldaicarum artium*

tium ratio ſeſe nobis hîc oſtendit, quam orationis huius ſententiæ identidem ſubindicant. Verùm his modo omiſſis, quæ ſequuntur euoluamus.

Tuli ergo patrem veſtrum Abraham, de Meſopotamiæ finibus.

HVMANÆ *inſtitutionis ratione & formã à diuina ipſo etiam ordine differre, oratio hæc apertè indicat, vt mox declarabimus. Atque huius narrationis argumẽtum cò tendit, vt aſſumptionem illam confirmet. Vnus* IEHVEH *idemq́; ſolus vtiliſſimum & beneficentiſſimum me vobis ſingulariter præter ceteras nationes præſtitit; qui cum præteritis temporibus dimiſerit nationes omnes ingredi vias ſuas, non ſine teſtimonio me ipſum relinquẽs, dans illis pluuias, &c. tamen quid quantumq́; ſingularium beneficiorum vobis publicè ac priuatè contulerim, ſumma tantùm capita attingens commemorabo. Duplicem docendi, diſcendi & cognoſcendi rationem eſſe, & natura ipſa rerum oſtendit, & eorum, qui de diſciplinis libros conſcripſerunt, auctoritate conſtat. Altera forma eſt, quam ſecundùm naturam Philoſophi vocant, cùm à prioribus ad poſteriora, ſiue à cauſa ad effecta; altera verò contrà, cùm ab effectis ad cauſam, ſiue à poſterioribus ad priora doctrina deducitur. Prior forma perfectior, certior, atque nobilior & conſtantior eſt: poſterior verò imperfectior, minusq́; nobilis habetur; verùm hæc humanis ingenijs, iudicijs & vſibus familiarior, & frequentior; illa verò planè diuina et hominũ labori negata, niſi ex diuino contingat beneficio. Alterum genus à philoſophantibus naturæ, alterum verò diſciplinæ ordo dicitur; illud pro explorato confeſſis, intellectum noſtrum ad prima & manifeſtiſſima præſtantiſſimaq́; naturæ perinde habere atque nycticoracis oculos ad ſolis lucem & ſplendorem. Quamobrem ad primorũ & manifeſtiſſimorum naturæ cognitionẽ ex infimorum & poſteriorum, atq; adeò ex effectorum inſpectione & admiratione eſſe deueniendum. Alijs autem hæc eadem breuius traduntur hoc modo: Quædam ſua natura ſuaq́; ſpontè manifeſta ſunt, quæ tamen nos latent; quædam verò nobis aperta ſunt, quibus ad aliorum notitiam colligendo deducimur. Quare præſtantiſſimus & rectiſſimus inſtitutionis atque doctrinæ ordo & curſus fuerit, ſi à primis & certiſſimis rerum cauſis, cõtemplationum & actionum decurſus incipiat. Homines autem vt homines ſunt, (hoc eſt communi ſenſu atque iudicio, à prima illa humani*

Ariſt. poſter. lib. 1 & 2. Ethi. 1.

generis ærumna v(i) niſi aliter diuinitus inſtituantur, Deum à poſterioribus cognoſcere poſſunt, hoc eſt ab effectis, atque adeò à cogitatione, collectione & collatione rerum earum, quæ ſub ſenſum cadunt. S. Rom. 1. S. E. Inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Atq. Exod. 33. ratio hæc omnis illo arcano reſponſo ad Moſen facto indicatur: Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. Itaque homini humani ingenij & cõmuni naturæ ope inſtructo diuinarum rerum atque Dei ipſius cognitio non niſi ex effectis cõtingere poteſt. Verùm hoc pacto quàm rari homines optabilem & probandam Dei notitiã fuerint aſſecuti, imò contrà quàm multi in varias & ineptas de Deo opiniones fuerint diſtracti, ipſa omnium gentium hiſtoria docet; ipſa illarum ſacra monumenta arguunt, atque etiam diuina ſcripta manifeſtè produnt: dum enumeratis gentibus ijs, quæ vel ingenij & induſtriæ laude celeberrimæ vel religionis profeſſione inſignes habebantur, vix vnum aut alterum extitiſſe affirmãt indicem, Pſalm. probanda veri Dei notione informatum. S. S. E. Memor ero Rahab & Babylonis ſcientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus & populus Aethiopum, hi fuerunt illic. Nempe quòd humanæ aciei imbecillitas cùm in ipſa rerum contemplatione nõ rarò incerta pro certis capiat, tum etiam cõmunis hoſtis præſtigijs & illuſionibus in fraudem impulſa, erroreq; multo inuoluta, in varias, vt D. Paulus ait, cogitationes euaneſcat; ita vt expertibus omnis numinis rebus numẽ tribuat. Et quamquam aliquid de vero ac rerũ opifice Deo ex ipſis rebus conſequatur, tamen id adeò obſcurè, adeò perplexè & impeditè, vt magis vmbram attigiſſe quàm ſerenam lucem ſenſiſſe cenſenda ſit. Atque ita in via, quæ à poſterioribus ad prima deducit, ad illam ſeculorum perturbatam confuſionem non rara diuerticula reperta ſunt. Quod ſi quempiam altero modo ſibi inſtruendum docendumq; dignatus fuerit Deus ipſe, id eſt, ſi quem eò felicitatis transferre, ei vt ſeſe cognoſcendum manifeſtet, vlterioremq; ab illa communi cognoſcendi forma gradum ſtatuat, maximi ac planè diuini beneficij nomine ea appellanda gratia eſt. Atque huiuſmodi notio cum ijs, quæ à poſteriore ſiue ab effectis ducuntur, minimè eſt comparanda, vt nec diuinis humana comparari conferrìue poſſunt. Hoc primum in maximorum donorum & beneficiorum numero Iſraelitis ponit Deus, ex quo ce-

teris, quæ deinceps connumerabuntur, initium eſt factum. Id verò quo pacto contigerit, Deus ipſe exponit. Tuli ergo patrē veſtrum, *ab illa ſeculi perturbata diuinarum & humanarum rerum cognitione, in qua cū alijs ex ſeculo ille verſabatur, ab illa peruerſa, laborioſa et inutili, imò nefaria religionis cōfuſione.* Tuli. *Ego, inquit Deus, tuli, nō ipſe ſua ſpōte et virtute vltro ſeipſum exemit, ſed à me exceptus et ſublatus eſt, vltrò me ipſi oſtēdente, ijs modis, quibus ipſe cognoſcere potuit, et me Deū eſſe, et verum Deum eſſe, & vnicū, atq. etiam in promiſſis præſtādis veracem credere potuit, atq; ideò etiā credidit, et obediuit in locū exire, neſciēs quò iret: adeò magni refert ad omnem notionem & actionem fundamentū in certiſſima veri Dei notitia ieciſſe, atq; eam notitiā ex ipſius Dei beneficio et manifeſtatione fuiſſe apertam. S. S. E. Qui annūtiat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael. Nō fecit taliter omni nationi, et iudicia ſua nō manifeſtauit eis. Itaq. huius primi beneficij ſumma fuit, ab erroribus exceptum Abrahamū ad veri, ſummi et maximi, hoc eſt ad Dei notionē fuiſſe traductū, ex quo totius ſubſequētis doctrinæ, felicitatis & proſperitatis continuata beneficiorū ſerie accruus cōſtructus eſt.* de Meſopotamiæ finibus. *Abrahamum ex Vr Chaldæorum primum fuiſſe euocatum, indeq. profectum cum patre & propinquis, in Charris Meſopotamiæ vrbe aliquandiu hæſiſſe ad patris vſque ſui obitum, in ſacra Moſis hiſtoria deſcriptum, & in D. Stephani ſermone repetitum eſt. Qua verò ætate fuerit Abraham eductus, qui diſertè cognoſcere voluerit, vel noſtrum in Apparatu ſacro Danielem conſulat, vel pij Maſii in hunc locum legat commentaria. Atq. hîc notatio illa de Meſopotamiæ finibus, nō Charras vrbem, ſed Vram potiùs Chaldæorum indicat. Nam Meſopotamiæ fines, vt Interpres noſter vertit, Chaldæa regio conſtituit ortum verſus pergentibus vltra Euphratem iacens. Hanc expoſitionem Hebraica, Chaldaica & Græca lectiones docent:* Ex trans flumen: *Ex eo loco vbi à principio habitaſſe dicuntur. Cùm verò plures cum Abrahamo ex Vra profecti fuerint, vnus tantùm Abrahamus hîc exceptus appellatur, quòd is propriè & ſolus huius populi, apud quem ſermo fit, pater fuiſſet; & eiuſdem gratia ceteri educti cùm ſint, vnus tantummodò Lot peregrinationis fuerit comes reliquus; atque idem ſingularibus ijs, quæ deinceps commemorabūtur, beneficijs minimè communicauerit: quamquam alijs ſeorſim affectus fuerit, & propter ipſius pietatem, & propter Abrahamum ipſum, ſed*

quæ

quæ ad hunc Iſraelitarum populum non pertinuerint. Ideoq́, ſignificanter dicitur, tuli Abraham patrem veſtrum. *Nam de beneficijs à me in vos ab initio profectis, & ſingularis prouidentiæ argumento continuatis, hîc inſtituitur ſermo, quo conſtet, mihi, quamquam omnium gentium conditori, conſeruatori & gubernatori, tamē vos ſingulari iure obligatos eſſe, vtpotè ſingularibus & maximis præter cæteras nationes deuinctos beneficijs: ex quibus primum fuit, exceptio & euocatio ex vano religionis ſenſu & cultu. Secundum verò, deductio, quæ planè diuina cognoſcitur. Nā quis vnquam priuatus homo, idemq́, hoſpes apud aliarum linguarum diuerſæq́, religionis nationes, atque adeò diuerſæ conſuetudinis, imò etiam ex maiorum & generis contentione inimicas, id eſt ex Chamo ortas, cui cum Semo iam inde à principio diſcordia magna fuit, quæ inter poſteros etiam fota auctaq́, permanſit: Quis, inquam, vel priuatus homo, vel ſummus vir tanto honore, tanta pace, tanta rerum omnium copia & commoditate apud eiuſmodi gentes toto peregrinationis ſuæ, eoq́, longo tēpore vſus viuere potuit, niſi idem ſingularibus diuinæ prouidentiæ ope, auxilio & præſidijs abundaret? imò niſi planè à Deo ipſo deductus agnoſceretur, & ita quocunque diuerteret à ſummis atque minimis obſeruaretur, & in fœdus amicitiasq́, exoptaretur. S. S. E. Elegitq́, ſibi Lot re-*
Gen. 13. *» gionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriente; diuiſiq́, ſunt alterutrum à fratre ſuo. Abram habitauit in terra Chanaan. & alio loco:*
» Tulit igitur Abimelech oues & boues & ſeruos, & ancillas, & de-
Gen. 20. *dit Abraham: reddiditq́, illi Saram ſuam, & ait: Terra corā vob[is] » eſt, vbicunque tibi placuerit habita. Saræ autem dixit: Ecce mille ar- » genteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorū ad omnes q[ui] » tecum ſunt. Quo ſermone Rex ille confitebatur, omnibus qui Abr[a]hamum ſequerentur, firmiſſimam ſemper eſſe tutelam in præſidio i[p]ſius viri à Deo deducti atque protecti. Hoc itaque ſecundū beneficiu[m] eſt, nempe Abrahamum à Deo per omnem terram illam hoſpitē qu[am] commodiſſimè honeſtiſſimeq́, fuiſſe deductum. Hebraicè ad verbu[m]* Et ambulare feci eum in omnem terrā Chanaan: *ita vt duode[cim] Cananæorum totis regnis, quæ tunc florebant, nihil vſquam o[f]fſæ vir ille acceperit. Vnde verò hoc illi contingere potuit, niſi ex [ver]-*
Gen. 13. *bo præſidioq́, eius, à quo terram peragrare omnem iuſſus fuerat? » E. Surge, & perambula terram in lōgitudine & latitudine ſua, » tibi daturus ſum eam. itaque ſecundum beneficiū, deductio hæc p[...]*

di-

diuina fuit. Tertium verò, illud numerabitur, quòd nemo vllis hominum laboribus, conſilijs, ſtudijs, aut virtutibus, nullis etiam naturæ efficientijs tribuere cùm poßit, ex Deo ſanè profectum fateri neceſſe eſt. Atque hic non de promißis beneficijs, verùm de præſtitis iam, atque ipſo vſu conſtantibus agitur.

Multiplicauiq́; ſemen eius, & dedi ei Iſaac.

TERTIVM *hoc beneficium ad miraculi definitionem pertinet, ipſo etiam genere conſideratum, antequam ad partitionem deſcendatur. Nec enim illa quæ ſubiunguntur,* dedi ei Iſaac, illiq́; rurſum dedi Iacob & Eſau, *expoſitionis tantùm nomine declaranda, ſed ad beneficiorum augendam ſummam referenda nobis erunt. Atque primum illud miraculum ſeſe exiſtimandum offert:* multiplicaui ſemen eius. *Quibus verbis diuina illa virtus indicatur, qua Abrahæ ſoboles ex duabus ſterilibus primùm feminis Sara atque Rebecca in tantam multitudinem propagata fuit. Siquidem Sara non ſolùm à natura ipſa ſterilis efformata fuerat, verùm per ætatis importunitatem ad prolem ſuſcipiendam omninò euaſerat inepta. S. S. E. Erant* Gen. 19.
" *autem ambo ſteriles, prouectæq́; ætatis, & deſierant Saræ fieri mu-*
" *liebria. Itaque emortuis vtriuſque coniugum corporibus, procreandæ prolis facultas vnico Dei beneficio contigit. Idem quoque in Rebeccæ conceptu & partu conſiderandum eſt. Atque hoc tertium beneficium eſt, quòd ij, qui ſecundum naturam procreandæ ſobolis vi deſtituti erant, tamen conſilij ac promißi diuini virtute & efficientia liberos ſuſceperunt. S. S. E. Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai,* Gen. 17.
" *ſed Saram; & benedicam ei, & ex ea dabo tibi filium, cui benedictu-*
" *rus ſum, eritq́; in nationes; & reges populorum orientur ex eo.*
" *Quemadmodum, inquit, benedicturus tibi ſum filium ex meis promißis ſuſcepturo, ſic etiam filio tuo ſum benedicturus ex ſterili etiam vxore ſobolem progenituro. S. S. E. Deprecatúſq. eſt Iſaac Dominum* Gen. 25.
" *pro vxore ſua, eo quod eſſet ſterilis: qui exaudiuit eum, & dedit*
" *conceptum Rebeccæ. Iam verò beneficiorum numerum illud auget: quòd non ſolùm Abrahæ filium dederim ex miraculo ſuſceptum & ortum, atque eiuſdem filium gemina etiam prole adauxerim, (& id quoque miraculi nomine) ſed quòd certis præter ceteros homines prærogatiuis; tum virtutis ac pietatis erga Deum, tum obſeruantiæ & officij erga parentes ſuos, tum etiam honoris atque exiſtimationis*

LL. apud

apud gentes alias auctos & amplificatos præſtiterim. Dedi ei Iſaac. *Cuius virtus & laudes, vel perpetui riſus nomine in memoriam reuocari vobis poſſunt, ſicut & duorum etiam Iſaac liberorum, quid vterque fuerit, quantumq́ alter alteri mea ope præſtiterit, in promptu eſt recolere vel ipſis Iacob & Eſau nominibus appellandis. Atque hæc omnia in veſtri ornamentum & amplificationem facta fuiſſe exiſtimare debetis: Ita hæc in gentem veſtram, atque adeò in vos beneficia à Carris vſque ad terram Canaan conſtiterunt. Fuiſſe autem hæc omnia in vos ſingulariter deriuata, illud quintum, quod ſubiungitur, beneficium declarabit.*

E quibus Eſau dedi montem Seir ad poſſidendum.

CETERA, *quæ antè numerabantur, beneficia ad hunc vnicum Iſraelitarum populum deligendum & amplificandum præcipuè pertinuiſſe, ipſa duorum gemellorum fratrum ſeparatio, ipſa vtriuſq. varia deductio & conſtitutio oſtendunt apertiſſimè. Nā quamquam duo filij ex eodem partu gemelli Iſaaco ſuſcepti fuerint, ex híſque alter natura prior, maior & robuſtior extiterit, minor tamen ſingulari diuinæ gratiæ prærogatiua emicuit: atque in ipſo etiam vtero*
Gen. 25. *fratri præſtare cœpit, non natura quidem, aut viribus, quibus alteri impar erat, ſed conſilio, voluntate ac delectu Dei. S.S.E. Duæ gen-*
,, *tes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, popu-*
,, *luſq́ populum ſuperabit, et maior ſeruiet minori. Ita antequam quicquam boni vel mali egiſſent, Iacob ſingulariter diligebatur, Eſau verò illius ſingularis dilectionis expers erat: ideò ſimul cum Iacobo genitus vt ſuarum comparatione rerum, quantum præ ſe frater dile-*
Malach. 1. *ctus eſſet, comprobaret. S.S.E. Nonne frater fuit Eſau Iacob? &*
,, *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui, & dedi illi montem Seir. Qua quidem in re eandem ferè rationem iniſſe videtur Deus, quam in Abrahami filijs inſtituerat, vt vnus tantùm, nempe Iſaac, ex diuino promiſſo & miraculo natus, nominis & familiæ omniſq́ paternæ dignitatis et amplitudinis hæres eſſet ac diceretur, ceteris verò ea donarentur, quæ ad huius vitæ vſum conferre poſſent, omni præterea*
Gen. 25. *dignitatis atque hæreditatis præcipuo iure abdicatis. S. S. E. Dedit*
,, *Abraham cuncta quæ poſſederat Iſaac, filijs autem concubinarum*
,, *largitus eſt munera, et ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo, dum adhuc vi-*
,, *ueret, ad plagā orientalē. Dum adhuc viueret ſeparaſſe dicitur alios*
vt on-

vt omnem curam ad vnum Iſaacum conferret. Atqui Iacobo melior adhuc conditio & illuſtrior fuit, qui non concubinarũ filijs, vt Iſaac, ſed eiuſdem matris legitimo filio natura maiori & præſtãtiori prælatus eſt, adeò vt hoc etiam loco prior appelletur. illiq; dedi Iacob & Eſau. *Quòd verò Eſau res & rationes breuiſsimè expeditæ fuerint, eò tendebat, vt Iacob commoditati, dignitati, ſplendori & amplitudini, atque in his rebũs perpetuitati, maturius, apertius, ac ſingulari beneficio conſuleretur. Vt enim ceteris Abrahami filijs munera data ſunt, & habitationis loca patre viuo aſsignata, ſic viuente adhuc Iacobo, imò patre viuente, etiam omnis Eſau ratio expedita fuit: ea verò, quamquam aliàs illuſtris & commoda, cum Iacobi tamen rebus collata, anguſta, communis ac tantùm non obſcura fuit; nempè ſedibus conceſsis obſcuro ac difficillimo loco, in montibus Seghir, caprorum montibus, iiſdemq; bello expugnandis, & paulatim occupandis ad vitæ tantùm habitationisq; vſum: itaque huius populi vitæ communiter & à ceterarum gentium more modoq; paululum diſtanter conſultum fuiſſe videtur. Hoc eſt quod illa ſingularis exceptio ſignificat:* E quibus Eſau dedi montem Seir ad poſſidendum. *Nam præter vitæ habitationisq; vſum, qui ſingulari Dei dono Eſau in illis montibus contigit, aſperrimæ antè gentis nomine penè deleto, nihil egregiæ præ ceteris gentibus prouidentiæ erga ſe diuinæ exempli iactare Idumæi Iſraelitis poterant: ideoq; explicatum eſt* ad poſſidendum. *Hoc enim ſingulare ac proprium Idumæis eſſe voluit, & cauit Deus ad ſuum de vtriuſque populi rebus conſilium declarandum & confirmandum. S. S. E. Tranſibitis per terminos fratrum veſtrorum* Deut. 2.
filiorum Eſau, qui habitant in Seir, & timebunt vos. Videte ergò diligenter ne moueamini contra eos: neque enim dabo vobis de terra eorum quantum poteſt vnius pedis calcare veſtigium: quia in poſſeſſionem Eſau dedi montem Seir. Hanc itaque conceſſam poſſeſsionem ſingulariter aſſerendam ſuſceperat Deus, vltra quam cetera, ceterarum gentium rebus perſimilia reliquerat. Concluſo igitur illis montibus contineri, iuſſo Eſau, vt iam quinti beneficij numerum hæc prærogatiua occupet: Iam verò quemadmodum cum Iacob actum fuerit, multarum illuſtriſsimarumq; rerum commemoratione Deus exponit, atque curam ſingularem; imò ſi comparationem capere verbum poteſt, ſingulariſsimam probat.

Iacob verò, & filij eius deſcenderunt in Ægyptum.

CONSTITVTA *breuiter Eſau ratione atq. expedita ſuã illam ſing lare͂ curam ad Iacobi canſtituendas, ornandas & amplificandas re idq́; à fundamentis altiſſimè iactis poſitam oſtendit Deus. Atq imprimis illum in Aegyptum deductum cõmemorat ſingulari pro dentia præmiſſo certis antè annis Ioſepho filio, qui cũ admirabili pientia & prudentia diuinitus auctus eſſet, ſummos in illa regio honores & auctoritatem maximam adeptus, honeſtiſſimum & co modiſſimum patri ac fratribus eò commigraturis hoſpitium parau atque ita omnia ea, quæ humani iudicij imbecillitas aliter exiſtim*

Gen 45. *re potuiſſet, Dei tamen certo numine & ſingulari prouidentia c*

,, *ſtituta ſunt. S. S. E. Ego ſum Ioſeph frater veſter, quem vendidi*

,, *in Aegyptum. Nolite pauere, neque vobis durum eſſe videatur q*

,, *vendidiſtis me in his regionibus: Pro ſalute enim veſtra miſit*

,, *Deus ante vos. Biennium eſt enim, quòd cœpit fames eſſe in te*

,, *& adhuc quinque anni reſtant, quibus nec arari poterit, nec m*

,, *Præmiſitq́; me Deus vt reſeruemini ſuper terram, et eſcas ad viu*

,, *dum habere poſſitis. Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate*

,, *miſſus ſum, qui fecit me quaſi patrem Pharaonis, & dominum v*

,, *uerſæ domus eius, ac principem in omni terra Aegypti. Feſtinate,*

,, *aſcendite ad patrem meum, & dicetis ei: Hæc mandat filius t*

,, *Ioſeph: Deus fecit me dominum vniuerſæ terræ Aegypti, deſce*

,, *ad me, ne morêris, & habitabis in terra-Geſſem: erisq́; iuxta me*

,, *& filij tui, & filij filiorum tuorum, oues tuæ, & armẽta tua, & v*

,, *uerſa quæ poſsides. En, oculi veſtri, & oculi fratris mei Ben-ian*

,, *vident quòd os meum loquatur ad vos. Nuntiate patri meo vni*

,, *ſam gloriam meam, & cuncta quæ vidiſtis, in Aegypto; feſtinat*

adducite eum ad me. Atque hoc beneficium tanto molimine & paratu antè inſtructum, tanto honore in ſalutem atque decus to familiæ datum, omnibus modis conſiderandum & expendendum breuiſsima ſignificatur ſumma: Iacob verò & filij eius deſcen runt in Ægyptũ. *Expenditote, inquit, quàm ſingularis fuerit erga Iacobi domum cura; qui cùm omnem terram fame laborare rim, tamen annonam copioſiſsimã illis cum ſummo honore in A pto præparaui, dum Eſau domus & regio omnis non minus quàn teræ gentes annonæ charitate & inopia premerentur. His illud*

X ij

ximum ac præcipuum accedit, quòd Eſau poſtquam à me relictus fuit, nullam religionis aut legis partem edoctus eſt, nec ſingularem meam ſibi prouidentiam adeſſe vllo ex reſponſo intellexit, ſed vt ceteræ gentes viam ſuã ingredi dimiſſus eſt. Iacob verò omnia ex me et feliciſsima & ſingularia accepit, nempè curæ teſtimonium, & oraculũ apertiſsimum, religionis veræ diſciplinam, promiſſa etiam arcana, quæ fœderis nomine ſignificantur. His porrò adiungitur dignitas magna apud Aegyptios viuente Ioſepho obtenta & conſeruata, atq. illa generis ex duodecim filijs in innumeram ſobolem amplificatio, quæ & ſtuporem & terrorem Aegyptijs etiam incuſsit. Atque hæc omnia à Iacobo vni mihi ſingulariter deberi, idem ipſe vobis teſtis eſſe poteſt: qui in itinere à me vocatus Iacob, Iacob, reſpondit: Ecce adſum. cui ego dixi, Ego ſum fortiſsimus Deus patris tui; noli timere, deſcende in Aegyptũ, quia in gentẽ magnã faciam te ibi. Ego deſcendã tecũ illuc, et ego inde adducã te reuertentem: Ioſeph quoq. ponet manus ſuas ſuper oculos tuos. id quod ipſe ante mortem ita confeſſus eſt: Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea, vſque in præſentẽ diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis. Nã quæ poſteà ſecuta eſt Aegyptiorũ aduerſus Iſraelitas inuidia, fraus atq. iniurioſa potẽtia, tantũ abeſt vt ſingularem Dei erga hunc populũ prouidentiã remiſſam arguat, vt magis etiam declaret & probet; vtpotè quam nulla antiqui ſerpentis hominumq́; hoſtis verſutia & vis, nulla hominum ſapientia, malitia & excogitata calliditas, ab illa gente augenda & propaganda retinere, aut impedire potuerit. S. S. E. Quantoq́; opprimebãt eos, tãto magis multiplicabãtur & creſcebant. & rurſum: Benefecit Deus obſtetricibus, & creuit populus confortatusq́; eſt nimis. Oportuit autem illo modo creſcere & confortari, vt omnis propagationis auctoritas vni Dei virtuti & voluntati tribueretur: ideò ſignificanter in oratione hac filiorum Iacobi mentionem Deus facit, ad memoriam repræſentandam duodecim quondam familiarum, quæ intra vnum aut ad ſummum alterum ſeculum, præter omne, imò contra omne humanarum rerum exemplum in tantum excreuerit numerum. Atque hæc ratio eſt, quamobrẽ ipſo illius hiſtoriæ initio eorum omnium, qui à Iacobo in Aegyptum deducti fuerant, ſumma præfinita eſt. S. S. E. Erant igitur omnes animæ eorum, qui egreſsi ſunt de femore Iacob, ſeptuaginta; Ioſeph autem in Aegypto erat. Itaque Ia-

Gen. 46.

Exod.

Exod. 1.

cob me

cob me auctore ac duce in Aegyptum magno cum honore deſcen-
ibidem innumerabili ſobole amplificandus; & arcana & religio-
rationem edocendus, demumq́; in peculiarem mihi populum adopta-
dus. Denique cùm huius mei conſilij explicandi & explendi temp-
acceßit, quibus modis, quanta certißimorum teſtimoniorum magn-
tudine id fuerim executus, animum aduertite.

Miſiq́ue Moyſen & Aaron, & percuſſi Ægyptum multis ſi-
gnis atque portentis: eduxiq́ue vos & patres veſtros
Ægypto.

IN *omni huius concionis explicatione meminiſſe oportet ſtatus,*
quo argumentationis conſiſtit ſumma; videlicet definitiui, ad qu-
confirmandum ex coniecturali, vt vocant, argumenta producunt.
Definitiui ſumma eſt, IEHVEH *ſingulari ratione, & peculiari qu-*
dam iure Iſraelitici populi Dominum Deumq́; eſſe: confirmatio-
verò cardo omnis verſatur in cõmemoratione non ſolùm diuinor-
manifeſtè beneficiorum, ſed etiam ſingularium, quorum efficien-
nec naturæ, nec fortunæ, nec vlli caſui, nec aſtris, nec gentis ip-
virtuti & induſtriæ tribui, nec vſus etiam cum alia natione co-
municatus oſtendi poßit. Nam quæ antequàm populus ille creſcer-
accepit beneficia, ipſa commemoratione planè diuina ac ſingula-
fuiſſe probantur. Quæ verò deinceps exponentur, non modo ſin-
laria ac diuina, ſed magnis & admirandis exceptionibus diſtin-
& exornata conſtabunt, tum ex parte miniſtrorum, tum ex c-
cunſtantiarum expenſa ratione. Nam cùm duæ in eodem regno,
eodem cælo, eodem terrarum ſitu, nationes frequentes habitar-
Aegyptij & Iſraelitæ, cumq́; illi propter antiquitatem & robur
artium omnium ſtudia, propter conſiliorum calliditatem potentio-
eſſent, eamq́; proſperitatem ex diſciplinarum ſuarum vſu alijs ſ-
atque cælorum erga ſe benignitati ſapientiæq́; ſuæ adſcribere poſſe
vt certè adſcribebant; hi vero & numero & viribus & opibus -
feriores & prorſus oppreßi horridam, ſordidã, amaramq́; vitam -
ſuſtentare poſſe viderentur: tamen illi ad magnam calamitatem
rurſus ad magnam felicitatem breuißimi temporis decurſu, ne-
vnius anni ſpacio traducti ſunt; nulla ferè die elucente, qua non
ſecundis, illi verò aduerſas ac deteriores ſuas experirentur ſen-
rentq́; res. Atque huius tantæ mutationis, huius diſcriminis

ctor-

ctoritas humanáne an magis diuina cenſenda ſit, ipſe, quo expedita res fuerit, apparatus demonſtrabit. Nec enim vel populus ipſe ſua ſponte tumultuatus nouas moliri cœpit res, nec id vnquam tentare auſus eſſet nedum conari poſſet; nec principem, nec gentem aliquam ſibi in auxilium accerſiuit, quippe his modis rerum publicarum et regnorum mutationes fieri poſſe exiſtimantur, atque his tantum Aegyptiorum prudentia ſibi cauendum proſpiciendumq́. ducebat. S.S.E. Ecce, populus filiorum Iſrael multus & fortior nobis eſt. Venite, ſapienter opprimamus eũ, ne fortè multiplicetur; & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatisq́; nobis egrediatur de terra. Nam ſi his modis Iſraelitarũ genti ſalus parta fuiſſet, quamquam ea ex diuino conſilio, inſtinctu numineq́. eſſet allata, tamen (quæ hominum ſtupiditas eſſe ſolet) fortaſſe dicerent; Manus noſtra, & non Dominus fecit hæc omnia. Atqui nihil horum allegare Iſraelitæ potuere, ſed apertè confiteri debent, ſalutem, dignitatem, amplitudinemq́. ſuam ſingulari & manifeſto Dei conſilio ſibi conſtare: à quo non gens aliqua ſtrenua, bellique ſtudijs aſperrima, non maximi principes ac duces, qui rerum geſtarum gloria & felicitatis opinione florerent, auctoritate, dexteritate & prudentia præſtarent; ſed Moſen & Aaronem, qui quidquid ad eam expeditionem contulerunt, id omne vni Deo, à quo optati ac miſſi ſunt, acceptum referre debent; atque ex conſequenti nullam rerum geſtarum gloriam & laudem ſibi virtutiq́. ſuæ arrogare, ſed omnẽ prorſus vni Deo tribuere, à quo ipſi, quidquid ornamenti ac decoris habent, acceperunt; quod & ipſe ingenuè faſſi ſunt. S.S.E. Quis eſt enim Aarõ vt murmuretis contra eum? & rurſum: In hoc ſcietis quòd Dominus miſerit me, vt facerem vniuerſa, quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim &c. Atque ipſa etiam virorum appellatio ipſos antequam Deus deligeret, ad gerendamq́. rem inſtrueret, nulla dignitate auctoritateq́. inſignes, nullis maximis artibus celebres, ſed qui tantùm nomina ſua tuerentur fuiſſe indicat: imò ſi rem penitius excutiamus anguſtiſſima vtrumq́. conditione vſum inueniemus; alterum ex Aegypto profugum apud Madianitas exulantem, alienas oues mercede cuſtodientem, nihil minus cogitantem quàm de loco apud Aegyptios vtcunque recuperando, vel apud gentem ſuam obtinendo, cuius inuidia & inſidijs penè perierat, & capitis diſcrimen exilio

Exod. 1.

Num. 16.

exilio mutauerat: in eoq́ exilio vxore accepta liberisq́ ſuſceptis circumciſis permanere cogitauerat. Quin & quo tempore ab ipſ[o] ligebatur Deo, ſuam ipſe non modò ad res gerendas infirmitudin[em] ad inſtituendas & obeundas ignobilitatem, obſcuritatem & h[umi]litatem, verùm ad conciones etiam habendas, adlegationes age[ndas] ineptiam & infantiam excuſabat. S. S. E. Obſecro Domine, non

Exod 4.

» *eloquens ab heri & nudiustertius; et ex quo locutus es ad ſeruũ tu[um]*
» *impeditioris et tardioris linguæ ſum. Dixitq́ Dominus ad eũ, [Quis]*
» *fecit os hominis? aut quis fabricatus eſt mutum et ſurdum, viden[tem]*
» *& cæcum? nonne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo: docebo*
» *quid loquaris. At ille: Obſecro Domine, inquit, mitte quem m[iſſu]*
» *rus es. Iratus Dominus in Moyſen, ait, Aaron frater tuus leu[ites]*
» *ſcio quòd eloquens ſit: Ecce ipſe egreditur in occurſum tuum*
» *dénsq́ te lætabitur corde. Loquere ad eum, & pone verba mea i[n ore]*
» *eius: & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & oſtendam vobis [quid]*
» *agere debeatis.* *Quibus verò opibus & artibus Aaron ipſe ad m[uneris] ris partem, quæ ſibi obtigerat, tranſigendam inſtructus fuerit, [præ]ter pietatis ſenſum, ſtudium atque obſequium inſtructus fuerit, [ante] vocationem, ex ipſa hominis conditione manifeſtum fiet. Nam [à] quo natus eſt, ad ipſum tempus quo fuit primùm à Deo appellatus, an inter viuos ageret, ex vlla certa hiſtoria ſciri poſsit, ita vt nem ante ætatẽ in illa confuſa & varia, afflicta, obſcura & p[lane] ſeruili ceterorum Iſraelitarum vita tranſactam fuiſſe affirmar[e li]cet. Imò & illud, quod de eodem Deus ait, vt in Latinis Biblijs [legi]mus: Aaron frater tuus Leuites ſcio quòd eloquẽs ſit: illum loq[uen]di facultate & expeditioris linguæ vſu præditum declarat; hoc e[nim] modo intelligendum eſſe, id apertè docet, quod de linguæ ſuæ tard[itate] & verborum inopia Moſes excipiebat: atque ita Hebraicè Dei oratio ſonat: Noui quòd loqui loquetur ille: hoc eſt, expeditè [lo]quetur quæcumque ex me vel ex te acceperit. Nec enim eloquenti[a]*

1. Cor. 1.

» *fide & veritate opus erat ad eas, quas pararet Deus res, in qui[bus]*
» *non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non m[ul]*
» *ti nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat [ſa]*
» *pientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & [ig]*
» *nobilia mundi & contemptibilia elegit Deus & ea quæ non ſunt*
» *ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu [eius].*

Q

Quidquid igitur vel Moſes vel Aaron ad obeundam, gerendam et
conficiendam rem, vel ſapientiæ, vel prudentiæ, vel dexteritatis, vel
etiam commodi eloquij contulerunt, id totum Deò auctori acceptum
referant neceſſe eſt, vt ex illo promiſſo conſtat: Loquere ad eum, & "
pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & "
oſtendã vobis quid agere debeatis: Et ipſe loquetur pro te ad populum, "
& erit os tuum; tu autẽ eris ei in ijs quæ ad Deum pertinent. Et paulò "
poſt: Narrauitq́ Moyſes Aaroni omnia verba Domini pro quibus "
miſerat eum, & ſigna quæ mandauerat. Itaque omnia quæ ad Moſis "
& Aaronis commendationem dignitatemq́ pertinent, electionem
auctoritatemq́ Dei probant, ſicut ſcriptum eſt: Miſit Moyſen ſer- Pſalm. 1
uum ſuum, Aaron, quem elegit ipſum: Poſuit in eis verba ſignorum "
ſuorum & prodigiorum in terra Cham. Quibus ex rationibus omni- "
bus illud conficitur, vt non modò res ſuas, ſed rerum ipſarum mini-
ſtros illos celeberrimos ex ſingulari Dei prouidentia, cura, volunta-
te, conſilio & beneficio contigiſſe ſibi Iſraelitæ cogãtur confiteri. At-
que de miniſtris quidem nihil excipiendum relinquitur, quo minus
eos à Deo delectos & inſtructos agnoſcatis. Iam verò de rebus tum
quæ illorum, tum quæ poſteà aliorum etiam munere, officio & opera
confectæ ſunt, deinceps conſiderandum eſt, vt manifeſtè appareant
omnia non ex vlla humana virtute ac dexteritate, prudentia, aucto-
ritate, potentia, vel facultate, ſed ex Dei ſingulari conſilio & effi-
cientia eſſe profecta.

Percuſſi Ægyptum multis ſignis atque portentis.

PRIMVM illud ſatis meam ſingularem erga vos prouidentiam,
curam & miſericordiã declaraſſet, ſi vos è miſerrima illa ſeruitutis
conditione, atque ex ergaſtulo ſolutos incolumi etiam Aegypto libe-
rauiſſem. Verùm longè maioris erga vos amoris argumentũ fuit cer-
tiſſimum, voluiſſe me iniuriam vobis ab Aegyptijs factam antè vl-
ciſci quàm libertas omninò conſtitueretur. Quippe certa malefacto-
rum punitio lætitiæ ſenſum pijs auget: non quòd vexari quemquam
ſit grata voluptas, verùm quòd diuinæ vltionis exẽpla prouidentiam
probant: Prouidentiæ verò probatio conſolationem affert ijs, qui in-
iuſtè læſi fuerint, & ijs, qui læduntur vel impoſterum lædentur, pa-
tientiam, tolerantiamq́ auget, & virtutem confirmat. S.S.E. Læta- Pſalm. 58.
bitur iuſtus cùm viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine

„ *peccatoris: Et dicet homo, Si vtique eſt fructus iuſto, vtique eſt Deu*
„ *iudicans eos in terra. Itaque illo diſcrimine inter vos & Aegyptio*
poſito, prouidentiam primùm meam omni orbi oſtendi, nedum vobis. Nam quiſquis tot ſigna, prodigia & damna in vnius populi ærum nam & calamitatem breuibus interuallis facta cognouit, intellexitq; illa omnia citra vllum alterius populi iiſdem locis agentis incommo dum eueniſſe, manifeſtè cognoſcere potuit, ea non ex cælorum aſtro rúmue naturali efficientia, non ex ſoli ingenio & cauſa, non ex tem poris omnia (vti dici ſolet) variantis decurſu, ſed ex certa numini alterum populum punientis, alterum verò fouentis voluntate fuiſ profecta. Atque ita iudicij aduerſus improbos ſeueritas, & miſer cordiæ in eos qui iniuſtè opprimuntur conſtantia, & virtutis ad v trumque efficiendum magnitudo infinita ac certa eſſe cognoſcitu atque omnia hæc vni IEHVEH, *cuius nomine edebantur, tribui deb*
Exod.9. Rom.9. Sup.9. *re confirmantur. S. S. E. Iccircò autem poſui te, vt oſtẽdam in te fo titudinem meam, & narretur nomen meũ in omni terra. & alibi, I*
„ *terra longinqua valde venerunt ſerui tui in nomine Domini D*
„ *tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius, cuncta quæ fecit in A*
„ *gypto. Hanc inter vtrumque populum conſtitutam differentiam, q & certam prouidẽtiam in totum orbem & ſingularem etiã in Iſra litas amorem apertè indicaret, illis verbis ſignificabat Deus*, percu Ægyptum, eduxique vos. *Hebraicè ex verbo ſic, Et percu Aegyptum, quemadmodum feci in interiore eius, & poſteà edu vos. Verba illa, Quemadmodũ feci, Interpres noſter expoſiturus re didit* multis ſignis atque portentis, *non vno vel pluribus eodẽ m editis; imo multis, varijs, & omnibus diuinam iuſtitiam, prouide tiamq; portendẽtibus & indicantibus. Quòd verò Hebraicè dicit In interiore eius, ſignificat plagas illas omnes intra ipſa Aegypti ſcera fuiſſe iniectas, hoc eſt Aegyptiorum capitibus & rebus tant factas, omnibus Iſraelitis eodem tunc locorum tractu commora tibus exceptis, immunibus & incolumibus, qui nec ſaluis Aegyp educti fuere, nec antea educti quàm Aegyptij vapularent.* Tũc poſ eduxi vos. *Pronomẽ Vos, eos indicat quibus fiebat ſermo. Nam v ipſi vel maxima ipſorum pars educti fuerant, nempe ij, qui ea te ſtate vigeſimum nondum exceſſerant annum. Namque illi educti f rant cum alijs, qui in ſolitudine diem clauſerant extremũ: & qu quam hi Iſraelis filij vt & ceteri eſſent, tamen tunc tẽporis mino*

æt.

ætate erant, quàm ipſorum parentes, quorum ratio præcipuè habebatur in omni ciuili & bellica re. Itaque hi tanquam beneficio diuino vſi & functi compellantur, quorum tunc nulla auctoritas, nullũ adhuc publicum officium erat, præterquam vt principum & maiorum inſtitutionem ediſcerent, & ſequerentur. Atque hic tantùm de Aegyptiorum ærumnis, de communi & publica Iſraelitarum libertate agitur, vt vtriuſque rei argumento populus hic ſingularibus Dei beneficijs obligatus eſſe cenſeatur.

Eduxique vos & patres veſtros de Ægypto, & veniſtis ad mare.

NON *idem cum proximè commemorato beneficium hoc cenſendum eſt, ſed aliud & numero & circumſtantiarum ornamentis amplificatum. Nam ſuperior eductio ac libertas publica ſedata, pacifica, quietaq́; fuit, hoſte non renitente, aut impediente, imò rogante magis & vrgente, precibusq́; cogente, atque adeò muneribus delatis & conceſſis iuuante, & viatico, vt ſic loquamur, proſequente S.S.E. Vrgebantq́; Aegyptij populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur. Dominus autem dedit populo gratiam coram Aegyptijs, vt commodarent eis: & ſpoliauerũt Aegyptios. Quod verò huic ſubiungitur beneficium, victoriam illam maximam ſpectat, quam poſteà filij Iſrael vnius Dei virtute, auctoritate & ope hoſtibus prorſus extinctis adepti ſunt: quo in bello ſeſe Deus non ducem tantùm, ſed militem ſolum vnicúmq. præbuit, totumq́; bellum ſolus cõfecit. S.S.E. State et videte magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie. Aegyptios, quos nunc videtis, nequaquam vltrà videbitis, vſq. in ſempiternum: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. itaque illud* eduxi vos, *ad ipſam primam ex ergaſtulis liberationem omni populo pariter, ſenioribus, iunioribus et pueris communẽ referendũ eſt. Illud verò,* patreſq. veſtros, *ad victoriã mox cõmemorandã pertinet. Namque Hebraicè verſus illis clauditur verbis,* & poſtea eduxi vos. *Deinde alius verſus incipit:* Eduxiq; patres veſtros de Ægypto, & veniſtis ad mare. *Nam quæ in hiſtorijs ipſis plenè legi poſſunt, in orationibus & concionibus ordine ſeruato ſtrictim commemorari ſolẽt. Significat igitur itineris illius rationem, quam Deus ipſe præſcripſerat ad committendi prælij & victoriæ opportunitatem: hanc quippe Deus in mari haberi voluit, vt cæli, terrarum, fluuiorum, maris atq.*

Exod. 12. Exod. 14.

omnis rerũ naturæ Dominus & princeps cognoſceretur;ſimul etia vt miraculi exemplo aliàs nunquam audito totius rei auctoritas v Deo tribueretur: Demũ vt hoſtis calliditas et prudẽtia falleretur h pacto;quem Deus ijs modis punire inſtituerat, qui futura humar ſalutis publicæ, & reportandæ ex antiquo hoſte victoriæ forma imitaretur, qualem corporis vmbram eſſe videmus. Atque hoc m ximum myſterium eſt ſuo loco, cùm Deus voluerit, aperiendum. S lent verò bella non viribus modò & armis, ſed arte, induſtria Prou. 20. *prudentia præcipuè confici. S.S.E. Cogitationes conſilijs roborantu ,, & gubernaculis tractanda ſunt bella. Quamobrem omnem Troiæ c ptæ gloriam vni Vlyſſi Homerus dat, quem inſigni epitheto πο πορθον vocat. Atqui diuina prudentia, humanam ſapientiam, Luciferinam quoque ſuperatura, eas rationes inire ſolet, quæ vel eptæ vel explicatu impoſſibiles hominibus videntur, quibus tam omnis humana verſutia, aſtutia, calliditas & prudentia eluſa ta dem & capta deprehenditur. Nihil autem ſibi commodius, populoq raelitarũ ad ſeſe tuendũ & propugnandũ incommodius accidere p ſe arbitrarẽtur Aegyptij principes ac duces, quàm vt hoſtis in eas guſtias redigeretur, vnde effugere aut elabi minimè poſſet, nec ped referre, niſi in ipſorum arma & impedimenta inciſurus. Atque ipſa ratione Aegyptios perdere, & ſuos incolumes, ſaluos & vi res conſtituere voluit Deus: ideoq; cum Moſe egit, vt mutata v gari via, quæ ex Aegypto ad Cananæam regionem ducebat, iter mare dirigeret, atque incommodiſſimum aliàs fugientibus occu ret locum inter montem editiſſimum Baghal Saphon, & munit mum Aegyptiorum præſidium Migdol, atque Mare ipſum; ex loco neceſſe erat vel in mare vel in inſequentis ponè hoſtis arma ,, ſilire. S.S.E. Loquere filijs Iſrael, reuerſi caſtra metentur è reg ,, Pihahhiroth, quæ eſt inter Magdalum et mare contra Beel-ſeph ,, conſpectu eius caſtra ponetis ſuper mare; dicturusq; eſt Pharao ,, filios Iſrael: Coarctati ſunt in terra, cõcluſit eos deſertum. Et ind ,, bo cor eius ac perſequẽtur vos: et glorificabor in Pharaone, et in o ,, exercitu eius: ſcientq; Aegyptij, quia ego ſum Dominus. Atq. hæc neris inflectendi et conficiendi per Deum inſtituta ratio, non pueris aut iunioribus, ſed cum maturiore ætate viris, cum duci & proceribus tribuum communicata fuit: idq; ſignificant verba,*

xiq; patres veſtros de Aegypto,& veniſtis ad mare. *Nā ex Aegypto profectis et in Cananæam regionem migraturis nunquam illud ſuſciperetur conſilium itineris verſus mare Rubrum conuertendi, niſi me vnico auctore & duce conſtaret, qui vel eo ipſo quòd auctor vobis fuerim,optimum, & qualem poſteà habuiſtis exitum me daturum recepi.S.S.E.Non eos duxit Dominus per viam Philiſtijm quæ vi- "cina eſt; reputans ne fortè pæniteret eum, ſi vidiſſet aduerſum ſe bel- "la conſurgere, & reuerteretur in Aegyptum. Nam cùm vos pedites "& frequenti populo denſi, mulieribus,pueris ac ſarcinis impediti in illum deueniſſetis locum, occaſionem vel reducendi vos, vel nullo ſuo negotio perdendi, hoſtibus per imprudentiam obtuliſſe videbamini; quam illi nacti, protinus vrgendam duxere.*

Perſecutique ſunt Ægyptij patres veſtros cum curribus & equitatu, vſque ad mare rubrum.

OCCASIONEM *illam,quam Aegyptij diligenter amplexi ſunt, Dei conſilio oblatam fuiſſe ait, qui Iſraelitarum ſalutem miris modis confirmare parabat, cum ſummo hoſtium ſupplicio atque exitio. Erat autem Aegyptiorum apparatus ad conficiendam rem commodiſſimus ex bellicæ diſciplinæ ratione & vſu, ſi humano modo bellum gerendum eſſet: namque in plano campeſtriq; loco curruum & equitum copia magnam ſtragem peditibus,tum in prælio pugnaq; obruendis, tum in fuga inſectandis, turbandis & perdendis facere poſſet: Iam verò ijſdem inter mare & montem atque caſtrum interceptis longè maximam & abſolutam, ſiquidem curruum ordine incedentium, veluti muris firmiſſimis à tergo vallatus populus, vel manus tendere cogendus erat, vel armis ipſis & curribus obruendus, vel in mare tandem præceps adigendus. Iam verò equitum celeritas & multitudo ad eam rem efficaciſſima & expeditiſſima ducebatur, qui populum concluſum intra mare, montes & caſtrum ex vtroque latere,atque à tergo intra curruum more inſtar habentium ordines nullo negotio turbare,proterere & confodere gladijs haſtiſq; conficere poſſent, & ſi quos elabi viderent, commodiſſimè inſequi & aſſequi: id quod vel populus ipſe cognoſcēs,perculſo & abiecto animo vehementer expauit.S.S.E. Omnis equitatus & currus Pharaonis, & vni-* Exod. 14. *uerſus exercitus erant in Phihahhiroth contra Beel-Sephon. Cumq;* "*appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſrael oculos, viderunt Aegy-*"

 ptios"

„ *ptios poſt ſe: & timuerunt valdè, clamauerũtq́ ad Dominum, & di*
„ *xerunt ad Moyſen: Forſitan non erant ſepulchra in Aegypto, ideò tu*
„ *liſti nos vt moreremur in ſolitudine! quid hoc facere voluiſti, vt e*
„ *duceres nos de Aegypto? Nónne iſte eſt ſermo quem loquebamur ad t*
„ *in Aegypto, dicentes, Recede à nobis, vt ſeruiamus Aegyptijs? mul*
enim melius erat ſeruire eis, quàm mori in ſolitudine. Dicitur ver
Aegyptiorum exercitus perſecutus fuiſſe patres horum, quia bellu
illud non tam in hos, qui tunc vel pueri vel bona pars nondum na
erant, quàm in patres, qui armati prodierant, inſtruebatur. In qu
verò anguſtias Iſraelitæ redacti eſſent, ipſum loci nomen, quod H
braicum, non Aegyptiacum eſt, perpetuò teſtatum indicat. Phihahh
roth vnica voce non explicandum, pluribus verò vix ad viuum e
primendũ: Pi ſiue Phi ſignificat Os; quod Latinè cùm de locis agimu
fauces vel anguſtias dicimus. Hahhiroth, plurali numero Omnẽ an
mi perterriti & fracti languorem, imbecillitatem & abiectionen
deſponſionem, & quidquid huiuſmodi accidere ac dici poſſit, expon
re poſſumus, cum molli etiam ac deſperata facti damnatione; quod
mutari poſſet, metu magis quàm moribus mutaretur. Hiſpanicè v
cunque aptè dicere poſſemus, La garganta de las conturbacione
Atqui ſi hæc rei ipſius & conditionis in quam ſe deductos Iſraeli
arbitrabantur, imago cum ſalute ac victoria mox explicanda conſ
râtur, diuini beneficij ſingularitatem & magnitudinem facilè prob
bit: ea verò huiuſmodi fuit,

Clamauerunt autem ad Dominum filij Iſrael.

HAC *oratione dicuntur illi in eas anguſtias fuiſſe adducti,*
quibus nulla humana ope, aut opera, vel prudẽtia, ſed vnica Dei v
tute & efficientia educi poſſent: quam virtutem non iam virili,
miſerabili voce implorauerunt, vt ij facere ſolent, qui extremis c
Pſal. 107. *guntur periculis. Namque hoc verbum ad huiuſmodi condition*
„ *ſignificandam vſurpatur: vt, Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & e*
„ *altati ſunt fluctus eius. Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendu*
„ *vſque ad abyſſos; anima eorum in malis tabeſcebat. Turbati ſunt,*
„ *moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt. Et c*
„ *mauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſſitatibus*
„ *rum eduxit eos. Huic ſimile illud in Latinorum carminibus eſt,*

O quantus inſtat nauitis ſudor tuis,

——Tibique pallor luteus.
Et illa non virilis eiulatio,
Et preces aduerſum ad Iouem.

Ex quo manifeſtè conuinci poſſit ſalutem illo in periculo quocunque modo acceptam ab vnica diuina prouidentia & miſericordia fuiſſe allatam. Quid verò ſi illam ijs modis & exemplis allatam conſtet, qui nulli alij genti vſquam anteà contigiſſe dici poſſunt? Nec enim tantummodo ſaluos illos eſſe Deus voluit, ſed hoſtes omninò perditos & extinctos eadem hora, eodem loco, eadem (vt ſic loquamur) opera, idq́ tanta inter vtrumque populum conſtituta differentia, vt Aegyptios Deo inuiſos, Iſraelitas verò charos & ſuſceptos fuiſſe nemo nō conſiteatur. Quo verò ſingulari apparatu vterq́ populus exceptus fuerit, ab ipſo declaratur Deo.

Qui poſuit tenebras inter vos & Ægyptios.

HEBRAICVM *nomen Maaphel, à verbo quod Caliginem obducere, obſcurare, præpedire, & retardare ſignificat, vix poteſt æquo pondere Latinè reddi. Nam Tenebræ lucis tantum priuationem ſignificant, Caligo etiam obſcuritatem indicat. Sed illud* MAAPHEL *ex verbi etymo, & ex theologica etiam myſterij ratione admiranda nobis & adoranda (quam in ſuum tempus differimus) non ſolùm lucis priuationem, ſed nubem quoque ſignificat denſam, quæ Aegyptios ab Iſraelitis ita ſeparabat, vt nec penetrari ab illis poſſet, vt ſeſe contingerent. Quam rem denſas præpedientesq́ tenebras exponemus. Erat autem tanta nubis magnitudo, vt vtrumque populum interiecta dirimeret; nec verò ſolùm corpore ac denſitate, ſed efficientia dirimebat, ex altera parte lumen tranſmittentib. Iſraelitis prætendens, ex altera verò Aegyptijs ingreſſuris caliginem horroremq́ offundens: qui aliàs non ingrederentur, ſi hoſtibus mare eſſe apertum ex miraculo viderent, idq́ non ſua ſed Iſraelitarum cauſa factum intelligerent, vt ſerò demum ſapientes intelligebant, cùm cōfractis repentè curribus equiſq́ perturbatis terga vertere cupientes, Fugiamus, inquiunt, Iſraelem, quia Dominus pugnat pro eis contra* "
nos. Itaque eadem hora, qua illi non videntes qua ingrederentur, medij maris fundum occupabant, ſummerſi ſunt, vobis ſaluis prorſusq́ "
incolumibus in alterum littus traductis, maxima et ſingulari victoria exemploq́ nunquā antè aliàs in orbe terrarū ſpectato, aut audito.

Et ad-

Et adduxit ſuper eos mare, & operuit eos.

ATQVE *ita cum magno & extremo hoſtium veſtrorum exit magna vobis inſignis illuſtriſq́ ſalus & libertas data eſt; vobis i quam videntibus & ſentientibus, nouamq́ quandam vitæ ratione ineuntibus, & expertis, ab illa miſerrima ſeruitute longè diuerſa*

Viderunt oculi veſtri cuncta quæ in Aegypto fecerim.

Hippocr. de loc. aere. & aqua, & ſæpe aliàs. QVAMQVAM *hæc probatio ad ſenſum & ad tactũ (quam a tiqui philoſophi maximam ex humanis eſſe ſtatuunt) ad omnia Aegypto & aduerſus Aegyptios edita ſigna referatur in genere, ſi gulariter tamen ad hoc vltimum refertur, ideoq́ ijs verbis enunti ta eſt, quæ omnia illa Aegyptiacæ calamitatis atque internecio tempora complectuntur. Vos, inquit, dum in Aegypto eſſetis, vidi quibus modis in Aegyptios animaduerterim: Demum in mare, c illi vos inſectãtes ingreſſi nihil viderent, vos tamen & illos, et q ego illis facerem, videbatis. Atqui cùm omnia tunc miraculo conſ rent, & hoc etiam ſingulari miraculo agebatur. Nam iuxta nat communem vſum ſi quis in tenebris eſt, ipſe non videtur, & qui in lumine verſantur, videt. S:S. E. Fiant viæ illorum teneb » & lubricum, & angelus Domini perſequens eos. & apud Poët*

Tibul. eleg. 2

Parcite luminibus, ſeu vir ſeu femina fias
Obuia, celari vult ſua furta &c.

Illud porrò ſingularis admirandiq́ beneficij, & per tot annos c tinui miraculi exemplum, clariſſimum argumentum eſt meæ in ſingularis prouidentiæ, & miſericordiæ, quòd vos poſt tam m tantæ felicitatis experimenta, ingratiſſimos tamen & ſæpius in ſos multo tempore pertulerim, & cumulatis etiam beneficijs aff rim & promouerim.

Et habitaſtis in ſolitudine multo tempore.

QVOD *opprobrio illis eſſe hæc commemoratio potuit, indi magis quàm expoſita fuit, ijs verbis, quæ beneficia Dei in illos a tè ſignificant. Eſt autem tacitum antitheton eius narrationis, præceſſit. Nihilominus, inquit, quamquam oculi veſtri vider quæ à me veſtri cauſa in Aegyptios contumaces edita fuerint ex pla, tamen patres veſtri admiſerunt, & egerunt ea, quæ præter to; quamobrem qui aliàs exitio digni fueratis, tamen viuitis & ſeruati eſtis multis annis, non vitã quandam ferinam in ſolit*

quocunque modo traducentes, ſed ſuauem, ſecuram, nullius rei ad veſtrum vſum indigam; imò præter locorum ingenium & importunitatem, tamen habitaſtis in ſolitudine, *ita vt verè habitaſſe dicamini, ſi qui vſquam terrarum commodiſſimè habitant: totq́; annis vſi eſtis victu cæleſti & angelorum pane ex mea perpetua in vos prouidentia ſuppeditato, veſtimentóque conſeruato. Nec verò illa in deſerto mora nullum vobis externæ commoditatis fructum genuit, imò magnum & gloriæ atque vtilitatis plenum, debellatis interim et occupatis duobus regnis hoſtium veſtrorum, vobíſque infeſtiſſimorum.*

Et introduxi vos in terram Amorrhæi, qui habitabat trans Iordanem.

QVAMQVAM *enim propter iuſiurandum à Deo factum horum patres qui perpetuò à promiſſa regione exilio mulctandi erant, vagari coacti ſunt, nec id tamen ſine idoneo ac ſufficiente, imò ſuaui vitæ vſu peractum eſt, atque interim in aliam regionem inducti ſunt, quæ promiſſis etiam acceſſioni fuit: promiſſarum terrarum terminos ab ortu Iordanis conſtituebat. Ego verò, inquit Deus,* vos in terram Amorrhæi, qui habitabat trans Iordanem, introduxi, *vt nõ verſaremini ſemper in ſolitudine; & interim quid vobis cõtigerit commemorabo.*

Cumque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus veſtras, & poſſediſtis terram eorum, atque interfeciſtis eos.

INTERIM *dum patres veſtri in Cananæam regionem ingredi prohibiti ſiniebantur omnes, tamen & meã in vos prouidentiam atque voluntatem ſingularem apud gentes alias probare, & magnam veſtri opinionem facere, atque amplificare non deſtiti. Antè enim quàm in Cananæam deueniſſetis, hoſtem, cuius virtus & animus vel eo ipſo cognoſci potuit, quod vos vltrò minimeq́; laceſſitus bello petiuerit ipſe, qui ſe vobis ſuperiorem fore ſperabat, imò quẽ etiam Cananæi vobis oppoſitum gaudebant, præſidiumq́; ſibi atque ſuis regionibus fore putabant, eum, inquam, hoſtem, non otioſum, ſed bellum vobis offerentem tradidi in manus veſtras, quem mea virtute ita viciſtis, vt & vita & regno & rebus omnibus expoliaueritis, & fortitudinis nomen me duce inſuperabilis conſequuti fueritis, maximè hoſtium ipſorum ſpectato exitu, qui omnes prorſus deleti fuere.*

Supr.1. *S.S.E. Audiuimus quòd ſiccauerit Dominus aquas Maris rubri ›› ad veſtrum introitum, quando egreſsi eſtis de Aegypto: & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus qui erant trans Iordanem, Sehon & Og, quos interfeciſtis: Et hæc audientes pertimuimus, & ›› elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum: Itaque veſtræ dignitati, auctoritati atque famæ ipſo etiam itineris tempore conſulebam, oſtendens vos nec temporum aut bellorum difficultatibus vllis, nec humanis opibus, aut viribus, nec vllis alijs artibus, ex ijs etiam quæ humanis maiores exiſtimãtur, quandiu in mea tutela eſſetis, vinci aut ſuperari poſſe. quod in huius verſus fine eſt,* atque interfeciſtis eos, *de extremo illius gentis exitio exponendum eſt, quod poſt debellatam iam regionem abſolutum fuit iudicio atque virtute Dei. Hebraicè legimus,* Et deleui eos à faciebus veſtris.

Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, & pugnauit contra Iſraelem, miſitque, & vocauit Balaam filium Beor, vt malediceret vobis: & ego nolui audire eum: ſed è contrario per illum benedixi vobis, & liberaui vos de manu eius.

Ex *ijs periculorum generibus, quæ humanis fieri poſſunt rebus, nullum reliquum fuiſſe, quod non vel ab hominibus vel ab hominũ hoſte Satana intẽtum fuerit in Iſraelitas, hæc oratio diſertè declarat: nullum prætereà illis creatum fuiſſe, quod ſingulari Dei prouidentia & efficientia non depelleretur, apertè confirmat: ita vt in omni genere miraculis & ſignis certiſsimis ſuam erga populum illum curã et præſtantem quandam, vt ſic dicamus, familiaritatem Deus probauerit. Satis in Aegyptiorum cladibus declaratum fuerat, nec ſapientiã prudentiámue humanam, nec principum leges, aut minas, nec vim, nec opes, nec naturæ difficultates, nec bellicam virtutem, aut diſciplinam aduerſus Iſraelitas Dei præſidio fultos quicquam valere: In ſolitudine verò nec locorum, nec temporum importunitates, nec rerum inopiam nocere poſſe. In Amorrhæorum autem bello ac prælijs, et iã cùm ad manus ventum eſſet, illi ſuperiores euaſiſſe cum magna hoſtium pernicie comperti fuerant; ita nec terra, nec mari ſuperabiles eſſe declarati ſunt. Vnum porrò diſcriminis ſupererat genus, quod inferri poſſet artibus ijs, quæ humanis maiores creduntur: cuiuſmodi ſunt augur-*

guriorum captationes, aſtrorum obſeruationes, carminum & incantationum exercitationes, & cetere huius generis, quæ vno omnes nomine Magicæ vocantur. Nam quæ huiuſmodi ſunt, cùm vltra naturam eſſe exiſtimentur, vel dei cuiuſpiam, vel dæmonis efficacitati ab ijs quibus petuntur, vel tractantur, adſcribi ſolent; &, quod veriſſimum eſt, dæmonũ licentiæ tribuuntur; à Deo vero & vnico permiſſæ ob hominum vel petentium, vel excipientium, vel vtrorumque impietatem & ſcelera. Solent autem gentes, vbi communibus rebus, ſtudijs, artibus & rationibus ea, quæ cupiere, quæ'ue metuère, peruincere non potuerint, ad huiuſmodi artes vireſq́; recurrere. ſic enim ille canebat:

In me tardus Amor nõnullas cogitat artes: — Proper. li. 1. Eleg. 1.
  Nec meminit notas, vt prius, ire vias.
At vos deductæ quibus eſt fallacia Lunæ,
  Et labor in magicis ſacra piare focis;
En agedum dominę mentem conuertite noſtræ,
  Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis, vos ſidera, & amnes
  Poſſe Citeinis ducere carminibus.

Hoc igitur genus aduerſus Iſraelitas non defuit etiam qui experiretur. Surrexit enim Balaq: *Opulentus, diues, potens, aſtutuſq́; rex Moab, notus ac celebris potentia & prudentia, quam familiari iam à patribus diſciplina obtinebat, ideoq́; cognomento inſigni Sephor filius dictitabatur. Quod verò ait,* ſurrexit: *magno ac deliberato conſilio, magno ſtudio, ingenti molimine negotium hoc ſuſceptum ſignificat hoc verbum, quod etiam ad tempeſtatum & procellarum impetum in loco refertur; & cùm de Principibus dicitur, magnum exemplum ab illis editum indicat. Hic verò quamuis maxima impẽſa, nullo tamen ſuo periculo, teterrimum vobis bellum comparare aggreſſus eſt, non modo hominum copijs aduerſum vos conducendis, ſed etiam Dæmonum efficientia contra vos prouocanda & mouẽda: ad eam verò rem miniſtrum adhibuit omnium in magicis artibus & incantationibus famatiſſimũ, eundemq́; exitij cupidiſſimũ veſtri, nempè* Balaamum Beoris filium, *atque in arte diſcipulum, qui tanta in illis regionibus opinione auctoritateq́; florebat, vt regia ad ſe legatione audierit: Noui enim, quòd benedictus ſit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congeſſeris. Veni ergò, & maledic populo huic,* " Num. 22.

quia fortior me eſt; ſi quomodo poßim percutere, & eÿcere cũ de ter-ra. Atque ita apparet illum armata manu aduerſus Iſraelitas egreſſum, prius tamen magicas artes præmittere expeririq́; voluiſſe, ad hoſtes territandos, turbandos et eneruandos primùm; deinde verò nullo vel exiguo negotio fundendos. Atque ita aduerſum vos non humanæ modò opes comparatæ ſunt, ſed eæ etiam, quæ humanam excedunt ſortem & virtutem: quibus tamen omnibus vos meo ſingulari beneficio ſuperiores euaſiſtis cum ampliſsima exiſtimationis veſtræ acceſſione, cumq́; magno præconio meæ erga vos volũtatis ac tutelæ. Et ego nolui audire eum, *quamuis vobis imprecari & ſuis artibus nocere cupientem: ita & arte & animo aduerſum vos omninò paratus, repulſus tamen à me fuit, manifeſto argumẽto vanitatis et inefficacitatis carminum, incantamentorum, veneficiorum, & huiuſmodi nocendi artium omnium, non permittente me, nedum omnia in meorum vtilitatem conuertente, vt erga vos factum eſt, Bilghamo nõ moribus & ſtudio, ſed metu mei pro diris fauſtißimas preces, & ſecunda carmina aduerſum vos canente. Atque hoc duplici cauſa à Deo factum nobis videtur, tum vt propoſitum ipſius de Iſraele ornando & amplificando maneret; tum verò ne, ſi Bilghamus populo illi infauſta ac dira precari permitteretur, quæ aliquãdo ob peccata & ſcelera pœnæ luẽdæ eſſent, ex Bilghami imprecatione magis quàm ex Dei vlciſcentis conſilio ac iudicio petitæ, vel ipſis Iſraelitis, vel alÿs etiam gentibus putarentur. Ideò omnibus partibus ac modis ſuam illam ſingula rem erga Iſraelitas prouidentiam aſſertam voluit Deus. Quod ver non modò vt non imprecaretur Bilghamus, verùm etiam vt bene fauſtè & feliciter precaretur conſtituerit Deus, eò pertinuit, vt ta ÿ, à quibus incantator conductus fuerat, quàm vicini omnes terr rentur tot ſecundißimis de Iſraele prædictionibus auditis. Quip gentibus illis opinio grauißima inſederat efficacitatis carminum imprecationum illius Magi, in quamcunque ille partem animum a*

Num.22. *artem intenderet. S.S.E. Noui enim quòd benedictus ſit, cui bened*

„ *xeris; & maledictus, in quem maledicta congeſſeris. Neceſſe verò f illos perterrefieri audientes & ſentientes magno ſuo ipſorum ſu ptu & apparatu, nimirum tot aris extructis, tot hoſtÿs cæſis, mune bus hariolo promißis ac datis, tamen feliciter ominatum & imp catum eſſe ÿs, quibus maximè nocere cupiebant. S.S.E. Irat*

con

contra Balaam comploſis manibus ait: Ad maledicendum inimicis "
meis vocaui te, quibus è contrario tertiò benedixiſti: Reuertere ad "
locum tuum. Illud verò quod ſubiungitur, & liberaui vos de manu eius: *non de infauſtis ac diris precibus & incantationibus, ſed de illo callido ac ſceleris periculiq́; pleno conſilio interpretamur, quo Bilghamus auctor Moabitis fuit, inuitatos & prouocatos ad laſciuiam, voluptatem & ſuperſtitionem Iſraelitas corrumpendi, hoc pacto ab illa ſingulari Dei prouidentia repudiandos: quod cōſilium niſi Deus fregiſſet, peſſimè Iſraelitis iam iam cedere cœperat. Itaq. quod arte, verbis & incantationibus efficere Bilghamus non potuerat, mala mente maloq́; animo pernitioſa doctrina & reipſa facere tentauit.* de manu eius, *Amorrhæi videlicet, qui Bilghami doctrinā ſecutus Iſraelitas non vi ac bello protrudere, non iam incantamentis vincire & perturbare, ſed delicijs corrumpere ac perdere parabat. Itaque ſingulis beneficiorum Dei capitibus plura membra adnexa ſunt, omniaq́; àdmiranda, & vltra commune prouidentiæ exemplum ponenda. Atque hactenus antiquiora beneficia paulo altius repetita & fuſius recenſita ſunt, quæ videlicet ijs ipſis, qui audiebant, & ſi non omnibus, (nam multi ex illis iuniores adhuc erant) pluribus tamē ex ipſis vnà cum parentibus vſu venerant. Nunc verò deinceps recentiora, & omnibus, quibus ſermo fiebat, notiſſima non tam commemorantur, quàm breuiter & ſtrictim indicantur: ideoq́; nobis explicādo attentius diſſerenda videntur.*

Tranſiiſtisq́; Iordanem, & veniſtis ad Iericho: pugnaueruntq́; contra vos viri ciuitatis eius, Amorrhæus, & Pherezæus & Chananæus, & Hethæus & Gergeſæus, & Heuæus & Iebuſæus, & tradidi illos in manus veſtras.

OMNIVM *beneficiorum Dei, eorum, inquam, quorum recēs adhuc & penè præſens memoria erat, quam breuiſſimam ſummam orator fecit; eam verò quamquam Latinè implicitam exiſtimemus, Hebraicè tamen diſtinctam, ſuis punctis ac diſiunctionibus agnoſcimus. Circumſtantias verò ſingularum rerum auditoribus exiſtimandas reliquit, ſcientibus videlicet, ac teſtibus & cōpotibus omnibus. Nemo enim ex illis erat, qui Iordanis reducti & conſiſtētis miraculum ignoraret, & quemadmodum ipſe vadum ſiccis pertranſiiſſet pedibus, obliuiſci potuit nemo. Quare ſatis fuit dicere,* trāſiiſtis Iordanē.

Deinde omnes norant qua ratione, quibus modis Iericho vrbs capta dirutaq́; fuiſſet, non armis, obſidione, aut machinis, ſed volentis ac iubentis Dei verbo repentè muros corruiſſe omnes, Iſraelitis ex præſcripto ſeptimùm conclamantibus. Hoc etiam miraculo & ſingulari prouidentiæ adſcriptum. Animaduertendum verò eſt, ex ijs miraculis, quæ commmemorantur, quædam in vſum Iſraelitis edita, quædam verò in expeditionem. In vſum ea ſunt, quibus illi fruebantur, vt Iordanis tranſitus, Ierichuntis ruina ad facilem irruptionem: Cetera verò in expeditionem facta dicimus, quæ aduerſus gentes edita ſunt propter Iſraelitas, cuiuſmodi ſunt pugnata bella, perterrefacta hoſtium corda, grandines, imbres, & cetera, quæ in ſacris narrantur hiſtorijs, & manifeſtam Dei erga Iſraelitas in poſſeſſionem illarum regionum mittendos curam ſingularemq́; prouidentiam oſtendebant. Iam verò Latina lectio, Pugnaueruntq; contra vos viri ciuitatis eius, Amorrhæus, *&c. negotium Interpretibus faceſſiſſe videtur, quandoquidem (vt D. Auguſtinus adnotauit) nullos ex Ierichunte ad pugnam prodijſſe conſtat, ſed omnes obſeratis portis intra vrbem contentos magnoq́; perterritos metu antè fuiſſe occupatos & oppreſſos, quàm vel arma capiendi ſpatium, vel locum habuiſſe, corruētibus* Sup.6. *muris omnibus vndique; & aſcendit vnuſquiſq. per locum, qui cōtra ſe erat, & ceperunt ciuitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem. Atqui* Auguſt q. 24. in Ioſ. *quòd portis clauſis ſeſe tutandos exiſtimarint Ierichuntenſes, quòd nullos de pace legatos miſerint, pugnæ genus fuiſſe D. Auguſtinus declarat, idq́; verè ac diſertè. Siquidē vrbium locorumq́; aliorum munitiones ea parantur cauſa, vt vel irruētium hoſtium impetum frangant, vel conatus tamdiu retardent, quoad vel amicorum inuocentur ſubſidia, vel ad tolerabiles conditiones vtrimque deſcendatur. Hoc verò negotium nullum Iſraelitis factum eſt, Deo vrbem expugnante, ac muros diruente, atque ita ea belli ſuſtinendi ratio quam Ierichuntini inierant, omninò vana atque irrita euaſit. Hoc igitur modo locus ex D. Auguſtini interpretatione exponetur. Verùm enimuerò cùm apertè hoc loco nominentur gentes eæ, quæ bellum Iſraelitis intulère atque verbum* pugnare *vſurpatum ſit, vlterius etiam ratio hæc progredi nobis videtur. Namq. in Ierichuntis expugnatione nulla gentium harū mentio facta eſt, ſed regis tantùm cum ijs, qui intra muro*

eran:

erant. Nec ante vrbem captam prœlium vllum commiſſum fuiſſe legimus, nec in expugnanda vrbe dimicatum, nec poſt eandem captam vllo modo propugnatum, imò totum negotium confectum eſt, vbi vrbem Iſraelitæ occupauere. Atque hanc rem illa tantùm lectionis pars abſoluiſſe nobis videtur, veniſtis ad Iericho. Ingreſſi, inquit, eſtis Ierichũta, eademq́ opera cepiſtis & excidiſtis. Atqui ſeptem illas gentes cum Iſraelitis pugnaſſe, & Ioſue narrat, & nos lectionis huius ſimplicitati inhærentes credimus, &, vt videmur, exponere poſſumus, illud repetentes, hæc recentiora beneficia à Ioſue breuiſſimè vt notiſſima indicari, magis quàm numerari; deinde verò verborũ Hebraicorum rationem ſecuti. Vbi in noſtra Latina verſione legimus, Viri illius ciuitatis, & in Græca οἱ κατοικοῦντες Ἱεριχὼ, Hebraica lectio habet BAGHALAE IERICHO. Eſt autem nomen BAGHAL ſignificationis latiſſimæ, quam Latinus aliquando Viri, hoc eſt mariti, aliquando domini, nonnunquam principis, interdum numinis, patroni, & ſimilibus nominibus exprimit: non rarò autem Latinis literis, quantum id fieri poteſt, Hebraicã vocẽ relinquit Baal, Baalim. Sũma verò ſignificatione ſi complecti rẽ volumus, eum BAGHAL vocari dicemus, Ad quẽ rei cuiuſpiã ratio auctoritáſque pertinet. Hiſp. aliquando amo, aliquando verò dueño in ſimili ſignificatione vſurpatur. Sic enim dici vulgò ſolet, eſte negocio tiene dueño. Et donde no eſta ſu dueño eſta ſu duelo: Italicè aptè etiam dicetur, Patrone, Gallicè Le maiſtre de quelque choſe. Germanicè den meiſter. Iam verò rem ipſam conſideremus. Ierichunta vrbem primam omnium in Cananæorum regionibus contra ortum Solis non longè à Iordane ſitam, ceterorum omnium regnorum velut ianuam fuiſſe exiſtimare oportuit, quæ prima à vicinis vel remotioribus gentibus bellum regioni allaturis inuaderetur, & periculum atque impetum prima ſuſtineret: hac expugnata & capta, interiora terrarum trepidare neceſſe erat. Quamobrem, quamquam ſuum illa regem, à quo gubernaretur ac defenderetur, haberet, ceteros tamẽ omnes ex Canaano oriundos reges, vt cognatos & affines inter ſeſe communium rerum ac periculorum cauſa in huius vrbis tutelam, propugnationẽ, ac defenſionem & vltionem olim conſpiraſſe par fuit, atque illius cauſam communiter ſuſcepiſſe: Itaque illos & ſua & regis atque gentis cauſa patronos (vt ita dicamus) vrbis illius fuiſſe, quos hæc

lectio

lectio BAGHALEI *Iericho primùm appellat, deinde verò no-
minatim recenſet. Hi cùm Iſraelitas vltra Iordanem eſſe intellexiſ-
ſent, nec certiores eſſent facti quo loco, aut quo tempore flumen illis
eſſet tranſmittendum, illa tempeſtate exundans, auctores fuere Ieri-
chuntis regi, vt vrbem ſuam, natura & opere ſatis munitam, clauſis
portis, diligente cuſtodia & armatis ciuibus auxiliaribusq́, ſi qui in-
tus eſſent, receptis etiã intra mœnia iumentis conſeruaret, quoad vel
pernoſceretur Iſraelitarum conſilium, vel aliqua ratione obſeruare-
tur. Ipſi verò quamquã omnes & ſibi ſingulariter omni regione com-
muniter metuerent, omnia tamen parabant quæ ad propugnationem
opportuna ac neceſſaria exiſtimabantur, vtpotè ſtrenui aliàs viri, &
belli ſtudijs atque artibus aſperrimi; prætereà etiam certi minimè ce-
dere Iſraelitis, verùm ſuas omnino vires experiri, quantumq́ poſ-
ſent eniti proprias res defenſuri & expugnaturi; maximè verò cùm
propter ſcelera & peccata antè patrata & exercita conſuetudine ac
moribus firmata in eam contumaciam deueniſſent, vt pœnas à Deo
terrarum principe minimè deprecari ſtuderent, ſed omnem potius co-
gitationem ad ſeſe tuendum defendendumq́ traducerent. Verùm
enim verò conſilium fuit, non antè Iſraelitas bello adoriri, quàm eo-
rum conſilia cognoſcerent, & ex ipſis incœptis intelligere poſſent
quorſumnam tenderent, quas res, & quemadmodum, agerent. At-
qui ſubito accepto nuntio Ierichuntini excidij, & celerrimæ vaſta-
tionis illius vrbis, quam ipſi primam & munitiſsimam, omniúmque
regnorum ceterorum ianuam ducebant, tunc tanti præſidij ruina per
cuſsi ac ſibi vehementius metuentes, nihil viterius cunctandum cen
ſuere, ſed conſilijs, viribus & opibus coniunctis Iſraelitarum irru
ptioni in ipſis initijs obſiſtendum antequàm plus detrimenti eſſet a
ceptum, vrbibus alijs ſingillatim amittendis atque ex conſequen
opibus imminuendis. Verùm cùm iam ad eam rẽ ſeſe omnes anime
ſent & comparaſſent, accepta de Gabaonitarum calliditate fama,
tercepti ſunt, & coacti interim bellum in Iſraelitas differre, dum
fectionem vleiſcerentur illam, atque pœnarum à Gabaonitis repet
darum exemplo ceteras vrbes & gentes omnes in officio atque in
cti fide continerent; non permittentes vt magis domeſticis defe
nibus & ſeditionibus, quàm externi hoſtis depugnationibus ipſo
res peſſundatæ corruerent. Verùm enim vero res omnis ita di

pr

prouidentia gubernabatur, vt in ipſa Gabaonis obſidione omnes ſimul interirent, qui Dei de Iſraele propoſitum & inſtitutum turbare aut impedire conabantur. Omnia hæc ſic nobis deducta non modò rerum geſtarum ſeries ac temporum obſeruata ratio, & cognitio exitus ſingulorum, verùm ipſa quoq. ſacra lectio declarare videtur ijs, qui quo loco quid ſcriptum ſit, diligenter attenderint. Nam poſt narratum Ierichuntis excidium & Hai proximæ paruæ vrbis incendium, ſic legimus: Quibus auditis cuncti reges trans Iordanem, qui verſa- Sup. 9.
bantur in montanis & campeſtribus, in maritimis & littore magni maris: Hi quoque, qui habitabant iuxta Libanum, Hethæus & Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus & Heuæus & Iebuſæus, congregati ſunt pariter vt pugnarent contra Iſrael vno animo eadémque ſententia. Ita facilè cognoſcimus gentes illas quarum aliàs plura, aliàs pauciora nomina recenſentur, atque omnes vnica appellatione Cananæi dicuntur, Iſraelitis obſiſtere non ſolùm conſtituiſſe, verùm cœpiſſe etiam, ac demùm pugnam feciſſe; quamquam non eodem loco ac tempore quo conſtituerant, ſed apud Gabaonē vrbem, ad quam omnes capiendam & vlciſcendam conuenerāt, inde victores, & vlti bellum in Iſraelitas ab initio intentum conuerſuri. Ideò verò poſt narratam illarum gentium in Iſraelitas coniurationem & conſenſionem, Gabaonitarum hiſtoria ſubiuncta attexitur. At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Ioſue, Iericho & Hai, &c.

Miſiq; ante vos crabrones: & eieci eos de locis ſuis, duos reges Amorrhæorum, non in gladio & in arcu tuo.

MAXIMA *Dei tum virtus, tum ſapientia hoc verſu laudatur, cuius conſilio atque efficientia, bella omnia expedita conſtitutaq́; fuerint quàm celerrimè, quæ nullis artibus, aut viribus humanis quamuis longiſſimo tempore confici potuiſſent. Atqui conſilium & ſingularis virtus Dei ijs præcipuè probatur argumentis, quæ nec ex communi naturæ exemplo, nec ex humanis artibus deduci poſſunt. Quòd bello, quòd diuturnis morbis populariter graſſantibus longiſſimaq́; fame populus quiſpiam abſumatur, vel hominum dexteritati & potentiæ, vel aſtrorum infortunio, vt vocant, vel alij cuipiam naturæ mutationi, aut viciſſitudini adſcribet nimirum humana ratio et ſapientia illa quam phyſici profitentur. Quòd verò per exiguas res*

magna perdantur & conſumantur, idq́; maxima celeritate; niſi diuinitus effici poſſe argumentari nemo ſapientum mundi valet. Neceſſe enim eſt primùm ſtatui vim ſpiritúmqe rebus exiguis, lõgè quàm natura præſtare ſoleat, maiorem ineſſe ad eas conficiendas res, quæ confici ipſis aliàs minimè poſſent. eum autem ſpiritum natura exemplo præſtantiorem à præſtantiore quàm naturæ virtute immiſſum, fateri conuenit: ea autem virtus diuina eſt. Ita cùm Aegyptij, quorum ars, induſtria & ſcientia non ſolùm aduerſus beſtiolas, culices, muſcas, ranas & eiuſmodi peſtes remedia parare noſſet, vt conopæos, retia, & cetera quæ illis iam familiaria ipſo vſu erant, ſed ipſi quoque magicis artibus eiuſmodi monſtra proferre & extinguere etiam poterant, iiſdem tamen ipſis rebus leuiſſimis ac paruis miſerè pereunt: omni fruſtrà tentato remedio, neceſſe eſt cogantur confiteri digitum Dei illum eſſe; maximè verò quòd ſibi ea omnia infeſta, alteri verò qui ſecum pariter iiſdem locis degebat, populo minimè nocere ſentiant. Idem quoque & alterum populum alterius gentis pereuntis immunem ſpectatorem confiteri oportet. Atque huiuſmodi argumento gentem ſuam ſapientiſſimus Moſes monens, ad gratulationis, fidei & pietatis conſiderationem & ſtudiũ inſtruebat, atq. ad futurarũ victoriarum ſpem expectationemq́; animabat. S. S. E.

Deut. 7. „ *Auferet Dominus à te omnem languorem, & infirmitates Aegypti peſſimas, quas nouiſti; non infert tibi ſed cunctis hoſtibus tuis. Deuorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus eſt tibi. Nõ parcet eis oculus tuus, nec ſeruies dijs eorum, ne ſint in ruinam tui. Si dixeris in corde tuo, Plures ſunt gentes iſtæ quàm ego, quomodo potero eas delere? Noli metuere, ſed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni & cunctis Aegyptijs, plagas maximas, quas viderunt oculi tui, & ſigna atque portenta, manumq́; robuſtam, et extentum brachium vt educeret te Dominus Deus tuus: Sic faciet cunctis populis quos metuis. Inſuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes, & diſperdat, qui te fugerint & latêre potuerint. Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in me dio tui eſt; Deus magnus & terribilis: ipſe conſumet nationes has i conſpectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pari ter; ne fortè multiplicentur contra te beſtiæ terræ. Dabitq́; eos De minus Deus tuus in conſpectu tuo, & interficiet illos donec penitu delea.*

deleantur: Tradétque reges eorum in manus tuas, & diſperdes no- "
mina eorum ſub cælo: Nullus poterit reſiſtere tibi, donec conteras "
eos. Atqui exemplorum & promiſſorum horum, quæ Moſis oratione propoſita ſunt, conſtantiam & veritatem hoc verſu Ioſue comprobat; oſtendens non modò prodigia, ſigna maxima, quæ in Aegyptiorum perniciem edita fuerant, aduerſum has quoque gentes fuiſſe magnis exemplis renouata, vt in Iordanis tranſmiſſione, in Ierichuntis excidio, in illorum Cananæorum populorum ac regum internecione, cum Dominus miſit ſuper eos lapides magnos vſque ad Sup. 10.
Azecha, & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis quàm quos "
gladio percuſſerant filij Iſrael. Steteruntq; ſol & luna donec vlciſce- "
rentur ſe gens de inimicis ſuis. Non fuit antea & poſtea tam longa "
dies, obediente Domino voci hominis & pugnante pro Iſrael. Non "
ſolùm, inquam, huiuſmodi portenta fuiſſe edita, verùm & cetera omnia, quæ in promiſſo certis notis definita fuerant tam maxima quàm exigua omnia conſtitiſſe: nempe crabronum immiſſiones, quorum venenatis ictibus ij periere qui Iſraelitas fugere aut latêre moliebantur: Atque etiam regum neces, cùm non ſolùm illi, qui ex ſpelunca ad ſupplicium producti fuere, & alij complures ad vigeſimum quartum vſque breuiſſimo tempore occiſi ſunt, ſed vltra hos etiam quos promiſſi definitio cōtinebat, duo additi fuerint celeberrimi et potentiſſimi Amorrhæorum: Non quòd ij ſtudio aut virtute Iſraelitarum fuerint expugnati, ſed quòd vltro bellum offerentes fuerint Iſraelitis à Deo traditi & vltra promiſſos conceſſi. S. S. E. Dixitq; Num. 21.
Dominus ad Moyſen, Ne timeas eum, quia in manus tuas tradidi "
illum, & omnem populum, & terram eius: faciésq; illi, ſicut feciſti "
Sehon regi Amorrhæorum habitanti in Heſebon. Itaque omnia, quæ "
in promiſſis nominatim expreſſa fuerant, certiſſimè illis contigiſſe aſſeuerat orator, non viribus aut ſtudijs, aut alijs ipſorum artibus, verùm vnius Dei voluntate & promiſſorum efficientia. Quãquam enim in rebus agẽdis bellisq; cõficiẽdis Iſraelitæ armis vſi fuerint, ac præſertim gladijs; tamẽ conficiẽdæ auctoritas rei vnicæ Dei volẽtis efficacitati tribuitur. S.S.E. Nec enim in gladio ſuo poſſederũt ter- Psalm. 24.
rã, & arcus eorum non ſaluauit eos; ſed dextera tua & brachiũ tuum "
& illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis. Itaque ad "
duo illa ſingulariter in illas gẽtes edenda exempla, præter cetera, quæ

cum ſignis apud Aegyptũ editis ex ſimilitudine componi potuere, commemoratio hæc à nobis refertur. Memineris, inquit, ea etiam quæ ſingulariter promiſſa fuerant de crabronum immiſſione, & regum occiſione cumulatè etiam tua cauſa præſtita. Duos reges Amorrhæorum non in gladio tuo *occiſos. Nã gladius tuus illarum gentium viribus & armis impar fuiſſet.* non in arcu tuo, *qui nullus erat. Siquidem ſagittarum vſus nõ ita communis ante Dauidis tem-*
2.Reg.1. *pora Iſraelitis fuiſſe, ex illo loco arguitur: Planxit autem Dauid*
„ *planctum huiuſmodi ſuper Saul & ſuper Ionathan filium eius, &*
„ *præcepit vt docerent filios Iuda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro Iu-*
„ *ſtorum. Crabronum verò Latino vocabulo ſiue Hebraico* Tſirgha, *quod huiuſmodi pennata & aculeata inſecta ſignificat, an pro ipſa beſtiolarum natura (quarũ nulla in his bellis facta mentio eſt) vſurpatum fuerit, an ex figura aliqua dicendi productum, Interpretes hoc loco inquirere ſolent. Quòd ſi cuipiam tranſlationis ratio placeat; nulla profectò res hoc verbo explicari commodius poſſit, quàm fama et rumores per omnia loca diſperſi rerum omnium per Deum Iſraelis cauſa in aliarum gẽtium perniciem effectarum, quæ Cananæis acreis*
D.Auguſt. *terroris aculeos, vt Diuus Auguſtinus interpretatur, infixerant: maximè verò nuntio accepto recentis cladis Amorrhæorum; idq; aſtrui*
Sup.2. *poteſt inſigni illa Rahab confeſſione: Audiuimus, quòd ſiccauerit Do-*
„ *minus aquas maris rubri ad veſtrum introitum, quando egreſſi eſtis*
„ *de Aegypto, & quæ feceritis duobus regibus Amorrhæorum, qui erãt*
„ *trans Iordanem, Sehon & Og, quos interfeciſtis. Et hæc audientes*
„ *pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus*
„ *ad introitum veſtrum: Dominus enim Deus veſter ipſe eſt Deus in*
„ *cælo ſurſum, & in terra deorſum. Nobis verò lectionis & ſignificationis ſimplicitatem, quatenus rerum ac temporum ratio ferre poſſi[t] ſecutis, vocabulum hoc pro ipſa beſtiolarum natura hoc loco vſurpa[-] tum exponitur, maximè verò præcedente promiſſo per Moſen vaten[m] decantato, cuius promiſſi ſententia ac verbis duo hæc ſingularite[r] apud gentes illas obſeruanda proponebantur, atque immittendoru[m] crabronum cauſa indicabatur. Nec enim Moſes dixerat mittend[…] huiuſmodi beſtiolas, quæ gentium animos perterrefacerent, ſed q[…] eos, qui transfugiſſent, quiq; latêre voluiſſent, infeſtiſſimis & cr[…] bris venenatorum aculeorum ictibus perderent; ita vt Cananæi o[…]*

n

nes, quacunque Iſraelitis pes conferretur, vel bellica ſtrage, vel harum peſtium vi interirent; atque ita habitaturis terra, priore cultore omninò vacua expeditaq́ conſtaret. Hanc etiam à Moſe expoſitam cauſam auctor libri Sapientiæ commemorat, atque adeò vlterius interpretatur; miſericordiæ pariter ac iuſtitiæ diuinæ adſcribens, quòd gentes illæ huiuſmodi beſtiolarum ictibus fuerint demùm cõſumptæ. Atque hactenus beneficiorum ſumma commemorata eſt eorum, quæ ab ipſo promiſſa præſtandi initio vſque ad poſſeſsionem terræ dandam, perpetuò continuato nullis difficultatibus interturbato ordine exhibita fuerint. Iam verò, qualiſnam poſſeſsionis inchoandæ & ineundæ ratio vſusq́ contigerit, exponitur demum.

Deditque vobis terram, in qua non laboraſtis, & vrbes quas non ædificaſtis, vt habitaretis in eis: vineas & oliueta quæ non plantaſtis.

NON *modò terræ expugnationem, quæ aliàs vel nunquã, vel non niſi maximis ac diuturnis bellorum diſcriminibus, detrimentis & periculis capi potuiſſet, verùm etiam poſſeſsionem, imò & poſſeſsionis vſuram ipſam nullo illis labore, nullo diſpendio, nulla temporum aut tempeſtatum expectatione, nullo denique tædij genere conſtitiſſe ait Deus; idq́ vnico ſuo conſilio & beneficio datum commemorans aſſeuerat. Nuſquam enim accidiſſe legimus aut audiuimus, vt regio aliqua, quæ proprio atque indigena cultore pulſo ab externo hoſte capta fuerit, ſua integritate conſtiterit, vel per plures etiã annos priſtinam tum vrbibus & oppidis ipſis, tum agris faciẽ recuperauerit. Quandoquidem bellorum diuturnitas & inſolentia exterius obuia quæq́ vaſtat, deſtruit, incendit, diruit & euertit. S. S. E. Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni, regionem veſtram coram vobis alieni deuorant; & deſolabitur, ſicut in vaſtitate hoſtili. Interius verò cultorum & habitantium partim egeſtas & oppreſsio, partim incuria & neglectio, omnia conſumit; demum deſperatio & inuidia, optima, commodiſsima atq. vtiliſsima quæq. demolitur, & pulcherrima diſturbat, dum modò tempus interſit, quoad vel quam celerrimè fieri poſsit; ne quid pulchrum, vel gratum inuiſi hoſtis vſibus relinquatur. Nam & ciuilium bellorum temporibus, cùm eiuſdem gentis pars alteri parti propter potentiam cedit; ea tamen, quæ citra vllum belli aut pugnæ periculum pellitur, vehementer dolet ſuas res ijs* Iſai. 1.

in vſum cedere, à quibus minimè cultæ fuerant: cuiuſmodi querimoniarum exemplum illud eſt:

Impius hæc tam culta noualia miles habebit,
Barbarus has ſegetes? en quò diſcordia ciues
Perduxit miſeros: en queis conſeuimus agros!
Inſere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites.

Et tamen hæc inter conciues & eiuſdem nominis ac ditionis gentes citra vllam pugnam, ex victricis partis imperio acta fuerant, quæ ab altera parte ſi adeò metuerentur aut præuiderentur, nullo pacto victoribus integra rerum conſtaret poſſeſsio, ſicut et ille alius ſuarum rerum calamitatem deplorans haud obſcurè ſignificabat:

Virg. Eclo. 9.

O Lycida, viui peruenimus, aduena noſtri,
Quod nunquam veriti ſumus, vt poſſeſſor agelli
Diceret; Hæc mea ſunt, veteres migrate coloni:
Nunc victi, triſtes; quoniam ſors omnia verſat,
Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hœdos.

Verumenimuerò Iſraelitis præter omnia omnium terrarum ac temporum exempla feliciſsima cuncta ſe auctore contigiſſe Deus ait, vtpote quibus non modò expugnatio breuis, facilis & omnino tuta conſtiterit, ſed ipſa quoque vrbium, agrorum, regionumq́; poſſeſsio libera, immunis, integra, prorſusq́; beata conceſſa fuerit, vrbibus intactis, muris domibuſq́; eleganter fabricatis, atque refertis omni ſupellectilis & commodorum genere; agris, vinetis, hortis & ſyluis amœniſsimis & fertiliſsimis, fructuq́; exuberantibus; ita vt ipſis occupantibus præterquàm frui, nihil præterea reliquum fuerit agendum. terram in qua non laboraueratis. *Hebraicè ſic habet,* Dedi vobis terram in qua non laborauerat: *cuiuſmodi idiotiſmus, quòd interpretibus nonnullis durior videatur, certa nobis obſeruatione emolliēdus eſt, rationem ex dialectica animaduerſione petentibus. Ea huiuſmodi eſt: Pluralis numerus plurali ſignificatione acceptus totum genus complectitur quidem, ſed non ſemper ſingulari omnia ſub ſe contenta, maximè verò cùm res ipſa non ex neceſsitate, nec ex natura petitur, ſed ad accidentis genera quoquo modo referri poteſt. Sic illud à Ieſu præceptore enuntiabatur: Vos mundi eſtis: quod idē e veſtigio declarauit; ſed non omnes. Itaque non omnis; pluralis numerus omnia ſignificat quæ cōtineri ſub ipſo poſſunt, niſi, vt adnotabamus, res de qua agitur ad naturam referatur: vt*

lud, Scrutans corda & renes Deus: nam cùm id Dei naturæ, vt ſic loquamur, proprium ſit, neceſſe eſt fateri omniũ corda & renes Deum ſcrutari. Atqui in ſacra lingua cùm ſingularis numerus plurali affirmando ſubiungitur, omnem exceptionem oratio tollit, atque, vti ſcholaſtici loquuntur, completè ſupponit, ac diſtribuit: idq; illi ſic exponunt, vt pro ſingulis generum accipiendum eſſe dicant. Atque obſeruatio hæc ad multa etiam Vulgatæ verſionis noſtræ illuſtanda loca magnam præbebit lucem. Itaque huius orationis, Dedi vobis terram in qua non laboraueras, *illa ſententia eſt, Vobis omnibus eam terram dedi, in qua ne vnus quidem ex vobis laborauerat, atque hoc verè aſſeueratur, & vobis omnibus, & tibi quiſquis fueris qui reſpondere velis. Hoc autem ex ipſa hiſtoriæ lectione adeò clarè conſtat, vt non ſolùm ante occupationem terræ, ſed in ipſo etiam inuaſionis initio alieno labore frui conceſſum etiã illis fuerit. S.S.E. Man-* Supr. 5.
ſeruntq; filij Iſrael in Galgalis, & fecerunt Phaſe quartadecima die menſis ad veſperum in campeſtribus Iericho; & comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, & polentam eiuſdem anni: Defecitq; manna poſtquam comederunt de frugibus terræ, nec vſi ſunt vltrà cibo illo filij Iſrael, ſed comederunt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan. Itaq; à prima vſque fructuum collectione, hoc eſt à Martij menſis fine, quo in calidioribus locis hordeorum & farris vſus capi incipitur, filij Iſrael ijs frugibus vti cæperunt, quibus illa regio incolarum operis & ſtudio culta pollebat: nec vltrà annonam ſibi aliunde conquiſierunt Deo id proſpiciente, qui tradendas vrbes & poſſeſſiones omnes ſic tutatus eſt, vt hoſti pellendo nec animũ ſupereſſe ſiuerit ad regiones ſuas, quas ab iniuſtis poſſeſſoribus vindicare, & alijs adiudicatas tradere inſtituerat, vel tantillum diſſipandas aut contaminandas. Nam præter Ierichunta, quam ipſe ſibi primitiarum nomine ſacrauerat, & Hay Haſſoremq; vrbes, quas in vltionis exemplum dirui voluit, nullam in tota regione aliam vel euerſam vel ruptam legimus. Atque agros omnes integros, intactos, cultiſſimoſq; conſtitiſſe, vel nomina ipſa, quæ ſuperius exponebamus, declarant: Quippe nec incolæ ipſi vaſtare valuerunt prohibente Deo, qui omnia moderatur. S.S.E. Et hæc audientes pertimuimus, et elan- Supr. 2.
guit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitũ veſtrum. Dominus enim Deus veſter ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum

deorſum: nec Iſraelitæ etiam irruentes eas quæ fructum proferrent Deut. 20. *plantas populari lege religioneq́ſ ſalua potuerant. S.S.E. Quando ob-* » *ſederis ciuitatem multo tẽpore,& munitionibus circũdederis vt ex-* » *pugnes eam, non ſuccîdes arbores de quibus veſci poteſt: nec ſecuribus per circuitum debes vaſtare regionem &c.* vrbes quas non ædificaſtis, vt habitaretis in eis. *Aedificatis omnibuſq́ ad habitandi vſum commodis rebus inſtructas illis conceſſas ait, ita præter habitationis vſuram quam optimam capiebant, nihil ipſis occupantibus agendum fuerit reliquum.* vineas & oliueta quæ non plantaſtis. *Hebraicè, Chaldaicè & Græcè vſus etiam ratio commemoratur, ſic,* Oliueta & vineas quæ non plantaſtis vos comeditis. *Atq. his duobus generibus arborum omnium, quæ ad fructum vſumq́ præſtandum, culturam, curamq́ humanam poſtulant formæ omnes, vt mediæ, comprehenduntur. Namque oliueta & vineta, præter cetera omnia quæ coluntur vtiliſsima ac præſtantiſsima haberi ſolent, tam fructuum copia & aſsiduitate, quàm bonitate etiam & generoſitate* Iud. 9. *ac duratione, vnde principatum meritò obtinent. S.S.E. Venerunt* » *ligna vt vngerent ſuper ſe regem, dixeruntq́ oliuæ, Impera nobis.* » *& paulo poſt: Locutáque ſunt ligna ad vitem, Veni, & impera no-* » *bis. Hæc etiam ea genera ſunt, quæ præcipua atque aſsidua cultura indigent, quæq́ negligentiam omnem conſequenti ſterilitate ac degeneratione damnant. Vinearum enim plantandarum & conſeruandarum cauſa quantam curam, quantumq́ laborem impendere oporteat, ſacri et prophani auctores, qui ruſticæ rei rationes æſtima-* Iſai. 5. *uere, diſertè docent. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei: Et* » *ſepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, &* » *ædificauit turrim in medio eius. & paulò poſt: Quid eſt quod vltrà* » *debui facere vineæ meæ, quod non feci ei? an quod expectaui vt fa-* » *ceret vuas, & fecit labruſcas? Idem etiam ab ÿs traditur, qui de plantarum natura & cultu præcepta dederunt:*

Virg. Geor. 2

Eſt etiam ille labor curandis vitibus alter:
Cui nunquam exhauſti ſatis eſt. Namque omne quotannis
Terque quaterque ſolum ſcindendum, glebaque verſis
Æternum frangenda bidentibus: omne leuandum
Fronde nemus. redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in ſe ſua per veſtigia voluitur annus.

Verùm

Verùm hoc vinearum natura commodi compendijq́; facit, quòd breui tempore, nimirum intra luſtri ſpacium ferendi fructus gratia pretium operæ diligenter ſe colentibus abſoluit: vulgatum enim eſt Hiſpanico prouerbio, La viña el viejo la pone y el viejo la vendiña. *Contrà verò oliuarum ratio eſt, quæ curam quidẽ nonnullã, minorem tamen quàm vitis ac minus frequentem poſcit operam: et quamquam vbi excreuerit, vtilitatem afferat non vulgarẽ, longam tamen ac tædioſam temporis moram expectationemq́; habet. ſic ille ſuis de agrorum & arborum cultu præceptis præfabatur, Nũc te Bacche canam, nec non ſilueſtria tecum Virgulta, & prolem tardè creſcentis oliuæ. Nulla præterea fructiferarum plantarum genera vel cæli, terræ ac temporum iniurijs & caſibus magis obnoxia ſunt, nullaq́; maiore cum damno cultoris vota ſpemq́; eludunt, nulla maiorem dolorem efficiũt, quàm vel vineta, vel olueta; vnde hæc in huiuſmodi commemorationibus prima poni ſolent. S.S.E. Ficus enim non florebit, &* Habac.3.
nõ erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ. & rurſum: Depo- Ioel.1.
pulata eſt regio, luxit humus, quoniam deuaſtatum eſt triticum, cõfuſum eſt vinum, elanguit oleum. Sunt autem complura iniuriarum genera, quibus intercipi fructus ſolent: vt quæ à Poëta recenſentur:

> Texendæ ſepes etiam, & pecus omne tenendum,
> Præcipuè dum frons tenera imprudénſque laborum,
> Cui ſuper indignas hyemes ſolémque potentem
> Silueſtres vri aſſiduæ capreæque ſequaces
> Illudunt, paſcuntur oues auidæque iuuencæ.

Atqui his omnibus curis, operis, tædijs & expectationibus, damnis & incommodis immunia omnia tum vineta, tum olineta fructibus faciendis opportuna, fœcunda baccisq́; referta Iſraelitis ad vſum tradita ſuo ſingulari munere Deus illa ſignificat oratione: Vineas, *quæ breuiore tempore maiori cura indigent*, & olieta, *quæ tardius creſcunt.* quæ non plantaſtis, *tamen plantata, educata & fructibus exuberantia vos comeditis. Itaque ab ipſo etiam primo anno, quo regionem ingreſſi eſtis:* dedi vobis terram, in qua non laborraueratis. *Quod ad frumentorum annonæq́; copiam facit, eodem anno integro comediſtis de frugibus terræ Canaan.* & vineas & olieta, quæ non plantaueratis, *nunc tantùm annuo labore culta, ab alijs plantata com-*

editis. Ita ſit, vt ſi omnia tempora ab initio ditionis Abrahami hanc vſq. diem diligenti æſtimatione & obſeruatione recolatis, comperietis profectò ſingularem erga vos Dei prouidentiam tum electione ipſa, tum beneficijs promittendis, & continuata ſerie, opportuna maturitate præſtandis & cumulandis adfuiſſe, idq; vel hoſtibus ipſis vestris teſtibus euadet manifeſtiſſimum.

Nunc ergo timete Dominum, & ſeruite ei perfecto corde atque veriſſimo: & auferte Deos quib. ſeruierunt patres veſtri in Meſopotamia & in Ægypto, ac ſeruite Domino.

TOTIVS *inſtitutæ argumentationis complexionem hoc monitu ſapientiſſimè abſoluit Ioſue, quamquam id præter Latinorum ac Græcorum dialecticorum formam fiat, ſed oratoria potiùs eleganter vulgarem ſermonis modum excellat. Eſt autem omnis hæc peroratio, quam epilogũ artifices dicunt, aptiſſimis cõcinnata membris, quorum primùm complexio ipſa eſt; quæ dialectica ſimplici oratione ſic tenerì poteſt: Igitur* IEHVEH *ſeſe Iſraelis Deum verè probauit: Quamobrem verè & non ſimulatè aut ſegniter, ſed ritè ac purè ſtudioſeque colendus eſt. Hanc nudam ac ieiunam complexionem, qualem dialecticus enuntiaret, pathetica oratione orator ornauit; quòd humanis animis non ſatis ſit verum oſtendere, niſi etiam perſuadeatur officium. Fit autem perſuaſio imperatiuo, vel alio potius modo quàm indicatiuo: in hoc enim nihil affectus, ſed ſimplex tantùm rerum conſiſtit oſtenſio. Suadebo, inquit, vobis horum tantorum beneficiorũ imagine propoſita & oſtenſa, planè agnoſcere* IEHVEH *Iſraelitarum verum, vnicum, eundemq; perpetuò beneficentiſſimum Deum, atq. animis totis puriſq; mentibus obſeruandum & colendum; quod vt omni ſtudio atque opera curetis, vos ipſe moneo & hortor: Hoc ſi ſuſceperitis, omni animorum integritate, omni cultus puritate præſtandum eſt.* Timete. *ſæpiſſimè cum aliàs in Cõmentarijs noſtris, tum in Apparatu ſacro docuimus, animorum pietatẽ verbũ hoc ſignificare, cùm ad ea vſurpatur, quæ hominum officium erga Deum ſpectant. Seruire verò, ipſam cultus religionem, hoc eſt probandam Deo normã complecti. Nec enim ſatis fuerit piam erga Deum animi affectionẽ concepiſſe, niſi id ipſum cum actionibus tum internis, tum etiam externis, cumq; omni vitæ parte conſtet. Atqui in affectu ipſo animi tantùm ſimplicitas integritasq; ſpectatur, qui nihil aliud præter Deum*

ames

amet & obſeruet: cetera verò quæ amanda videantur, eodem referat, atque propter Deum amet. Hæc verò integritas illo primo deſcribitur præcepto, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. illa autem altera officiorum faciendorum pars poſtremis eiuſdem præcepti indicatur verbis, Et ex omnibus viribus tuis: ſiue, vt Hebraicè eſt, בכל מאורך *in omni valdè tuo. quod Gallicè aptè dicitur, En tout ton mieux. Atque vtrique huius veri ac probandi cultus parti expoſitionē addit Ioſue aptiſſimam,* perfecto corde atque veriſſimo. *Cordis perfectio internam pietatem ſpectat: Hebraicè* BETHAMIM, *in integritatibus & ſimplicitatibus; quæ vox nihil vitij, aut fallaciæ, aut ſimulationis ac doli admittit, Hiſpanicè* ſanamente. atque veriſſimo: *Verbum hoc ad omnia, quæ ex pietate proficiſcuntur, officia referendum eſt, in quibus illud eſt caput, cognoſcere cuiuſmodi nam Dei natura voluntasq́; ſit, & quemadmodum ea ſit colenda, atque ab ea ratione & norma ne latum quidem vnguem diſcedere. Hoc Hebraicè dicitur* BEEMETH, *In veritate & conſtantia; hoc eſt ritè, purè, nullis admixtis partibus quæ vanum, vel inanem, vel ſuperſtitioſum redoleant cultum. Atqui veritatem hanc ex ipſis à Deo præſcriptis & à Catholica Eccleſia acceptis legibus, præceptis & inſtitutis petendam eſſe, frequentiſſimis admonitionibus per omnes Moſis libros docti fuerant Iſraelitæ. Reſpondet autem hæc integritatis & veritatis poſtulatio illis miſericordiæ ac veritati, quas à Deo aduerſum Iſraelitas exercitas & oſtenſas fuiſſe, tota oratione hac demonſtratum eſt. Secundum epilogi huius membrum, ſuaſio eſt in ipſa complexione contenta. Pertinet autem ſuaſio ad perorationem, quæ duas ſibi partes propriè aſciſcit, videlicet vocem* Nunc, *quam ſacra lingua in dialecticis complexionibus, atque in ſuaſorijs collectionibus frequenter vſurpat. Vt, Nunc ergo filij audite me. & apud Latinos Poëtas:* Prouer.

Nunc ergo iuuenis ſpecie lætare tui, quem- Iuue.Sat.10.
Maiora expectant diſcrimina. & Hor.Epod.
Nunc nunc adeſte, nunc in hoſtiles domos
Iram atque numen vertite.

Quibus in locis vocula hæc & opportunitatem ex antecedentibus natam ſigni, & ad eandem capeſſendam inuitat. Alteram huius ſua-

quia fortior me eſt; ſi quomodo poßim percutere, & eÿcere eũ de terra. Atque ita apparet illum armata manu aduerſus Iſraelitas egreſſum, prius tamen magicas artes præmittere expeririq́; voluiſſe, ad hoſtes territandos, turbandos et eneruandos primùm; deinde verò nullo vel exiguo negotio fundendos. Atque ita aduerſum vos non humanæ modò opes comparatæ ſunt, ſed eæ etiam, quæ humanam excedunt ſortem & virtutem: quibus tamen omnibus vos meo ſingulari beneficio ſuperiores euaſiſtis cum ampliſsima exiſtimationis veſtræ acceſſione, cumq́; magno præconio meæ erga vos volũtatis ac tutelæ. Et ego nolui audire eum, *quamuis vobis imprecari & ſuis artibus nocere cupientem: ita & arte & animo aduerſum vos omninò paratus, repulſus tamen à me fuit, manifeſto argumẽto vanitatis et inefficacitatis carminum, incantamentorum, veneficiorum, & huiuſmodi nocendi artium omnium, non permittente me; nedum omnia in meorum vtilitatem conuertente, vt erga vos factum eſt, Bilghamo nõ moribus & ſtudio, ſed metu mei pro diris fauſtiſsimas preces, & ſecunda carmina aduerſum vos canente. Atque hoc duplici cauſa à Deo factum nobis videtur, tum vt propoſitum ipſius de Iſraele ornando & amplificando maneret; tum verò ne, ſi Bilghamus populo illi infauſta ac dira precari permitteretur, quæ aliquãdo ob peccata & ſcelera pœnæ luẽdæ eſſent, ex Bilghami imprecatione magis quàm ex Dei vlciſcentis conſilio ac iudicio petitæ, vel ipſis Iſraelitis, vel alÿs etiam gentibus putarentur. Ideò omnibus partibus ac modis ſuam illam ſingularem erga Iſraelitas prouidentiam aſſertam voluit Deus. Quod verò non modò vt non imprecaretur Bilghamus, verùm etiam vt bene, fauſtè & feliciter precaretur conſtituerit Deus, eò pertinuit, vt tam ÿ, à quibus incantator conductus fuerat, quàm vicini omnes terrerentur tot ſecundiſsimis de Iſraele prædictionibus auditis. Quippe gentibus illis opinio grauiſsima inſederat efficacitatis carminum & imprecationum illius Magi, in quamcunque ille partem animum atq. artem intenderet. S.S.E. Noui enim quòd benedictus ſit, cui benedi-*
Num. 22. „ *xeris; & maledictus, in quem maledicta congeſſeris. Neceſſe verò fuit illos perterrefieri audientes & ſentientes magno ſuo ipſorum ſumptu & apparatu, nimirum tot aris extructis, tot hoſtÿs cæſis, muneribus hariolo promißis ac datis, tamen feliciter ominatum & imprecatum eſſe ÿs, quibus maximè nocere cupiebant. S.S.E. Iratusq́; Balac*
contra

contrà Balaam comploſis manibus ait: Ad maledicendum inimicis "
meis vocaui te, quibus è contrario tertiò benedixiſti: Reuertere ad "
locum tuum. Illud verò quod ſubiungitur, & liberaui vos de manu eius: *non de infauſtis ac diris precibus & incantationibus, ſed de illo callido ac ſceleris periculiq́ pleno conſilio interpretamur, quo Bilghamus auctor Moabitis fuit, inuitatos & prouocatos ad laſciuiam, voluptatem & ſuperſtitionem Iſraelitas corrumpendi, hoc pacto ab illa ſingulari Dei prouidentia repudiandos: quod cõſilium niſi Deus fregiſſet, peſſimè Iſraelitis iam iam cedere cœperat. Itaq. quod arte, verbis & incantationibus efficere Bilghamus non potuerat, mala mente maloq́ animo pernitioſa doctrina & reipſa facere tentauit.* de manu eius, *Amorrhæi videlicet, qui Bilghami doctrinã ſecutus Iſraelitas non vi ac bello protrudere, non iam incantamentis vincire & perturbare, ſed delicijs corrumpere ac perdere parabat. Itaque ſingulis beneficiorum Dei capitibus plura membra adnexa ſunt, omniaq́ admiranda, & vltra commune prouidentiæ exemplum ponenda. Atque hactenus antiquiora beneficia paulo altius repetita & fuſius recenſita ſunt, quæ videlicet ijs ipſis, qui audiebant, & ſi non omnibus, (nam multi ex illis iuniores adhuc erant) pluribus tamẽ ex ipſis vnà cum parentibus vſu venerant. Nunc verò deinceps recentiora, & omnibus, quibus ſermo fiebat, notiſſima non tam commemorantur, quàm breuiter & ſtrictim indicantur: ideoq́ nobis explicãdo attentius diſſerenda videntur.*

Tranſiiſtisq; Iordanem, & veniſtis ad Iericho: pugnaueruntq; contra vos viri ciuitatis eius, Amorrhæus, & Pherezæus & Chananæus, & Hethæus & Gergeſæus, & Heuæus & Iebuſæus, & tradidi illos in manus veſtras.

O M N I V M *beneficiorum Dei, eorum, inquam, quorum recẽs adhuc & penè præſens memoria erat, quam breuiſſimam ſummam orator fecit; eam verò quamquam Latinè implicitam exiſtimemus, Hebraicè tamen diſtinctam, ſuis punctis ac diſiunctionibus agnoſcimus. Circumſtantias verò ſingularum rerum auditoribus exiſtimandas reliquit, ſcientibus videlicet, ac teſtibus & cõpotibus omnibus. Nemo enim ex illis erat, qui Iordanis reducti & conſiſtẽtis miraculum ignoraret, & quemadmodum ipſe vadum ſiccis pertranſiſſet pedibus, obliuiſci potuit nemo. Quare ſatis fuit dicere,* trãſiiſtis Iordanẽ.

Deinde omnes norant qua ratione, quibus modis Iericho vrbs capta dirutaq́; fuiſſet, non armis, obſidione, aut machinis, ſed volentis ac iubentis Dei verbo repentè muros corruiſſe omnes, Iſraelitis ex præſcripto ſeptimùm conclamantibus. Hoc etiam miraculo & ſingulari prouidentiæ adſcriptum. Animaduertendum verò eſt, ex ijs miraculis, quæ commmemorantur, quædam in vſum Iſraelitis edita, quædam verò in expeditionem. In vſum ea ſunt, quibus illi fruebantur, vt Iordanis tranſitus, Ierichuntis ruina ad facilem irruptionem: Cetera verò in expeditionem facta dicimus, quæ aduerſus gentes edita ſunt propter Iſraelitas, cuiuſmodi ſunt pugnata bella, perterrefacta hoſtium corda, grandines, imbres, & cetera, quæ in ſacris narrantur hiſtorijs, & manifeſtam Dei erga Iſraelitas in poſſeſſionem illarum regionum mittendos curam ſingularemq́; prouidentiam oſtendebant. Iam verò Latina lectio, Pugnaueruntq́; contra vos viri ciuitatis eius, Amorrhæus, *&c. negotium Interpretibus faceſſiſſe videtur, quandoquidem (vt D. Auguſtinus adnotauit) nullos ex Ierichunte ad pugnam prodijſſe conſtat, ſed omnes obſeratis portis intra vrbem contentos magnoq́; perterritos metu antè fuiſſe occupatos & oppreſſos, quàm vel arma capiendi ſpatium, vel locum habuiſſe, corruētibus muris omnibus vndique; & aſcendit vnuſquiſq. per locum, qui cōtra ſe erat, & ceperunt ciuitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem. Atqui quòd portis clauſis ſeſe tutandos exiſtimarint Ierichuntenſes, quòd nullos de pace legatos miſerint, pugnæ genus fuiſſe D. Auguſtinus declarat, idq́; verè ac diſertè. Siquidē vrbium locorumq́; aliorum munitiones ea parantur cauſa, vt vel irruētium hoſtium impetum frangant, vel conatus tamdiu retardent, quoad vel amicorum inuocentur ſubſidia, vel ad tolerabiles conditiones vtrimque deſcendatur. Hoc verò negotium nullum Iſraelitis factum eſt, Deo vrbem expugnante, ac muros diruente, atque ita ea belli ſuſtinendi ratio quam Ierichuntini inierant, omninò vana atque irrita euaſit. Hoc igitur modo locus ex D. Auguſtini interpretatione exponetur. Verùm enimuerò cùm apertè hoc loco nominentur gentes eæ, quæ bellum Iſraelitis intulère, atque verbum* pugnare *vſurpatum ſit, vlterius etiam ratio hæc progredi nobis videtur. Namq. in Ierichuntis expugnatione nulla gentium harū mentio facta eſt, ſed regis tantùm cum ijs, qui intra muros erant.*

Sup. 6.

Auguſt q. 24. in Ioſ.

erant. Nec ante vrbem captam prælium vllum commiſſum fuiſſe legimus, nec in expugnanda vrbe dimicatum, nec poſt eandem captam vllo modo propugnatum, imò totum negotium confectum eſt, vbi vrbem Iſraelitæ occupauere. Atque hanc rem illa tantùm lectionis pars abſoluiſſe nobis videtur, veniſtis ad Iericho. *Ingreſſi, inquit, eſtis Ierichũta, eademq́; opera cepiſtis & excidiſtis. Atqui ſeptem illas gentes cum Iſraelitis pugnaſſe, & Ioſue narrat, & nos lectionis huius ſimplicitati inhærentes credimus, &, vt videmur, exponere poſſumus, illud repetentes, hæc recentiora beneficia à Ioſue breuiſſimè vt notiſſima indicari, magis quàm numerari; deinde verò verborũ Hebraicorum rationem ſecuti. Vbi in noſtra Latina verſione legimus,* Viri illius ciuitatis, *& in Græca* οἱ κατοικοῦντες Ἱεριχὼ, *Hebraica lectio habet* BAGHALAE IERICHO. *Eſt autem nomen* BAGHAL *ſignificationis latiſſimæ, quam Latinus aliquando Viri, hoc eſt mariti, aliquando domini, nonnunquam principis, interdum numinis, patroni, & ſimilibus nominibus exprimit: non rarò autem Latinis literis, quantum id fieri poteſt, Hebraicã vocẽ relinquit Baal, Baalim. Sũma vero ſignificatione ſi complecti rẽ volumus, eum* BAGHAL *vocari dicemus, Ad quẽ rei cuiuſpiã ratio auctoritáſque pertinet. Hiſp. aliquando* amo, *aliquando verò* dueño *in ſimili ſignificatione vſurpatur. Sic enim dici vulgò ſolet,* eſte negocio tiene dueño. Et donde no eſta ſu dueño eſta ſu duelo: *Italicè aptè etiam dicetur, Patrone, Gallicè Le maiſtre de quelque choſe. Germanicè* den meiſter. *Iam verò rem ipſam conſideremus. Ierichunta vrbem primam omnium in Cananæorum regionibus contra ortum Solis non longè à Iordane ſitam, ceterorum omnium regnorum velut ianuam fuiſſe exiſtimare oportuit, quæ prima à vicinis vel remotioribus gentibus bellum regioni allaturis inuaderetur, & periculum atque impetum prima ſuſtineret: hac expugnata & capta, interiora terrarum trepidare neceſſe erat. Quamobrem, quamquam ſuum illa regem, à quo gubernaretur ac defenderetur, haberet, ceteros tamẽ omnes ex Canaano oriundos reges, vt cognatos & affines inter ſeſe communium rerum ac periculorum cauſa in huius vrbis tutelam, propugnationẽ, ac defenſionem & vltionem olim conſpiraſſe par fuit, atque illius cauſam communiter ſuſcepiſſe: Itaque illos & ſua & regis atque gentis cauſa patronos (vt ita dicamus) vrbis illius fuiſſe, quos hæc*

lectio

lectio BAGHALEI *Iericho primùm appellat, deinde verò nominatim recenſet. Hi cùm Iſraelitas vltra Iordanem eſſe intellexiſſent, nec certiores eſſent facti quo loco, aut quo tempore flumen illis eſſet tranſmittendum, illa tempeſtate exundans, anctores fuere Ierichuntis regi, vt vrbem ſuam, natura & opere ſatis munitam, clauſis portis, diligente cuſtodia & armatis ciuibus auxiliaribusq́, ſi qui intus eſſent, receptis etiã intra mœnia iumentis conſeruaret, quoad vel pernoſceretur Iſraelitarum conſilium, vel aliqua ratione obſeruaretur. Ipſi verò quamquã omnes & ſibi ſingulariter omni regione communiter metuerent, omnia tamen parabant quæ ad propugnationem opportuna ac neceſſaria exiſtimabantur, vtpotè ſtrenui aliàs viri, & belli ſtudijs atque artibus aſperrimi; prætereà etiam certi minimè cedere Iſraelitis, verùm ſuas omnino vires experiri, quantumq́ poſſent eniti proprias res defenſuri & expugnaturi; maximè verò cùm propter ſcelera & peccata antè patrata & exercita conſuetudine ac moribus firmata in eam contumaciam deueniſſent, vt pœnas à Deo terrarum principe minimè deprecari ſtuderent, ſed omnem potius cogitationem ad ſeſe tuendum defendendumq́ traducerent. Verùm enim verò conſilium fuit, non antè Iſraelitas bello adoriri, quàm eorum conſilia cognoſcerent, & ex ipſis incœptis intelligere poſſent quorſumnam tenderent, quas res, & quemadmodum, agerent. Atqui ſubito accepto nuntio Iericuntini excidij, & celerrimæ vaſtationis illius vrbis, quam ipſi primam & munitiſſimam, omniumque regnorum ceterorum ianuam ducebant, tunc tanti præſidij ruina percuſſi ac ſibi vehementius metuentes, nihil vlterius cunctandum cenſuere, ſed conſilijs, viribus & opibus coniunctis Iſraelitarum irruptioni in ipſis initijs obſiſtendum antequàm plus detrimenti eſſet acceptum, vrbibus alijs ſingillatim amittendis atque ex conſequenti opibus imminuendis. Verùm cùm iam ad eam rẽ ſeſe omnes animaſſent & comparaſſent, accepta de Gabaonitarum calliditate fama, intercepti ſunt, & coacti interim bellum in Iſraelitas differre, dum defectionem vlciſcerentur illam, atque pœnarum à Gabaonitis repetendarum exemplo ceteras vrbes & gentes omnes in officio atque in pacti fide continerent; non permittentes vt magis domeſticis defectionibus & ſeditionibus, quàm externi hoſtis depugnationibus ipſorum res peſſundatæ corruerent. Verùm enim verò res omnis ita diuina*

prout-

prouidentia gubernabatur, vt in ipſa Gabaonis obſidione omnes ſimul interirent, qui Dei de Iſraele propoſitum & inſtitutum turbare aut impedire conabantur. Omnia hæc ſic nobis deducta non modò rerum geſtarum ſeries ac temporum obſeruata ratio, & cognitio exitus ſingulorum, verùm ipſa quoq. ſacra lectio declarare videtur iis, qui quo loco quid ſcriptum ſit, diligenter attenderint. Nam poſt narratum Ierichuntis excidium & Hai proximæ paruæ vrbis incendium, ſic legimus: Quibus auditis cuncti reges trans Iordanem, qui verſa- Sup.9.
"*bantur in montanis & campeſtribus, in maritimis & littore magni*
"*maris: Hi quoque, qui habitabant iuxta Libanum, Hethæus & A-*
"*morrhæus, Chananæus, Pherezæus & Heuæus & Iebuſæus, congre-*
"*gati ſunt pariter vt pugnarent contra Iſrael vno animo eadémque*
"*ſententia. Ita facilè cognoſcimus gentes illas quarum aliàs plura, aliàs pauciora nomina recenſentur, atque omnes vnica appellatione Cananæi dicuntur, Iſraelitis obſiſtere non ſolùm conſtituiſſe, verùm cœpiſſe etiam, ac demùm pugnam feciſſe; quamquam non eodem loco ac tempore quo conſtituerant, ſed apud Gabaonē vrbem, ad quam omnes capiendam & vlciſcendam conuenerāt, inde victores, & vlti bellum in Iſraelitas ab initio intentum conuerſuri. Ideò verò poſt narratam illarum gentium in Iſraelitas coniurationem & conſenſionem, Gabaonitarum hiſtoria ſubiuncta attexitur. At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Ioſue, Iericho & Hai, &c.*

Miſiq; ante vos crabrones: & eieci eos de locis ſuis, duos reges Amorrhæorum, non in gladio & in arcu tuo.

MAXIMA *Dei tum virtus, tum ſapientia hoc verſu laudatur, cuius conſilio atque efficientia, bella omnia expedita conſtitutaq; fuerint quàm celerrimè, quæ nullis artibus, aut viribus humanis quamuis longiſſimo tempore confici potuiſſent. Atqui conſilium & ſingularis virtus Dei iis præcipuè probatur argumentis, quæ nec ex communi naturæ exemplo, nec ex humanis artibus deduci poſſunt. Quòd bello, quòd diuturnis morbis populariter graſſantibus longiſſimaq; fame populus quiſpiam abſumatur, vel hominum dexteritati & potentiæ, vel aſtrorum infortunio, vt vocant, vel alij cuipiam naturæ mutationi, aut viciſſitudini adſcribet nimirum humana ratio et ſapientia illa quam phyſici profitentur. Quòd verò per exiguas res*

magna perdantur & conſumantur, idq́; maxima celeritae; niſi diuinitus effici poſſe argumentari nemo ſapientum mundi valet. Neceſſe enim eſt primùm ſtatui vim ſpiritúmqe rebus exiguis, lōgè quàm natura præſtare ſoleat, maiorem ineſſe ad eas conficiendas res, quæ confici ipſis aliàs minimè poſſent. eum autem ſpiritum naturæ exemplo præſtantiorem à præſtantiore quàm naturæ virtute immiſſum, fateri conuenit: ea autem virtus diuina eſt. Ita cùm Aegyptij, quorum ars, induſtria & ſcientia non ſolùm aduerſus beſtiolas, culices, muſcas, ranas & eiuſmodi peſtes remedia parare noſſet, vt conopæos, retia, & cetera quæ illis iam familiaria ipſo vſu erant, ſed ipſi quoque magicis artibus eiuſmodi monſtra proferre & extinguere etiam poterant, iiſdem tamen ipſis rebus leuiſsimis ac paruis miſerè pereunt: omni fruſtrà tentato remedio, neceſſe eſt cogantur confiteri digitum Dei illum eſſe; maximè verò quòd ſibi ea omnia infeſta, alteri verò qui ſecum pariter iiſdem locis degebat, populo minimè nocere ſentiant. Idem quoque & alterum populum alterius gentis pereuntis immunem ſpectatorem confiteri oportet. Atque huiuſmodi argumento gentem ſuam ſapientiſsimus Moſes monens, ad gratulationis, fidei & pietatis conſiderationem & ſtudiū inſtruebat, atq. ad futurarū victoriarum ſpem expectationemq́; animabat. S. S. E.

Deut. 7.

„ *Auferet Dominus à te omnem languorem, & infirmitates Aegypti*
„ *peſsimas, quas noniſti; non infert tibi ſed cunctis hoſtibus tuis. De-*
„ *uorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus eſt tibi. Nō*
„ *parcet eis oculus tuus, nec ſeruies diis eorum, ne ſint in ruinam tui.*
„ *Si dixeris in corde tuo, Plures ſunt gentes iſtæ quàm ego, quomodo*
„ *potero eas delere? Noli metuere, ſed recordare quæ fecerit Dominus*
„ *Deus tuus Pharaoni & cunctis Aegyptiis, plagas maximas, quas*
„ *viderunt oculi tui, & ſigna atque portenta, manumq́; robuſtam, et*
„ *extentum brachium vt educeret te Dominus Deus tuus: Sic faciet*
„ *cunctis populis quos metuis. Inſuper & crabrones mittet Dominus*
„ *Deus tuus in eos, donec deleat omnes, & diſperdat, qui te fugerint,*
„ *& latēre potuerint. Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in me-*
„ *dio tui eſt; Deus magnus & terribilis: ipſe conſumet nationes has in*
„ *conſpectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pari-*
„ *ter; ne fortè multiplicentur contra te beſtiæ terræ. Dabitq́; eos Do-*
„ *minus Deus tuus in conſpectu tuo, & interficiet illos donec penitus*
delean-

*deleantur: Tradétque reges eorum in manus tuas, & diſperdes no-
mina eorum ſub cælo: Nullus poterit reſiſtere tibi, donec conteras
eos. Atqui exemplorum & promiſſorum horum, quæ Moſis ora-
tione propoſita ſunt, conſtantiam & veritatem hoc verſu Ioſue com-
probat; oſtendens non modò prodigia, ſigna maxima, quæ in Ae-
gyptiorum perniciem edita fuerant, aduerſum has quoque gentes
fuiſſe magnis exemplis renouata, vt in Iordanis tranſmiſſione, in
Ierichuntis excidio, in illorum Cananæorum populorum ac regum
internecione, cùm Dominus miſit ſuper eos lapides magnos vſque ad* Sup. 10.
*Azecha, & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis quàm quos
gladio percuſſerant filij Iſrael. Steteruntq́; ſol & luna donec vlciſce-
rentur ſe gens de inimicis ſuis. Non fuit antea & poſtea tam longa
dies, obediente Domino voci hominis & pugnante pro Iſrael. Non
ſolùm, inquam, huiuſmodi portenta fuiſſe edita, verùm & cetera
omnia, quæ in promiſſo certis notis definita fuerant tam maxima
quàm exigua omnia conſtitiſſe: nempe crabronum immiſſiones, quo-
rum venenatis ictibus ij periere qui Iſraelitas fugere aut latère mo-
liebantur: Atque etiam regum neces, cùm non ſolùm illi, qui ex ſpe-
lunca ad ſupplicium producti fuere, & alij complures ad vigeſimum
quartum vſque breuiſſimo tempore occiſi ſunt, ſed vltra hos etiam
quos promiſſi definitio cõtinebat, duo additi fuerint celeberrimi et po-
tentiſſimi Amorrhæorum: Non quòd ij ſtudio aut virtute Iſraeli-
tarum fuerint expugnati, ſed quòd vltro bellum offerentes fuerint
Iſraelitis à Deo traditi & vltra promiſſos conceſſi. S. S. E. Dixitq́;* Num. 21.
*Dominus ad Moyſen, Ne timeas eum, quia in manus tuas tradidi
illum, & omnem populum, & terram eius: faciésq́; illi, ſicut feciſti
Sehon regi Amorrhæorum habitanti in Heſebon. Itaque omnia, quæ
in promiſſis nominatim expreſſa fuerant, certiſſimè illis contigiſſe
aſſeuerat orator, non viribus aut ſtudijs, aut alijs ipſorum artibus,
verùm vnius Dei voluntate & promiſſorum efficientia. Quãquam
enim in rebus agẽdis bellisq́; cõficiẽdis Iſraelitæ armis vſi fuerint, ac
præſertim gladijs; tamẽ conficiẽdæ auctoritas rei vnicæ Dei volẽtis
efficacitati tribuitur. S. S. E. Nec enim in gladio ſuo poſſederũt ter-* Psalm. 14.
*rã, & arcus eorum non ſaluauit eos; ſed dextera tua & brachiũ tuum
& illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis. Itaque ad
duo illa ſingulariter in illas gẽtes edenda exempla, præter cetera, quæ*

cum ſignis apud Aegyptũ editis ex ſimilitudine componi potuere, c memoratio hæc à nobis refertur. Memineris, inquit, ea etiam ſingulariter promiſſa fuerant de crabronum immiſſione, & reg occiſione cumulatè etiam tua cauſa præſtita. Duos reges Am rhæorum non in gladio tuo *occiſos. Nã gladius tuus illarum ge tium viribus & armis impar fuiſſet.* non in arcu tuo, *qui nul erat. Siquidem ſagittarum vſus nõ ita communis ante Dauidis te*

2.Reg.1. *pora Iſraelitis fuiſſe, ex illo loco arguitur: Planxit autem Dau*

" *planctum huiuſmodi ſuper Saul & ſuper Ionathan filium eius, e*
" *præcepit vt docerent filios Iuda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro I*
" *ſtorum. Crabronum verò Latino vocabulo ſiue Hebraico* Tſirgha *quod huiuſmodi pennata & aculeata inſecta ſignificat, an pro ipſ beſtiolarum natura (quarũ nulla in his bellis facta mentio eſt) vſur patum fuerit, an ex figura aliqua dicendi productum, Interprete hoc loco inquirere ſolent. Quòd ſi cuipiam tranſlationis ratio placeat nulla profecto res hoc verbo explicari commodius poſſit, quàm fama et rumores per omnia loca diſperſi rerum omnium per Deum Iſraelis cauſa in aliarum gẽtium perniciem effectarum, quæ Cananæis acreis*

D.Auguſt. *terroris aculeos, vt Diuus Auguſtinus interpretatur, infixerant: maximè verò nuntio accepto recentis cladis Amorrhæorum; idq́ aſtrui*

Sup.2. *poteſt inſigni illa Rahab confeſſione: Audiuimus, quòd ſiccauerit Do-*

" *minus aquas maris rubri ad veſtrum introitum, quando egreſſi eſtis*
" *de Aegypto, & quæ feceritis duobus regibus Amorrhæorum, qui erãt*
" *trans Iordanem, Sehon & Og, quos interfeciſtis. Et hæc audientes*
" *pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus*
" *ad introitum veſtrum: Dominus enim Deus veſter ipſe eſt Deus in*
" *cælo ſurſum, & in terra deorſum. Nobis verò lectionis & ſignificationis ſimplicitatem, quatenus rerum ac temporum ratio ferre poſſit ſecutis, vocabulum hoc pro ipſa beſtiolarum natura hoc loco vſurpatum exponitur, maximè verò præcedente promiſſo per Moſen vatem decantato, cuius promiſſi ſententia ac verbis duo hæc ſingulariter apud gentes illas obſeruanda proponebantur, atque immittendorum crabronum cauſa indicabatur. Nec enim Moſes dixerat mittendas huiuſmodi beſtiolas, quæ gentium animos perterrefacerent, ſed quæ eos, qui transfugiſſent, quiq́ latêre voluiſſent, infeſtiſſimis & crebris venenatorum aculeorum ictibus perderent; ita vt Cananæi om-*

nes,

nes, quacunque Iſraelitis pes conferretur, vel bellica ſtrage, vel harum peſtium vi interirent; atque ita habitaturis terra, priore cultore omninò vacua expeditaq́ conſtaret. Hanc etiam à Moſe expoſitam cauſam auctor libri Sapientiæ commemorat, atque adeò vlterius interpretatur; miſericordiæ pariter ac iuſtitiæ diuinæ adſcribens, quòd gentes illæ huiuſmodi beſtiolarum ictibus fuerint demùm cõſumptæ. Atque hactenus beneficiorum ſumma commemorata eſt eorum, quæ ab ipſo promiſſa præſtandi initio vſque ad poſſeſsionem terræ dandam, perpetuò continuato nullis difficultatibus interturbato ordine exhibita fuerint. Iam verò, qualiſnam poſſeſsionis inchoandæ & ineundæ ratio vſusq́ contigerit, exponitur demum.

Deditque vobis terram, in qua non laboraſtis, & vrbes quas non ædificaſtis, vt habitaretis in eis: vineas & oliueta quæ non plantaſtis.

NON *modò terræ expugnationem, quæ aliàs vel nunquã, vel non niſi maximis ac diuturnis bellorum diſcriminibus, detrimentis & periculis capi potuiſſet, verùm etiam poſſeſsionem, imò & poſſeſsionis vſuram ipſam nullo illis labore, nullo diſpendio, nulla temporum aut tempeſtatum expectatione, nullo denique tædij genere conſtitiſſe ait Deus; idq́ vnico ſuo conſilio & beneficio datum commemorans aſſeuerat. Nuſquam enim accidiſſe legimus aut audiuimus, vt regio aliqua, quæ proprio atque indigena cultore pulſo ab externo hoſte capta fuerit, ſua integritate conſtiterit, vel per plures etiã annos priſtinam tum vrbibus & oppidis ipſis, tum agris faciẽ recuperauerit. Quandoquidem bellorum diuturnitas & inſolentia exterius obuia quæq́ vaſtat, deſtruit, incendit, diruit & euertit. S.S.E. Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni, regionem veſtram coram vobis alieni deuorant; & deſolabitur, ſicut in vaſtitate hoſtili. Interius verò cultorum & habitantium partim egeſtas & oppreſsio, partim incuria & neglectio, omnia conſumit; demum deſperatio & inuidia, optima, commodiſsima atq. vtiliſsima quæq. demolitur, & pulcherrima diſturbat, dum modò tempus interſit, quoad vel quam celerrimè fieri poſsit; ne quid pulchrum, vel gratum inuiſi hoſtis vſibus relinquatur. Nam & ciuilium bellorum temporibus, cùm eiuſdem gentis pars alteri parti propter potentiam cedit; ea tamen, quæ citra vllum belli aut pugnæ periculum pellitur, vehementer dolet ſuas res ijs* Iſai. 1. " "

in vſum cedere, à quibus minimè cultæ fuerant: cuiuſmodi querimoniarum exemplum illud eſt:

Impius hæc tam culta noualia miles habebit,
Barbarus has ſegetes? en quò diſcordia ciues
Perduxit miſeros: en queis conſeuimus agros!
Inſere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites.

Et tamen hæc inter conciues & eiuſdem nominis ac ditionis gentes citra vllam pugnam, ex victricis partis imperio acta fuerant, quæ ab altera parte ſi adeò metuerentur aut præuiderentur, nullo pacto victoribus integra rerum conſtaret poſſeſſio, ſicut et ille alius ſuarum rerum calamitatem deplorans haud obſcurè ſignificabat:

Virg. Eclo. 9. O Lycida, viui peruenimus, aduena noſtri,
Quod nunquam veriti ſumus, vt poſſeſſor agelli
Diceret; Hæc mea ſunt, veteres migrate coloni:
Nunc victi, triſtes; quoniam ſors omnia verſat.
Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hœdos.

Verumenimuerò Iſraelitis præter omnia omnium terrarum ac temporum exempla feliciſſima cuncta ſe auctore contigiſſe Deus ait, vtpote quibus non modò expugnatio breuis, facilis & omnino tuta conſtiterit, ſed ipſa quoque vrbium, agrorum, regionumq́; poſſeſſio libera, immunis, integra, prorſusq́; beata conceſſa fuerit, vrbibus intactis, muris domibusq́; eleganter fabricatis, atque refertis omni ſupellectilis & commodorum genere; agris, vinetis, hortis & ſyluis amœniſſimis & fertiliſſimis, fructuq́; exuberantibus; ita vt ipſis occupantibus præterquàm frui, nihil præterea reliquum fuerit agendum. terram in qua non laboraueratis. *Hebraicè ſic habet,* Dedi vobis terram in qua non laboraueras: *cuiuſmodi idiotiſmus, quòd interpretibus nonnullis durior videatur, certa nobis obſeruatione emolliẽdus eſt, rationem ex dialectica animaduerſione petentibus. Ea huiuſmodi eſt: Pluralis numerus plurali ſignificatione acceptus totum genus complectitur quidem, ſed non ſemper ſingularia omnia ſub ſe contenta, maximè verò cùm res ipſa non ex neceſſitate, nec ex natura petitur, ſed ad accidentis genera quoquo modo referri poteſt. Sic illud à Ieſu præceptore enuntiabatur: Vos mundi eſtis: quod idẽ eueſtigio declarauit; ſed non omnes. Itaque non Omnis, pluralis numerus omnia ſignificat quæ cõtineri ſub ipſo poſſunt, niſi, vt adnotabamus, res de qua agitur ad naturam referatur: vt illud,*

lud, Scrutans corda & renes Deus: nam cùm id Dei naturæ, vt ſic loquamur, proprium ſit, neceſſe eſt fateri omniũ corda & renes Deum ſcrutari. Atqui in ſacra lingua cùm ſingularis numerus plurali affirmando ſubiungitur, omnem exceptionem oratio tollit, atque, vti ſcholaſtici loquuntur, completè ſupponit, ac distribuit: idq́; illi ſic exponunt, vt pro ſingulis generum accipiendum eſſe dicant. Atque obſeruatio hæc ad multa etiam Vulgatæ verſionis noſtræ illuſtanda loca magnam præbebit lucem. Itaque huius orationis, Dedi vobis terram in qua non laboraueras, *illa ſententia eſt, Vobis omnibus eam terram dedi, in qua ne vnus quidem ex vobis laborauerat, atque hoc verè aſſeueratur, & vobis omnibus, & tibi quiſquis fueris qui reſpondere velis. Hoc autem ex ipſa hiſtoriæ lectione adeò clarè conſtat, vt non ſolùm ante occupationem terræ, ſed in ipſo etiam inuaſionis initio alieno labore frui conceſſum etiã illis fuerit. S.S.E. Manſeruntq́; filij Iſrael in Galgalis, & fecerunt Phaſe quartadecima die menſis ad veſperum in campeſtribus Iericho; & comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, & polentam eiuſdem anni: Defecitq́; manna poſtquam comederunt de frugibus terræ, nec vſi ſunt vltrà cibo illo filij Iſrael, ſed comederunt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan. Itaq; à prima vſque fructuum collectione, hoc eſt à Martij menſis fine, quo in calidioribus locis hordeorum & farris vſus capi incipitur, filij Iſrael ijs frugibus vti cœperunt, quibus illa regio incolarum operis & ſtudio culta pollebat: nec vltrà annonam ſibi aliunde conquiſierunt Deo id proſpiciente, qui tradendas vrbes & poſſeſſiones omnes ſic tutatus eſt, vt hoſti pellendo nec animũ ſupereſſe ſiuerit ad regiones ſuas, quas ab iniuſtis poſſeſſoribus vindicare, & alijs adiudicatas tradere inſtituerat, vel tantillum diſsipandas aut contaminandas. Nam præter Ierichunta, quam ipſe ſibi primitiarum nomine ſacrauerat, & Hay Haſſoremq́; vrbes, quas in vltionis exemplum dirui voluit, nullam in tota regione aliam vel euerſam vel ruptam legimus. Atque agros omnes integros, intactos, cultiſsimoſq́; conſtitiſſe, vel nomina ipſa, quæ ſuperius exponebamus, declarant: Quippe nec incolæ ipſi vaſtare valuerunt prohibente Deo, qui omnia moderatur. S.S.E. Et hæc audientes pertimuimus, et elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitũ veſtrum. Dominus enim Deus veſter ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra*

Supr. 5.

Supr. 2.

deorſum

deorſum: nec Iſraelitæ etiam irruentes eas quæ fructum proferrent
Deut.20. *plantas populari lege religioneq́ſalua potuerant. S.S.E. Quando ob-*
„ *ſederis ciuitatem multo tēpore, & munitionibus circūdederis vt ex-*
„ *pugnes eam, non ſuccîdes arbores de quibus veſci poteſt: nec ſecuri-*
bus per circuitum debes vaſtare regionem &c. vrbes quas non ædificaſtis, vt habitaretis in eis. *Aedificatis omnibusq́ ad habitandi vſum commodis rebus instructas illis conceſſas ait, ita præter habitationis vſuram quam optimam capiebant, nihil ipſis occupantibus agendum fuerit reliquum.* vineas & oliueta quæ non plantaſtis. *Hebraicè, Chaldaicè & Græcè vſus etiam ratio commemoratur, ſic,* Oliueta & vineas quæ non plantaſtis vos comeditis. *Atq. his duobus generibus arborum omnium, quæ ad fructum vſumq́ præstandum, culturam, curamq́ humanam poſtulant formæ omnes, vt mediæ, comprehenduntur. Namque olìueta & vineta, præter cetera omnia quæ coluntur vtiliſſima ac præſtantiſſima haberi ſolent, tam fructuum copia & aſſiduitate, quàm bonitate etiam & generoſitate*
Iud.9. *ac duratione, vnde principatum meritò obtinent. S.S.E. Venerunt*
„ *ligna vt vngerent ſuper ſe regem, dixeruntq́ oliuæ, Impera nobis.*
„ *& paulo poſt: Locutáque ſunt ligna ad vitem, Veni, & impera no-*
„ *bis. Hæc etiam ea genera ſunt, quæ præcipua atque aſſidua cultura indigent, quæq́ negligentiam omnem conſequenti ſterilitate ac degeneratione damnant. Vinearum enim plantandarum & conſeruandarum cauſa quantam curam, quantumq́ laborem impendere oporteat, ſacri et prophani auctores, qui ruſticæ rei rationes æſtima-*
Iſai.5. *uere, diſertè docent. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei: Et*
„ *ſepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, &*
„ *ædificauit turrim in medio eius. & paulò poſt: Quid eſt quod vltrà*
„ *debui facere vineæ meæ, quod non feci ei? an quod expectaui vt fa-*
„ *ceret vuas, & fecit labruſcas? Idem etiam ab ijs traditur, qui de plantarum natura & cultu præcepta dederunt:*

Virg.Geor.2

Eſt etiam ille labor curandis vitibus alter:
Cui nunquam exhauſti ſatis eſt. Namque omne quotannis
Terq́ue quaterq́ue ſolum ſcindendum, glebaq́ue verſis
Æternum frangenda bidentibus: omne leuandum
Fronde nemus. redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in ſe ſua per veſtigia voluitur annus.

Verùm

Verùm hoc vinearum natura commodi compendijq́ facit, quòd breui tempore, nimirum intra luſtri ſpacium ferendi fructus gratia pretium operæ diligenter ſe colentibus abſoluit: vulgatum enim eſt Hiſpanico prouerbio, La viña el viejo la pone y el viejo la vendiña. *Contrà verò oliuarum ratio eſt, quæ curam quidē nonnullā, minorem tamen quàm vitis ac minus frequentem poſcit operam: et quamquam vbi excreuerit, vtilitatem afferat non vulgarē, longam tamen ac tædioſam temporis moram expectationemq́ habet. ſic ille ſuis de agrorum & arborum cultu præceptis præfabatur, Nūc te Bacche canam, nec non ſilueſtria tecum Virgulta, & prolem tardè creſcentis oliuæ. Nulla præterea fructiferarum plantarum genera vel cæli, terræ ac temporum iniurijs & caſibus magis obnoxia ſunt, nullaq́ maiore cum damno cultoris vota ſpemq́ eludunt, nulla maiorem dolorem efficiūt, quàm vel vineta, vel olieta; vnde hæc in huiuſmodi commemorationibus prima poni ſolent. S.S.E. Ficus enim non florebit, & nō erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ. & rurſum:* Depo- Habac.3. Ioel.1. *pulata eſt regio, luxit humus, quoniam deuaſtatum eſt triticum, cōfuſum eſt vinum, elanguit oleum. Sunt autem complura iniuriarum genera, quibus intercipi fructus ſolent: vt quæ à Poëta recenſentur:*

Texendæ ſepes etiam, & pecus omne tenendum,
Pręcipuè dum frons tenera imprudénſque laborum,
Cui ſuper indignas hyemes ſolémque potentem
Silueſtres vri aſſiduæ capreæ'que ſequaces
Illudunt, paſcuntur oues auidæ'que iuuencæ.

Atqui his omnibus curis, operis, tædijs & expectationibus, damnis & incommodis immunia omnia tum vineta, tum olieta fructibus faciendis opportuna, fæcunda baccisq́ referta Iſraelitis ad vſum tradita ſuo ſingulari munere Deus illa ſignificat oratione: Vineas, *quæ breuiore tempore maiori cura indigent,* & olieta, *quæ tardius creſcunt.* quæ non plantaſtis, *tamen plantata, educata & fructibus exuberantia vos comeditis. Itaque ab ipſo etiam primo anno, quo regionem ingreßi eſtis:* dedi vobis terram, in qua non laborraueratis. *Quod ad frumentorum annonæq́ copiam facit, eodem anno integro comediſtis de frugibus terræ Canaan.* & vineas & olieta, quæ non plantaueratis, *nunc tantùm annuo labore culta, ab alijs plantata com-*

amet & obſeruet: cetera verò quæ amanda videantur, eodem referat, atque propter Deum amet. Hæc verò integritas illo primo deſcribitur præcepto, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. illa autem altera officiorum faciendorum pars poſtremis eiuſdem præcepti indicatur verbis, Et ex omnibus viribus tuis: ſiue, vt Hebraicè eſt, בכל מאורך *in omni valdè tuo. quod Gallicè aptè dicitur, En tout ton mieux. Atque vtrique huius veri ac probandi cultus parti expoſitionē addit Ioſue aptiſſimam,* perfecto corde atque veriſſimo. *Cordis perfectio internam pietatem ſpectat: Hebraicè* BETHAMIM, *in integritatibus & ſimplicitatibus; quæ vox nihil vitij, aut fallaciæ, aut ſimulationis ac doli admittit, Hiſpanicè* ſanamente. atque veriſſimo: *Verbum hoc ad omnia, quæ ex pietate proficiſcuntur, officia referendum eſt, in quibus illud eſt caput, cognoſcere cuiuſmodi nam Dei natura voluntasq́; ſit, & quemadmodum ea ſit colenda, atque ab ea ratione & norma ne latum quidem vnguem diſcedere. Hoc Hebraicè dicitur* BEEMETH, *In veritate & conſtantia; hoc eſt ritè, purè, nullis admixtis partibus quæ vanum, vel inanem, vel ſuperſtitioſum redoleant cultum. Atqui veritatem hanc ex ipſis à Deo præſcriptis & à Catholica Eccleſia acceptis legibus, præceptis & inſtitutis petendam eſſe, frequentiſſimis admonitionibus per omnes Moſis libros docti fuerant Iſraelitæ. Reſpondet autem hæc integritatis & veritatis poſtulatio illis miſericordiæ ac veritati, quas à Deo aduerſum Iſraelitas exercitas & oſtenſas fuiſſe, tota oratione hac demonſtratum eſt. Secundum epilogi huius membrum, ſuaſio eſt in ipſa complexione contenta. Pertinet autem ſuaſio ad perorationem, quæ duas ſibi partes propriè aſciſcit, videlicet vocem* Nunc, *quam ſacra lingua in dialecticis complexionibus, atque in ſuaſorijs collectionibus frequenter vſurpat. Vt, Nunc ergo filij audite me. & apud Latinos Poëtas:* Prouer.

Nunc ergo iuuenis ſpecie lætare tui, quem- Iuue. Sat. 10.
Maiora expectant diſcrimina. & Hor. Epod.
Nunc nunc adeſte, nunc in hoſtiles domos
Iram atque numen vertite.

Quibus in locis vocula hæc & opportunitatem ex antecedentibus natam ſigni, & ad eandem capeſſendam inuitat. Alteram huius ſua-

ſoriæ complexionis partem imperatiuum verbum eſſe, paulo antè indicabamus. Tertium verò perorationis membrum eſt, depulſio, quæ ex orationis quoque argumentatione colligitur. Namque ex omni beneficiorum commemoratione manifeſtum fuerat, ſolum IEHVEH *ſeſe Iſraelitis rectorem Deumq́; beneficentiſſimum præbuiſſe, ex qua re apertè conſequebatur ceteros omnes, qui apud gentes dij appellarentur, vel id non eſſe quod dicebantur, vel Iſraelitis nunquam fuiſſe vtiles, nullamq́; ipſis vel compendij, vel ſalutis aut commodi partem attuliſſe. Qui ſi aliquid vſquam poſſent, ſuis potiùs cultoribus profuiſſent quàm Iſraelitis. Verùm qui eos à quibus colebantur, nihil iuuerunt, quî fieri poßit aut debeat vt ab Iſraelitis colantur, quibus (ſi quicquam valerent) infenſi atq. infeſti potius quàm propitij eſſent? itaque quocunque nomine illi conſulerentur, abijciendi ac deteſtandi Iſraelitis arguentur. Hæc igitur depulſio illo continetur monitu, &* auferte Deos quos coluerunt patres veſtri in Ægypto & in Meſopotamia. *Ex quadruplici populi huius ſtatu Deorum omniū quorum æſtimari poterat vſus & ratio, quadripartita ſubducitur ſumma. Quatuor enim tempora, atque, vt ita dicamus, quatuor ætates hactenus huic populo fuerant actæ; quarum prima rudis illa, quaſi infantia & barbara confuſio ante vocationem fuerat, cùm horum parentes vltra Euphratem flumē degebant, colentes pro dijs eadem quæ à ceteris Chaldæis obſeruabantur, ſiue aſtra, ſiue monſtra, ſiue vana Deorum nomina. Secunda fuit pueritia, ſiue educatio, vt ſic loquamur, dum populus ille apud Aegyptios propagaretur & creſceret: vbi quamquam Dei veri, à quo delecti eodemq́; loci deducti fuerant, notitiam haberent, tamen praua Aegyptiorum conſuetudine ac familiaritate corrupti, & interdum potētia oppreßi nonnunquam prolapſi ſunt ad eorum obſeruanda numina. Quod quidem ſtudium illis etiam ex Aegypto egreßis non ſemel aut obſcurè fuiſſe renouatū diui-*
Act.7. *nus Spiritus Diuo Stephano interprete exprobrabat: Cui noluerunt,*
„ *inquit, obedire patres noſtri, ſed repulerunt, & auerſi ſunt cordi-*
„ *bus ſuis in Aegyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis deos qui præ-*
„ *cedāt nos: Moyſes enim hic qui eduxit nos de terra Aegypti, neſcimus*
„ *quid factum ſit ei: & vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerūt*
„ *hoſtiam ſimulacro, & lætabantur in operibus manuum ſuarum. Con-*
„ *uertit autem Deus, & tradidit eos ſeruire militiæ cæli &c. Ad quæ*

nimirum

nimirum tempora illa pars pertinet, quos coluerunt patres veſtri in Ægypto & in Meſopotamia. *Hebraica oratio ex verbo redditur,* Et vltra flumen Euphratem, *videlicet, cùm vel in Chaldæa vel in Aramæa regione commorati ſunt. Tertium tempus fuit, quandiu populus hic per ſolitudinem ductus eſt, vbi cùm nullæ aliæ habitarent gentes, nulla numinum nomina audierunt illis regionibus tutelaria dici, nec ipſi aliud præter* IEHVEH *numen agnoſcere potuerunt, cuius præſens maieſtas & virtus ac prouidentia ſingularis interdiu in nube, noctu in illuminatione ignis, atque adeò in tabernaculo illo ſacro cognoſcebatur. S.S.E. Expandit nubem in protectionem* Pſalm.104.
eorum, & ignem vt luceret eis per noctem. Neque verò vllum aliud "
nomen caſtra illis vel mouentibus, vel figentibus per omnia temporis "
illius itinera, quàm vnicum IEHVEH *appellabatur. S. S. E. Cumq́ue* Num.10.
eleuaretur arca, dicebat Moyſes: Surge IEHVEH, *& diſſipentur ini-* "
mici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua. Cumq́ue deponeretur "
arca, aiebat: Reuertere IEHVEH *ad multitudinem exercitus Iſrael.* "
Itaque idem tutelaris propugnator, vltor, idem dux, gubernator & paſtor in vota vocabatur. Quamobrem nulla à Ioſue in oratione hac mentio fit deorum, qui in ſolitudine haberentur. Nam vbi nulli habitabant homines, nulli ne per errorem quidem nominari poterant Dij. Qui enim illis primis diebus in ſolitudine culti fuerant, ad Aegyptiacæ ſuperſtitionis tēpora, vel D. Stephano adnotante, ſunt referendi: præter illam breuem & citò curatam Moabiticæ ſuperſtitionis inſaniam. Supereſt autem quartum tempus, hoc eſt, id ipſum in quo hæc agebantur: cùm expugnatas iam Cananæorum regiones Iſraelitæ incolerent, quarum etiam regionum & vicinarum varij habebantur & colebantur ab indigenis Dij: hos etiam hac depulſione complecti Ioſue voluit: quorum tamen, quoniam nullum hactenus fuerant experti vſum, poſtremo loco mentionem faciendam duxit. Namq. eorum, qui primis duobus temporibus culti fuerant, abuſum inutilem ſibi ſemper, interdum verò calamitoſiſſimum ſenſerant Chaldæorum videlicet atque Aegyptiorum; eius verò, quem ab initio vocationis ad hanc vſque tempeſtatem obſeruauerant; hoc eſt IEHVEH *perpetuam prouidentiam & beneficentiam ſatis abundeq́ue obſeruatam habebant. Supererant illi, quos nondum ipſi nec ipſorum anteà patres coluerant, noui recenteſq́ue huic populo dij, nimirum qui*

ab ĳs colebantur gentibus, quas inimicas infenſasq́; ſibi eſſe conſtabat: cuiuſmodi Deorum qualiſnã & quanta vis & efficientia eſſet, vel ex eo cognoſci poterat, quòd nec ſinguli, nec omnes pariter coniuncti cum regibus populiſque ſuis regiones, quas curare putabantur, vel tueri, vel contra IEHVEH *virtutem & voluntatem defendere valuiſſent. Quorum profectò Deorum, ſi qua mens, aut vis efficacitáſque eſſet, in ſuis gentibus propugnandis, vel non ſine magno Iſraelitarum malo vlciſcendis oſtenderetur: nulla verò hactenus oſtenſa eſt, cùm ſi qua eſſet, oſtendi maximè debuerat. Quibus ex rebus conſequitur, nec illos cultoribus ſuis vtiles, nec inimicis eſſe infeſtos, atque ideò deſpectu deteſtationéque dignos argui: ſuperuacaneũ verò & ſtultiſsimum fore cultum omnem eiuſmodi impenſum Dĳs, quorum nulla auctoritas, vſus nullus, nullum denique probaretur numen. Igitur commemoratis quatuor temporibus & ætatibus illis, quibus de diuina natura ſentire, opinari, & ſtatuere potuerunt, omniúmque indicatis rationibus eorum, qui vel dicerentur vel dici poſſent dĳ, atque collata omnium conſideratione cum manifeſta ipſis* IEHVEH *virtute iudicĳ ſtateram ipſis, apud quos verba faciebat, examinandam prudentiſsimus Ioſue permittit, deliberaturis videlicet an id ſequi conueniat, quod ſuaſoris mens atque animus intendit, an aliò deflectere expediat.*

Sin autem malum vobis videtur vt Domino ſeruiatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet: cui ſeruire potiſſimum debeatis, vtrum diis, quibus ſeruierunt patres veſtri in Meſopotamia; an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: Ego autem & domus mea ſeruiemus Domino.

OPTIONEM *hanc interpretes alĳ ad populi explorandam voluntatem & animi propenſionem ab oratore datam exiſtimant; id eſt ad arbitrium cognoſcendum circa probãdos vel improbandos cultus: eam verò non ſeriò, ſed tentandi cauſa fuiſſe factam cum ſpe boni opportuniq́; reſponſi hanc rogationem excepturi: Nos tamen non tantùm ad cultus delectum, quantum ad populi iudicium & ſenſum exquirendum pertinere verba hæc cenſemus. Hactenus namque ſeſe* IEHVEH *Iſraelitarum Deum omni periculo facto, omni veræ diuinitatis & prouidentiæ explorato examine probauerat, ſi non alĳs fortaſsis, at ipſi Ioſue maximè, qui huius cauſæ interpres internuntiusq́;*

tiusq́ fuerat conſtitutus. Reliquum autem erat diſpicere quemadmodum cauſa hæc populo excepta eſſet, an ſe ipſi IEHVEH *obligatos agnoſcentes totos in illius colendi ſtudium traderent, iiſdem rationibus inducti, quibus* IEHVEH *ſuam cauſam confirmauerat: an vulgari ac temerario ſenſu acti aliud quippiam cogitarent. Hæc verò ratio vt commodius explicetur, paulo diligentius eſt à nobis tractanda. Humanus animus ad aliquid optandum & appetendum, aut expetendum duce indiget, à qua poſtquàm perſuaſus fuerit, non modo ducitur, ſed interdum agitur, nonnunquam verò etiam impellitur quodammodo: Atque mentem hoc in lòco eam animæ partem Latinè dicimus, in qua conſideratio, cogitatio, cognitioq́ eſt; animum verò eam, in qua motus, impulſio, atque ad res agendas propenſio ſtudiumq́ ſpectatur. Vtroque autem nomine mentis & animæ duæ illæ ſignificantur portiones, quæ ſcholaſtico ſermone intellectus & voluntas vocitantur. Sic ille apud Comicum de Dauo, Mala mens, malus animus.* Terent. in Andr. *& apud Satyricum Offellus: Rancidum aprum antiqui laudabant, haud quia naſus Illis nullus erat, ſed credo, hac mente, quòd hoſpes, &c. Et quamquàm vocabula hæc à ſcriptoribus promiſcuè interdum vſurpentur, tamen ex linguæ germano vſu conſtare nobis debent, maximè verò vbi de rebus diſtinctè fuerit diſſerendum. Igitur in omni humanæ vitæ actione mentem præire, animum ſubſequi neceſſe eſt, deinde verò conatum parari. Atqui mens cùm cæca non ſit, ſed diuini luminis & particeps & capax ad conſilium capiendum, ratiocinatione vtitur: ratiocinatio autem ex duabus viis alteram tenet: Aut enim ſua ſponte laborem ſubit, vt res, rerumq́. initia, cauſas, euenta, efficientias, & conſequentia inſpiciat, & cernat, atq. hoc modo iudiciū ſibi comparat; aut illo diiudicandi labore carere cupiens, vel leuibus momentis ad cenſendū impellitur, vel aliorū vulgaria hominum premit veſtigia, nihil præterea penſi habens quemadmodum alii inceſſerint, recténe an ſecus. Atque hic poſterior vulgatiórque modus opinio propriè dici ſolet, cùm quis non quid de quaq́ re ſentiendum ſit, diſpicit, ſed in aliorum ſententiam pedibus it. Atque maxima hominum pars hoc laborat vitio, quæ non quid ſentiendum ſit cogitat, diligenterq́ examinat, ſed in rebus etiam magni ad pietatem & ad vitam momenti, vulgarem ſenſum moremq́ tenet. Rari quippè admodùm reperiuntur ſolerti ingenio ſanaq́ mente viri, qui ab*

opinio-

opinione ad iudiciũ reuocare, ſeſeq́; recipere ſtudeant, quiq́; inter verum atq. placitũ dignoſcere didicerint. Equidem in noſtris peregrinationibus cùm multa hominum millia varijs in locis cõuenerimus, paucißimos nouimus à vulgi opinione, animo, ſtudioq́; dißidẽtes, qui tamen erant, tanquam luminaria in mundo inter ceteros lucebant; ita vt manifeſto periculo comprobari illud poſsit, quod à Sapiente pronuntiatum eſt: Peruerſi difficilè corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus. Eccle.1. *Duplex igitur ad mentem informandam ratio iniri poteſt: altera iudicij ope nititur, atque hæc ſimplex, recta, pura & lucis plena eſt, quæ hominem non alieno ſenſu, ſed certa rerum æſtimatione ad agendum inducit. Altera verò, quæ vulgarem popularemq́; terit viam; hæc autem vel ipſa ſtultitia eſt, vel à ſtultitiæ finibus minimum diſtat. S.S.E. Tranſiui ad contemplandam ſapientiam, erro-* Eccle.2.
,, *resq́; & ſtultitiam, & vidi quòd tantum præcederet ſapientia ſtul-*
,, *titiam, quantum differt lux à tenebris: ſapientis oculi in capite eius,*
,, *ſtulti in tenebris ambulant. Verùm enim verò vulgaris illa via, cui plæriq. hominum ſeſe committere ſolent, ex duobus diuerticulis initium capit; alterum antiquæ, alterum verò præſentis opinionis imitatio eſt. Plerique enim, quæ à parentibus maioribusq́; ſuis didicere, nullo adhibito iudicij examine mordicus ita tenent, vt nulla ratione ſeſe inde deduci patiantur, ex quo fonte ſectarum diuerſitas emanauit. S.S.E. Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non* Hierem.9.
,, *audierunt vocem meam, & non ambulauerunt in ea, & abierunt*
,, *poſt prauitatem cordis ſui, & poſt Baalim, quod didicerunt à patri-*
,, *bus ſuis.*

Iuuẽ ſat 10.
Plurima ſunt Fuſcine, & fama digna ſiniſtra,
Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,
Quæ tradunt ipſi pueris monſtrantque parentes.

Sed cùm ſtultitiæ nec vnum, nec ſibi ſimile ſemperq́; conſtans genus ſit, facile ex vno vitio in aliud vulgus delabitur, & ſi maximè ab vno errore deflectat, altero tamen non minus vituperando afficitur: plerumque verò in eam partem peccat, in quam præſentium temporum rapit impetus; atque belluarum ritu eò mouetur & incumbit, quo recentibus ac frequentibus exemplis agitur; præcipuè ſi vel principum auctoritate, vel opulentorum potentia, vel inſano pompæ apparatu & ſplendore præſtringatur. S.S.E. Nunc circumdederunt eos adinuentiones

tiones eorum, coram facie mea factæ ſunt, in malitia ſua lætificaue- Oſe.7.
runt regem, & in mendacijs ſuis principes. Omnes adulterātes, quaſi
clibanus ſuccenſus à coquente; quieuit paululum ciuitas à cōmixtione
fermenti, donec fermentaretur totum. Itaque errores hominibus communiter vel ex veteri receptione ſuguntur, vel ex præſente imitatione gignuntur; ſed ij diligentiore ſtudio fouentur, & vrgentur, quos recentia creauerint exempla: nam qui huiuſmodi ſunt, adinuentionis contentione augeri ſolent, idq́ illis verbis Propheta ſignificabat; In malitia ſua lætificauerunt regē. Igitur quod Ioſue Iſraelitis deliberandū permittit, vtrinam dij colendi ſint, ij ne, qui à parētibus & maioribus culti quondam fuerant, an ij potius qui ab Amorrhæis illa tempeſtate colebantur, non ideò videtur nobis optionem dare vtriuſuis partis, quamquam tentandi animo ac ſtudio facere id poſſet, vt interpretes cōmentantur. Nam ſi illis à vero Deo diſcedendi conſilium fortaſſe confirmaretur, perinde Ioſue viro optimo & pijſſimo eſſet ſcire vtrinam ſuſciperentur dij, Cananæorum ne an Chaldæorum & Aegyptiorum; cui vtrique pariter vani, inutiles, prophani ac deteſtabiles habebantur, cuíque vnius IEHVEH *numen adorādum & colendum fuerat ſuſceptum. Itaque præcipua deliberationis cauſa eſt diſpicere in ea re, quæ in hominum vita & conſuetudine principem locum obtinet, hoc eſt in religionis definitione & modo, vtram potius viam populus ille ſibi muniendam arbitraretur, vulgarémne & communem gentibus alijs, quæ, tanquam muta pecora, prout ducerentur, ingredi conſueſſent; an alteram, quæ obſeruatione, cogitatione ac iudicio inſtruitur, ſapientibus ac prudentibus perpetuò probata. Atque deliberationis huius ſententia dialectico ſermone ſic poteſt diſtingui: Nullum ſine religione populum vel viuere videmus, vel conſiſtere, manereq́ poſſe intelligimus. Vobis ergò, qui populus eſtis frequentiſſimus, religio aliqua ſuſcipienda eſt. Rurſum verò illa gens vel familia optimè ſibi conſulit, quæ diuinam naturam non ex opinione, ſed ex certa fide definit. Certa autē fides ex virtutis, efficacitatis, beneficentiæ, denique ex prouidentiæ manifeſtis argumentis & ſignis petitur. Hæc verò à nullo Deorum, qui ab alijs gentibus coluntur, vel culti ſunt, ſed ab vnico* I E H V E H *vobis conſtant; adeò vt verè illud ſcriptum teſtatumq́ fuerit: Hæc eſt veſtra ſapientia &* Deut.4.
intellectus coram populis, vt audientes vniuerſi præcepta hæc dicant:

,, En populus ſapiens & intelligens & gens magna. Nec eſt alia
,, tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deu
,, ſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Quamobrē vel vos I
,, hunc nobis notum, imò nobis non modò appropinquantem, ſed h
nus etiam præſentem perpetuóque proſpicientem, retinendum c
dúmque iudicij rationem ſecuti ducitis, vel aliquo nomine reij
dum putatis, ſiue propter cultus & obſeruatiæ, quæ ipſi debentu
ueritatem, vt poſtea exponetur, ſiue propter aliud veſtrum ve
uatum, vel commune conſilium. Quod ſi hic animus vobis fuerit
cedendi à IEHVEH, in procliui eſt vbi à iudicio diuerteritis, v
opinionē delabamini: delapſis verò vobis, vel parentum maior
veſtrorum exempla, vel præſentis temporis conſuetudo & imi
petenda reſtant: Vtrumuis petatis, non meæ curæ, ſed veſtræ de
rationis veſtríque periculi fuerit. Ego verò iam mihi familiæq́.
conſultum deliberatumq́ habeo, ab opinione quàm longiſſimè ab
atque ſincero ac prudente iudicio ſtare. Namque hoc pacto famil
meam omnem ipſe inſtitui, vt de rebus ad vitam opportunis, max
verò de religionis ratione, non ex opinione, ſed ex vero atque ho
ſto ſtatuamus. Hoc eſt quod dicit, Ego autem & domus mea ſeru
mus Domino. Nomine IEHVEH appellando, omnem tum præt
torum ac præſentium beneficiorum, tum promiſſorum in poſter
præſtandorum ſummam ſapientiſſimus vir fecit, omniaq́ velut
poſita oculis voluit. Atque hoc in loco ea vtiliſſimè legenda cen
mus quæ nunquam ſatis nobis laudatus Andreas Maſius adno
uit, de optimi cuiuſque viri cura ac ſolicitudine erga familiam p
priam gubernandam, atque in religionis obſeruantia pietatiſq́ o
cio continendam, quæ quidem illius commentatoris nota virtute
liusq́ familiæ ſimplicitate ac probitate digniſſima adnotatio fu
Vixit namque ille vitam ferè omnem cælibem, varia ac perpetua c
poris infirmitudine, animo tamen robuſto & in publicam vtilitat
propenſo, perpetuis officijs exercitatiſſimo. Paulò ante obitum vx
culam ſanctis moribus exploratam & probatam duxit, qua ſemp
pro ſorore vtebatur, aſſiduis pietatis miniſtrationibus occupata. II
ipſe nobis depingebat vel viri ſiue fratris valetudini curandæ, v
viri nepotibus honeſtis pueris educandis, vel hoſpitibus fouendis, v
templis ac ſacris frequentandis & colendis tempus omne impender

tem, operamq́ue diligenter dãtem, vt ſeſe ijs modeſtam officioſamq́ue ancillam præberet, quos coniugi ſuo charos eſſe intellexiſſet, quocunque ex loco, quacunque natione illi eſſent. Verùm de illo plura alij liberalius prædicabunt, qui mihi nunquã ſine maximo deſiderio commemorari poteſt: quamobrem ad inſtitutũ redire præſtiterit. Præter ea quæ à D. Auguſtino, à Maſio, ab alijs expoſitoribus, à nobisq́ue hoc loco indicata ſunt, illud etiã obſeruatione dignũ eſt, videlicet quanti referat, puram, legitimã certoq́ue iudicio exploratã rationẽ in omni vitæ parte, maximè verò in religionis cultu ac ſtudio tenuiſſe; quã qui tenuerint, nullis deinde, quamuis in ſpeciẽ probabilibus, quamuis hominum frequentia celebribus, opinionibus abducentur: contrà verò qui neglexerint aut deſeruerint, vel non admiſerint, incerti & inſtabiles in varias diducti ſententias, varijs & inutilibus occupati ſtudijs, imò pluribus erroribus & ſuperſtitionibus impliciti vt vagentur neceſſe eſt: alij alias, nonnulli plures ingreſſi ſemitas, atque ex alijs in alias non ſemel deflexuri. S.S.E. Non ſic impij, ſed tanquam puluis, quem Pſalm. 1.
proijcit ventus. Vobis, inquit Ioſue, vbi ſemel à IEHVEH *deficere cõſilium fuerit, deliberandi labor ſupereſt, vtriſnam potiſſimùm ſeruiatis, ijſne quos vltra flumen patres veſtri coluerant, an ijs magis, quos Amorrhæi colunt. Deliberate itaq. hodie ſi poteſtis: quod nimirum breui tempore ſtatuere non poteritis, dum alios ex vobis paterni exempli auctoritas trahet; alios verò gentium, quibus aſſueſcere & placere cupietis, imitatio ſtudiumq́ue inuitabit; quoſdam autem vtraque afficiet ratio: hoc ſignificat expoſitio illa,* in quorum terra habitatis: *cùm nulla alia ratione, aut vtilitatis experientia eò deduci poſſitis, vt alium à* IEHVEH *colatis Deum, niſi quòd vel illi à maioribus veſtris culti fuerint, vel hi ab ijs colantur, in quorum terra habitatis, cuius terræ & conſuetudinis rationem habendam eſſe exiſtimabitis. Huiuſmodi labor nec vllus nunc mihi eſt, nec in poſterum ſubeundus reſtat, iam deliberato atq. certo colere Dominum, vnà cum domo poſteritateq́ue mea, imbuta ac docta edocendaq́ue omnem veræ, puræ ac legitimæ religionis rationem, vnicum* IEHVEH *nomẽ numenq́ue ſpectare. Igitur hanc à Ioſue oblatam deliberationem colorem fuiſſe arbitramur, quo pijſſimus prudentiſſimusq́ue Dux populum ſuo exemplo adiuncto ad ſanæ mentis iudicium ab omni alia cogitatione reuo-*

care ſtudebat. Nec enim libertatẽ conceßit optandi ſibi ad arbit
deos; ſed ſi malum, inquit, videtur colere IEHVEH, *vobis perpetu*
neficiorum ſerie prouidentem, quod inſanæ mentis ac peruerſi
ninò iudicij fuerit, incidendum profectò eſt in aliorum deorum
tus, non quidem ignotorum, ſed eorum qui aliquo pacto noti fuer
nulli verò alij vobis offerri poſſunt, quàm vel ij qui à maiorib. ve
colebantur vltra fluuium quondam habitantibus, nulla profectò
tæ parte illis vtiles aut benefici, vel qui nunc ab ijs coluntur,
inimicos capitalesq́; hoſtes habere debetis, per quos nihil vnq
vobis vel commodi, vel auxilij collatum eſt, vtpotè prorſus va
atq. inutiles. Ego verò iſtis cogitationibus liber, vnicum IEHVE
quem ab initio optaui, mihi omníque familiæ meæ colendum ſuſc
& culturum me recipio. Hanc autem Ioſue orationem & ſuaſion
cuiuſmodi exitus plauſuſq́; exceperit attendamus.

Reſponditq; populus, & ait, Abſit à nobis vt relinquamus D
minum, & ſeruiamus diis alienis.

IOSVE *orationem tum prudentiæ, conſilij ac ſapientiæ plena*
tum clarãm, perſpicuam, grauem & efficacem fuiſſe, hiſtoria hæc m
nifeſtè indicat; vtpotè quam non modò prudentiores & elegantio
è populo, ſed plebs etiam omnis intellexerit & perceperit, opportu
que exceperit reſponſo, magno profectò exemplo, vt in publicis cõc
nibus rationes & verba adhibeantur ea, quæ rudibus & vulgari
etiã ingenijs capi cognoſciq́; poßint. Omnis, inquit, populus verè p
ſuaſus principum reſponſo minimè expectato, reſpondit ſe omnin
duobus maximè deteſtandis impietatis ſceleribus abeſſe velle; alt
relinquẽdi IEHVEH, *altero verò colendi deos alienos: alienos v*
omnes alios ſibi ſtatui, præter vnicum IEHVEH. *Hebraicum voc*
bulũ AHHERIM *vtrumq. ſignificat, alios et alienos. Hunc verò d*
lectũ nõ tumultuario populariq́; motu, ſed certo iudicio cùm ſigillat
tũ communiter ſibi non ſecus atq. Ioſue ipſi fuiſſe inſtitutũ, adiũc
rationibus declarant & confirmant. Verborum autem ſimilitudo i
dicij ac mentis exemplum ſimile oſtẽdunt. Tu, inquiunt, pro te domo
tua ſpopondiſti, nos etiam vtramque partem, nempe alienorum d
rum deteſtationem, & vnius IEHVEH *fidem, ſtudium & cultu*
profitemur; idq́; non vulgari exemplo, aut opinione, vel tumultuar
imitatione agimus, verùm certo conſilio ac maturo iudicio ducti. Pr

nom

nomen nobis *multitudinis numero pronuntiatum, & ſigillatim & communiter eſt exponendū*, nobis ſingulis & nobis cunctis. *Namq. vnuſquiſque pro ſe & pro ceteris ſpondemus, quatenus populus communiter ſpondere & profiteri poteſt ac debet. Vt verò profeßio hæc ſanæ mentis iudicio profecta declararetur, argumenta ex ÿſdem locis, ex quibus à Ioſue petita ſunt, nunc etiam repetuntur; hoc eſt à certis manifeſtisq. periculis & exemplis ſingularis erga ſe prouidētiæ, non tantum ex maiorum narratione acceptis, quantum proprio ipſorum vſu exploratis & cognitis.*

Dominus Deus noſter ipſe eduxit nos & patres noſtros de terra Ægypti, de domo ſeruitutis: fecitq; videntibus nobis ſigna ingentia, & cuſtodiuit nos in omni via per quam ambulauimus, & in cunctis populis per quos tranſiuimus: Et eiecit vniuerſas gentes, Amorrhæum habitatorem terræ, quam nos intrauimus.

P O P V L O *in illa deliberatione per Ioſue propoſita ab omni receptione & vulgari opinione ad ipſam rerum examinationem maturo iudicio conſtituendam reuocato, conſilium illud probatum eſt, vt non tantùm vana, antiqua, maiorum ſuorū exempla de dÿs vltra flumen cultis reiecta fuerint, ſed ea etiam beneficia, quamquam certiſsima prætermiſſa ſunt, quæ ex fide à parentibus accepta, & ex ſacra Moſis hiſtoria atq. antiqua traditione ipſis cognoſcebantur et celebrabātur: ea verò tantùm hoc loco citata ſunt, quæ nō ſolùm ex auditu, ſed proprio ipſorum experimento & periculis certiſsimè factis conſtabant; maxima quidē omnia, & quæ rem, de qua agebatur, hoc eſt prouidentiā erga ſe diuinam, & ſuam erga Deum obligationē abundè cōteſtarētur & confirmarent. Hæc itaque ex omni ſumma beneficiorū, quæ Ioſue numerauerat, excepta, atq. in quatuor communis omniū felicitatis capita redacta ſunt. Primum autē argumentū ſalus publica fuit; hoc eſt à duriſsimæ ac miſerrimæ ſeruitutis in libertatē aſſertio, non tantum quorundam ſingularium capitū, ſed populi totius, ſeniorum, iuniorum & puerorum.* Dominus Deus noſter ipſe eduxit nos & patres noſtros. *Nominibus illis* Dominus Deus noſter *appellādis, profeßio continetur ineffabilis arcaniq. nominis* I E H V E H, *quem ſibi Deum, hoc eſt gubernatorem, vindicem & proſpicientem declaratum agnoſcunt. Profitemur, inquiunt,* I E H V E H *Deum eſſe no-*

ſtrum, nulliq́; alij præter illum acceptũ ferimus quidquid ſumus. I
xima autem beneficia, quæ in nos collata ſunt, nec natura, nec hu
na virtute ac potentia, nec vlla alia niſi diuina efficientia profic
potuerunt. Hanc verò efficientiam vni ipſi tribuimus: Primùm
tantus populus in vniuerſum, nos qui tunc vel iuuenes vel pueri e
mus, quiq́; nunc profitemur, & patres noſtri, qui vel matura æ
viri vel ſeniores erant, omnes tamen ergaſtulo addictos, ipſe libe
uit, ex illa ſeruitutis domo, (in qua, præter dolorẽ, metum, lamẽta
mitus ac ſuſpiria nihil præſtare poteramus,) eduxit nos, in ſalute
publicã traduxit, quam vt magnis ornamentis partibúſq. amplifi
ret, in nominis noſtri decus, in hoſtium dedecus & opprobrium,
ſuam ipſius gloriam multis manifeſtisq́; ornauit ſignis. videnti
nobis. *Atque hoc ſecundum publicum argumentum eſt noſtro ip*
rum periculo ac teſtimonio comprobatum; hisq́; duobus felicitatis
ſtræ alterum continetur caput; alterum verò duobus ijs, quæ mox c
memorabuntur. Et cuſtodiuit nos. *Namque ab illa migratione*
Aegypto in eam, quam promiſſam patriam credebamus, & peteban
iter agentibus longum longiq́; temporis interuallo productum, va
nobis diſcrimina, pericula & incommoda ſubeũda fuerant, locoru
cæli, horarum, anni, æſtus, frigoris, famis, ſitis, nuditatis, ſalebrar
& aſperitatum viæ, & , quæ innumera huiuſmodi incommoda eſſe
lent, præterea hominum ac gentium nobis infenſarum, quo nulli
Plini. *aliud animantium genus moleſtum magis & importunum, magi*
pernitioſum hominibus ipſis ſentitur. S. S. E. Cauete autẽ ab homi
bus. His omnibus difficultatib. nos ſalui, incolumes ac ſoſpites vn
IEHVEH *beneficio euaſimus.* & cuſtodiuit nos in omni via, per q
ambulauimus. *Non enim vllum locum declinauimus, quamuis a*
rum, importunum ac periculis plenũ, ſed omnino peragrauimus in
lumesq́; pertranſiuimus: & in cunctis populis per quos trãſiuim
illius vnica tutela ſecuri. Namque ille, quà circum eundum foret, q
pertranſeundum, indice monſtrabat columna, viamq́; adaperiẽs m
niebat vel inuitis & obſiſtere conatis incolis, nihil tamen impedie
tibus. Huic itinerum felicitati optatæ quietis copia addita fuit, q
ſingulariter conſtantis erga nos prouidentiæ quartum argumentu
teſtimoniumq́; eſt, multis etiam ſignorum, victoriarum & comm
dorum partibus amplificatum, ſummotis cumprimis impediment
omn

omnibus, atque pulſis ijs, quibus propria regio cùm diligenter coleretur, fortiter tamen propugnari potuit, niſi Dominus ita rem pro nobis gereret, vt illis profligatis, oppreßis & eiectis, nos illorum vrbes, agros, domos et res omnes occuparemus, nullo ferè alio negotio, quàm introeundi. & eiecit vniuerſas gentes, *multis artibus, magnis opibus, varijs ingenijs inſtructas, tamen eiecit illas tantùm inquã: namque ipſorum opes, diuitias, fundos familiaremq́; rem et ſupellectilem omnem nobis integra reſeruauit. Nec verò ignauas gẽtes, aut nouas, aut de ſua regione facili aut libenter aliàs deceſſuras, nec ignobiles inter alias nationes, nec infrequentes, ſed* Amorrhæum habitatorem terræ *antiquißimum, opulentißimum, celeberrimumq́; populum, belli ſtudijs aſperrimum, & ſanguine opibusq́; coniunctum, qui terram omnem tenebat, atque impauidus, ſecurus, à nullis alijs nationibus inuaſus habitabat & incolebat*; quam *tamen* nos intrauimus, *obtinuimus & nunc poßidemus. His itaque quatuor argumentorum nobis notißimis fundamentis innixi verum veri vniciq́; Dei cultum, hoc eſt* IEHVEH, *certo, maturo atque conſtanti iudicio, non autem opinionis debilitate, vel vulgari imitatione ſuſcepimus, & conſeruaturos nos profitemur.*

Seruiemus igitur Domino, quia ipſe eſt Deus noſter.

COMPLEXIONIS *ſiue epilogi ac perorationis formam verſiculus hic ſeruat. Eſt autem complexio bimembris, duplici iam ſuperiùs factæ argumentationi reſpondens. Fuerat enim argumentationum propoſitio duplex: cuius alterum caput erat* IEHVEH *Iſraelis Deum eſſe; alterum verò Iſraelem* IEHVEH *cultu ac religione teneri obligatum: poſteriorem prior complexionis pars exprimit.* Seruiemus igitur Domino. *huic prior tanquam ratio confirmatióque ſubiungitur:* quia ipſe eſt Deus noſter. *quia ſeſe ipſe noſtrum iudicem, vindicem, principem atque gubernatorem apertißimis probauit argumentis. Huiuſmodi argumentandi ratio & modus à traditione & aliena aſſeueratione ad propriæ æſtimationis iudicium plurimum ad fidem faciendam & augendã valet: dum quis nõ tantùm ea quæ ab alijs didicerit, ſed quid ipſe expertus vel contẽplatus fuerit, cogitandũ ſuſcipit. Sic Samaritani illi apud Euangeliſtam Chriſti Ieſu virtutem et veritatẽ ſibi abundè exploratã perſpectamq́; prædicabant, quamquam ex feminæ illius narratione ac teſtimonio non exiguam credi-*

Ioan. 4. *crediderant. S. S. E. Et ex ciuitate illa multi crediderunt in eum*
„*pter ſermonem mulieris teſtimonium perhibentis; Quia dixit m*
„*omnia, quæcunque feci: & multo plures crediderunt propter ſer*
„*nem eius, & mulieri dicebant: Quia iam non propter tuã loque*
„*credimus: ipſi enim audiuimus, & ſcimus quia hic eſt verè ſalua*
„*mundi. Habet itaque magnum huiuſmodi proprij experimenti te*
monium, tum ad verum firmandũ, tum ad animi motus concitand

> Infandum regina iubes memorare dolorem,
> Troianas vt opes, & lamentabile regnum
> Eruerint Danai, quæque ipſe miſerrima vidi,
> Et quorum pars magna fui.

Atque hæc profeßio Domino igitur ſeruiemus, *non tam vide*
arrogantiæ nomine reprehenſibilis, quàm officij iure ac debiti con
ſione laudabilis, vt à Maſio luculenter diſputatum eſt. Continet e
obligationis formam; primùm ſe nullis alijs dijs ſeruire vel deb
vel velle: deinde etiam huius obligationis cauſam exponit, & con
tur, quã Ioſue tota ſua cõcione probare molitus eſt. quia ipſe eſt D
noſter: *Cuius beneficia maxima hactenus experti ſumus, et cui q*
quid ſumus acceptum referimus. Hebraica oratio ſic habet, Etiã
ſeruiemus Domino. *Vox, etiam, arrogantiæ ſuſpitionem tollit, &*
militudinem indicat tum iudicij, tum ſtudij per Ioſuen anteà a
ipſo declarati. Nos, inquiunt, etiam profitemur Dominum nobis
lendum ijſdem cauſis propter quas tu profeſſus es. Iam verò cùm
ſericordiæ, beneficẽtiæ, liberalitatis, bonitatisq́; diuinæ rationes
planè perſpectas & exploratas, atque manifeſta confeßione celeb
tas Ioſue cognouiſſet, ad alteram prouidentiæ erga res humanas p
tem aſſerendam admirabili artificio pertranſit, vt maieſtatis
uinæ reuerentiam, timorem & obſeruantiam populo perſuadeat,
nemq́; religionis rationẽ conſolidet. Nã præter naturæ rerũ cont
plationẽ, quæ ad prouidentiam cognoſcendã omnibus ferè homini
fores aperit, iudicij etiam diuini ſacrarium adeũdum reſtat, in q
qui non penetrarũt, in prouidẽtiæ diſputationib. hærere, et nonn
quã etiam vacillare deprehenſi ſunt. Atqui prouidẽtia erga huma
res duplici præcipuè exemplorum genere ſpectatur; pijs hominibu
probis iuuandis ac promouendis, atque ab improborum iniuria v
dicandis, rurſus etiam improbis & impijs puniendis & vlciſcend

Ex his duabus conſiderationibus humana ratio præcipuè prouidentiæ
argumenta quærit ac petit: vtramque rem qui indagantes aſſecuti
ſunt, ij firmiſſimum ad prouidentiam aſſerendam fundamentum ſibi
ſubſtratum celebrarunt. Hanc autem diſputationem omnem ſapien- Pſalm. 72.
tiſſimus ille rex ac vates aptiſſimo proſecutus eſt carmine: Mei au-
tem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei: Quia zelaui
ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Non eſt reſpectus morti eo-
rum, nec firmamentum in plaga ipſorum, in labore hominum non
ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. & paulò inferius: Et
dixi, Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes
manus meas: Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matuti-
nis, &c. donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligā in nouiſſimis
illorum. Veruntamen propter dolos poſuiſti eis, deiecisti eos dum ele-
uarentur. Atque alteram argumentationis huius partem, hoc eſt be-
neficentiam & curam erga pios cùm Iſraelitis planè cognitam teſta-
tamq́ eſſe intellexiſſet Ioſue, alteram etiam notificare & aſſeuerare
ſtuduit, quæ iudicium etiam aduerſus impios improbosq́ ſpectat. O-
ſtenderat iam eos, qui à gentibus colerentur, nec prodeſſe cultoribus
ſuis, nec nocere etiam ſe deteſtatis poſſe; atq. ex conſequenti, nec Deos
eſſe. IEHVEH *autem vnicum Deum orbis rectorem in omnem ter-*
ram prouidentem; in eos verò qui ſe legitimè ac purè colerent, ſingu-
laribus modis beneficentiſſimum probauerat. Nunc porrò eandem ſe-
uerum impietatis & improbitatis vindicem, atque in ſui deſerto-
res iuſtiſſimum vltorem declarat: idquod de nullo aliorum, qui voca-
bantur dij, poterat dici. Hanc autem diſputationem artificioſa exce-
ptione inſtruit, qua populum diuinæ ſeueritatis admonens ad matur-
rimam deliberationem, ſolidamq́ religionē deducat. Vos, inquit, pro-
fitemini Deum colere velle beneficentiæ exemplis vobis notum, a quo
hactenus educti, producti, & amplificati fuiſtis. Atqui eundē ipſum
formidabilem ac metuendum denuntio ijs, qui vel ſe deſeruerint, vel
non purè ac ritè coluerint. Quamobrem quid, quantumq́ illi debea-
tis, quantumq́ de vobis polliceamini, expendite diligenter. Namque
ille ingenium moremq́ ſuum mutabit minimè; vos verò vt homines
eſtis, atque ad malum ab adoleſcentia procliues, leuibus momētis mu-
tari poteſtis, & cultum illius vel deſerere, vel negligenter ſuſcipere,
vel cum alijs vanis cogitationibus actionibusq́ miſcere omnino ne

prophanare; quæ ſcelera ille minimè patietur inulta, vtpotè qu ctus eſt, atque ab omni prophano hominum non ſolùm acto, ſed tato etiam impuro abhorrens. In hanc ſententiam eam excepti interpretamur, quæ à Ioſue ſubiuncta eſt.

Dixitque Ioſue ad populum, Non poteritis ſeruire Do Deus enim ſanctus & fortis æmulator eſt, nec ignoſcet leribus veſtris atque peccatis. Si dimiſeritis Dominu ſeruieritis diis alienis, conuertet ſe, & affliget vos, atq uertet, poſtquam vobis præſtiterit bona.

APERTISSIME *nobis hæc non deliberatio, ſed exceptio eſſe tur, qua omnis humana de Dei prouidentia erga homines diſpu abſoluitur. Nec enim ideò hæc Ioſue ait, vt profeſſionis fact raelitas pœniteat, ſed vt cultus purè ac ſanctè obſeruandi mi pigeat; propoſita vt anteà beneficentia in obſeruatores & pios nunc rurſus in impios ac deſertores iudicij ac pœnarum ſeuerita la enim ratione probi in ſpem erecti maiori ſtudio ad pietatis ex tationem concitantur: hac verò improbi vel negligentes ad me reuocati in officio contineri poſſunt, atque ex hac demum ad alte potiorem tranſire. Igitur vt illa duo ſuauia de Dei prouidenti ſingulari erga pios cura vobis nota iam ſunt, nempe miſericordi promittendis, veritas in præſtandis beneficijs, ita rurſus duo di lia ac ſeuera nota eſſe conuenit, videlicet, ſanctitudinem ac ſin ciſsimam puritatem in numine ſuo aſſeuerando, atq. ab omni o ſa vindicando. Nec enim honorem ſuum contaminatum eſſe p tur, nec datam ſibi fidem vllo alio alienóue fœdere coniungendo lari; æmulator quippe ac zelotypus (vt ſic loquamur) eſt, poſtul ab ijs, qui ſibi nomen dederint, plenam, puram ac ſimplicem fid & morum ac vitæ iuxta datas à ſe leges integritatem; atque vt tura ſanctus eſt, ab omniq; aliarum naturarum comparatione lon ſimè ſepoſitus, ita etiam ad vltionem parandam et voluntatem ſ explendam eſt fortiſsimus: his rebus vbi zelotypia acceſſerit, q lem ſe erga vos vel deſerturos vel aliàs offenſuros præbere poſsit, ſiderate. Nam ſanctitudinis ratio exigit, vt nec vltrò ſe deſeren bus, nec peccato obnoxijs ignoſcatur. Quamobrem non ignoſcet p fectò: quòd ſi non ignoſcet, fortitudine valet maxima, vt quam g uiſsimas pœnas irroget.* Nec ignoſcet ſceleribus veſtris. *Hoc f*

deſ

deſertionem, ſiue perfidiam ſpectat, illud verò atque peccatis, *morum atque vitæ corruptelam tangit. Hebraicum verbum* PESSAGH, *pro quo Latinè hoc loco legimus* ſcelus, *Perfidiã ſignificat:* HHATA *verò Latini omnes interpretes plerumq́ Peccatum vertunt. Nec verò hîc de peccatis per errorem, aut imprudentiam, perq́ repentè inuadẽtem humanam infirmitudinem admißis agi exiſtimamus, quorum expiatio ſacris legitimis præſcripta erat, & venia purè ac ritè precantibus promiſſa. Quis enim illa tempeſtate homo, qui non peccaſſet, indicari poterat? Verùm de perfidia in religione primùm, deinde de peccatis impudenter, conſultò & ſtudioſè factis. de quibus ſcriptum eſt,* 3.Reg.
" *Auferes malum de medio Iſrael. & rurſus: Irritam quis faciens le-* "
" *gem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus mori-* "
" *tur. Nam quaſi hariolandi peccatum eſt, non obedire: & quaſi ſce-* "
" *lus idololatriæ, nolle acquieſcere. atque hæc duo genera præcipuè hac* "
exceptione tangi, ſubiuncta expoſitio indicat, Si dimiſeritis Dominũ, *hoc eſt,* PESSAGH *ſiue ſcelus,* & ſeruieritis diis alienis, *hoc eſt, quod in exceptione peccatum ſiue peccata dicebatur. Namque et peccatum omne, quod conſultò admittitur, in alienorum Deorum cultu cenſetur, & quicquid cultus alienis impenditur dĳs, peccatũ eſt.*
" *S.S.E. Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Verùmenimuerò conditio illa,* ſi dimiſeritis, *non neceßitatem affert, ſed metum, cautionem ac religionem incutere molitur, ne videlicet, quod dicitur fiat: Ne dicatis, inquit, vos non peccaturos. quis enim hoc apertè polliceri de ſe ipſo, nedũ de alio poßit? Poteſtis verò illud polliceri, non deſerturos vos Deum, Deiq́ fidem & legitimum cultum, alienorum autem Deorum cultum diligenter vitaturos. Namque ob alteram exceptionis partem, vel ob vtramque admiſſam, Deum, quem vobis ſanctum denuntio, ſeuerum, zelotypum & vltorem ſentiendum eſſe affirmo: is enim pro illis iam notis & conteſtatis apud vos miſericordiæ & veritatis rationibus ad beneficium promittendum & præſtandum iudicĳ & ſeueritatis exempla in vos edet grauißima.* conuertet ſe *à beneficentia,* & affliget vos, *eo grauius & maius ſupplicium ſubituros, quo maioribus beneficĳs antea affecerat; quare & præteritorum bonorum inopia ac deſiderio affligemini, & ſupplicĳ ac pœnarum grauitate durius prememini, quàm ĳ, qui nec ipſum Deum eſſe cognouerant, nec propter tot tantaq́ beneficia colen-*

dum ſuſceperant. Seruus enim, qui neſcit voluntatem domini, *pulabit: qui verò ſcit & non facit, vapulabit pluribus.* Atque uertet, poſtquam præſtiterit vobis bona. *Hebraicè eſt*, conſu vos, poſtquam benefecit vobis. *Atque hoc modo de diuina homines tum beneficij, tum iudicij prouidentia à Ioſue diſertum & de religione vel ex metu ſuſcipienda, déque pietate ex benefi tiæ & bonitatis rationibus colenda ac præſtanda ſapientiſſimè peroratum. Hoc loco nomen* ELOHIM *plurali numero, vt ſæpè al vſurpatum, ex Chriſtianis Theologis nonnulli ad perſonarum nitatem, & pronomen, Ipſe, ad naturæ ſimplicitatem referunt: bræi verò veteres, ad magnam ſanctitudinem ſignificandam. Na Hebraica oratio ſic habet,* IEHVEH *Dij ſancti ipſe. vtraque autē Theologorum noſtrorum, tum Hebræorum veterum aptè cum re quadrat. illi etiam rectè interpretantur, qui Dei veri cum alijs, vocarentur dij, comparationem hîc fieri volunt: nam cùm om alij vani, mendoſi & prophani eſſent, ſolus hic omnium Deorū ſ ctitatem & maieſtatem ſibi vendicare à Ioſue prædicatur.*

Dixitq́; populus ad Ioſue, Nequaquam ita vt loqueris e ſed ſeruiemus Domino. *Hebraicè breuius,* Non: quia ſ uiemus Domino.

ILLIVS *negationis* Non, *ſignificationem Interpres noſter plicatius reddidit, Non ignoramus, inquiunt, exceptionem iſta Nouimus enim* IEHVEH *omni nomine ſanctiſſimū, atque vt ben centiſſimum celebrauimus, ſic etiam iuſtum ac ſeuerum iudicem c fitemur; ſed iſtud deſertionis iudicium, vt non experiamur, omni p tatis officio curabimus:* quia Domino ſeruiemus, *cuius cultū qu profeſſi iam ſumus & profitemur, ſi deſeruerimus, aut violauerim nos iuſtè iudicatum punitumq́; iri declaramus. Itaque vtriuſque minis notitia & cognitione, hoc eſt miſericordiæ ac iudicij illius i ſuſcepimus cultum, quem & nūc denuò recipimus. Atque hæc tot populi communis vox profeſſioq́; fuit eo tempore quo communis priuatæ rei rationes ad terram incolendam familiaſq́; conſtituē conſolidare ſtudebat Ioſue: qui actionem hanc quàm teſtatiſſim eſſe curauit.*

Et I

Et Ioſue ad populum, Teſtes, inquit, vos eſtis, quia ipſi elegeritis vobis Dominum vt ſeruiatis ei. Responderuntq́;, Teſtes.

Q VONIAM *Ioſue nulla actionis ſuæ parte populum ad optãdum coëgerat, ſed tantum optionis faciendæ iudicium ſapientiſsimè perſuaſerat, illorumq́; rogauerat ſententiam: nunc demum antequam legem ſcribat, cõfirmandam obteſtandamq́; curat eodem pacto, iiſdem nominibus, quibus dictam publicè audierat, vt firmiſsimam deinde conſtabiliret, vtpotè quam nec vis extorſerat, nec potentia aliqua, nec tumultuarius motus effutierat, ſed certa maturaq́; deliberatio rationis iudicio profecta pronũtiauerat. Hoc eſt quod ſua lingua poſtulat,* Teſtes vos, *nullo addito verbo; namque idiotiſmus hic verbi vim ſignificationemq́; obtinet: Quod Latinus diceret, Cõteſtamini igitur & profitemini* IEHVEH *cultũ vobis certo nullaq́; exceptione turbato iudicio ſuſceptum eſſe; vt nemo inpoſterũ eſſe poſsit, qui vobis hunc Deum ex opinione vel imitatione cultum fuiſſe dicat, atque ideò nouarum rerum auctor exiſtat. Hanc rogationem populus vt liberè libenterq́; audiuit, ita eodem verbo excepit,* Teſtes. *Conteſtamur, inquiunt, & profitemur idẽ quod tu pronuntiaſti. Quòd verò cetera rogationis verba non repetantur, conſilij & iudicij probandi fuit: ne in tanta populi frequentia aliud quippiam à quopiam prolatum audiretur; quod plerumque euenire ſolet, vbi plura à pluribus repetenda ſunt. Siquidem nec priuatarum rerum teſtimonia ab iis ipſis, qui actis interfuere, quiq́; oculati teſtes vocantur; vbi ſigillatim rogantur, iiſdem omnia verbis dicuntur. Quamobrem ad plebiſcitum ſanciẽdum ſatis fuit rogationem iuridico verbo promulgare:* Teſtamur, *inquiunt, ſiue profitemur, ſiue conteſtamur. Igitur plebiſcitum ipſum omnibus cæremoniis, circumſtantiis & rebus ad confirmationem opportunis celebrãdum curauit Ioſue. Habet namq. magnam vim & auctoritatem externarum actionum ſpectaculum, tum ad verum publicè confirmandum & conteſtandum, tum ad rei geſtæ conſeruandam memoriam. Nam quæ verba publicè pronũtiantur, nec æqualiter omnibus in magna frequẽtia audiuntur, nec eandem ſingulorum interpretationem perpetuò ſortiuntur. Quæ verò oculis obijciuntur, res eandem omnibus ſpeciem præbent, nec aliter explicari poſſunt quàm vt lege vel cõſuetudine ſancitum eſt. Sic illa*

manuum lotio à Pilato publicè facta, innocentiam Ieſu obteſtab. quam omnis populus intelligens ita excipiebat, Sanguis eius ſ nos & cet.

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm, quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Cæremoniarum verò et circumſtantiarum ad actionis huius britatem illa prima eſſe debuit, alienorum videlicet Deorum ſtatio & expulſio, quæ cum illa antiqua congruebat, quam I
Gen. 35. *eodem in loco faciendam curauerat. S. S. E. Iacob verò conuocata*
,, *ni domo ſua ait: Abÿcite Deos alienos, qui in medio veſtri ſ*
,, *& mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra. Surgite & aſcenda*
,, *in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die*
,, *bulationis meæ, & ſocius fuit itineris mei.*

Nunc ergo, ait, auferte Deos alienos de medio veſtri, & in nate corda veſtra ad Dominum Deum Iſrael.

NEC *enim recta & regia via teneri poteſt, ÿs quibus error*
Pſalm. *fuerit depoſitus. S. S. E. Declina à malo, & fac bonum. Atque h deteſtationem, quidam ex interpretibus Latinis & Græcis anim lummodò, alÿ verò reapſe factam exiſtimant, videlicet comport in medium ſignis ac ſimulacris Deorum, quemadmodum Iacob pr rante ab omnibus illius domus familiaribus factitatum fuerat. qui vero ſimillimum eſt, in tanta hominum, & mulierculaṙum, n num ac ſeniorum turba non pauca veterum errorum monumenta licta adhuc fuiſſe, quæ partim propter efficacitatis opinionem, par ob materiæ precium, nonnulla verò ob artis formæq́; elegantiam, q dam ob maiorum, à quibus accepta fuerant, memoriam & pignus ſeruabantur. Nec verò omnia, quæ pro dÿs colebantur, aut num opinione conſeruabantur, humana ſimulacra erant, ſed pro diſcipl ratione quàm plurima & varia rerum genera, certis notis diſcr vſurpari ſolebant. Qui Chaldæorum diſciplinæ ſtudioſi erant, fe tatis & infortuniorum partem maximam ad aſtrorum vim refer tes, libros illius doctrinæ præcepta & inſtituta continentes, deſ bendos curabant; idq́; efficacius fore credebant, ſi certis horis, ce cæli aſtrorumq́; motibus & concurſibus obſeruatis factitaretur. dem quoque ſtudio annuli, monilia, inaures & multa hominum*

ium

iumentorum ornamenta, agrorum, hortorum atque domorum emblemata & amuleta conſecrabantur, certis notis, imaginibus & nominibus diſtincta, inciſa vel depicta: ad quam nimirum ratiōnē aſtrum illud Remphan, atq. illud ſiue tabernaculum ſiue conopæum ab Amoſo exprobrata referēda eſſe arbitramur. Namq. huiuſmodi libris, chartis, imaginibus, ſignis, monilibus & ornamentis non modò ſignificationem, verùm efficientiam nonnullam cōplures ex illo populo ineſſe credebant, tum antiqua maiorum ſecuti veſtigia, tum Aegyptiorum, quibus cum tamdiu conſueuerāt ſermonibus, opinionibus exemplisq. corrupti, tum ipſo, etiā errore atq. abuſu deprauati; (Aegyptios enim Chaldæorum hac in parte diſcipulos, atque etiā ſuis magiſtris fuiſſe ſuperſtitioſiores, ex antiqua lectione conſtat, & nos etiam Deo votis annuente aliàs oſtendemus.) Atque vtinam hiſce rebus huiuſmodiq. diſciplinæ obſeruationibus nulli ex Chriſtianis vllam olim præſtiterint, aut nunc præſtent fidem. Quòd ſi hæc apud quoſdam Iſraelitas conſeruabantur; quidnam obſtat, quo minus ab alijs alia etiam ſimulacra & ſigna aliorum Deorum vel Cananæorum, vel Aegyptiorum retinerentur, quauis de cauſa? vel propter efficacitatis, ac numinis opinionem; vel propter artis, vti dicebamus, elegantiam, cui plurimum ab antiquis tributum fuiſſe Sapientiæ libri auctor ait; vel propter materiæ æſtimationem; vel etiam propter eam, quam quidam curioſitatem vocant, cuius amore ſimulacra, numiſmata & aliæ antiquitatis reliquiæ à nonnullis diligētius adhuc conquiri & carius emi ſolent. Huiuſmodi rebus facilè plena eſſe poterant capſæ, ſcrinia & cubicula multorum, maximè poſt recentem occupationem regionum illarum, quæ his vaniſsimi cultus ornamentis ac monumentis dedicationibusq. abundabant. S.S.E. Quin potius hæc facietis eis, aras eorum ſubuertite, & confringite ſtatuas, lucosq. ſuccidite, & ſculptilia comburite: quia populus ſanctus es Domino Deo tuo. Huiuſmodi ſanctitudinem obſeruare nunc denuò Iſraelitæ iubentur, & admonentur à Ioſue poſt commemoratam IEHVEH *ſanctitatem. Quòd verò non iubeatur nunc in medium proferre quicquid huiuſce generis monimenti ſuperſtitioſi apud ſe haberēt, complures reddi poſſunt rationes: prima & maniſeſtiſsima fuerit loci, in quem tunc conuenerant, importunitas. Nam cùm illi varijs in vrbibus & oppidis habitarent, in Sichem conuocati, venerunt, cauſa quamobrem vocaren-*

Deut. 7. « «

carentur incerti, nec eiuſmodi, ſi qua habebant monumenta ſe
afferre potuerunt, nec nunc ex ſuis locis petere cõmodè poterant
inde cùm non omnes fortaſſe huiuſmodi res conſeruaiſſent,
enim cuncti talibus dediti ſtudijs, nec omnes curioſi erant) quicun
aliquid huiuſmodi in medium vel vltrò ipſe protuliſſet, vel ha
deprehenſus eſſet, perpetui apud vulgus opprobrij monumentum
relinqueret: caueri autem huiuſmodi probrorum & contentionũ
cendia, & publicæ leges iubent, & ſapientes rerum publicarum
giſtri docent & curant. Siquidem in Iacobi procuratione alia r
aliusq́ fuit modus: quippe illi omnis familia intra domum pri
continebatur, nec quicquam aliquid ex eadem ſpectabat, quod cet
etiam non tangeret. Ad hæc, vti dicebamus, non omnis ſuperſti
abuſus in externis rebus, ſignis, monumẽtis atque libris verſatur,
magna ac præcipua pars in ſententijs, opinionibus, doctrinis ac di
plinis, atque adeò in fide hiſce vanitatibus habendi conſiſtat. N
que vbi vel tantillum à veri omnipotẽtis, cunctaq́ proſpicientis
ſimplicitate diſceſſum fuerit, ad vani cultus crimen deflectatur
ceſſe eſt, ſicut ex Samuelis reprehenſione ſuperius citabamus: Q
peccatum hariolandi eſt, non obedire, & quaſi ſcelus idololatriæ, n
acquieſcere. Quamobrem ſcriptum eſt תמימים תהיו ליהוה אלהיכם,
eſt ex verbo: Sani integriq́ eritis IEHVEH *Deo veſtro Quo pr*
pto omnis idolomania, omne vanæ aſtrologiæ ſtudium, omnis in
Act. 10. *curioſitas excluditur; id quod apoſtolicarum actionum probatur*
" *emplo. S. S. E. Multi autem ex ijs qui fuerant curioſa ſectati, con*
" *lerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus, & computatis pr*
" *illorum inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta milliũ.*
tur deteſtationem huiuſmodi animo primùm atque voce commun
ab omnibus, (quod eadẽ ipſo die ac loco præſtari poterat,) deinde v
rebus ipſis damnandis & abijciendis, vbicunq. illæ eſſent, facienda
Prou. 10. *præcipiebat Ioſue: ideoq́ ait,* Nunc: *Vox hæc hoc in loco illationis*
tius quàm temporis habet ſignificationem: vt illud, Nunc ergo filij
dite me. Abiicite deos alienos, qui ſunt in medio veſtri, *hoc eſt*
ter vos, quocunque modo illi in medio veſtri ſint, ſiue opinione, ſ
ſu & ſtudio, ſiue ſignis & characteribus & obſeruationibus, ſiue
mulacris & ſtatuis, omnes abijcite; primùm animo atque voce a
mi interprete, deinde rebus ipſis quacunque ratione ad alienos D

pertinentibus. Atque hanc Ioſue mentem & verborum ſignificationem ipſum populi reſponſum declarat.

Dixitq́ue populus ad Ioſue, Domino Deo noſtro ſeruiemus, & obedientes erimus præceptis illius.

DVO *exegerat Ioſue; abiectionem abſolutam Deorum omnium alienorum tum animo ac voce, tum reapſe præſtandam, & inclinationem cordium ad verum Deum: id eſt, vt nihil prorſus ne cogitando quidem admitteretur, quod à Dei vera fide, pietate & religione alienum foret. Vtramque partem populus intelligens profitetur. Primùm cultum omnem tam internum quàm externum ſe* IEHVEH *ſoli dicaturos & præſtituros; idq́ vt purum legitimumq́ eſſet, curaturos diligenter, quod quàm certiſſimè curari poſſe intelligebant, ſi nihil diſcerent, nihil ſaperent, nihil agerent præter ea quæ Dei voce, monitis ac præceptis continerentur; ſiue illa vox iam in ſacris libris patefacta eſſet, ſiue denuò per diuinos vates referretur. Itaque altera oratio* Domino Deo noſtro ſeruiemus, *omnem cultum dedicat: altera verò* & obediemus præceptis eius, *animorum ſiue cordium inclinationem ſignificat. Hebraicè eſt,* & audiemus in voce ipſius. *Atque ita voluntate vtriuſque partis, Dei videlicet ac populi in concione declarata et profeſſione à populo facta ac repetita, omnibusq́ exceptionibus excluſis confirmata, reliquum erat actionis totius monimentum in legis ac plebiſciti formam redigere, atque literis ad poſteritatis memoriam & obſeruantiam demandare; idq́ ſolenni ac legitimo ritu, præſente ac vidente vtraq. parte, conditionibus explicatis, temporis, loci, perſonarum, & rerum omnium notatis & adiectis circunſtantiis, quæ ad fidem faciendam & memoriam conſeruandam opportunæ exiſtimabantur.*

Percuſsit ergò Ioſue in die illo fœdus, & propoſuit populo præcepta atque iudicia in Sichem.

CONCIONEM *illam tanta auctoritate initam, tanta populi celebritate & aſſenſione confectam, celebri ac ſacro ritu abſolutã oportuit; vtpotè quæ repetitio et quædã quaſi confirmatio erat pactionis quondam apud Sinan montem Moſe miniſtro conflatæ. Vt enim tunc populo iter in promiſſam terram facturo diuina lex lata, pronuntiata, & feriendo fœdere confirmata fuerat, ſic etiam nunc eidem populo terram iam obtinenti & in poſterum habitaturo, eandem legem pu-*

blicè relegi & ſolenni ſacro conſtabiliri par fuit, vbi iam ceteræ *nia, quæ opportuna ad pactionem ducebantur, hoc eſt voluntas* *erga populum & populi erga Deũ conſtabant. Omnis autẽ huiuſ* *di pactio effuſo hoſtiæ ſanguine, & communicato cibo ac potu ſac* *batur. Vt enim qui in fœdus amicitiamq́; conueniunt, lætiore e* *larum communione animorum & ſtudiorũ, atq. vitæ omnis conſe* *nẽ teſtari ſolent: ita etiã cùm inter Deũ et homines pactio initur,* *crificium intercedit, quod conuiuij inſtar habet. Adeſt namq. con* *ua Deus cui quæ libãtur ſanguinis molæ et epularũ partes abſumpt* *ſe portionis loco habentur: adeſt populus, qui ſanguine etiam conſp* *gitur, & ſacri libaminis rore luſtratur; deinde ad ſacrarum quoq* *carnium eſum admittitur, maximè ex ijs hoſtijs, quæ in ſacris ri* *bus pacificæ vocantur. Huiuſmodi ritum à Ioſue procuratum ſace* *dotum miniſtratione celebratum indicant verba,* Percuſſit ergo Io ſue fœdus in die illo: *quo die profeßio facta eſt, vt ad eam profe* *ſionem fœdus eodem die feritum pertinere cognoſceretur. Quod v* *rò vlterius narratur,* Et propoſuit populo præcepta atque iudici in Sichẽ: *vt eam explicationem, quam nos afferemus, excipiat, quem* *admodum ex Hebraico verbo ſonet, audire operæprecium fuerit: E* *poſuit ipſi* HHOK *&* MISPAT *in Sichem. cuius loci obſcuritas, qu* *negotium interpretibus factum video, expoſitione duorum vocabulo-* *rum* HHOK *&* MISPAT, *ſingulari numero pronuntiatorũ illuſtrabi-* *tur. Atque vtinam vel nobis otij, vel alicui docto ac pio viro conſi-* *lij tantum eſſet, vt de ſacrorum verborum vel ad naturam, vel ad* *religionem, vel ad iuris prudentiam pertinentium diſertus aliquis* *liber cõſcriberetur, maximo profectò vſui futurus ſtudioſis omnibus,* *magnumq́; compendium facturus ad certam interpretationis ratio-* *nem, quamplurimis in lectionis ſanctæ locis tenendam. Inter alia* *complura iuridica verba, pro quibus Latini promiſcuè Præcepta, in-* *ſtituta, iudicia, legem & mandatum reddunt, vnum eſt* HHOK, *cui nunquam ſatis conſtans Latinum vocabulum dari animaduer-* *timus; quod quale dari oporteat, rei ſignificatæ expoſitione cognoſce-* *tur. Eſt autem* HHOK, *Ius id, quod ad aliquem vel ſingularem ho-* *minem vel magiſtratum, vel hominum ordinem, vel populum re-* *fertur, tam in accipiendi quàm in dandi ratione; cuius generis ſer-* *uitutes & tributa à regibus populo impoſita, regibus etiam obſeruan-*

dæ le-

dæ leges, parentum aduerſum filios, dominorum quoque in ſeruos poteſtas hoc nomine etiam ſignificabuntur. Nam quæcunque ad hanc rationem referuntur, HHOK *ſingulari, &* HHVKOTH, *ſiue* HVKKIM *plurali numero dicuntur; id quod vno aut altero exemplo planũ fiet. Vbi in Latinis Biblijs apud Moſen legimus Ioſephum omnes* Gen.47.
Aegyptiorum agros & fundos frumenti permutatione emptos, regio patrimonio addixiſſe, ſacerdotum agros exceptos accepimus, his verbis: Præter terram ſacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis, quibus ſtatuta cibaria ex regis horreis præbebantur: iccircò non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas. Omnis autem narratio illa ita ex Hebraicis verbis legi Latinis poſſet: Tantummodò terram ſacerdotum non emit: quia HHOK *eſt ſacerdotibus ex Pharaone, & comedũt ſuum* HHOK, *quod dabat illis Pharao, ideoq́ non vendiderunt terram ſuam. Et dixit Ioſeph ad populũ: Ecce emi vos hodie, et terram veſtram Pharaoni: en vobis ſemen, & ſeminabitis terrã, & erit in prouentu, & reddetis partem Pharaoni, & quatuor partes erunt vobis in ſemen agri, & in veſtrum cibum, & ijs qui in domibus veſtris & in cibum paruulis veſtris: & dixerunt, Viuere feciſti nos, inueniamus gratiam in oculis domini mei, & erimus ſerui Pharaoni. Et poſuit hoc Ioſeph in* HHOK *vſque in diem hanc ſuper terram Aegypti Pharaoni ad quintam partem &c. Alterum & huic ſimilimum exemplum illud erit: Nunc ergo vocem eorũ audi, veruntamen conteſtare eos, & prædic eis* HHOK *regis qui regnaturus eſt ſuper eos. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à ſe regem, & ait, Hoc erit* HHOK *regis, qui imperaturus eſt vobis: filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, &c. Quod hoc loco bis verſum eſt, Ius; id in ſuperiori exemplo Statuta cibaria, ſemel dicebatur: & rurſum, Factum eſt quaſi in legem. Itaque* HHOK *Ius, ſiue ſtatutum, ſiue quaſi lex, à Latino interprete vertitur. Hiſpana lingua aptum huic ſignificationi verbum habet,* fuero. *ita dicitur,* eſto ſe deue de fuero: *& quoddam tributi genus apud Caſtellæ regnum eſt, quod* moneda forera *appellatur. Nos ergò certæ notationis cauſa, Ius ſiue potius Statutum Latinè dicemus, hoc vocabuli ab Interprete noſtro mutuantes. Alteram vocem* MISPAT, *pro qua ſæpiſſimè in noſtra verſione Iudicium legimus, iam aliàs nos docebamus, à verbo* SAPHAT, *quod Iudicare ſignificat, deductã, idem ſignificare quod*

1.Reg.8.

Latinis iuris peritis Ius, ex quorũ doctrina Ius dicitur iuſti et æqui ratio, hoc eſt probatio & manifeſtatio ex aliquo deſumpta argumẽto, qua id quod iubetur, iuſtũ eſſe declaratur. Hoc Italicè La ragione dici ſolet, & Hiſpanicè etiam La razon, *Gallicè Le droit, atque à recentioribus iuris interpretibus ratio quoque dicitur, illud prouerbialiter vſurpantibus: Ratio legis eſt anima legis. itaque* HHOK *ſtatutum,* MISPAT *verò ius ſiue rationem hoc loco dicemus. Atque hoc modo hiſtoriæ huius explicabitur ſententia: Non quidem quòd Ioſue nouas condiderit leges vltra eas quas dictante Deo ſcriptas reliquerat Moſes; id enim nefarium eſſe & populus perſæpe monitus, & Ioſue etiam ſui magiſtratus initio admonitus fuerat: Confortare & eſto*
Supr. 1. *robuſtus valdè, vt cuſtodias omnem legem quam præcepit tibi Moſes*
" *ſeruus meus: ne declines ab ea ad dexteram, vel ad ſiniſtram, vt in-*
" *telligas cuncta quæ agis. Quod verò quidam ex interpretibus iudicia atque leges, quæ tum ad ſacrorum ritus, tum ad priuatos mores & publicæ rei gubernationem facerent, relicta ac recitata intelligunt, id præterquam quod exponi opus non erat, verborum ſignificationi atque contextui non aptatur. Namque verba ſic habent: Poſuit ipſi* HHOK & MISPAT *in Sichem: nõ ait Relegit, vel recitauit, aut retulit: ſed, Poſuit ſtatutum & ius, in ſingulari numero. Atqui legum ſacrarum recitationem in ipſo feriendi fœderis ritu cõtineri, iam ſuperius docebamus; ſed poſt percuſſum fœdus* HHOK & MISPAT *poſita narrantur. Definiebamus autem* HHOK *Id eſſe quod cuipiam aliqua legitima de cauſa debeatur, &* MISPAT *Iuſti & æqui continere rationem. Igitur hoc loco illud ſignificatur, videlicet totius huiuſce concionis cauſam certis literarum monumentis fuiſſe demandatam, quam ad diuini cultus obſeruantiam, & ad poſteritatis memoriam deſcribi oportuit. Atque cauſam dicimus nunc, totum actionis illius argumentum, quod duabus conſtabat partibus; Propoſitione, quæ in argumentationis fine concluſio ſiue complexio fuit; et propoſitionis ratione ſiue confirmatione, qua effectum eſt, vt propoſitio veriſſima probaretur. Fuerat autem propoſitio,* IEHVEH *eſſe Deum Iſraelis, hoc eſt ius aduerſus Iſraelem habere: confirmatio multis narrationibus contexta ac munita ſingularem Dei erga Iſraelem prouidentiam probauit. Ex hac autem argumentatione populi reſponſum ſiue plebiſcitum natum eſt, quod vtramque argumentationis*

tionis partem complectebatur, Concluſionem videlicet, quæ in ſtatuti ſiue legis forma à populo accepta eſt. Seruiemus *igitur* IEHVEH, *hoc eſt* HHOK *quod ipſis vltro impoſitum & acceptum à Ioſue recitatur ac deſcribitur. Huic verò ratio quamobrem hunc ipſi profiterentur cultum, ſubiuncta eſt,* Quia ipſe eſt Deus noſter. *quo nomine prouidentia & gubernatio diuina ſignificatur. Itaque hanc ſtatuti ſuſceptionem & profeſſionem, non vt nouum præceptum, ſed vt debiti officij in genere declarationem & confirmationem deſcripſiſſe, atq. illi ius addidiſſe narratur Ioſue, idq́; in huiuſmodi exemplum:* IEHVEH SOLVM DEVM SVVM ISRAEL OMNIS FATETVR, ET COLENDVM PROFITETVR DENVO APVD SICHEM. *Additum verò eſt loci nomen ad diſtinctionem illius prioris fœderis apud Sinan percuſsi, atque ad indicandum tempus, quo acta hæc fuerint, cùm videlicet omnes in Sichem conueniſſent, regione iam obtenta & occupata, habitariq́; cœpta. Atque hactenus rerum à Ioſue geſtarum actionumq́; omnium imperatoris illius hiſtoria deſcripta eſt, quæ nõ antè dicata conſecrataq́; fuit, quàm fœdus hoc ſe miniſtro & interprete inſtauraretur. Poſt inſtauratum fœdus remq́; omnem conſtitutam idem Ioſue, qui à Deo dux inſtitutus, ornatus & declaratus fuerat, ſui temporis commentaria à ſe conſcripta, vt verus Propheta, qui non res modò, ſed rerum cauſas, pondera, conſequentias & rationes omnes teneret, in ſacram bibliothecam conferre, atque ad poſteritatis memoriam conſecrare iubetur.*

Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini.

NON *tantùm poſtremæ huius actionis, ſed omnium ſuo tempore geſtorum actorumq́; hiſtoriam hanc, quam ab initio legimus & commentati ſumus, ſcripta à Ioſue intelligimus. Hoc enim illis vocibus* omnia verba hæc *ſignificatur, vt aliàs non ſemel docuimus, maximè verò in communibus diſputationibus, quas duodecim Prophetarum libro præponebamus. Eſt autem loci huius interpretatio illa: Ioſue, qui promiſſorum & beneficiorum Dei miniſter fuerat conſtitutus, temporum ſuorum commentarios conſcripſiſſe, eoſdemq́; Dei conſilio adiunxiſſe libris Moſis, qui promiſſorũ ac legis ſcriptor atque ſalutis publicæ ex Aegypto propheta & miniſter declaratus etiam fuerat: vtq́; illius libris diuina Dei promiſſa & dona, quæcunque ad felici-*

tatem terrenam pertinent, atque etiam cæleſtiũ myſteria ſignifica-
tur, continebantur; ſic Ioſue hiſtoria & ſcripto libro diuinæ veri-
tis in promiſſis præſtandis conſtantia oſtenditur. Atq. ita vtriuſq
Prophetæ ſcripto, quaſi cõtinuata narratione omnis veteris illius fœ
deris abſoluebatur exacta ratio, diuinæ naturæ, prouidentiæ, miſeri
cordiæ in promittendis, fidei in præſtandis beneficÿs, iudicÿ in v
ciſcendis ſceleribus & omnibus alÿs argumentis, præceptis, exempl
inſtitutis ad pietatis rationem explicandã pertinentibus abundè co
latis & cõſolidatis. in volumine legis Dei. *Hebraicè certa hîc ve*
ba leguntur, ex quibus noſtram interpretationem adſtruimus. Na
quod Latinè Volumen hîc dicitur, in illa lingua eſt ZZEPHER, *à ver*
bo deductum, quod Narrare ſignificat: cùm id quod aliàs Latinus V
lumen reddit, MEGILAH *dicatur. Latinus etiam ex antiqua voca*
buli vſurpatione pro Hebraico THORAH, *legem reddere ſolet. Le*
gis vocabulum Latinis à legando, non à legendo deductum eſt: THO
RAH *autem à verbo* IARAH, *quod Inſtruere docereq́ ſignificat*
Itaque propriè THORAH *dicitur, non Præcepta tantùm diuina*
ſed omnem de Deo ac de diuinis rebus inſtructionẽ continet. Quam-
obrem omnes à Moſe conſcripti libri THORAH *nomen etiam Ieſu*
Chriſto laudante meruerunt. Reliquum eſt nomen Dei, quod Hebrai-
cè ELOHIM *appellatur, hoc verò non tam naturã, quàm ipſam De*
virtutem, voluntatem, efficacitatemq́ ſignificare, iam ſæpè aliàs do-
cebamus, maximè autem gubernationem, iudicium & humanarũ re-
rum curam, ſiue prouidentiam: quæ altera diſputationis de Deo pars
Heb.11. *eſt. S.S.E. Accedẽtem ad Deum credere oportet quòd eſt, & quòd in-*
» *quirentibus ſe remunerator ſit. Igitur ex vocabulorũ æſtimatione &*
» *pondere locũ exponentibus hunc, explanatio huiuſmodi paraphraſti-*
» *cõs habebitur. Scripſit Ioſue res rerumq́ rationes omnes has in nar-*
ratione inſtructionis Dei prouidẽtis. Qua narratione legenda quiſ-
quis diuinæ prouidẽtiæ rationes cognoſcere voluerit, inſtructiſſimus
euadet, hoc videlicet libro cum eo coniuncto, qui à Moſe ſcriptus an-
teà fuerat, eodem etiam nomine inſtructionis ELOHIM. *His iam*
peractis, monimentum publicum relinquendum curauit Ioſue, quo
præſentis ſeculi homines admonerẽtur pactionis iã tranſactæ, & ab
omnibus communiter confectæ: atque pactum ipſum poſteritas à ma-
ioribus præſtitum & à ſe præſtandum haberet quam teſtatiſſimum.

Eccu-

Et tulit lapidem prægrandem; poſuitq; eum ſubter quercum quæ erat in ſanctuario Domini: & dixit ad omnẽ populum, En lapis iſte erit vobis in teſtimoniũ, quòd audieritis omnia verba Domini quæ locutus eſt vobis: ne forte poſtea negare velitis, & mentiri Domino Deo veſtro. Dimiſitq; populum, ſingulos in poſſeſſionem ſuam.

RERVM *geſtarum, actionum, pactionum & aliarum narrationum monumenta non modò libris, tabulis & chartis, verùm ſaxis etiam, ædificijs ac molibus erectis fuiſſe olim ad præſentium admonitionem atque ad poſteritatis memoriam mandata, fuſius iam in his Commentarijs oſtendebamus, cùm de prima Cananææ regionis inuaſione ab Iſraelitis facta ageretur. Meminimus lapidum illa tempeſtate Ioſue iubente in ipſo Cananæi agri initio collocatorum. Eandem itaque rationem ſequutus Ioſue, maximum lapidem obeliſci ritu erectum hoc in loco ſtatuit, in quo poſtrema atque celeberrima actio fuerat inſtituta; in qua actione fœdus Dei cum populo, & populi cum Deo renouatum confirmatumq; eſt. Atque vt in altari per Reubenitas conſtructo animaduertebamus ad faciendam fidem, atque ad partium iura conſeruanda huiuſmodi titulorum ac molium erectiones magnam vim habent, vtpotè quæ nec ſtatui potuiſſent, diſcordãtibus partium ſtudijs & animis, nec per tempus aliquod manere ijſdem non conſentientibus: eædem verò cùm aliquamdiu manſerint, poſſeſſionis ius vendicant & tuentur, tanto præclarius & firmius, quanto frequentiore hominum conſpectu comprobatæ ſunt. Igitur huius lapidis collocatio illius diei fœdus vel literis inſcriptis declaratũ, vel nomine ſaltem impoſito continebat. Quumprimum enim hæ ſtatuuntur moles, nomẽ, quo cauſa ratioq; exponatur, ſortiuntur, vt Lapis adiutorij, & Gilghad, & plurima alia huius exempli, quæ non ſolùm legere ſcientibus, verùm etiam rudibus literarumq; expertibus ſua ſeſe ſpecie oſtentant, & cauſam quamobrem poſita fuerint, vel in memoriam reuocant cognitam, vel rogandam cognoſcendamq; ſuadent. Poſito itaque lapidi elogium nomenq; addidit Ioſue, ſignificãs illos poſſe ab officio veriq; Dei cultu degenerare, verùm huiuſmodi quicquam auſos illius ſaxi magnitudine, firmitudine, atq. adeo immutabili natura eſſe arguendos; nec Dei euaſuros iudicium, cuius veritatem & iuſtitiam cælum, terra & elementa omnia, atque adeò ſaxa ipſa duriſſima*

riſſima cõteſtari poſſunt. Hæc enim omnia Deo Deiq́ verbis tũ audiẽdis, tũ obſeruãdis, &, cùm opus fuerit, declarandis, nec ſurda, nec muta eſſe. Quippe Dei verbo omnia obediunt, omnia viuunt & ſentiũt: ipſum verò lapidem vel cõſpectum longius vocis inſtar habiturũ, ad monẽdum & obteſtandũ, illius diei pactione IEHVEH *Dei gubernatoris nomine rurſus receptum, adoratum, & celebratum. Hoc modo exponimus elogium illud per Ioſuan non principibus modo, aut priuatis quibuſdam viris, ſed omni populo declaratum:* En lapis iſte erit vobis in teſtimoniũ. *Vobis, inquit: namq. Deo ſimpliciſſimo & immutabili, ſemper memori, ſemperq́ ſibi conſtanti, nec teſtibus nec monumentis, nec documentis vllis opus eſt. Atque vt religio obſeruãtiaq́ maior populo huiuſmodi monumento incuteretur, grauiſſima oratio adiuncta eſt:* Quòd audieritis omnia verba Domini, quæ locutus eſt vobis. *Si ita, vt in noſtra verſione legimus, exponendum ſit, verbum* audieritis, *non modò ad populum, ſed ad lapidem etiam ipſum eſt referendum. Vos, inquit, audiſtis, &, lapis audijt. Quod ſi vos degenerantes negabitis; tamen auritus hic lapis mendoſos ac mendaces arguet, atque damnabit. Hebraicè ſic elogium hoc habet:* Ecce hic lapis ipſe erit in nobis in teſtimonium: nam ipſe audijt omnia dicta IEHVEH, quæ locutus eſt nobiſcum, & erit in vobis ad teſtimonium, ſi fortè negaueritis in Elohim veſtro. *Exiſtimo autem Ioſuan grauiſſimam illam cõcionem ad populum habiturum, vel hunc lapidem conſcendiſſe, vel non longè à ſe habuiſſe; ita vt ſingulari exceptione hunc lapidem* dicta omnia, *hoc eſt orationis à ſe Dei nomine factæ ſenſa omnia, rationesq́ tenuiſſe affirmauerit vates hic. Nã præterquàm quòd ad diuini verbi efficacitatem relata oratio hæc atque aſſertio veriſſima ſit, ornatiore tamẽ & ſublimiore dicendi genere huiuſmodi quoque orationes admittuntur, grauiſſimæq́ habentur: vt, Lapis de pariete clamabit, & lignum,*
Habac 2. *quod inter iuncturas eſt, reſpondebit. & apud exteros auctores:*

Iuue.1.ſat.1. Frontonis platani conuulſaque marmora clamant
Semper, & aſſiduo ruptæ lectore columnæ. &
Horat.in art. Mediocribus eſſe poëtis
Non dij, non homines, non conceſſere columnæ.

Prouerbij etiam forma illud apud Hiſpanos vſurpatur: Los montes han ojos, y las paredes oydos. *Hæc nobis loci huius explicatio ſim-*

plex & plana ducitur; quē ſi quis ad myſteria reconditiora eruenda perſcrutari velit, id Diuo Auguſtino viam indicante & ad lapidem viuum Chriſtum referente facere poterit. Certum tamen eſt lapidem naturalem à Ioſue teſtimonij & monimenti ergô fuiſſe conſtitutum: quòd verò ſubter quercum, quæ erat in ſanctuario Domini, fixum fuiſſe hiſtoria narrat, ad fidem faciendam pertinet: quippe indicari oportuit, quo loci ſitus is eſſet, qui præter ceteros illā rem dieiq́; illius actionem teſtaturus erat: fuit autem ſitus in ſacro loco, nominiſq́; ſancti IEHVEH *commemoratione celebrato, vbi cùm obeliſcus viſeretur, ad neminem alium referri poſſet præterquàm ad* IEHVEH, *cui locum eundem ſacrum eſſe conſtabat. Erat namque locus ille religione maiorum, nempe Abrahæ & Iacobi, memorabilis & obſeruandus; quorū alteri oraculum de ſalute publica iam pridē datum ibidem fuerat, alteri verò expiatis omnium errorum reliquijs familia Iſraelis nomine fuerat conſtituta, & profeſſio etiam facta promiſſorum & beneficiorum Dei. Quamobrem locus ille Domus Dei nomē, Iacobo appellante, meruerat, atque in longiſſimum tempus conſeruauerat. Itaque ijs omnibus aſſentimur, quæ à docto & pio Maſio hoc ipſo verſu diſputata ſunt. Verùm quod arboris naturam, genus et nomen ſpectat, ſi coniecturæ locus eſt, cùm Hebraicæ voces eandem ſignificantes rem ſint* ELAH & ELON, *exiſtimamus eandem plantam eſſe, quæ Latinis, eodem literarum ferè ſono ac pondere, Alnus dicitur. Namque mutatis vocalibus literis, quæ ex alia in aliam linguam perpetuò ferè mutantur, ſuperſunt conſonantes radicales, dictæ* ALN. *Eſt verò Alnus ex earum genere arborum, quæ humidiore ac pinguiore gaudēt ſolo, cui Populi nomen vt genericum tribuere libet. Huiuſmodi enim plantæ magnitudine creſcunt conſpicua, & ad multa durant ſecula; cuius formæ ſunt Populus alba & nigra, & Vlmus & Alnus & Betula ceteræque his cognatæ, quas omnes Hiſpani parum variato nomine certiſq́; differentijs diſtinctas* Alamos *vocāt, vt* Alamo blanco, alamo negro. *Hanc arborem ab Abrahami vſque tempore illo loco notam celebremq́; fuiſſe intelligimus, quæ ſimul cum erecto nunc lapide & beneficia diuina teſtaretur, & humana officia ac pietatem ab Iſraelitis prætereuntibus & procul adſpicientibus exigeret.*

Dimiſitq́; populum, ſingulos in poſſeſſionem ſuam.

CONCILIVM *illud publicũ & celeberrimũ totius Iſraelitici populi pari auctoritate, honore ac dignitate ijs, quibus vocatũ fuerat, nũc demum dimiſſũ fuiſſe, diuina teſtatur hiſtoria, in qua et populi obſequẽtis, atq. officioſi et pij, vigilis atq. publicã rem diligentiſſimè curãtis Ducis indicantur exempla. Nec enim toto illo concionis tẽpore quiſquam diſceſſit, quoad omnes pariter dimitterentur; ita vt ſinguli etiam publicam dimiſſionem expectaſſe viderentur, & accepiſſe ſinguli in illa publica ſuam ſingularem, idq́; poſt profeſſionem publicè ab omnibus factam, antequam nemo ad ſuam poſſeſſionem redijt. Atque hæ populi partes fuiſſe videntur: Ducis verò illæ, vt vnamquamque tribum, vel etiam ſingulas vniuſcuiuſque tribus familias Dux ipſe vel in medio loco conſtitutus, vel omnium tribuum ſtationibus obitis, honoris cauſa nominatim appellatas dimitteret, & quas regiones vnaquæque coleret culturaq́; eſſet, commemoraret, bene ſingulis precaretur, & ſtrenuè agendæ augendæq́; in poſterum rei curam ſuaderet, animumq́; adderet ad hoſtes contemnendos, ac prorſus pellendos omnes qui ſupereſſent: atq. hoc pacto eadem opera diuinum aduerſus illos beneficium, & ſuum ipſius erga eoſdem munus & officiũ abũdè factum atque præſtitum in memoriã reduceret. hoc eſt quod dicitur,* ſingulos in poſſeſſionem ſuam. *Hebraicum nomẽ* NAHHALAH, *pro quo Latini Poſſeſſionem ponunt, à verbo* NAHHAL *fit, quod in vna coniugatione Hæreditatem ſiue poſſeſſionem inire: in altera verò Hæreditatem ſiue Poſſeſſionem tradere ſignificat. Hoc verbo ſæpiſſimè vſus Moſes Iſraelitas regionem illam obtenturos eſſe prædixerat pollicitusq́; fuerat. Atque eodem ipſo Deus in huius hiſtoriæ initio Ioſuæ fidem fecerat, atque ſpem beneficij à ſe per eundem Ioſuan*
Sup. 1. *populo præſtandi. Confortare, & eſto robuſtus; tu enim ſorte diuides*
» *populo huic terram, pro qua iuraui patribus ſuis, vt traderem eã illis.*
» *Quamobrem hanc dimiſſionem cum magna gratulationis Deo à ſingulis atque omnibus faciendæ commendatione intelligimus celebratam à Ioſue, qui quidquid illis à Deo de hac re promiſſum, ipſiq́; demandatum fuerat, confectum abſolutumq́; prædicabat; cùm conſtaret ſingulos ſuas hæreditates obtinere ipſo procurante & miniſtro diſtributas: quod ſingularem prouidentiam declarabat, celerrimámque beneficentiam Dei, qui homini octoginta & eo amplius nato annos*

tantum negotium mandaſſet, & expediendum, explicandum, prorſusq́; conficiendum conceſſiſſet munere ſimul atque vita cum ſumma laude perfuncturo.

Et poſt hæc mortuus eſt Ioſue filius Nun ſeruus Domini, centum & decem annorum: ſepelieruntq́; eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnath-Sare, quæ eſt ſita in monte Ephraim, à Septentrionali parte montis Gaas.

SAPIENTER, *piè ac ſanctè actam piorum vitam fine claudi ſemper opportuno, optando & probatiſſimo, huius viri atq. multorum etiam aliorum exempla ſacris hiſtoriјs celebrata docent, ſimulq́; mouent, quid quantumq́; ad vitæ huius extremum diem ijs, qui piè viuere conſtituerint, expetendum appetendumq́; ſit. Eſt autem opportuniſſimum vnicuique bono viro moriendi tēpus id in quo munere ſibi diuinitus iniuncto iuxta humanam conditionem defunctus fuerit. Namque vitæ longitudo non dierum ſpatijs, aut interuallis magnis, ſed piæ actionis felicitate æſtimatur. Quamobrem Ioanni Baptiſtæ viuendi idem, qui teſtimonium ferēdi, terminus præſcriptus eſt: teſtimonio autem de luce dato, vitæ huius mortalis vſus in meliorem fuit permutatus, luce iam ſplendeſcente. S. S. E. Cùm audiſſet Ieſus* Matth.4.
" *quòd Iohannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam: & relicta ciuitate*
" *Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum maritima in finibus*
" *Zabulon & Nephthali, vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam*
" *Prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephthali, via maris trans*
" *Iordanem, Galilæa gentium; populus qui ſedebat in tenebris, vidit lu-*
" *cem magnam, ſedentibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Ita*
autem Deus eorum, quos ad publica munera delegerit, & piorū cunctorum vitam vitæq́; momenta omnia temperat, vt nihil ad rem conficiendam deſit, nihilue ad præmium percipiendum tædioſæ exſpectationis ſuperſit. S. S. E. Ego iam delibor, & tempus reſolutionis meæ 2.Tim.4.
" *inſtat. Bonū certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: in*
" *reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus*
" *in die illa iuſtus iudex; non ſolùm autē mihi, ſed & ijs qui diligūt ad-*
" *uentū eius. Sic igitur obſeruauimus ijs, quorū actiones longā poſtulabant vitam per mille diſcrimina, per magnas rerum ac temporum varietates ac difficultates fuiſſe propagatam vltra communem etiam humanæ ſortis vicem, totumq́; ad agendum opportunum diem, nullo*

Ioan. deficiente momẽto, cõſtitiſſe. S. S. E. Nónne duodecim horæ ſunt diei?
„ ſiquis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi vi-
„ det. Hinc eſt, quòd Ioſue, quem ſibi ad Iſraelitarum diuidendam hæ-
„ reditatem Deus delegerat, vltra centeſimum atque nonum traduxit annum, quo tẽpore omnes huic viro coætaneos, & multos etiã ætate minores in ſolitudine conſumendos prædixerat, præter vnum Calebum fidei conſtantiæq́; eiuſdem ſocium. Deinde etiã interuallo opus erat longiuſculo ad debellandam, occupandam, peragrandam, deſcribendam diſtribuẽdamq́; in partes terram illam promiſſam. Id autem omne, quod ad eã, quam Deus parauerat, conficiendã rem, vitæ, temporis animiq́; roboris et corporis firmitudinis exigebatur, abũdè ſuppeditauit Deus viro huic, videlicet quadraginta annos in ſolitudine, in quibus Moſis mandata miniſter faceſſerat: poſt hos verò non vſq. pauciores viginti, quos in expugnanda et conſtituẽda hæreditate poni opus fuit. Quiſnã in breui hominum vita, atq. adeò in tanta eorũ qui in deſerto mortui ſunt, copia vnum virũ ſupereſſe & ad centeſimum ac decimum vſque annum durare poſſe exiſtimauerit, niſi hoc diuinæ prouidentiæ ſingulariter adſcribat? quæ nec vnum de ſuorum capite capillum non opportuno tempore decidere ſinit? Ad huiuſmodi rationem annorum ſancti huius viri numerum notatum accipimus, & plura etiam quæ indicare poteramus, breuitatis cauſa conſultò prætermittimus. Cetera igitur exponamus verba. Et poſt hęc. Cõiunctio ET hoc loco rerum ſeriem certam atq. conſilio non caſui adſcribẽdam indicat: Hebraicè autẽ planius hoc multo eſt, Et fuit poſt verba hæc. Et fuit, inquit, verè, atque vt rerũ ſeries ratioq́; poſtulabat, ita fuit. poſt hæc. Poſt confecta & abſoluta omnia hæc quæ cum diuinis prædictionibus ac promiſſis conſtabant, poſt initam regionẽ, debellatam, occupatam ac diuiſam, poſt conſtitutum tabernaculo locũ, poſt omnia quæ celebrari oportuit concilia celebrata, poſt concionem poſtremã redintegrandi fœderis cauſa factam; poſt dimiſſionem & gratulationem illam publicam, denique poſt acta tranſactaq́; omnia. Poſt verba hæc, vt Hebraicè eſt, id eſt poſt ea cuncta, quæ narrata iã ſunt, mortuus eſt Ioſue filius Nun. De huiuſmodi patronymica appellatione, quæ nobis adnotatu digna videbantur, iam ſatis clarè aliàs in hiſce Commentarijs adnotauimus, quæ ad huius loci expoſitionem vel memoriâ tenere, vel legere expedierit. Eſt autem ſententiæ ſumma illa:

Ioſuan

Ioſuan virum ſtrenuum & fortem, tot rebus feliciſſimè geſtis clariſſimum, Dei ſolummodò laudi & populi Iſraelitici cōmodis ac felicitati curandis & promouēdis totum vitæ ſuæ tempus, idq́; pro humanæ conditionis ratione, perquam longum tribuiſſe, nulla vel propriæ gloriæ, vel rei familiaris augendæ cupiditate, nec cogitādo quidem ductū, vel commotū, atq. iiſdem ſtudijs, in quibus vitam traduxerat, intentum mortem obijſſe eodem nomine & cognomento, tum in muneris obeundi initio, tum in obiti iam fine appellatum filius Nun, *vno tamen titulo auctum ad æternam laudem atque gloriam confirmato: qui quamquàm votorum viri illius continebat ſummam, tamen ab ipſo vſurpatus non fuit, ſed poſt illius mortem diuino conſilio declaratus & confirmatus. Eſt autē titulus* SERVVS DOMINI; *qui cùm verè ac meritò ab hoc ſuſtineatur viro, omnium terræ regum diademata ſuperat. Nam ſeruire Deo regnare eſt. Itaque & viuens Ioſue Deo ſeruiuit, & ſe ad mortem vſque ſeruiturum profeſſus eſt, (Ego, inquit, & domus mea ſeruiemus Domino) & mortuus illud præclarum cognomentum* SERVI DOMINI *cum Moſe præceptore ſuo meruit. Quòd ſi ſeruus Domini mortuus eſt, & præmiū etiam obtinuit legitimis Domini ſeruis promiſſum ac paratum; & quoniam poſt mortē ſeruus Domini appellatus eſt; conſequitur illum poſt mortē viuere apud Dominū, cuius eſt ſeruus. Nec enim Domini aula inanibus titulis ornatur, ſed veris miniſtrorum ſuorū ſpiritibus, expectantibus beatam ſpem, & aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui reformabit corpus humilitatis eorum, configuratum corpori claritatis ſuæ. Atqui ab initio vitæ ad extremum vſque diem hoc egiſſe, hoc vnum ſtuduiſſe Ioſuā, ipſa ætatis commemoratio indicat nō antè facta quàm titulus ille* Seruus Domini *præcederet. Fuit autem Domini ſeruus centum & decem annis ad eam rem natus, delectus & educatus, ac per omnem vitam exercitatus, habiturus demùm pro centum ac decem annis vitæ in cultu ac ſeruitute Domini tranſactæ, mercedem & laudem nullis vnquam annis claudendam, aut definiendam. De huius autem viri temporibus videmur nobis* Lib. Daniel. *apertam rationem in ſacro Apparatu reddidiſſe, quam repetere hic ſuperuacaneum ducimus. Si quis verò cum noſtris aliorum etiam de hac re calculos examinare velit, Andreæ Maſij Commētarium legat, qui omnium ferè chronographorum ſententias luculenter recitauit.*

Ea quoque hoc in loco legenda cenſemus, quæ de ſepulcrorum ac monumentorum ratione ab illo viro diſputata ſunt perquàm doctè atq. piè. Sepelieruntq; eum. *Non dicitur ille ſepulcrum ſibi ſepulturaq́; honorem viuens curaſſe, aut mandaſſe curandum: Namq. huiuſmodi cura vel nulla, vel exigua eſt ſanctis viris Deo per omnem vitã ſeruire intẽtis: verùm officia huiuſmodi à ſuperſtitibus amicis, cognatis, atque ab ijs facta, quos hæc agere oportuit & decuit. Debentur enim bonis honeſta iuſta; quæ cùm ſecurè ac tranquillè fieri poſſunt, non reddi piaculum eſt: ſin verò id minimè præſtari poßit, propter locorum ac temporum importunitates & incommoditates, tamẽ piorum corpora quocunque modo iacuerint, in pace quieſcunt, & in futuræ inſtaurationis & amplificationis exſpectatione. S.S.E.*
Pſalm. 34. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur. Huiuſmodi officium non priuatè aut clam, ſed publicè & honorificentißimè aduerſus hunc ſanctum virum factum fuiſſe verbum plurale indicat,* & ſepelierunt eum. *Locorum verò nomina & notationes cùm ad fidem faciendam memoriamq́; conſeruandam faciunt, tum verò ad Dei veritatem aſſerendã. Namque Deus pollicitus fuerat terram Ioſue miniſtro expugnatum, debellatum, diuiſum & occupatum iri; quod adeò verè, adeò certè atque maturè præſtitum eſt, vt ipſi etiam diuiſori nec mors antè acciderit, quàm terra omnis expugnata obtentaq́; fuerit, vſque adeò vt ſepulchrum etiam in propria hæreditate contigerit: Nec verò illud in interiori aliquo hæreditatis loco factum fuit, vt circùm habitantium frequentia, cura & opera ab hoſtibus defenderetur, verùm in ipſo poſſeßionis fine ſiue termino in vrbe Timnath Zzarahh, quæ ſita eſt in mõte Ephraim ad Septentrionem montis Gaas. Adeò enim pacata ac tranquilla omnia erant, vt licuerit ſepulchrum in ipſo regionis fine conſtituere, nulli cuipiam hoſti quamuis inuidentißimo violandum, vel mouendum, idq́; loco illuſtri, conſpicuo & celebri iuxta vrbem in editiore ac montano ſolo: quod viri memoriam non contribulibus modò, verùm etiam vicinis ac finitimis, atque omnibus alijs illac iter facturis repræſentaret. Nec verò apud aliam vrbem, vel tribum quamuis nobiliorem humari decuit corpus eius, qui per omnem vitam ab ambitione fuerat alienißimus, quíque ſua ſorte contentus vixerat, & mori ac ſepeliri voluerat; teſtaturus videlicet illo in loco fidem et conſtantiam*

Dei

Dei, qui quidquid promiſiſſet abundè præſtiterat, ita vt vnicuiq; ſuam patriam incolere viuenti, & mortuo etiam obtinere conceſſerit. Multa hîc veteres Hebræi ſcriptores tradunt de Solis apud Ioſue monumentum ſimulacro poſito, in memoriam celeberrimi illius atque ſingularis miraculi, deq; montis illius GAGHAS *cõmotione, quæ cùm nobis nullo certo ex ſacris hiſtorijs documento ſtatuantur, nec digniſſima cognitu exiſtimantur, nec fidem quam perpetuò firmiſſimam volumus, exigere videntur; ideoq; nec dandam cenſemus, nec dantibus obſtrepimus. Atque hic totius hiſtoriæ ad Ioſuan pertinentis finis eſt, poſtremis hiſce duobus verſibus factus, qui non à Ioſue, ſed ab alio conſcripti ſunt: eum verò eundem fuiſſe arbitramur, qui & trium, qui mox adiungentur, & Iudicum etiam libri auctor fuit, de quo aliquando Deo propitio diſſeremus.*

Seruiuitq; Iſrael Domino cunctis diebus Ioſue, & ſeniorum, qui longo vixerant tẽpore poſt Ioſue, & qui nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat in Iſrael.

HVMANORVM *ingeniorum morem ſuapte vi parum firmum, parumq; conſtantem eſſe, & pro mentis informatione facilè mutari ſolere, lectionis huius exemplum apertiſſimè docet; nec quicquam bonæ frugis expectari poſſe, vbi rectæ diſciplinæ inſtitutio defuerit. Quãquam enim & genus & nomen, & certa quædam externa ſigna à maioribus accepta cõmuniter in populis conſeruētur, quæ mutari non ita facilè poſſunt, niſi communi conſenſu conſpirante; tamen ſingulorum priuatis cogitationibus & ſententijs, actionibus, ſtudijs & moribus in ipſa veræ virtutis cultura vitium paulatim admittitur & alitur, quo omnis internæ pietatis cõtaminatur & permiſcetur, tandemq; corrumpitur ſuccus, cortice tantùm & ramorum ac foliorum conſeruata, nonnunquam etiam luxuriante ſpecie, quæ præter virorem quendam eumq; non probè ſaturũ, imò nõ parum à genuino candore degenerantem nihil prætereà retinet. Ita enim temperatam eſſe oportet virtutis & probitatis rationem, vt nec fructus, quæ prima plantandi cauſa eſt, opportunè deſideretur, nec ramorum ac foliorum ſpecies fructibus digna deficiat. S.S.E. Et erit tanquam lignum, quod* Pſalm. 1.
" *plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in*
" *tempore ſuo, & folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet,*
" *proſperabuntur. Namque aliàs fruſtra operà impenditur in ramis*

tantum

tantum atque folijs procreandis, ſi plantarum domino illa demũ querela ſupereſt: Exſpectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Quibus verò modis vera & opportuna pietatis ac virtutis cultura definiatur et exerceatur, apertè hæc indicat adnotatio, oſtenditq́; ſolummodò id præſtari poſſe ſanæ ac puræ doctrinæ tum cognitione, tum vſu atque exercitatione. Namque (vt aliàs hoc ipſo in capite diſſerebamus) permagni intereſt, quibus notionibus mens imprimis imbuatur; deinde etiam quibus inſtruatur artibus humanus animus ad omnem vitæ partem rectè aut ſecus inſtituendam. Prima autem illa mentis informatio ex nulla melius quàm ex ſacrorum eloquiorũ diſciplina petitur, ſiue ea priuato ineatur ſtudio, ſiue, quod præſtat, cum doctrinæ ſinceritate, exemplorum quoq. & morũ iungatur meditatio & vſus. S.S.E. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Itaq. huius loci enarratio eſt, veri cultus diuini puræq́; religionis diſciplinam & ſtudium pium, tamdiu apud Iſraelitas duraſſe, quoad ſanæ doctrinæ memoria & cura perſeuerauit: cunctis diebus Ioſue, & ſeniorum, qui longo tẽpore vixerant poſt Ioſue. *Hebraicum verbum hanc temporis longitudinem familiarius æſtimandam indicat; ſic,* Qui prolongauerunt dies poſt Ioſue: *hoc eſt, qui ſuperſtites illi fuerunt: id quod ſua ſignificatione nec ad multos, nec ad paucos annos refertur, nã ſi quis vel toto anno vel menſe breui ſuperuixerit alteri, dies poſt illũ prolongaſſe dicitur. Itaque nihil hæc expoſitio ijs aduerſatur, qui vno ferè conſenſu huic poſt ſublatum è viuis Ioſuan tempori octo ad ſummum annos tribuunt. Tria autem illi felici ſeculo adſcribuntur, ætas & auctoritas eorum quorum conſilio reſpub. gubernabatur; ſeniorũ, inquam, id eſt prudentum & barbatorum virorum, quibus ceteri (vt in bene moratis ciuitatibus fit) et loco cedebant, & aſſurgebant, & narrantibus, vel præcipientibus obaudiebant. In ijs enim Ioſue atque maiorum vigebat auctoritas, curaq́; erat perpetua, vt nequid de optimè cõſtituta religione definitisq́; moribus mutaretur, idq́; magno atque communi cõſenſu ab omnibus agebatur, pariter nemine ipſorum ſeſe alijs præferente; ſed vna omnium cura, vna cautio, vna vox ex eodẽ ſapientiæ ſtudio nata erat, & obſeruabatur perpetuò; nata, inquam, ex notitia* IEHVEH *& Iſraelis, beneficiorumq́;* IEHVEH *aduerſus Iſraelem: quæ profectò beneficia eodem, quo facta fuerant, modo ac pacto conſeruanda eſſe, & am-*

Iſai. 5.
Pſalm. 1.

& amplificari poſſe cenſebantur. Nec enim hic legimus, qui viderant; *vt vel ad eos qui ex Aegypto prodierant referenda ratio ſit, vel ad eos qui in ſolitudinis vagatione fuerãt nati, ex quibus illi magnam, hi bonam diuinorum beneficiorum partem, ſed neutri omnia viderant, nec vidiſſe ſatis ſibi duxerunt, vt integra omninò conſeruaretur religio. S. S. E. Obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Atque ita minimè torqueri hoc loco oportet interpretes inquirentes, num ſeniores dicantur illi, qui vnà cum Ioſue ex Aegypto aſcenderant; an ÿ potius, qui poſt Aegyptiacam ſeruitutẽ nati fuere. Illud enim verbum* qui nouerant, *apertè docet religionis legitimæ ſinceritatem ÿs diligenter curatam, quibus in diſciplina Dei cognoſcenda ac tenenda ſtudium poſitum, nunquamq́ relictum intermiſſúmue fuit. Erat verò huiuſmodi ſtudÿ ratio illa, cognoſcere cũprimis quiſnam eſſet* IEHVEH, *quæ gens Iſrael, vnde etiam Iſrael inſigne illud nomen fuiſſet ſortitus, atque idem quemadmodum rectè ac ſanctè dígneq́ tueri poſſet. Hoc autem vt probè teneretur, aßiduam meditationem poſtulabat eorum temporum, & rerum earum, quæ à Ioſue in illa ſuprema concione commemorata fuere: horũ illa ſumma erat, ipſorum quondam maiores ceterarum gentium ſimiles ad veri Dei cognitionem fuiſſe primùm vocatos, deinde ductos, edoctos & inſtitutos, tandem ex humili conditione ad Iſraelis illuſtre nomen productos, atque per omne tẽpus ſobole honoreq́ auctos; poſteà ex duriſſima ſeruitute ad nobiliſſimam & ſuauiſſimam libertatẽ magnis mirabilibusq́ beneficÿs traductos; in ſolitudine conſeruatos, amplificatos legibus, & inſtitutis vitæ emendatos & informatos, ab hoſtibus defenſos, ac demum in promiſſam patriam deductos; ita vt maximum, inſigne, illuſtre, admirandum præter cetera omnium gentium exempla; opus Dei dici poßit Iſrael. Hæc ita explicanda, verborũ æſtimatione & genuina ſignificatione docemur*, Qui nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat in Iſrael. *Cùm plura Hebraica vocabula ſint, quæ Latinus Opera, Operari ſiue Facere interpretari ſolet, vnum hoc in loco eſt tum nominis, tum verbi forma geminatũ*, GHASAH *&* MAGHASEH, *quæ ſic Latinè reddere vtcunque poſſumus enucleandi ſenſus cauſa*, Qui nouerant facturam omnem, quam

Pſalm. 106.

VV fecit.

fecit IEHVEH in Iſrael. *Explicandi licentia vſis ex verbo Facere, factura deducetur, vt à Pingere, pictura, & à Sculpere, ſculptura, in vſum recepta admittimus. Hiſpanicè aptè ac propriè dici poteſt*, que ſupieron la fechura, que fizo IEHVEH en Iſrael. *Hoc eſt, qui non vulgariter, ſed prudenter & accuratè exiſtimantes mirati ſunt, quàm rarum opus præter omnium aliarum gentium comparationem vnius* IEHVEH *beneficio & artificio euaſerit: nempe ex rudi & humili Iacob conditione ad inſignẽ admirabilemq́ Iſraelis dignitatem & amplitudinẽ efformatus & perfectus, perinde ac ſi hoc vnũ opus præcipuum ſibi Deus delegiſſet, in quo effingendo ſapientiæ, virtutis ac miſericordiæ ſuæ ſingulare ac præclarum ſpecimen oſtendere voluiſſet. Atq. hoc verbũ in hac etiã ſignificatione & trãſlatione à Dauide vſurpatũ cantamus: Magna opera Domini: exquiſita in omnes* (Pſalm. 110.)
„ volũtates eius. Cõfeſſio et magnificẽtia opus eius; et iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Hanc magnificentiam confeſſionemq́ operis eodem exponente vate mox etiam didicimus: Memoriam fecit mirabilium ſuorũ, miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe. Memor erit in ſeculum teſtamenti ſui, virtutẽ operum ſuorum annũciauit populo ſuo: Vt det illis hæreditatem gentium: opera manuum eius, veritas & iudicium. Fidelia omnia mãdata eius; confirmata in ſeculum ſeculi, facta in veritate et æquitate. Redemptionẽ miſit Dominus populo ſuo; mandauit in æternum teſtamentũ ſuum. Sanctum & terribile eſt nomen eius: Initium ſapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in ſeculum ſeculi. Huius contemplationis diuinorũ beneficiorum erga Iſraelem ſpecimen, hic à nobis recitatus Pſalmus dat; qua in contemplatione antiqui illi prudenteſq́ viri, qui Ioſue ſuperſtites fuerant, dum verſarentur, & quid aduerſus Iſraelem Deus feciſſet aſſiduo ac diligente repeterent ſtudio, & pietatẽ coluiſſe, & populũ omnem in officio cõtinuiſſe memorantur: „ Initiũ enim ſapientiæ, timor Domini eſt, & intellectus bonus facientibus eum. At vero poſtquàm huiuſmodi cognitionis ſtudium intermiſſum, vel admiſſis gentium doctrinis ac fabulis commixtum fuit, veræ pietatis cultus negligi, aut corrumpi cœpit, quemadmodum in Iudicum ac Nehemiæ legimus hiſtorijs.

Oſſa

Oſſa quoque Ioſeph, quæ tulerant filij Iſrael de Aegypto, ſepelierunt in Sichem, in parte agri quem emerat Iacob à filiis Hemor patris Sichem, centum nouellis ouibus; & fuit in poſſeſſionem filiorum Ioſeph.

DIVINÆ *prouidentiæ præclara exempla non modò aduerſus viuentes & ſentientes, verùm etiam aduerſus eos, qui iam diu vitam in pietatis cultu peractam ſancta fide piaq́; ſpe concluſerunt, edita, multis ſacrorum monumentorum documentis ac teſtimonijs cognouimus; magno euidenteq́; argumento curæ Dei erga ſuos cultores, cui nec demortuorum oſſa, cineres, fama, nomen, memoria atque poſteritas omnis vnquam negliguntur, cui omnia hæc viuunt, ſuorum res omnes agenti eo etiam tempore, quo illis laborum huius mortalis vitæ quies conceſſa eſt. Atq. hoc quod diuinam prouidentiam, veritatem & conſtantiam ſpectat, indicaſſe nunc ſatis fuerit. Illud verò rurſum breuiter animaduertendum eſt, quemadmodum piorum partes, virtutes illæ, ſacra fides ſpesq́; agant, quæ vitæ quoque defunctorũ rationes nunquam deſerunt, ſed quoad abſolutas conſolidataſq́; præſtiterint, perpetuò fouent ac tuentur, ſeq́; illorum ipſorum, qui defuncti vita fuerint, aduocatas apud Deum ſtatuunt. S.S.E.*
Fide plurimã hoſtiã Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam teſtimoniũ con- Hebr. 11. “
ſecutus eſt eſſe iuſtus, teſtimoniũ perhibente muneribus eius Deo, & “
per illã defunctus adhuc loquitur. Atq. huiuſmodi fidei Iacobi, Ioſe- “
phi, et patriarcharũ aliorũ ſumma ratio nobis breuiter exponẽda eſt.

Mihi quidem ſacrorum myſteriorũ minimo humillimoq́; inueſtigatori, nec cum vllo ex antiquis illis, quos mente veneror comparando, dubium nõ eſt ſanctos illos viros, ſiue patriarchas ſiue vates appellare libeat, Abrahamum, Iſaacum, Iacobum, ceteroſq́; horũ filios & imitatores & veræ doctrinæ diſcipulos in ijs ipſis rebus quas ex diuino promiſſo exſpectarunt, vel beneficio acceperũt, terrenis, inquam, cõmodis, diuitijs, opibus, dignitatibus & amplitudinibus humanæ ſalutis arcanum veluti quibuſdam ſacramentis ac ſignis, indicari intellexiſſe. Nec enim ſapientiſsimis illis animis fluxa ac propediem relinquenda humana commoda tantæ curæ fuiſſent, niſi ea vt futurorum, id eſt æternorum pignora atque argumenta caperentur; qua de re plenius aliàs Deo ſuggerente diſſeremus. Summa verò illorum

omnium fuerat, Deum aliquando in expeditionem aduerſus inferorum regnum pro hominibus prodıturum, victoriamq́. de publico hoſte reportaturum, ad eam miſſo & delegato ſancto ſuo, ex Abrahami ſanguine progenito, cuius conſilio, virtute & opera humanæ ſortis conditio è miſerrima animorum ſeruitute in præclaram filiorum Dei libertatem atque gloriam traducenda eſſet: Atque rem illam in medio omnis terræ in regione Canaan, atque adeò apud regiam et celeberrimam illius regionis vrbem confectum iri: Eam verò regionem iam à principio delectam, non multos post annos ijs ipſis eſſe tradendam ex quibus illud ſanctum ſemen, in gentium omnium ſalutē promiſſum, erat oriturum: itaque tanti belli campum ac tanti ſpectaculi theatrum illic parari. Ex hac ergo fide ac ſpe illa cupiditas & expetitio antiquis nata eſt, tum ſobolis amplificandæ, quæ ſingulari prouidentia in lucem gentium fouenda credebatur; tum obtinendæ illius promiſſæ regionis, in qua publica totius terrarum orbis expedienda ſalus expectaretur. Hoc verò illud fuit, quod mente animoq́. intuiti ſancti illi viri, illarum omnium rerum, quamquam terrenarum deſiderio ducebantur, & ſibi ac poſteris eo quo fas fuerat modo expetentes, aſſequi ſtudebant; quod ſi viuentibus non contingerent, ſaltē poſt mortem vel ſepulcri vſura obtinere curabant; ita vt vel viui, vel vita defuncti vmbram ipſam conſequerentur diuinæ illius lucis, quæ olim ab illa regione primùm fulgens mundum omnem illuſtratura ſperabatur. Quin et ijs, quibus regionem illam nec viuis nec mortuis ingredi fas fuit, tamen vel procul conſpicere, illiusq́. proſpectu oculos animumq́. paſcere, diuino beneficio acceptum retulere, atque deſiderij ſolamini adſcripſere, quod Moſi conceſſum legimus: Locu- Deut. 32.
,, *tusq́. eſt Dominus ad Moyſen in eadem die, dicens, Aſcende in mon-*
,, *tem iſtum Abarim, in montem Nebo, qui eſt in terra Moab contra*
,, *Iericho: et vide terram Chanaan quam ego tradam filijs Iſrael obtinendam, & morere in monte. Itaque illud ardens votum regionem illam viſendi, vel ineundi, fidem atque ſpem ſanctorum virorū probabat Deo, qui hominum cogitata pernoſcit, atque etiam hominibus, quibus alterius animi fides ex operib. indicatur. Hinc verò eſt, quòd Abrahamus vxori ac ſibi & poſteris agrum ad ſepulcri vſum non incolarum dono, ſed legitimo pretio emptum poſſidere voluit. Atque* Iacob. 2.

in hoc

in hoc genere Iacobi & Ioſephi fides præcipuè emicat, quorum alter filium, alter fratres & nepotes iure iurando obſtrinxerunt: ille vt ſe mortuum quàm primùm in patrium ſepulcrum deferre Ioſephus curaret; hic vt oſſa ſua tamdiu in Aegypto ſeruarentur, quoad promiſſum terrenæ hæreditatis beneficium ex diuina prouidentia ac miſericordia contingeret. Potuerat quidem & Ioſeph corpus ſuũ quàm primùm vita functum in Cananæam terram transferendum mãdare, quod tamen deſiderium diutiùs ferre voluit, vt interim dum Iſraelitæ apud Aegyptios detinerentur, monimentum exemplarq́; viuentes haberẽt fidei ac ſpei promiſſorum Dei in qua ipſe vitam clauſerat, in qua etiam mortuus conquieſcebat, vtq́; illi ſibi viuentes expeterent, atque omni officio pietateq́; negotiarentur, ac præſtandum crederent id quod Ioſeph etiam mortuo ſibi concedendum expectabat. S.S.E. Et locutus eſt fratribus ſuis: Poſt mortem meam Gen. 50.
Deus viſitabit vos, & aſcendere vos faciet de terra iſta ad terram "
quam iurauit Abraham, Iſaac & Iaacob. Cumq́; adiuraſſet eos, "
atque dixiſſet: Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea vobiſcum de "
loco iſto; mortuus eſt expletis centum decem vitæ ſuæ annis: Et con- "
ditus aromatibus repoſitus eſt in loculo, in Aegypto. Quo in loco dũ "
eſſet repoſitus, Iſraelitas admonebat ſperandæ veritatis diuinæ, & cetera omnia docebat, quæ homines non illic ſemper hæſuros, ſed aliã petituros patriam cogitare, agere, parareq́; decuit. Oportet autem illius depoſitionis locum inſignem notumq́; Iſraelitis fuiſſe, illum ſæpe viſendi cauſa frequentantibus: Quandoquidem ſummorum virorum ſepulcra, omnium ætatum hominibus magna, auguſta ac ſancta fuiſſe, hiſtoriis omnibus comprobatum eſt: nedum eorum fuerint celeberrima, qui vita omni piè ac ſanctè tranſacta, in reſurrectionis ſpe diem clauſere extremum. Cuiuſmodi ſpem Ioſeph omnibus probabat, cùm moriens illuc ſeſe demum transferendum legaret, vbi futuræ omnium reſurrectionis primitiæ conſpiciendæ erant. Itaque tranſlationis cura ſuæ futurorum bonorum fidem manifeſtè oſtẽdit.
Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non "
apparentium. Iam verò facilè intelligi poteſt, quanta lætitia, qua "
pietate, quanta gratulatione ab Iſraelitis ſepelirentur oſſa viri illius qui cùm viueret, de omni gente ſua benemerentiſſimus fuerat, &

nunc demùm poſt mortem fidem liberauerat ſuam, cuius fidei pignus ipſum ſe præbere voluit, non antè in optato ac certo proprioq́; ſepulcro condendū, quàm ea euenirent quæ prædixerat. Magnus profectò hîc ſeſe campus aperiebat ad animaduerſionem multarum rerum pietatem ſpectantium: verùm illud ſatis nunc fuerit tetigiſſe, Ioſephum non ſolùm viuentem futura certiſſimè vaticinatum fuiſſe et generis ſui ſalutem curaſſe, verumetiam mortuum perpetuò concionatum fuiſſe, primùm de diuinis promiſſis expectandis interim dū in Aegypto populus ille maneret, dumq́; iter per ſolitudinem produceret; deinde verò de iiſdem præſtitis, cùm compoſitis iam rebus regioneq́; obtenta & quieta ipſius oſſa in proprium ſepulcrum tot antè annis notatum, imò hæreditatis iure obtentum deferrentur: ita vt optimo iure tum viuens, tū mortuus vates appellari meruerit. S. S. E. Ioſeph,

Eccle.49 ,, *qui natus eſt homo princeps fratrum, firmamentum gentis, rector*
,, *fratrum, ſtabilimentum populi, & oſſa ipſius viſitata ſunt, &*
,, *poſt mortem prophetauerunt. Neque verò præſentis iam hæreditatis poſſeſſionem occupando diuinam ſolummodo veritatem aſſerebant oſſa illa; ſed futuram etiam publicæ ſalutis, quæ illa terrenorum vmbra indicabatur, credendam & ſperandam admonebant. Quod verò loci nomen adnotatum eſt,* ſepelierunt in Sichem, *non ſolùm ad indicandum illius maximi viri ſepulcrum pertinet, ſed ad diuinam etiam miſericordiam declarandam quæ piorum virorum tam vita iam defunctorum quàm viuentium res & rationes opportunè curat, & iura tuetur, & vota ac reſponſa irrita nunquam cadere ſinit. Quisnam exiſtimaret Iacobum moribundum agelli partem à ſe ante viginti annos emptam, & iam ſeptemdecim derelictam annis Ioſepho filio non ad viuendi, aut ad illius tempeſtatis vſum, ſed ad ſepulcri locum poſt ducentos & plures etiam annos repetendam legaturum? tamen & legauit ſenex pyſſimus, & filius legatum accepit, & poſſeſſurum ſeſe poſt mortem credidit; quem ſua fides & ſpes minimè fruſtrata eſt, imò viuentis Dei prouidentia & gratia & is publicè delatus eſt, & omnium tribuum celebritate in Sichem inductus, hoc eſt in antiquæ Sichemitarum regionis partem eam, quam pater ſibi emptam illis verbis aſſerebat: Do tibi*

Gen.48. ,, *bi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi*

in gla-

in gladio atque in arcu meo. Gladium arcumq́, ſuum, quem appellauerit Iacob, vir omnium mortalium placidiſſimus, atque à belli inferendi & ab omni cogitatione prædæ alieniſſimus, hoc ex loco cognoſcere licet: nimirum puram, ſimplicem, legitimamq́, emptionem argento proprio exolutam, centum videlicet KESITAH, *quas Nouellas oues Latinus interpres exponit, quod iuſtum agelli illa tempeſtate pretium fuerat; eumq́, agellũ ſuo ſibi iure vendicat, nec in aliarum tribuum partitionem conferri vult, ſed vt iam proprium ſibiq́, emptum filio præter ceteros fratres adſcribit in hanc ſententiam: Regionem omnem Chananæorum, cùm vos Deo duce & auctore bellum gerendo ceperitis & occupaueritis, pro ſortitionũ ratione diuiditote; eam verò agri partem Ioſepho adſcribo, quam ipſe proprio mihi iure euici, acceptam ab Emorrhæis meo iam gladio & arcu, vt vobis belli iure non cedat. Hoc autẽ & ita eueniſſe, & omnium Iſraelitarũ conſenſu atq. plauſu Ioſepho ac Ioſephi poſteris ceſſiſſe in hæreditatem, hiſtoria ſignificat, dummodo ſingula narrationis diligenter examinata verba cum antiquis lectionibus conferantur, omiſſis interpretationibus varÿs, quæ certo ſacrorum eloquiorum fundamento non innituntur. Nam Iudæorum traditiones maiorẽ apud nos fidem nõ habent, ea, quã ſuapte natura ac ratione merẽtur. De pecunia, ſiue nummo illo, qui Hebraicè* KESITAH *dicitur, in ſacro Apparatu diſſerebamus: Namque hanc verè pecuniam fuiſſe, D. Stephanus diſertè* Act.7.
declarauit, argenti pretio agrum emptum dicens. Eſt autẽ KESITAH *ex veterum ſcriptorum æſtimatione, Argenteus nummus, quatuor* ZZELAGHIM *cum quatuor* MEGHOTH *pendens; hoc eſt quatuor ferè Atticas ſiue medicales vncias; itaq. centum* KESITAH *quadringentas fere vncias argenti valent. Exiſtimo autem Græcos interpretes hosq́, imitatum Latinum noſtrum Nouellas oueis expoſuiſſe propter pecudis imaginem in illo nummo fortaſſis exculptam, ex quo Romanis etiam Pecuniæ nomen factum legimus. Quod verò additum eſt* nouellis, *ad argenti puritatem iuſtumq́, pondus nulla parte detritum referendum eſt: & illud interim animaduertendum voluiſſe huius narrationis auctorem exponere nomen illud arcus, quo Iacob ex alluſione ſiue adnominatione videtur eſſe vſus. Arcus enim Cananæa lingua* KESETH *dicitur, cui* KESITAH *ſatis affinis vox eſt, ÿſdemq́, ferè*

ferè literis radicalibus conſtat. Et fuit in poſſeſſionem filiorum Ioſeph. *Vox* ET, *omnibus officijs ſuis hoc loco fungitur, cauſa, copulationis & illationis. Fuit igitur illa agri pars filiorum Ioſeph in poſſeſſionem, quia fuerat filiorum Ioſeph in poſſeſſionem. Atque hac pulchræ hæreditatis prærogatiua aucti ſunt illi, vt haberent perpetuum monimentum antiquæ patrum peregrinationis, & habitationis, atque etiam emptionis, & legati prophetico ſpiritu facti, haberentq́; ſepulcrum cum oſsibus illius maximi viri, cuius beneficentia & opera ceteræ tribus fuerant ſeruatæ. Magnum itaque tribui Ioſephitarum decus erat, in alterius tribus agro ſepulcrum illud tenere, & gratulante animo ſæpius inuiſere, atque tanti patriarchæ frequenti commemoratione virtutis veræ exemplum viuum cõſeruare.*

Eleazar quoque filius Aaron mortuus eſt: & ſepelierunt eum in Gabaath Phinees filij eius, quæ data eſt ei in monte Ephraim.

NON *tam temporum, quàm diuinæ prouidentiæ rationem hæc narratio ſpectat. Pollicitus fuerat antè Deus Iſraelitis optimã illam regionem traditum iri ijſdem, quibus ex Aegyptiaca ſeruitute ſalutem libertatemq́; fuerat largitus. Hoc magno beneficio omnes ferè illi ſe abdicarũt ob infidelem illam querelarum importunitatem poſt exploratorum reditum, ita vt omnes in ſolitudine vitam finierint, præter Eleazarum, Phineam & ceteros ex Leuitica familia, qui diuinis verbis fidem habuerant. Sed Aaroni ſacerdotum in illa tribu primo ac maximo ceterorúmque omnium parenti, atque Moſi etiam, ipſius fratri, illius terræ ingreſſu interdictum fuit ob culpam apud Aquas contradictionis contractam. Itaque Moſes et Aaron non longis interuallis ante primam terræ inuaſionem mortui ſunt, atque ijs locis ſepulti vnde in Cananæam regionem nunquam fuerunt tranſlati. Atqui Eleazaro (qui illius culpæ nec ſocius, nec fuerat comes) non tantùm terræ ingreſſum, ſed vſum quoque largitus eſt Deus, eumq́; pro æui ipſius ratione non breuem. Ille namque tamdiu ſuperſtes ac ſoſpes manſit, quoad occupata ſortibúſque ductis diſtributa regione vrbes etiam ſacerdotibus Leuitiſq́; omnibus ad habitationis vſum cum legitimis agris metatæ adſcriptæq́; fuerunt; quo*

tempore

tempore omnes res auctoritate adminiſtrationéque ipſius, vtpote ſacerdotis maximi, peracta ſunt: itaque vt ille vltra Ioſue extremum diem vitam etiam prorogauerit, ea tempeſtate cum ſeniorum illorum fidelium conſilio & opera reſpublica gerebatur. Videtur autem is iam ſenior annis, at laboribus grauis nullam ſibi propriam vrbem ad habitandum vendicaſſe, ſed id quod ſupererat vitæ, apud optimum & pijſsimum filium Phinean, cui in muneris decurſu lampada tradiderat, peragere voluiſſe, relicta ſui alendi ac recreandi, tandémque vita defuncti ſepeliendi cura filio ſuo. Ideóque (vt omnis illa ſummorum virorum ætas à cupiditate, ambitione & propria gloria maximè abhorruit) nec locum optimus ſacerdos morituro propediem ſibi vſurpauit, nec nomine ſuo inſignem eſſe voluit, nec de ſepulcro etiam fuit ſolicitus: & tamen nec loco eguit, nec nominis celebritate priuatus fuit, nec ſepulcri, aut ſepulturæ honore caruit, omnia hæc proſpiciente Deo atque optimo filio piè ac diligenter curante. Fuit itaque Eleazar primus è ſacerdotum familia, qui & viuens terræ vſum, & mortuus ſepulcri ius obtinuit, cùm tamen nullam haberet hæreditatē in terra. Sed non deerat Leuitis ad habitandum commodus locus, & ad condendum mortuorum ſuorum corpora idoneus. Voluit itaque Deus & hūc antiſtitem promiſſorum ac donorum ſuorum teſtem, interpretem et miniſtrum perpetuo apud ſuos monumento ac nomine celebrari loco edito ac longè conſpicuo, videlicet in Gibghath Ephraim, cui ex altiore ſitu nomen illud factum fuerat. Quidam hunc locum Phineæ in vxoris dotem contigiſſe exiſtimant; alij verò tribus ipſius dono conceſſum aiunt: nobis autem ſimplicior ſententiā eſt, hunc locum Phineæ in Leuitici iuris vſum ſorte obueniſſe, ad quem pater extrema ætate diuerterit, ibiq; ægrotauerit, ac diem clauſerit extremum, viri vitam vitæq; exitum probante Deo, bonorum omnium auctore vnico; cui vni & nos huius Commentarij finem gratulamur, acceptumq; referimus, incœptum ante duos annos Mantuæ Carpentanorum ſuaſu & monitu optimi & ſtudioſiſsimi viri Iacobi Simancæ, tunc Pacenſium, nunc Zamorenſium epiſcopi, abſolutum in noſtro ſeceſſu Aracenenſis rupis, menſe Auguſto, M.D.LXXXI.

XX

IESV CHRISTO SALVTARI VOTVM.

Particeps Latinè dicitur filius vnicus, totius aſſis hæres legitimus. cui pater viuens etiam rem omnem cómunicat. Terent. in Heaut. *Ille meus particeps.*

VIRTVTIS *altæ participem vnicum*
CHRISTVM, *paternæ quem Sapientiæ*
Inſtar decorauit, dicato
Fert animus memorare verſu.
O ſplendor almi luminis, infima
Quem terra adorat, Tartara quem pauent,
Æterna quem ſedes piorum, &
Ætherei venerantur axes:
Laudum tuarum tangere culmina
Qui nouit, vnus nempe poteſt Deus.
Nobis (decet quos non ſilere,)
Vmbram aliquam tenuiſſe fas eſt.
Fas & redemptis ſeruitio graui
Diſiecta per te dicere vincula,
Hoſtiſque confractas catenas,
Atque oneris iuga dura iniqui.

Verbũ apud Deum.

Naſcentis Orbis inuiolabili
Nutu iubebas ſemina ſurgere,
Cùm tempus eſſet, cumq́ Patri
Cumq́ tibi placuit benigno:

Nam

Nam quicquid eſt, & quicquid habet Deus,
Nato Deoque id contulit; omnia
Et poſſe, & eſſe, & fœderati
Legibus imperij tenere.

Deus erat Verbum.

Idem ruinas, & pereuntium
Damnata morti ſecla hominum tibi
Mortalium fratri virorum
Atque Deo dedit expianda.

Verbum caro factum.

Quæ neſcit altus cumque Deus pati,
Vltrò tuliſti ſuſcipiens homo:
Humana virtus quæ negauit
Poſſe, Deus cumulata præſtas.
Tu monſtra vincis, tu liquidi maris
Diffindis æquor, qua populus frequens
Lumen tuumq́; & te ſecutus
Regna fugit, tenebráſque Lethi.
Formidoloſis fluctibus obrutus
Infeſtus hoſtis deſinit inſequi
Quos antè perdendos ad ipſas
Vſque fores Erebi opprimebat.
Tunc arma victor, ſignáque & hoſtium
Non antè tactas exuuias refers,
Vinctumq́; producens Tyrannum
Legitimos rapis in triumphos.

XX 2 Partem

Et habitauit in nobis. *Partem tuorum ſidereis locas*
Tecum reductam ſedibus; ac iubes
Et vidimus gloriã eius. *Communis in teſtem ſalutis*
Partem aliam peragrare terras.
Jllos ter ampli munere gaudij
Panis de cæ lo miſſus. *Expleſ, opimis hos epulis iuuas*
Cuſtos & auctor, ac futuræ
Spe valida renouas quietis.
Jnfracta magnis vſque laboribus
Vitæq; pro te pectora prodiga,
Nulliſque turbata in periclis
Ad meritam reuocas coronam.
Nec lingua poßit dicere, nec pari
Æquare ſenſu mens valeat, pios
Promiſſa quæ tellus beatis
Excipiat foueátque in oris.
Hos tu ſereno lumine conſpicis,
Tutæq; Pacis deliciis iuuas,
Qui te, Patrem, veſtrum qui Amorem
Aßiduis celebrant choreis.
Deſideratam, nec ſatis agnitam
Noſtris diebus nominis iſtius
Sentire donabis benignus
Vímque & opem, ſolidamq; cauſam:

Humana

Humana quos non ſuſtineat dolos
Oblita veri cæcáque mens boni,
Mirata quod iam gens priorum
Senſerat, obtulerátque natis!
Fluxêre Solis candida munera
Conſpecta mundo, dum ſtetit integer
Senſus parentum, qui efficacis
Vim memores tenuere CHRISTI.

FINIS.

BENEDICTVS ARIAS MONTANVS COMMENTARIA IN LIB. IOSVÆ, A SE CONSCRIPTA, LEGITIMORVM S.C. ROMANÆ ECCLESIÆ CENSORVM SAPIENTI IVDICIO COMMITTIT.

LEGATORIA
G. DE NARDIS
VIA CRESCENZIO 85
ROMA
TIPOLITOGRAFIA